SYNOPSIS
THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

AD MENTEM S. THOMÆ AQUINATIS
HODIERNIS MORIBUS ACCOMMODATA

T. I. — Synopsis Theologiæ Dogmaticæ Fundamentalis

N° 663 — I.

Jus proprietatis auctor sibi vindicat

VIRGINI DEIPARÆ

ET IMMACULATÆ

QUÆ PER FILIUM

CUNCTAS HÆRESES

SOLA INTEREMIT

HOC OPUS DEDICABAM

SYNOPSIS THEOLOGIÆ DOGMATICÆ FUNDAMENTALIS

DE RELIGIONE, DE CHRISTO LEGATO DE ECCLESIA DE FONTIBUS REVELATIONIS

Auctore AD. TANQUEREY

EDITIO VICESIMA

ALMA COLLEGE
210.2
LIBRARY
T158
Alma, California

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ECCLESIASTICAL
SUPPLY
ASSOCIATION

Typis Societatis Sancti Joannis Evangelistæ
DESCLÉE ET SOCII
PARISIIS — TORNACI (BELG.) — ROMÆ
1925

Printed in Belgium.

4014

Editio vicesima SYNOPSIS THEOLOGIÆ FUNDAMENTALIS,
auctore AD. TANQUEREY.

Nihil obstat.
Issiaci prope Parisios, die 18ª Junii 1924.
A. BERRUÉ P. SS.
Censor deputatus.

IMPRIMATUR.
Parisiis, die 26 Junii 1924.
† BENJAMIN OCTAVIUS
Episcopus Mosynopolitanus.

IMPRIMATUR.
Tornaci, die 8 Septembris 1924.
V. CANTINEAU, Vic. Gen.

Copyright 1924-1925 DESCLÉE & Co., Paris.

PRÆFATIO

Seminarii Baltimorensis Alumnis.

HANC *Synopsim theologiæ dogmaticæ fundamentalis* vobis scribens, dilectissimi in Christo discipuli, præ oculis habui hæc Magistri verba : " Ideo omnis Scriba doctus in regno cælorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo *nova et vetera* " [1]. Doctrina nempe christiana, a Deo ipso revelata et ab Ecclesia catholica fideliter custodita, substantialiter mutari nequit, sed, sicut ipsa veritas, eadem semper manet; ideoque christianus apologeta ex operibus antiquorum Patrum et theologorum, contra modernos etiam Incredulos, arma depromere debet.

Attamen veritas, licet in se immota, novis argumentis proponi et illustrari potest; cum enim sit universalis simul et æterna, omnium ætatum mentibus accommodari valet, et cum novis adversariorum impugnationibus quotidie sit obnoxia, novis pariter fulciri debet probationibus, quibus difficultates recenter propositæ efficacius elidi queant. Mihi igitur in animo fuit *recentiores Rationalistarum Protestantiumque errores ex ipsorum libris detegere, exponere et confutare.*

Et sane, cum eorum opera legebam, cito intellexi multa ex eorum argumentis, sæpe jam confutata, sub nova forma recocta fuisse, paucis tantum additis; sæpe igitur probationibus ab antiquis Patribus et theologis usus sum, ea tantum addens, ex recentiorum Apologetarum operibus, quæ ad nova adversariorum sophismata explodenda necessaria videbantur. Nonnulla pariter ex industria omisi, quæ, sæculis elapsis utilia, nostra ætate, propter mutatas circumstantias, otiosa jam evaserunt, ut sic quæstiones quæ hodie agitantur fusiori calamo exponere possem : *nova* igitur et *vetera* in hac Synopsi invenietis.

---

[1] *Matt.*, XIII, 52.

Brevitati tamen simul ac *perspicuitati* consulo, lectores sæpe remittens ad libros antiquos recentesve, ubi multa invenient utilia sive ad adversarios confutandos, sive ad fideles erudiendos : ipsorum igitur erit, pro data sibi opportunitate, res majoris momenti profundius investigare et penitius expendere : experientia enim constat eos tantum vere proficere qui, duce magistro, proprio et indefesso labore, studio incumbunt.

Ad mentem S. Thomæ Aquinatis scribo : Angelicus enim Doctor, tum in *Summa contra Gentiles*, tum in opusculo *Contra errores Græcorum*, viam aperuit in qua, pro tenuitate mea, incedere statui; operibus tamen hodiernis utor quæ ipse, si adhuc superstes, adhibuisset. Inter recentes auctores qui maximo auxilio mihi fuerunt, speciatim *Lud. Brugère* commemorare debeo quem ut magistrum habui et ducem libenter agnosco.

Neque hic prætermittere possum nomina eorum qui consiliis et notis sæpe me adjuvarunt, ut P. Dissez, J. Bruneau et H. Ayrinhac : quibus omnibus gratum offero animum.

Si quid autem erronei vel minus recti in hasce paginas, præter intentionem, irrepserit, illud pro non scripto habebunt benigni lectores. Valete.

Baltimoræ, die festo Annuntiationis, 1896.

PRÆFATIO
IN VICESIMAM EDITIONEM

Cum veritas catholica, quamvis invicta stabilitate gaudens, novis in dies impugnetur argumentis, et clarior insuper eluceat ex recentioribus disquisitionibus, præsertim criticis historicisque, officium christiano apologetæ incumbit his omnibus adjumentis sapienter utendi ad catholicam fidem lucidius exponendam tuendamque.

Quapropter opus apologeticum, quod anno 1896 primum publici juris feceram, et anno 1910 penitus recognoveram, *ad confutandos præcipue Liberalium, Protestantium et Modernistarum errores*, denuo cudere opportunum duxi ad eosdem refellendos errores, recentioribus utendo disquisitionibus, cooperante *J. Weber*, clarissimo Apologeticæ professore in Seminario Issiacensi.

Quo lucidior appareat ordo dicendorum, tres tractatus in *Apologetica* distinguimus : *de Religione naturali et supernaturali; de Christo legato divino seu de Religione christiana; de Ecclesia Christi seu de Religione catholica.* — Quibus succedunt duo tractatus, qui non sunt apologetici, sed vere theologici, nempe de *Constitutione Ecclesiæ catholicæ* et de *Fontibus revelationis;* ita via paratur expositioni *singulorum dogmatum* quæ fit in *Theologia speciali dogmatica.*

In his omnibus novas contradictorum difficultates, quæ plerumque nonnisi antiquas novis verbis novisque conceptibus renovant, exponimus et confutamus, argumentis utendo quæ catholici scriptores indefessim elaborant.

Pontificiis præsertim Encyclicis aliisque Sanctæ Sedis Constitutionibus aut decretis innitimur, firmiter Ecclesiæ adhærentes quæ in omnibus est tuta veritatis columna.

In Seminario Issiacensi, prope Parisios, die 15ª Augusti 1924, in festo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis.

AD. TANQUEREY.

QUÆDAM EX APPROBATIONIBUS

Approbatio Emi Francisci Cardinalis Richard,

ARCHIEPISCOPI PARISIENSIS.

Quantum prosit ad rectam clericorum in scientiis theologicis institutionem doctrina e purissimis fontibus hausta, clara et scientifica methodo exposita, et simul nostri temporis necessitatibus moribusque accommodata neminem latere potest. His porro dotibus pollet, prout Nobis relatum ac probe compertum est, opus cui titulus *Synopsis Theologiæ Dogmaticæ et Moralis*, in quinque volumina distributum, quibus mox sextum et ultimum addetur, quod conscripsit *D. Tanquerey*, e presbyteris Sodalitatis Sancti Sulpitii, theologiæ professor in Nostro Seminario. In hoc enim opere diligentius excussa sunt Sacræ Scripturæ loca, juxta votum *Leonis XIII*, qui valde exoptat ut "divinæ Scripturæ usus in universam theologiæ influat disciplinam ejusque prope sit anima"[1]; nec Patrum aut Conciliorum, quippe quæ et ipsa veritates revelatas contineant, testimonia neglecta sunt. Et quia, juxta præceptum Apostoli, Christi minister oportet *potens sit exhortari in doctrina sana et eos qui contradicunt arguere*, contradictores inducit auctor, contradictores, dico, nostri præsertim temporis, quos præcipue interest hodie confutari, eorumque argumenta, ex ipsis eorum libris plerumque deprompta, quam trita sint, licet novis forsan conceptibus et verbis involuta, patefacit, quam debilia sint, demonstrat.

Ad rem vero moralem quod attinet, præcipuam auctor dat operam, ut, juxta ipsius Domini verba, *proferat de thesauro suo nova et vetera : vetera*, nimirum ipsa principia, quæ ab æterno sunt, et quæ, dum cetera fluxa moventur, immota manent; *nova*, nimirum novas explanationes novasque conclusiones, quibus novas actuum, contractuum,

[1] Encycl. *Providentissimus*, De Scriptura sacra, 19 nov. 1893, § *Illud autem maxime.*

jurium officiorumve formas, quæ in dies hodiernis temporibus multiplicantur, explicat, judicat, indeque orta quæsita solvit. Sic de jure proprietatis, contra hodiernos ejus osores, de conditione opificum modisque eam in melius adducendi, de novissimis circa operariorum laborem contractibus, multa diserte et opportune disserit auctor.

Unde non tantum Nobis gratum est, quod hoc opus, jam in multis Ecclesiæ catholicæ partibus divulgatum, etiam in Nostro Seminario alumni præ manibus ad usum scholarum habent, sed etiam illud toti nostræ diœcesis clero enixe commendamus.

Datum Parisiis, die 18 Februarii 1905.

✠ Franciscus Card. RICHARD,
Archiep. Parisiensis.

Approbatio Emi Jacobi Cardinalis Gibbons,

ARCHIEPISCOPI BALTIMORENSIS.

Cardinal's Residence,
408, N. Charles Street, Baltimore.

January 26th, 1895.

Rev. and Dear Father,

I take a special pleasure in congratulating you on the favorable impression which your "*Synopsis Theologiæ Dogmaticæ specialis*" has already produced in discerning theological critics, including professors and students of our ecclesiastical Institutions.

What specially commends your work to my judgment, — apart from its perspicuous style and clearness of expression — is your discussion of the great scientific and social questions of the day in the light of theology.

The student will thus be enabled not only to ascertain the nature of the great problems which agitate the

modern world, but will find in the pages of your book, satisfactory solutions of them, as far as they are susceptible of being solved by the researches which have hitherto been made in these departments of human knowledge.

The call for a new edition is a grateful evidence of the warm manner in which the first edition has been received.

I am yours faithfully in CHRIST,

✠ JAMES, CARDINAL GIBBONS

Reverend A. TANQUEREY. S.S.
Saint Mary's Seminary, Baltimore.

Approbatio Emi E. Cardinalis Bourret,
EPISCOPI RUTHENENSIS.

Rodez, le 13 Juin 1896.

CHER DIRECTEUR,

On m'a remis le nouveau volume de théologie que vous avez bien voulu m'adresser. Je suis très sensible à cette attention, et vous en remercie très cordialement. Je continue à vous considérer comme un peu mien, et je m'imagine qu'à votre tour vous voulez bien vous considérer comme un peu nôtre.

Ce volume a ceci de particulier qu'il contient la théologie fondamentale, c'est-à-dire les traités de la Religion et de l'Eglise, mais il est fait sur un plan nouveau, qui lui donne, comme vous dites en tête, une actualité spéciale au regard des temps présents. Vous ne l'auriez pas écrit comme cela en France; mais vivant au milieu des Protestants et du rationalisme américain, vous avez mieux connu les objections qui nous viennent de ce côté-là, et vous avez établi vos preuves en conséquence. Je me propose d'étudier votre livre à tête reposée, et de devenir le premier de vos élèves.

Que Dieu, cher Directeur, continue à vous protéger, et que son Saint Esprit vous inspire la pensée de poursuivre vos travaux théologiques et de les compléter peu à peu de manière que toutes les matières de cette vaste science soient par vous traitées et expliquées.

Veuillez me croire votre tout dévoué en N. S.

✠ ERNEST, Card. BOURRET,
Evêque de Rodez.

Approbatio Rmi DD. J. Guérard,

EPISCOPI CONSTANTIENSIS ET ABRINCENSIS.

Coutances, le 28 Juin 1899.

Cher et vénéré Monsieur,

J'ai été bien touché de la délicate attention que vous avez eue de m'adresser la nouvelle édition de votre *Manuel de dogme*. Comme Prêtre, j'ai pu, grâce à une étude approfondie, apprécier l'excellence de votre œuvre; comme Evêque, je suis heureux de pouvoir lui donner mon entière approbation. Puisse ce Manuel, qui à mon avis occupe, sans conteste, le premier rang parmi les ouvrages de même nature, être adopté par tous les séminaires de France!

✠ JOSEPH,
Evêque de Coutances et Avranches.

Approbatio Rmi DD. Car. de Ligonnès,

EPISCOPI RUTHENENSIS.

MONSIEUR LE DIRECTEUR,

J'ai été heureux d'adopter cette année votre "*Synopsis Theologiæ*" comme manuel classique, dans mon Grand Séminaire. N'est-ce pas ici, au début de votre carrière de professeur, que vous en avez eu l'idée et que vous en avez tracé la première ébauche? Vous vous êtes tout de suite rendu compte, par un contact quotidien avec vos élèves, combien l'ordonnance logique dans la distribution des matières, la clarté dans les preuves sont essentielles à l'enseignement et en assurent la fécondité.

Les qualités du professeur, que vos élèves se plaisaient à reconnaître en vous, se retrouvent dans l'auteur et ont passé dans votre ouvrage. Il s'y est ajouté ce qu'une étude persévérante et une longue expérience vous ont appris au double point de vue de la connaissance du vaste domaine théologique et de l'adaptation qu'il faut en faire aux jeunes élèves.

A bon droit, vous donnez un plus grand développement à la partie positive de la théologie. Les textes scripturaires, plus abondants et mieux expliqués, font connaître la vérité religieuse dans la forme simple que Dieu a voulu lui donner; quelques citations judicieuses des Pères de l'Eglise et surtout des Conciles, mettent sous les yeux les précisions qu'elle a acquises, les étapes qu'elle a parcourues, et donnent une idée de la vie qui l'anime et des progrès qu'elle a réalisés sous l'attaque des hérésies et l'effort des docteurs catholiques.

Vous ne négligez pas pour cela la partie scolastique. Elle est nécessaire, autant que jamais, pour donner à la doctrine catholique la synthèse que demande l'esprit humain, pour en montrer, au point de vue rationnel, les analogies et les convenances.

Les thèses capitales, telles que la divinité de Notre-Seigneur ou l'indissolubilité du mariage, sont traitées avec

toute l'ampleur désirable, comme aussi sont discutés les problèmes qui préoccupent nos contemporains tels que le socialisme ou l'hypnotisme.

Votre manuel me paraît donc réaliser un progrès sensible sur ceux qui l'ont précédé et qu'il a d'ailleurs remplacés dans un grand nombre de Séminaires.

Je le bénis bien volontiers et lui souhaite une plus large diffusion.

Agréez, Monsieur le Directeur, l'expression de ma reconnaissance et de mon dévouement en N. S. Jésus-Christ.

Le 26 Janvier 1910.

✠ CHARLES, Évêque de Rodez.

INDEX RERUM.

Elenchus auctorum allegatorum . . . . . xxi.

Introductio in Theologiam 1

§ I. Theologiæ notio 1

§ II. Theologiæ partitiones 5

§ III. Theologiæ præstantia. 12

PARS PRIOR.

Theologia generalis seu fundamentalis.

Prolegomena in Apologeticam 15

§ I. De fine hominis naturali et supernaturali. . . 15

§ II. De fide, credibilitate et credentitate . . . 18

§ III. Notio et divisio apologeticæ 20

§ IV. De certitudine quæ apologeticæ competit . . 22

§ V. Conspectus historicus apologeticæ . . . 29

De religione naturali et supernaturali.

Scopus et divisio tractatus 64

CAPUT I. De religione. 66

ART. I. DE CONCEPTU RELIGIONIS 66

§ I. De genuino religionis conceptu 66

§ II. Falsæ aut incompletæ definitiones religionis . . 70

ART. II. RELIGIONIS ALICUJUS NECESSITAS. . . . 71

§ I. Ex argumento *historico-psychologico.* . . . 72

Brevis expositio diversarum religionum . . . 72

Falsæ hypotheses rejiciuntur 87

Vera explicatio traditur 94

Scholion : de origine religionis 102

§ II. Ex argumento *metaphysico* 103

§ III. De necessitate cultus externi et socialis . . 106

CAPUT II. De revelatione seu de religione revelata. 110

ART. I. DE CONCEPTU DIVINÆ REVELATIONIS . . . 110

§ I. Notio revelationis. 110

§ II. Variæ species revelationis 113
§ III : Descriptio revelationis immediatæ secundum S. Thomam 114

ART. II. DE POSSIBILITATE DIVINÆ REVELATIONIS . . 116
Revelationis in genere 117
Revelationis mediatæ 118
Revelationis mysteriorum 120

ART. III. DE NECESSITATE DIVINÆ REVELATIONIS . . 124
§ I. Quoad veritates ordinis naturalis 124
§ II. Quoad mysteria proprie dicta 134
Scholion : De desiderio hominis videndi Deum ut in se est 135

ART. IV. DE MORALI OBLIGATIONE REVELATIONEM INQUIRENDI ET AMPLECTENDI 137

CAPUT III. De criteriis divinæ revelationis . . 140

ART. I. De criteriis in genere 141
Scholion : de gratiæ influxu in credibilitate dignoscenda . 147

ART. II. DE MIRACULO 149
§ I. De conceptu miraculi 149
§ II. De miraculi possibilitate 154
§ III. De miraculi discernibilitate 159
Scholion : de prodigiis diabolicis 166
§ IV. De vi demonstrativa miraculorum . . . 167
Scholion : de miraculis in falsis religionibus patratis . 168

ART. III. DE PROPHETIA 170

CONCLUSIO TRACTATUS : vera religio revelata inveniri potest et quærenda est 172

De Christo legato divino seu de religione christiana

Scopus et divisio tractatus 173
Prænotanda de libris Veteris et Novi Testamenti . . . 175

CAPUT I. Legatio divina Christi ex ejus præparatione probatur 184

ART. I. DE PROPHETICA PRÆDICATIONE QUATENUS VIAM PARAVIT CHRISTI REVELATIONI 187
§ I. Factorum expositio 187
§ II. Factorum explicatio 195

ART. II. DE PROPHETIIS QUÆ CHRISTI LEGATIONEM ANNUNTIANT 200
§ I. Prophetiarum expositio. 201
§ II. Prophetiarum in Christo adimpletio . . . 207

CAPUT II. Divina Christi legatio ex ejus doctrina suadetur 211

ART. I. CHRISTUS DOCTRINAM PRÆDICAVIT . . . 212
ART. II. DE EXCELLENTIA DOCTRINÆ CHRISTIANÆ . . 216
§ I. Expositio hujus excellentiæ 217
§ II. Doctrinæ christianæ supernaturalitas . . . 228

CAPUT III. Legatio divina Christi historice ex ejus vita probatur 238

ART. I. DE PERSONA ET TESTIMONIO CHRISTI . . . 238
§ I. De persona Christi 239
§ II. De testimonio Christi 245
Expositio factorum 245
Interpretatio testimonii 253
ART. II. DE MIRACULIS ET VATICINIIS CHRISTI. . . 256
§ I. De miraculis Christi 256
Historice certa sunt 259
Vere divina sunt 262
In confirmationem missionis Christi peracta . . 266
§ II. De vaticiniis Christi 268
ART. III. DE RESURRECTIONE CHRISTI 273
§ I. Christus vere in cruce mortuus est. . . 274
§ II. Christus vere in sepulcro sepultus est . . . 276
§ III. Christus vere a mortuis surrexit. . . . 277

CAPUT IV. Legatio divina Christi corroboratur historia primævi Christianismi. 290

ART. I. DE MIRA PROPAGATIONE CHRISTIANISMI. . . 290
§ I. Facta exponuntur. 291
§ II. Factorum explicatio 307
ART. II. DE MARTYRUM CONSTANTIA. 315
Scholion : De martyribus falsarum religionum . . 323

CAPUT V. Legatio divina Christi comparatione cum aliis religionibus confirmatur 324

ART. I. DE BUDHISMO 325
§ I. Expositio factorum 325
§ II. Problemata apologetica 330

Art. II. De Islamismo 333
§ I. Expositio factorum 333
§ II. Problemata apologetica 337
Conclusio tractatus : Christus ut divinus legatus agnoscendus et sequendus est, ejusque doctrina amplectenda . . 342

De Ecclesia Christi.

Ecclesiæ notio 343
Scopus et divisio Tractatus 345
Natura argumentorum quæ adhibentur 345
Divisio Tractatus. 347
Prænotanda de diversis ecclesiis 348
De ecclesiis orientalibus schismaticis 349
De ecclesiis protestantibus 353
Scholion : de modernismo 362

CAPUT I. Divina institutio Ecclesiæ ratione suadetur 363

Art. I. Moralis necessitas alicujus auctoritatis a conscientia distinctæ et infallibilis. . . . 364

Art. II. Moralis necessitas magisterii vivi et infallibilis 368
Regula fidei protestantica insufficiens est . . . 370
Regula fidei catholica plane sufficit 379

CAPUT II. Divina institutio Ecclesiæ historice probatur 382

Art. I. Christus instituit Ecclesiam ut societatem . 382
Viam paravit huic institutioni prædicando adventum regni Dei 384
Discipulos coadunavit in veram societatem. . . 386

Art. II. Christus instituit Ecclesiam ut societatem hierarchicam. 394
§ I. De institutione apostolorum 395
§ II. De Episcopis, apostolorum successoribus . . 403
§ III. De infallibilitate apostolis et episcopis collata . 421

Art. III. Christus instituit Ecclesiam ut societatem monarchicam 435
§ I. De primatu Petri 436
§ II. De Romanis Pontificibus, Petri successoribus . 448
§ III. De infallibilitate Petri et romanorum Pontificum . 480

Conclusio capitis : Ecclesia Romano-catholica, et ipsa sola, est vera Ecclesia Christi 500

Scholion. De christianis separatis ad unitatem Ecclesiæ reducendis 502

CAPUT III. Divina Ecclesiæ catholicæ institutio notis externis confirmatur. 504

Art. I. De catholica unitate et invicta stabilitate Ecclesiæ catholicæ 506

Art. II. De eximia sanctitate et inexhausta fecunditate Ecclesiæ catholicæ 522

Scholion I. De argumento ex conversionibus sumpto . 534

Scholion II. De argumento ex hodiernis miraculis . . 536

Conclusio generalis Apologeticæ : Extra Ecclesiam nulla salus 538

De constitutione Ecclesiæ catholicæ.

Scopus et divisio tractatus 545

CAPUT I. De intima Ecclesiæ constitutione . . 546

Ecclesia est corpus Christi mysticum 547

Ecclesia est sponsa Christi 551

CAPUT II. De Ecclesiæ potestate 552

Art. I. De objecto potestatis Ecclesiæ . . . 553

§ I. De objecto magisterii doctrinalis Ecclesiæ . . 553

§ II. De objecto potestatis regendi Ecclesiæ . . . 560

Art. II. De exercitio potestatis Ecclesiæ . . . 568

§ I. De exercitio potestatis pontificiæ 570

De potestate docendi 570

De potestate regendi. 574

§ II. De exercitio potestatis episcopalis 585

De potestate episcoporum *singulariter* sumptorum . 585

De potestate episcoporum *collegialiter* sumptorum, sed per orbem dispersorum 589

De potestate episcoporum in Concilio coadunatorum . 592

Art. III. De membris Ecclesiæ 599

§ I. Quinam sint membra Ecclesiæ 600

§ II. De officiis et prærogativis membrorum Ecclesiæ . 605

CAPUT III. De relationibus inter Ecclesiam et Statum 608
§ I. Principia de his relationibus 610
§ II. De unione Ecclesiæ et Status in catholicis regionibus 615
§ III. De relationibus Ecclesiæ cum Statu non catholico 620
§ IV. De modo agendi quoad modernas libertates . . 622
Conclusio Tractatus : Ecclesiæ natura et excellentia . 629

De fontibus Revelationis.

Scopus et divisio tractatus 633
Art. I. De Traditione 635
§ I. Existentia divinæ Traditionis 637
§ II. Organa Traditionis 645
De sollemni magisterio 646
De ordinario magisterio 655
De prædicatione unanimi Episcoporum . . . 655
De Ecclesiæ praxi 656
De consensu Patrum ac Theologorum . . . 657
De communi fidelium sensu 665
Art. II. De Scriptura sacra 667
§ I. De sacræ Scripturæ inspiratione 668
De natura inspirationis 670
De extensione inspirationis et inerrantiæ . . . 676
§ II. De usu Scripturæ ut Revelationis fontis. . . 683
De variis Scripturæ sensibus 684
De legibus interpretationis. 687
Regulæ grammatico-historicæ. 687
Regulæ catholicæ interpretationis 692
Conclusio : Comparatio inter Scripturam, Traditionem et Magisterium vivum 695

Appendices.

§ I. De protestantismo liberali 696
§ II. De modernismo 702
§ III. De spiritismo, Theosophia, Christiana scientia . 711

Documenta.

I. Series Conciliorum œcumenicorum 719
II. Concili Vaticani decreta et canones 720
III. Excerpta e Summa S. Thomæ : quæstio I^{a} . . 735

PRÆCIPUI AUCTORES CITATI[1].

Acta Apostolicæ Sedis, Commentarium Officiale, Romæ, 1909 sq.

Acta Consilii Vaticani, ed. Lacensis, t. VII operis cui titulus *Acta et decreta sacrorum Conciliorum recentiorum*, Friburgi, 1870-1890.

Adeney Walter* F., *The Greek and Eastern Churches*, Edinburg, Clark, 1908.

Aiken C. F., *The Dhamma of Gotama, the Budha and the Gospel of Jesus the Christ*, Boston, 1900.

Alès, A. d', *Lumen vitæ*, Paris 1916; Dictionnaire d'Apologétique *(D. A.)*

Allard P., *Le Christianisme et l'Empire Romain de Néron à Théodose*, Paris, Lecoffre, 1898; *Histoire des persécutions*, 1885-1890; *La persécution de Dioclétien et le triomphe de l'Eglise*, ib.; *Julien l'Apostat*, ib.; *Dix leçons sur le martyre*, 3e éd., ib., 1907; *Les Esclaves chrétiens*, Paris, 1900.

Allies T. W., *The See of St Peter*, London, 1866; *A Life's decision*, 1880; *The Formation of Christendom*, 1861-1895.

Allo B., O. P., *L'Evangile en face du syncrétisme païen*, 2e éd., Paris, 1910.

Andrieux L., *La primauté romaine et le clergé oriental au VIIe s.* (thèse), Le Puy, 1903.

Armellini M., *Lezioni di Archeologia cristiana*, Roma, 1897.

Audisio, *Droit public de l'Eglise et des nations chrétiennes*, trad. *Labis*, Louvain, 1864.

Bainvel J. V., *De Magisterio vivo et Traditione*, Paris, Bauchesne, 1905; *De Scriptura Sacra*, ib., 1910; *De vera Religione*, Paris, 1914; *Hors de l'Eglise, pas de salut*, Paris, 1913; *Nature et surnaturel*, 5e éd., Paris, 1920.

Ballerini Fratres, *De vi ac ratione primatus Rom. Pontificum*, ap. **Migne**, *Theol. Cursus*, t. 3.

Balfour*, *The foundations of belief*, London, 1895; gallice redditum, *Les bases de la croyance*, Paris, 1897.

Balmès, *El Protestantismo comparado con el Catholicismo*, Barcelona, 1841; gallice, *Le Protestantisme comparé au Catholicisme*, Paris, 1855; anglice redditum, *Protestantism compared with Catholicism;* item italice, et germanice.

Barbosa, *De officio et potestate episcopi*, Lugduni, 1658.

Bardy G., *En lisant les Pères*, Tourcoing, 1921.

Barth* A., *Les religions de l'Inde*, 1870, anglice redditum et auctum, *Religions of India*, 2e éd., 1882.

Barthélemy St Hilaire, *Le Boudha et sa religion.*

Bartolo Salvatore di, *Nuova Esposizione dei Criteri Teologici*, cum *Imprimatur* S. P. A. Magistri, Roma, Pustet, 1904.

Batiffol P., *L'Enseignement de Jésus*, Paris, Bloud, 1906; *L'Eglise naissante et le Catholicisme*, Paris, Gabalda, 5e éd., 1909; *La paix constantinienne et le catholicisme*, Paris, 1914; *Le catholicisme de S. Augustin*, Paris, 1920; *Le siège apostolique*, Paris, 1924.

---

[1] Acatholicorum nominibus vel libris in *Indice* relatis additur asteriscus*. — Hic moneo, cum Perrone, *De Vera Religione*, p. 1, n. 177, "*quod, cum ad auctores Protestantes remitto, eo consilio id faciam ut indicem eos qui de aliquo argumento scripserunt, ad quos tunc tantum recurrere poterunt auditores cum debitam facultatem impetraverint: quod et de catholicis scriptoribus accipiendum est, quorum opera in Indicem relata sunt*". Abbreviationes in decursu libri usitatæ, inter uncos includuntur.

Baudrillart A., *L'Eglise catholique, la Renaissance et le Protestantisme*, 8e éd., Paris, Bloud, 1905.

Baunard Mgr., *La foi et ses victoires*, 7e éd., Paris, Poussielgue, 1902; *Le doute et ses victimes*, 7e éd., 1886; *Espérance*, Paris, Poussielgue, 1892.

Becanus M., S. J., *Manuale controversiarum*, Coloniæ, 1696; *Summa theologica*, Moguntiæ, 1612.

Bégin L. N., *La Sainte Ecriture et la règle de foi*, Québec, 1874; anglice redditum.

Bellarminus B., *Controversiæ*, Lutetiæ, 1620.

Benedictus XIV, *De servorum Dei Beatificatione et Canonizatione.*

Benson R. H., *Non-catholic denominations.*

Berry* T. S., *Christianity and Budhism.*

Berthier, O. P., *Tractatus de Locis theologicis*, Taurini, Marietti, 1888.

Bessmer J., S. J., *Philosophie und Theologie des Modernismus*, 1912

Bigandet P., *The life or legend of Gaudama, the Budha of the Burmese*, London, 1880; gallice translatum a **V. Gauvain.**

Billot, S. J., *De Ecclesia Christi*, Romæ, 1903.

Birot L., *Le Mouvement religieux*, Paris, Lecoffre, 1901.

Blondel, *L'Action*, Paris, 1893; *Lettre sur les exigences de la Pensée contemporaine*, in *Ann. de Phil. chrétienne* *, Janvier-Juillet 1896.

Bocci,, *La liberta d'insegnamento e di coscienza*, 2a ed., Roma, 1896.

Boissier G., *La fin du paganisme*, 1894; *La religion romaine*, Paris, Hachette, 1878.

Bolgeni, *L'Episcopato*, Roma, 1789.

Bonniot de, *Le Miracle et ses contrefaçons*; *Le Miracle et les sciences médicales.*

Bossuet, *Histoire des variations* (anglice redditum, N. York, 1836).

Bougaud, *Le Christianisme et les temps présents*, 8e éd., Paris, Poussielgue, 1901.

Bourchany, **Périer**, **Tixeront**, *Conférences apologétiques*, Paris, Gabalda, 1910.

Bousquet J., *L'unité de l'Eglise et le schisme grec*, Paris, 1912.

Boutroux E., *Science et Religion*, Paris, Flammarion, 1908.

Bovon* J., *Dogmatique chrétienne*, Lausanne et Paris (Fischbacher), 1896; *Théologie du N. Testament*, Lausanne, 1902.

Bricout, *Où en est l'histoire des religions*, Paris, 1911-1912. 2 vol.

Briggs*, *Messianic Prophecy*, N. York, 1891.

Broglie A. de, *Questions de Religion et d'Histoire*, Paris, 1860.

Broglie abbé de, *La Morale sans Dieu*, Paris, Putois-Cretté, 1886; *Questions bibliques*, Lecoffre, 1887; *Monothéisme, Hénothéisme, Polythéisme*, Bloud; *Problèmes et conclusions de l'histoire des Religions*, 4e éd., s. d., Putois-Cretté; *Les fondements intellectuels de la Foi chrétienne*, Bloud, 1905; *Religion et critique*, Lecoffre, 1896; *Essai de solution des difficultés du Protestantisme contemporain*, 1890.

Bros A., *La religion des peuples non civilisés*, Paris, Lethielleux, 1907.

Brownson Orestes († 1876), *The Convert*, 1857; *Complete Works*, Detroit, 1883-1887.

Bruce* A. B., *The miraculous element in the Gospels*, New-York, 1897; *Apologetics*, Edinburgh et New-York, 1892; *The training of the Twelve*, Edinburg, Clark, 1877.

Bruders, *Die Verfassung der Kirche*, Mainz, 1904.

Brugère L., († 1888), *De vera religione; De Ecclesia Christi*, Parisiis, Roger, 1878.

Brunetière, *Discours de combat*, Paris, 1899 sq. ; *Questions actuelles*, Paris, Perrin, 1907 ; *Sur les chemins de la Croyance*, Paris, Perrin, 1905.

G. Brunhes, *Christianisme et catholicisme*, Paris, 1924.

Bulletin de littérature ecclésiastique, Toulouse.

Burkitt* **C. F.**, *The Gospel history and its transmission*, 1907.

Burnett* **Gilbert**, *The history of the Reformation*, London, Macmillan, 1865.

Bushnell*, *Nature and the Supernatural*, New-York, 1892.

Cabrol, *Dictionnaire d'archéologie et de liturgie*, Paris, Letouzey, 1907 sq.

Calmes, *L'Evangile selon S. Jean*, Paris, Lecoffre, 1904.

Calvinus*, *Institutiones christianæ religionis*.

Campbell* **G.**, *Dissertation on miracles*, 1824.

Camerlynk A., *De quarti Evangelii auctore*, pars prior, Lovanii, 1899 ; pars altera, Brugis, 1900.

Camus Le (Mgr), *L'Œuvre des Apôtres*, Paris, Oudin, 1905.

Canet, *La liberté de conscience*, Lyon, 1891.

Carra de Vaux, *Le mahométisme, la doctrine de l'Islam*, Paris, 1909.

Carroll* *The religious forces of the United States*, New-York, 1893 ; *American Church History Series*, New-York, 1891 sq.

Carthy M^c^, *Sermons* (1842) *sur l'Incrédulité et l'Indifférence*, anglice redditum, Dublin, 1881.

Catholic Encyclopedia, New-York, Appleton, 1907 sq.

Cavagnis Card., *Institutiones juris publici ecclesiastici*, 4^a^ ed., Romæ, 1906.

Champagny F. de, *De la charité chrétienne dans les premiers siècles de l'Eglise*, Paris, Douniol, 1854 ; *Le Chemin de la Vérité*, 2^e^ éd., Paris, 1874.

Channing* **W.**, *Character of Christ*, (Works, Boston, 1875).

Chantepie de la Saussaye*, *Lehrbuch der Religiongeschichte*, 3^e^ éd., Freiburg, 1905 ; gallice *Manuel de l'histoire des religions*, Paris, Colin, 1904.

Chauvin Mgr., *Jésus-Christ est-il ressuscité?* Paris, Bloud, 1905 ; *L'inspiration des divines Ecritures*, Paris, Lethielleux, 1897.

Chénon E., *Le rôle social de l'Eglise*, Paris, 1921.

Chevalier J., *Pascal*, Paris, 1922.

Cheyne*, *Encyclopædia biblica*, London, Black, 1899 sq., opus rationalisticum.

Choupin L., *Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du St-Siège*, Paris, Bauchesne, 1907.

Civiltà Cattolica (La), periodice edit. a Patribus Societatis Jesu, Romæ.

Clérissac P. H., O. P., *Le Mystère de l'Eglise*, 2^e^ éd., Paris, 1921.

Cochin A., *L'abolition de l'Esclavage*, Paris, 1862.

Condamin A., *Le livre d'Isaïe*, Paris, 1905 ; *Le livre de Jérémie*, Paris, 1920.

Corluy, *Spicilegium dogmatico-biblicum*, Gandavi, Poelman, 1884.

Cornely, *Introductio in U. T. Libros sacros*, 2^a^ ed., Paris, Lethielleux, 1894-1898 ; *Intr. in U. T. Libros sacros Compendium*, 5^a^ ed., ib., 1905 ; gallice redditum, ib., 1907.

Cornill*, *Der israelitische Prophetismus*, 1894.

Coustant, *Epistolæ Rom. Pontificum a S. Clemente usque ad Innoc. III*, Parisiis, 1721.

Crets, *De divina Bibliorum inspiratione dissertatio dogmatica*, Louvain, 1886.

Cristiani L., *Luther et Luthéranisme*, Paris, Bloud, 1908.

Darmesteter*, *Les prophètes d'Israël*, Paris, 1895,

Dausch, *Die Schriftinspiration*, Freiburg im Brisgau, 1891.

Davidson*, *Old Test. Prophecy*, Edinburg, 1903.

Davids Rhys*, *Budhism*, 1882 ; *Early Budhism*, 1909.

Dechamps, Card., *Œuvres*, Malines, Dessain; *Entretiens sur la démonstration catholique*, 1861; *La question religieuse; L'infaillibilité et le Concile général*, 1869.

Delitzsch*, *Messianische Weissagungen*, anglice redditum a **Curtiss.**, *Messianic Prophecies*, 1891.

Denifle H., O. P., *Luther und Luthertum*, Mainz, 1904-1906; *gallice* et *italice* redditum.

Desnoyers L., *Histoire du peuple hébreu des Juges à la captivité*, I, Paris, 1922.

Devas C. S., *The Key to the world's progress*, London, 1906; gallice, *L'Eglise et le progrès du monde*, Paris, Gabalda, 1909.

Denzinger-Bannwart, *Enchiridion Symbolorum, definitionum et declarationum de rebus fidei et morum*, ed. 10ª, Friburgi Br., Herder, 1908. **(D. B.)**

Dictionnaire de la Bible par **F. Vigouroux**, 1895-1912.

J. Didiot, *Logique surnaturelle subjective*, Lille, 1891; *Logique surnaturelle objective*, Paris et Lille, 1892.

Documentation catholique, Paris, 1918, seq. **(D. C.)**

Döllinger, *Heidentum und Judentum*, 1857 : anglice et gallice redditum; *Die Reformation, ihre innere Entwickelung und ihre Wirkungen im Umfange des Lutherischen Bekenntnisses*, 1846-1848; gallice redditum a **Perrot**, item et anglice; *Kirche u. Kirchen*, 1861; gallice redditum *L'Eglise et les églises*, Paris, Casterman, 1862.

Duchesne L., *Origines du culte chrétien*, 3e éd., 1903; *Histoire ancienne de l'Eglise**, Paris, Fontemoing, 1906-1910; *Les Eglises séparées*, 1896, ibid.

Duperray J., *Le Christ dans la vie chrétienne d'après S. Paul*, 2ª ed., Lyon 1922.

Duplessy E., *Les apologistes laïques*, Paris, 1893.

Durand A., S. J., *L'Evangile selon S. Matthieu*, Paris, 1924.

Dürkheim*, *Les formes élémentaires de la vie religieuse*, Paris, 1912.

Edersheim*, *Jesus the Messiah*, London, 1890.

Ephemerides theologicæ Lovanienses, ab Universitate Lovaniensi ab anno 1924 editæ.

Etudes, periodice edit. a Patribus Societatis Jesu in Gallia.

Etudes religieuses, Studia bis in mense edita Bruxellis.

Eusebius, *Historia ecclesiastica*, ap. **Migne**, *P. G.*, t. XX.

Eymieu A., *Deux arguments en faveur du catholicisme*, Paris, 1923.

Felder P. Hilarin, O. M. C., *Jesus Christus*, I, Das Bewusstsein Jesu, 3ª ed., Paderborn, 1923.

Fillion L. Cl., *Les Saints Evangiles*, Paris, 1888 sq.; *Les Miracles de N. S. Jésus-Christ*, Paris, Lethielleux, s. d., 1919.

Fonck, *Die Wunder des Herrn im Evangelium*, Innspruck, 1903.

Fonsegrive G., *Le catholicisme et la vie de l'esprit*, Paris, Lecoffre, 1899; *Le fils de l'Esprit*, Paris, Lecoffre, 1905 **(Yves le Querdec)**; *de Taine à Péguy*, Paris, 1920.

Fouard, *La Vie de N. S. Jésus-Christ*. 3e éd., 1884; *Saint Pierre*, 8e éd., 1903; *Saint Paul*, 4e éd., 1904, Paris, Lecoffre.

Fox J. J., *Religion and Morality*, New-York, 1899.

François de Sales (S.), *Les Controverses*, Œuvres, I, Annecy, 1892; anglice *The Catholic Controversy*, London, 1886.

Franque V., *Bible et protestantisme*, 1910.

Franzelin, S. J., *Theses de Ecclesia Christi*, Romæ, 1885; *De divina Traditione et Scriptura*. ed. 2ª, Romæ, 1875.

Frayssinous († 1846), *Défense du christianisme;* anglice versum, London, 1836.

Freeman-Clarke J.*, *Ten great religions*, Boston, London, 1883.

Funk, *Patres apostolici*, Tubingæ, Laup, 1901.

Gagarin, *Le clergé russe*, Paris, 1871.

A. Gardeil, O. P., *La Crédibilité et l'Apologétique*, Paris, Gabalda, 1908; *Le donné révélé et la théologie*, 2ª ed., Paris, 1910.

Garrigou-Lagrange R., O. P., *De Revelatione*, 2 vol. Paris-Rome, 1918.

Genouillac H. de, *L'Eglise chrétienne au temps de St Ignace*, Paris, Beauchesne, 1907.

Gibbons J. Card., *Faith of our Fathers*, 43ª ed., 1893; *Our Christian Heritage*, Baltimore, Murphy, 1889.

Gloag*, *Messianic Prophecies*, 1879.

Gondal L., *Religion*, nouv. éd., Paris, Roger, 1904; *Le surnaturel*, id.; *Mystère et Révélation*, 1905; *La Provenance des Evangiles*, 1898; *Miracle*, 1905; *Islamisme et christianisme*, 1906; *L'Eglise russe*, Bloud, 1903.

Goyau G., *L'Allemagne religieuse*, Paris, 1898 sq.

Granderath T., S. J., *Histoire du concile du Vatican*, 1909-1912; *Constitutiones C. Vaticani explicatæ*, Friburgi Br., 1892.

Gregory* C. R., *Canon and text of the N. Testament*, London, 1907.

Gréa D. A., *De l'Eglise et de sa divine constitution*, Paris, 1885; 2ᵉ éd., 1909.

Green*, *Moses and the Prophets*, New-York, 1883.

Groot J. V. de, *O. P.*, *Summa apologetica de Ecclesia catholica* ad mentem S. Thomæ Aquinatis, ed. 3ª, Ratisbonæ, 1906.

Guénon R., *Le théosophisme*, Paris, 1921.

Guéranger Dom, *De la Monarchie Pontificale*, Paris, 1870.

Guibert J., *Le mouvement chrétien*, Paris, Bloud, 1903.

Guizot*, *Méditations sur l'essence de la religion chrétienne*, Paris, 1866.

Hammerstein, *De Ecclesia et Statu.*

Harduin, *Conciliorum collectio*, Paris, 1715.

Harlez Ch. de, *Védisme, Brahmanisme et christianisme, La Bible dans l'Inde*, Bruxelles, 1890; *Les religions de la Chine*, Leipzig, 1892.

Harnack* A. Von, *Das Wesendes Christentums*, Leipzig, 1900, 1903; gallice redditum, *L'essence du christianisme*, Paris, 1907; *Die Mission und Ausbreitung des Christentums in den ersten drei Jahrhunderten*, 3a ed., 1915; *Dogmengeschichte*, 4ª ed., Leipzig, 1909-1910; anglice redditum a *Neil Buchanan*, Boston, Roberts, 1897 sq.

Hastings* J., *Dictionary of the Bible*, 5 vols., Edinburgh, 1895-1906.

Hatch*, *The organisation of the early christian church*, Oxford, 1881.

Headlam* A. C., *History, Authority and Theology*, London, 1909.

Héfélé L., *Conciliengeschichte*, Freiburg im Br., 1855, 1874; gallice redditum et notis auctum a **D. Leclercq**, *Histoire des Conciles*, Paris, Letouzey, 1907 sq.

Herbigny, M. (d') S. J., *La théologie du Révélé*, Paris, 1921; *Theologica de Ecclesia*, 2 vol., 2ª ed., Paris, 1920-1921; *La tyrannie soviétique et le malheur russe*, Paris, 1923; *L'Anglicanisme et l'orthodoxie gréco-slave*, Paris, 1922; *Vladimir Soloviev*, Paris, 1912.

Hettinger F., *Lehrbuch der Fundamentaltheologie*, ed. 3ª, 1913; gallice *Théologie Fondamentale*, Paris, Beauchesne; anglice accommodatum a **Bowden**, *Natural religion, Revealed religion*, London, New-York, 1890-95.

Hetzenauer B. M., O. C., *Theologia biblica*, Friburgi Br., Herder, 1908.

Hodge C*, *Systematic Theology*, New-York, 1884.

Hogan, *Clerical studies*, Boston, 1898; gallice redditum a **Boudinhon**, *Les Etudes du Clergé*, Lethielleux, 1901.

Holtzmann* **H. J.**, *Die Synoptiker*, 3e éd., Tübingen, 1901.

Hooke, *Religionis naturalis et revelatæ principia*, Parisiis, 1774.

Hoonacker A. Van, *Les douze petits prophètes*, Paris, Gabalda, 1908.

Huby, J., *Christus*, 3a ed., Paris, 1916; *La Conversion*, Paris, 1919.

Hugon E., *Hors de l'Eglise point de salut*, Paris, Téqui, 1914, 2a ed.

Hugueny E., O. P., *Critique et Catholique*. I. *Apologétique*, Paris, Letouzey, 1910.

Hulst Mgr d', *Le droit chrétien et le droit moderne*, 1886; *Conférences de N. D.*, Carême 1892 et 1895, Paris, Poussielgue.

Hurter H., *Theologia generalis*, Œniponte, 1890.

Ilvaine* Mac, *The Evidences of Christianity*.

Jacob G. A., *The ecclesiastical Polity of the N. Testament*, New-York., 1879.

Jacquier E., *Histoire des Livres du N. Testament*, 4 vol., Paris, Lecoffre, 1903 sq.

Jacquier et Bourchany, *La résurrection de J. C. et les miracles*, Paris, 1911.

James* W., *Varieties of religious experience*, gallice redditum auctore **F. Abauzit*** *L'expérience religieuse*, Paris, Alcan, 1906.

Janssen J., *Geschichte des deutschen Volkes*, gallice redditum *L'Allemagne et la Réforme*, 1877-1902.

Jaugey, *Dict. apologétique de la Foi catholique*, Paris, 1891; nouvelle éd. refondue par **A. d'Alès**, Paris, Beauchesne, 1909 sq. (**D. A.**)

Jouffroy*, *Mélanges philosophiques*, Paris, Hachette, 1886.

Jungmann B., *De vera religione*, ed. 4a, Ratisbonæ, 1894.

Kenrick P., *Theologia dogmatica*, t. I, Mechliniæ, 1858; *The Primacy of the Apostolic See vindicated*, Philadelphiæ, 1845.

Ketteler, *Freiheit, Autorität und Kirche*, Mayence, 1862; gallice, *Liberté, Autorité, Eglise*, trad. Bélet, Paris, 1862.

Kirch, C., S. J., *Enchiridion fontium hist. ecclesiasticæ antiquæ*, 3a ed., Freiburg 1914. (**K.**)

Kneil, Dr. P., *Handbuch des Apologetick*, Paderborn, 1912.

Kortleitner F. X., *De polytheismo universo*, Œniponte, 1908.

Labbe et **Cossart**, *Sacrosancta Concilia*, Paris, 1671.

La Barre P. de, *L'Ordre de la nature et le Miracle*, Paris, 1899.

Lacordaire, *Conférences de N. Dame*, Paris, Poussielgue.

Ladeuze, *La Résurrection du Christ*, Paris et Bruxelles, 1908.

Lagrange M. J., *Etudes sur les religions sémitiques*, Paris, Gabalda, 1903; *Le Messianisme chez les Juifs*, ib., 1909; *L'Evangile selon S. Marc*, Paris, 1911; *L'Ev. selon S. Luc*, Paris, 1921; *L'Ev. selon S. Mathieu*, Paris, 1923.

Lahorgue, P. M., *Le réalisme de Pascal*, Paris, 1924.

Lahousse S. J., *De vera religione*, Lovanii, Peeters, 1897.

Lallemand L., *Histoire de la Charité*, Paris, Picard, 1902 sq.

Lambrecht, *Theologiæ fundamentalis* l. I, 1889; *Demonstratio catholica, seu Tr. de Ecclesia*, Gandavi, 1890; *De locis theologicis*, 1890.

Lamennais, *Essai sur l'indifférence*.

Laouenan Mgr., *Du Brahmanisme et de ses rapports avec le Judaïsme et le Christianisme*, Pondichéry, 1884.

Laur E., *Die Prophetennamen des alten Testamentes*, Fribourg, 1903.

Le Bachelet X., *De l'apologétique traditionnelle et de l'apologétique moderne*, Paris, 1897.

Le Bec, Dr., *Preuves médicales du miracle*, 4e éd. Paris, 1918; *Critique et contrôle médical des guérisons surnaturelles*, Paris, 1920.

Le Blant E., *Les Persécuteurs et les Martyrs*, Paris, 1893.

Lecky*, *History of European Morals*, New-York, 1884.

Legge* J., *The religions of China*, 1880.

Leclercq H., *Les Martyrs*, Paris, Oudin, 1901 sq.

Lemonnyer A., O. P., *La révélation primitive et les données actuelles de la science*, Paris, 1914; (opus versum et adaptatum ab opere **P. W. Schmidt**).

Lepin, *Jésus Messie et Fils de Dieu*, 4e éd., 1910; *L'origine du quatrième Evangile*, 2e ed., 1907; *Valeur historique du quatrième Evangile*, Paris, Letouzey, 1909; *Les Théories de M. Loisy*, Paris, Beauchesne, 1908.

Le Roy Mgr. A., *La Religion des primitifs*, Paris, Beauchesne, 1909.

Le Roy E., *Dogme et critique**, Paris, Bloud, 1907.

Les Lettres, Paris, 1913, et seq.

Levesque, E., *Nos Evangiles*, 2e éd., Paris, 1922.

Liberatore S. J., *Del diritto publico ecclesiastico*, Prato, 1887, gallice redditum, Paris, 1889; *La Chiesa e lo Stato*, gallice redditum, Paris, 1877.

Lichtenberger* F., *Encyclopédie des sciences religieuses*, Paris, Fischbacher, 1877-1882; *Histoire des idées religieuses en Allemagne depuis le milieu du XVIIIe s. jusqu'à nos jours*, 2e éd., 1888; anglice redditum *History of German theology in the XIX century*, Edinburg, 1889.

Liddon*, *Some elements of religion*, London, 1873.

Lightfoot*, *The Apostolic Fathers*, 2e éd., London, 1889-90.

Littledale*, *Plain reasons against joining the Church of Rome*, London, sæpius editum.

Loisy* A., *L'Evangile et l'Eglise*, Paris, 1902; *Le Quatrième Evangile*, 1903; *La religion d'Israël*; 1901; *Autour d'un petit livre*, 1903; *Les Evangiles synoptiques*, 1907; *Quelques lettres sur des questions actuelles*, 1908; *Les Actes des Apôtres*, Paris, 1920; *La Religion*, Paris, 1917; *Les mystères païens et le mystère chrétien*, Paris, 1919.

Lyon* W. H., *A study of the sects*, Boston, 1892.

Macaire*, *Théologie dogmatique orthodoxe*, Paris, 1859-1860.

Maistre J. de, *Du Pape*, anglice redditum *The Pope*, London, 1850.

Mallock* W. H., *Is life worth living*, gallice redditum a **J. Forbes**, *La Vie vaut-elle la peine de vivre?* Paris, Pédone-Lauriel, 1882.

Mainage Th., O. P., *Introduction à la Psychologie des convertis*, Paris, 1913; *La Psychologie de la conversion*, Paris, 1914; *Les religions de la préhistoire*, Paris, 1921; *La religion Spirite*, Paris, 1921; *Les principes de la théosophie*, Paris, 1922.

Mangenot E., *La Résurrection de Jésus*, Paris, Beauchesne, 1910; *Les évangiles synoptiques*, Paris, 1911.

Manning H., † 1892, *The Temporal Mission of the Holy Ghost; Petri privilegium; Lectures on the grounds of Faith; The Vatican Council*, London, New-York, 1887.

Mansi, *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio*, Florent. et Venet., 1759-1798, a **Martin**-continuata, Paris, Welter, 1901 sq.

Martin J., *L'Apologétique traditionnelle*, Paris, 1905.

Mason Neale* J., *History of the Holy Eastern Church*.

Matthew A. H., *Ecclesia; The Church of Christ*, London, Burns and Oates, 1907.

Mazzella, *De Religione et Ecclesia*, 4a éd., Romæ, 1892.

Mead*, *Supernatural Religion*, New-York, 1893.

Meignan Card., *Les Evangiles et la critique au XIXe s.*, 2e éd., 1870; *Les Prophètes d'Israël*, *Le Messie depuis Salomon jusqu'à Daniel*, 1893, Lecoffre.

Mestral* **A. de**, *Tableau de l'Eglise chrétienne au XIXe s.*, Lausanne, 1870.

Meyer*, *Die Auferstehung Christi*, Tübingen, 1905.

Michalcescu*, Θησάυρος τῆς ὀρθοδοξίας, Leipzig, 1904.

Michelet G., *Dieu et l'agnosticisme contemporain*, Paris, Gabalda, 1909.

Michiels A., *L'origine de l'épiscopat*, Louvain, 1900.

Migne, *Démonstrations évangéliques*, 20 v., Paris, 1843 sq.; *Patrologiæ Cursus completus:* Patrologia Latina, Parisiis, 1844 sq. (*P. L.*); Patrologia Græca, 1857 sq. (*P. G*).

Mignot Mgr., *Lettres sur les études ecclésiastiques*, 1908; *L'Eglise et la critique*, Paris, Gabalda, 1910.

Milligan*, *The Resurrection of Our Lord*, 1881.

Milner J. († 1826), *The End of religious controversy*, gallice redditum ap. **Migne**, *Démonstrations évangéliques*, t. 17.

Moehler († 1838), *Symbolik*, 9e ed., 1884; anglice et gallice redditum; *De l'unité de l'Eglise ou du principe du Catholicisme d'après l'esprit des Pères des trois premiers siècles*, trad. de l'allemand par **Bernard**, 1855.

Monier* **Williams**, *Budhism*, 1889.

Moulart, *L'Eglise et l'Etat*, 4e éd., Louvain, 1895.

Monsabré, O. P., *Introduction au Dogme catholique*, 1857-1864.

Morris*, *Ecclesiology*, New-York, 1885.

Mourret, F., *Histoire de l'Eglise*, 9 vol., Paris; *Le concile du Vatican*, Paris, 1919.

Mozley* **J. B.**, *Eight Lectures on miracles*, London, 1890.

Mullen T., *The Canon of the O. Testament*, New-York, 1892.

Müller* **Max**, *Sacred Books of the East*, Oxford, 1879 sq.; *Introduction to the science of religion*, 1873, gallice redditum; *Hibbert Lectures of the origin and growth of religion*, 1878.

Müller*, **E. F. K.**, *Die Bekenntnisschriften der reformierten Kirche*, *Leipzig*, 1903.

Müller*, **J. T.**, *Die symbolischen Bücher der ev. luth. Kirche*, *Gütersloh*, 1912.

Murray P., *De Ecclesia Christi*, Dublinii, 1860-1866.

Newmann J. H., *Two Essays on biblical and ecclesiastical Miracles*, 1890; *Grammar of Assent*, London, 1874, gallice redditum, Paris, 1906; *An Essay on the Development of Christian doctrine*, London, Longmans, 1906; *Apologia pro vita sua; Loss and Cain; The Via Media of the Anglican Church; Difficulties of Anglicans*, etc., Longmans.

Nicolas A. († 1888), *L'Art de croire*, Paris, 1867; *Etudes Philosophiques sur le Christianisme*, Paris, 1847; *Du Protestantisme*, Paris, 1854.

Noort G. Van, *Tr. de vera Religione*, 2e éd., Amstelodami, 1907; *De Ecclesia Christi*, 1909; *De Fontibus Revelationis*, 1910.

Oldenberg* **H.**, *Die Religion des Vedas*, 1894; gallice redditum a **V. Henry**, Paris, 1903; *Le Boudha* (trad. franç. **Foucher**, 1894), anglice versum, London, 1891.

Ollé-Laprune L., *De la certitude morale*, Paris, 1880; *Le prix de la vie*, 4e éd., Paris, 1897; *La philosophie et le temps présent*, Paris, 1890 : *La vitalité chrétienne*, 1901.

Orr* **James**, *The resurrection of Jesus*, London, 1908.

Ottiger, S. J., *Theologia Fundamentalis*, 1897, 1901.

Ozanam F., *La civilisation au Ve siècle*, Paris, Lecoffre, 1873.

Paley* († 1805), *Evidences of Christianity.*

Palmieri A., *Theologia dogmatica orthodoxa ad lumen catholicæ doctrinæ examinata*, 1911.

Palmieri, S. J., *De Romano Pontifice*, 3ª éd., Romæ, 1902.

Pascal, *Pensées*, éd. Brunschvicg.

Passaglia, *De Ecclesia Christi*, Ratisbonæ, 1853.

Payne* Smith, *Prophecy a preparation for Christ*, Bampton Lect. for 1869.

Pelt J. B., *Histoire de l'Ancien Testament*, 3e éd., Paris, Lecoffre, 1902.

Perreyve H., *Entretiens sur l'Eglise catholique*, 2e édit., Paris, Douniol, 1865.

Perron, Card. du † 1618, *Réplique au Roy de la Grand'Bretagne.* (Inter *Opera*, Parisiis, 1620, t. II).

Perrone, S. J., *Il Protestantismo e la regola di fede*, Roma, 1853; *Prælectiones theologicæ*, De Vera Religione, De locis theologicis.

Pesch C., S. J., *Prælectiones theologicæ*, t. I, éd. 3ª, 1903; *De Inspiratione S. Scripturæ*, 1906, Frib. Brisgoviæ, Herder.

Picard L., *Chrétien ou Agnostique*, Paris, Plon, 1896; *La transcendance de Jésus-Christ*, Paris, Plon, 1905.

Pinard de la Boullaye, S. J., *L'Etude comparée des religions*, I, Paris, 1922.

Pisani, *A travers l'Orient*, Paris, 1896.

Pitzipios, *L'Eglise orientale*, Rome, 1855.

Plath* J. H., *Die Religion und der Cultus der alten Chinesen*, 1862.

Poulpiquet, A. de O. P., *L'objet intégral de l'Apologétique*, Paris, 1912; *Le miracle et ses suppléances*, Paris, 1914; *L'Eglise catholique*, Paris, 1923.

Prat F., S. J., *La Théologie de St Paul*, Paris, Beauchesne, 2 vol. 1920-1923; *La Bible et l'Histoire*, Paris, Bloud, 1905.

Pressensé* E. de, *Histoire des trois premiers siècles de l'Eglise chrétienne*, 1887-1889; opus anglice et germanice redditum.

Puller* F. W., *The primitive Saints and the See of Rome*, London, 1893

Quénet, Ch., *L'unité de l'Eglise*, Paris, 1923.

Ragey, *La crise religieuse en Angleterre*, Paris, 1896; *Les Missions anglicanes*, Paris, Bloud, 1900; *L'Anglo-Catholicisme*, ibid, 1897.

Recherches de Science religieuse (Paris), 1911 seq. **(R. S. R.)**

Reinach* S., *Cultes, Mythes et Religions*, Paris, 1905.

Renan* E., *Les Apôtres*, Paris, 1882.

Reville* A., *Prolégomènes de l'histoire des religions*, 1881; *Jésus de Nazareth*, Paris, Fischbacher, 1897.

Reville* J., *Le prophétisme hébreu*, Paris, 1906; *Les origines de l'épiscopat*, Paris, Leroux, 1894.

Revue augustinienne, Paris, Bonne Presse, 1902 sq.

Revue bénédictine, Abbaye de Maredsous, Belgique.

Revue biblique internationale, Paris, Lethielleux, 1891 sq., Lecoffre, ab anno 1894. **(R. B).**

Revue catholique des Eglises, Paris, 17, rue Cassette, 1904-1908.

Revue des Questions historiques, Paris, 1866 seq.

Revue des sciences philosophiques et théologiques, Kain (Belgique), 1907 sq.

Revue du Clergé français, Paris, Letouzey, 1895 sq. **(R. C. F.)**

Revue des Jeunes, Paris.

Revue pratique d'Apologétique, Paris, Beauchesne, 1905 sq. **(R. P. A.)**; nunc *Revue apologétique* vocatur **(R. A.)**

Ritschl* A., *Die Entstehung der altkathol. Kirche*, 1857.

Rivière J., *La propagation du Christianisme dans les trois premiers siècles*, Paris, Bloud, 1907.

Rivington L., *Authority*, London, 1888; *Dependence*, 1889; *The Primitive Church and the See of St Peter*, 1894; *Rome and England*, 1897.

Roüet de Journel, M. J., S. J., *Enchiridion patristicum*, 3ª ed., Freiburg, 1920. (R.)

Roupain E., *Leçons et Lectures d'Apologétique*, 1912.

Roure L., *Le merveilleux spirite*, 5e éd., Paris, 1922; *Le spiritisme d'aujourd'hui et d'hier*, Paris, 1923.

Roussel A., *La religion védique*, Paris, Téqui, 1910.

Row* C. A., *Christian Evidences*, London, 1888.

Ruinart T., *Acta sincera Martyrum*, Parisiis, 1689.

Rupp* D., *An original History of the Religious denominations at present existing in the United States*, Philadelphia, 1866.

Ryan, *History of the effects of religion upon mankind*, Dublin, 1820.

Sabatier* A., *Esquisse d'une philosophie de la religion*, Paris, Fischbacher, 1897; *Les religions d'autorité et la religion de l'Esprit*, ibid., 1903.

San L. de, *Tractatus de divina Traditione et Scriptura*, Brugis, 1903.

Sanday* W., *Inspiration*, London, 1893.

Sauvé H., *Questions religieuses et sociales de notre temps*, Paris et Laval, 1887.

Schaezler C., O. P., *Introductio in S. Theologiam dogmaticam*, Ratisbonæ, 1882.

Schaff* P., *Christ and Christianity*, New-York, 1885; *A history of the Creeds of Christendom*, New-York, 1884.

Schanz P., *Apologie des Christentums*, anglice redditum *A Christian Apology*, New-York, 1892.

Scheeben, *Dogmatik*, gallice redditum a **P. Belet**, t. I, Paris, 1877.

Schenkel*, *Das Charakterbild Jesu*, 4e ed., Wiesbaden, 1873, anglice redditum.

Schill Dr. A., *Theologische Prinzipienlehre*, 4ª ed., Paderborn, 1914.

Schmid F., *De inspirationis Bibliorum vi et ratione*, Brixinæ, 1885.

Schneider W., *Die Naturvölker, Missverständnisse, Misshandlungen*, 1885; *Die Religion der afrikanischen Naturvölker*, 1891.

Schrader, *De Unitate Romana; De theologico testium fonte*, Parisiis, 1878.

Schwalm O. P., *Le Christ d'après S. Thomas d'Aquin*, Paris, 1910.

Schwartzkoff*, *Prophecies of J. Christ.*

Schwetz, *Theologia fundamentalis*, ed. 6ª, Viennæ, 1864.

Science et Religion, Collectio studiorum edita Parisiis (Bloud.)

Seeley*, *Ecce homo*, 5e éd., Macmillan, 1866.

Segna Card., *De Ecclesiæ constitutione et regimine*, Romæ, 1900.

Semeria J., *Dogma, gerarchia e culto nella Chiesa primitiva*, Roma, 1902; *Dogme, Hiérarchie et Culte dans l'Eglise primitive*, Paris, Lethielleux, 1906.

Serol M., *Le Besoin et le devoir religieux*, Paris, Beauchesne, 1908.

Sertillanges A. D., *Jésus*, Paris, 1921; *L'Eglise*, 2 vol., Paris, 1919; *La Prière*, Paris, 1917.

Sherlock*, *The trial of the witnesses of the Resurrection*, 1729, gallice redditum.

Simon* J., *La religion naturelle.*

Slavorum litteræ theologicæ, periodicus ab an. 1905 sq., Pragæ Bohem., Rohlicek et Sievers.

Smith Robertson*, *The prophets of Israel*, Edinburgh, 1882.

Sortais G., *La Providence et le Miracle*, Paris, Bauchesne, 1905.

Spalding M. J., *History of the Protestant Reformation*, Baltimore, 1865; *General Evidences of Catholicity*, Louisville, 1847; *Miscellanea*, Baltimore, 1866.

Stanley A. P.*, *Lect. on the History of the Eastern Church*, N. York, 1884.

Stanton*, *Gospels as historical documents*, 1903.

Stapfer* **E.**, *La mort et la résurrection de Jésus*, 2e éd., Paris, Fischbacher, 1898.

Stapleton († 1598), *Principiorum fidei doctrinalium demonstratio methodica*, Parisiis, 1579.

Steen de Jehay F. van, *De la situation légale des sujets ottomans non musulmans*, Bruxelles, 1906.

Stevens*, *The teaching of Jesus*, New-York, 1902; *The theology of the New Testament*, *New-York*, 1899.

Storrs*, *The divine origin of Christianity indicated by its historical effects*, New-York, 1884.

Straub A., S. J., *De Ecclesia Christi*, Œniponte, 1912, 2 vol.

Strauss*, *Das Leben Jesu für das deutsche Volk*, 1864, anglice redditum.

Suarez, *De Fide*, Ed. Vivès.

Swete* **H. B.**, *The Appearances of Our Lord after the Passion*, London, 1907.

Thiel, *Epistolæ Rom. Pontificum a S. Hilario usque ad Pelagium II*, Brumbergæ, 1868.

Thomas S., *Opera omnia*, ed. Leonina et L. Vivès.

Thureau-Dangin, *La Renaissance catholique en Angleterre*, Paris, Plon, 5e éd., 1905.

Tiele*, *Geschiedenis van den godsdienst tot aan de heerschappij der wereldgodsdiensten*, 1876, gallice redditum a **M. Vernes**, *Manuel de l'histoire des religions*, 1880.

Tixeront J., *Histoire des Dogmes*, 3 v., Paris, Gabalda, 1906-1907.

Tobac, *Les prophètes d'Israël*, 2 vol. Mechliniæ, 1919-1921.

Tollemer, *Origines de la charité catholique*, Paris, 1863.

Tondini, *La primauté de St Pierre prouvée par les titres que lui donne l'église russe dans sa liturgie*, Paris, 1867; anglice *The primacy of S. Peter demonstrated from the liturgy of the Greco-Russian Church*, London, Richardson, 1879; *The Pope of Rome and the Popes of the Oriental Orthodox Church*, London, Longmans, 1871; gallice *Le Pape de Rome et les papes de l'église orthodoxe d'Orient*, Paris, Plon.

Tonquédec J. de, *Immanence*, Paris, 1913; *Introduction à l'Etude du merveilleux et du miracle*, Paris, 1916.

Tourville de, *Lumière et Vie*, Paris, 1924.

Touzard J., *Le livre d'Amos*, Paris, Bloud, 1909; *Comment utiliser l'argument prophétique*, collect. *Sc. et Relig.*

Trench*, *Notes on the miracles of O. Lord*, London, Macmillan, 1874.

Trésal, *Les origines du schisme anglican*, Paris, Gabalda, 1909.

Troplong, *De l'influence du christianisme sur le droit civil des Romains*, Paris, 1843.

Tyrrell* **G.**, *Lex orandi*, 1903; *Through Scylla and Charybdis*, 1907; *Mediævalism*, 1908, gallice redditum *Suis-je catholique?*

Vacandard E., *L'Inquisition*, Paris, 1907.

Vacant J. M. A., *Etudes théologiques sur les Constitutions du C. du Vatican*, Paris, Dehomme, 1895.

Vacant-Mangenot, *Dictionnaire de théologie catholique*, Paris, Letouzey, 1898 sq. **(D. T. C.)**

Valensin Alb., *Jésus-Christ et l'étude comparée des religions*, Paris, 1912.

Vallée-Poussin L. de la, *Le Védisme*, *Le Brahmanisme*, Paris, Bloud, 1909; *Boudhisme, opinions sur l'histoire de la Dogmatique*, Paris, Beauchesne, 1909.

Valsecchi, *De fundamentis religionis*, Venetiis, 1772.

Veith, S. J., *De primatu et infallibilitate R. Pontificis*, Mechliniæ, 1824.

Vigouroux F., *Dictionnaire de la Bible*, Paris, Letouzey, 1897 sq.; *Manuel biblique*, I et II, 12e éd., 1906; *Les Livres Saints et la Critique rationaliste*, 5e éd., Paris, 1901-1902; *Le N. Testament et les Découvertes modernes*, 2e éd., 1896.

Virey Ph., *La religion de l'ancienne Egypte*, Paris, Beauchesne, 1910.

Wallon, *De la croyance due à L'Evangile*, 2e éd., Paris, 1866; *Histoire de l'esclavage dans l'antiquité*, Paris, Hachette, 1879.

Weddingen Van, *De miraculo*, Lovanii, 1869.

Weiss B.*, *Das Leben Jesu*, 1902.

Weiss J.*, *Die Predigt Jesu vom Reiche Gottes*, 2e ed., 1900; *Das Urchristentum*, 1914.

Weiss P., *Apologie des Christentums vom Standpunkt der Sitte und Cultur*, Freiburg Br., 1889, gallice *Apologie du Christianisme au point de vue des mœurs et de la civilisation*, Paris, 1894 sq.

Wernz, S. J., *Jus decretalium*, 2e ed., Romæ, 1904 sq.

Werner O., *Orbis terrarum catholicus*, Friburgi Brisgovlæ, Herder, 1890.

Wetscott*, *Introd. to the study of the Gospels*, 8e ed., 1895; *History of the Canon of the N. Testament*, 1889.

Wilbois J., *L'Avenir de l'Eglise russe*, Paris, Bloud, 1907.

Wilmers, S. J., *De religione revelata*, 1897; *De Christi Ecclesia*, Ratisbonæ, Pustet, 1897.

Windischmann* F., *Zoroastrische Studien*, 1863.

Wiseman Card. († 1865), *Lectures on the principal doctrines and practices of the Church*, Dublin, 1844; gallice redditum ap. Migne, *Démonstrat. évangéliques*, t. 15.

Woods F. H.*, *The Hope of Israel*, 1896.

Young*, *The Christ of History*, London, s. d. (1890).

Zahn*, *Geschichte des N. T. Kanons*, Erlangen, 1889-1892.

Zapletal, O. P., *Hermeneutica sacra*, Friburgi Helv., 1908.

Zend-avesta, germanice translatum a Spiegel, 1852-1863; gallice, a Ch. de Harlez, 2e éd., 1882; anglice, a L. H. Nills, in *Sacred Books of the East*, IV, XXIII, XXXI.

Zigliara, *Propædeutica ad S. Theologiam*, ed. 3a, Romæ, 1890.

Zockler*, *Geschichte der Apologie des Christentums*, Gütersloh, 1907.

PRÆCIPUA SIGLA.

D. A. = *Dictionnaire d'Apologétique* du P. D'Alès.
D. B. = Denzinger-Bannwart, *Enchiridion symbolorum*.
D. C. = *Documentation catholique*.
D. T. C. = *Dict. de Théologie catholique* (Vacant, Mangenot, Aman).
K. = Kirch, *Enchiridion fontium historiæ ecclesiasticæ...*
R. = Rouet de Journel, *Enchiridion patristicum*.
R. A. = *Revue Apologétique*.
R. B. = *Revue biblique internationale*, 1891 sq.
R. C. F. = *Revue du Clergé français*.
R. P. A. = *Revue pratique d'Apologétique* 1905, sq.
R. S. R. = *Recherches de Science religieuse*, 1911 sq.

INTRODUCTIO IN THEOLOGIAM [1]

In ipso limine Theologiæ, ejus *notionem*, *partitionem* et *præstantiam* declarare haud ingratum erit. Quæ vero *methodum* in studio theologiæ sequendam respiciunt, opportunius ubi *de Fontibus theologicis* exponentur.

§ I. Theologiæ notio.

1. 1° Theologia, si spectatur vocis etymon (Θεός, λόγος), idem sonat ac sermo seu *doctrina de Deo*. Quod vocabulum multas obtinuit significationes.

Apud *Paganos*, significabat disquisitionem circa deos eorumque cum mundo relationes [2].

A Patribus vero sæpe usurpatum fuit pro ea divinæ scientiæ parte, quæ de divinitate ipsa disserit, nempe de Deo, de Trinitate, de divina Christi natura [3]. Hinc S. Joannes præ ceteris Evangelistis *theologus* appellatus fuit, quia apertius Filii divinitatem declaravit. Qui usus usque ad sæc. XII prævaluit, ut videre est ex operibus Abelardi, qui opiniones suas de Trinitate vulgavit in libro cui titulus : *Introductio ad theologiam*. Sed jam a sæc. XIII, theologia latiorem significationem accepit, omnem doctrinam complectens quæ non solum de Deo, sed etiam de creaturis prout ad Deum referuntur, disserit; hinc opus S. Thomæ, quod universam fidei doctrinam continet, dogmaticam ac moralem, *Summa theologica* nuncupatum est.

Cum vero ea quæ de Deo nota sunt tum ratione tum fide cognosci valeant, duplex distingui solet theologia, prior

---

[1] Cf. **S. Thom.**, 1, q. 1, a. 1-8; **Petavius**, *Dogmata theologica*, Prolegom.; **Becanus**, *Summa theol.*, Disput. procem.; **Billuart**, *Summa S. Thom.*, diss. procem.; **Migne**, *Theol. Cursus*, I, 10 sq.; **Perrone**, *Prælect. theol.*, Prolegomena; **Franzelin**, *de Deo Uno*, Prolegom.; **Scheeben**, *Dogmatique*, t. I, n. 1-4; **Ottiger**, *Theol. Fundamentalis*, p. 1-34; **A. Cave***, *Introd. to Theology*, Edinburgh, 1886, p. 1-118; **Didiot**, *Logique surnaturelle subjective*, Lille, 1891, p. 23 sq.; **d'Herbigny**, *La théologie du révélé*.

Asterisco * designantur scriptores acatholici vel catholici quorum opera in Indicis catalogo relata sunt.

[2] Cf. **Plato**, *Republ.*, II, 379; **Aristoteles**, *Metaphysic.*, X, 6; **Cicero**, *de Naturâ deorum*, III, 21.

[3] Cf. **Petavius**, op. cit., c. I, 1.

naturalis, quæ est illa philosophiæ pars de Deo disserens ex principiis solo lumine naturali notis; posterior *supernaturalis*, quæ de divinis rebus disserit ex principiis revelatione cognitis : hic nonnisi de posteriore agimus.

2. 2° Quoad *rem*, theologia definiri potest *scientia quæ, revelationis et rationis ope, disserit de Deo et creaturis quatenus ad Eum referuntur.* Dicitur :

(a) *Scientia*, id est, systema cognitionum certarum, et generalium, logico ordine connexarum de aliquo *objecto* [1].

Theologia enim veritates a Deo revelatas non solum amplectitur, sed eas modo scientifico investigat, verbum Dei analysi subjiciendo, ut tota ejus amplitudo disertius innotescat, simul conferendo varia Scripturæ loca quæ de eadem re disserunt, Patrumque commentariis et Ecclesiæ definitionibus utendo, ad clariorem Verbi divini intelligentiam consequendam; insuper ex veritatibus certo revelatis alias conclusiones, ope alterius principii sive revelati, sive etiam ratione cogniti, deducit; postea tum principia et facta revelata, tum conclusiones ex eisdem deductas, logico coordinat ordine, ita ut veram hujus nominis scientiam efforment. Quod quidem *rationis ope* perficitur.

(b) *Revelationis* ope, non autem sola ratione comparata. Ita designatur *objectum formale* hujus scientiæ, seu specialis ratio sub qua suum objectum materiale attingit : theologia enim Deum attingit quatenus *divina revelatione manifestatur.*

Et sic theologia non solum a philosophia, sed etiam a variis *humanis* scientiis distinguitur. Hæ enim soli naturali evidentiæ innituntur, proindeque ea quæ rationis humanæ captum superant, attingere non valent; dum theologia, præter rationis principia quibus utitur, revelatione novas comparat veritates, quæ solo naturali lumine cognosci non possunt.

Quod plane sufficit ut hæc a ceteris scientiis distinguatur; nam,

[1] Hic igitur scientiæ vocabulo utimur sensu communiter recepto, non autem sensu nimis restricto quo a quibusdam hodiernis usurpatur : hi enim scientiæ nomen reservant iis disciplinis quæ *phenomena sensibilia* investigant necnon leges ex eisdem illatas. — Præterea quidam, inter veteres, negarunt theologiam esse scientiam, quia videlicet principiis innititur quæ non sunt intrinsece evidentia. Sed immerito; nam ad veram scientiam requiritur et sufficit certa cognitio principiorum, e quibus conclusiones logice deduci possint, quocumque modo principia hujusmodi cognoscantur; atqui hoc invenire licet in theologia, cum principia, quibus innititur, etsi non sint intrinsece evidentia, certo tamen cognoscantur, divinæ revelationis ope. (Cf. **S. Thom.**, I, q. 1, a. 2.)

ut ait *S. Thomas* [1], diversa ratio cognoscibilis, seu diversus cognoscendi modus diversitatem scientiarum inducit; "unde nihil prohibet de eisdem rebus, de quibus philosophicæ disciplinæ tractant, secundum quod sunt cognoscibiles lumine naturalis rationis, etiam aliam scientiam tractare, secundum quod cognoscuntur lumine divinæ revelationis. Unde theologia, quæ ad sacram doctrinam pertinet, differt secundum genus ab illa theologia quæ pars philosophiæ ponitur".

(**c**) *De Deo et creaturis...* Quibus verbis declaratur *objectum* circa quod versatur theologia; quod quidem duplex est, *primarium* scilicet Deus ipse, seu veritatum summa quæ de Deo cognosci valent; *secundarium* autem creaturæ omnes, præsertim vero rationales, quatenus *a Deo* sunt, et *ad Eum* tendunt.

Exinde apparet *unitas* theologiæ, tum ratione *objecti formalis*, quatenus videlicet ea omnia et sola considerat quæ *revelatione* innotescunt, vel ex ea deducuntur : "quia igitur sacra doctrina considerat aliqua secundum quod sunt divinitus revelata, secundum quod dictum est, omnia quæcumque sunt divinitus revelabilia, communicant in una ratione formali objecti hujus scientiæ; et ideo comprehenduntur sub sacra doctrina sicut sub scientia una" [2]; tum ratione *objecti materialis*, quatenus omnia quæ in ea disputantur, vel sunt *Deus* ipse vel ad Eum referuntur : "Omnia autem pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium et finem. Unde sequitur quod Deus vere sit subjectum hujus scientiæ" [3]. Quæ quidem omnia sic breviter complectitur S. Doctor, post *Albertum M.* : "Theologia *a Deo* docetur, *Deum* docet, et *ad Deum* ducit".

3. 3° **Corollaria.** (**A**) *Theologia a fide vere distinguitur.* Fides siquidem est habitus supernaturalis et divinitus infusus, mentem disponens ad assentiendum firmiter, propter divinam auctoritatem, omnibus a Deo revelatis; ideoque a theologia differt, quæ est habitus acquisitus, triplici præsertim modo : (**a**) ratione *objecti* : nam theologia attingit non solum veritates formaliter revelatas, ut fides, sed etiam conclusiones ex eis deductas; (**b**) ratione *motivi* : fides enim veritatibus revelatis ädhæret propter solam auctoritatem

[1] **S. Thom.**, I, q. I, a. 1, ad 2. — [2] **S. Thom.**, 1, q. I, a. 3.
[3] **S. Thom.**, l. c., a. 7. — Quid sit theologia, et quid non sit, optime declarat **J. H. Newman**, *The Idea of University*, dis. 3, n. 7, p. 60 sq.

Dei revelantis; dum theologia conclusiones, ex veritatibus formaliter revelatis deductas, amplectitur propter bonitatem illationis, vi cujus consectaria logice e principiis eruuntur; (c) ratione *modi* quo suum objectum apprehendit : fides siquidem non arguit nec discurrit, sed simplici mentis actu veritatibus revelatis adhæret; dum theologia modo scientifico procedit, analysis, comparationis et synthesis ope, et vere demonstrat tales vel tales veritates in Verbo Dei contineri vel ex eo inferri, nec rationi contradicere [1].

4. (B) *Theologia est scientia inductiva simul et deductiva.* (a) *Inductiva* dicitur illa scientia, quæ a particularibus ad universalia, et a factis ad leges et causas generales assurgit. Jamvero, in multis theologiæ quæstionibus, *inductionis* ope procedimus : siquidem sæpe sæpius veritates revelatæ non ut principia abstracta et generalia, sed ut facta proponuntur, ex quibus ad altiorem veritatem assurgimus, quæ est principii theologici instar. Ita, v. g., revelatum non fuit modo abstracto humanam naturam hypostatice unitam fuisse personæ Verbi; sed ex variis Scripturæ locis simul collatis, colligitur Christum esse Verbum incarnatum, Christum esse vere hominem simulque vere Deum, et ex his omnibus concluditur, analysis et inductionis ope, Verbum hypostatice fuisse humanæ naturæ unitum.

(b) *Deductiva* autem scientia nuncupatur, quæ ex principiis generalibus ad particularia descendit. Porro quando, per analysim, compertum est nonnulla dogmata fuisse a Deo revelata, ex eisdem tamquam principiis variæ erui possunt conclusiones; sic v. g. unione hypostatica Verbi cum humana natura jam demonstrata, merito infertur in Christo duplicem inveniri naturam, duplicem voluntatem et operationem, animam rationalem et corpus vere humanum, etc.

5. (C) *Theologia est scientia speculativa simul et practica.* (a) Est *speculativa*, quia de rebus credendis circa Deum divinaque attributa, circa mysteria Trinitatis et Incarnationis

[1] Hinc theologia fidei opem præstat; ea siquidem " fides saluberrima quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur ". (**S. Augustinus,** *De Trinit.*, l. XIV, c. 1, n. 3; *P. L.*, XLII, 1037).

aliaque hujusmodi disserit, quæ directe ad praxim non tendunt, sed in quibus contemplandis mens quiescit. (**b**) Est etiam *practica*, quia de rebus ad mores pertinentibus disputat, de actibus humanis, de legibus, de peccatis, de virtutibus, etc. Attamen, ut ait *S. Thomas* [1], "magis est speculativa quam practica : quia principalius agit de rebus divinis quam de actibus humanis, de quibus agit secundum quod per eos ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem, in qua æterna beatitudo consistit". Animadvertere autem liceat etiam speculativam theologiæ partem ad praxim conferre, cum nihil nos magis ad amorem Dei provocet quam divinorum consideratio mysteriorum [2].

6. (**D**) *Theologia merito vocatur sapientia.* Etenim sapientia nihil aliud est nisi scientia altissimas rerum causas considerans; unde sapiens dicitur, in unoquoque genere, qui altissimam illius generis causam considerat. Atqui theologia altissimam omnium causam contemplatur, scilicet Deum, et quidem modo perfectissimo, nempe non solum quatenus per creaturas rationis ope cognoscibilis est, sed etiam quatenus in se per revelationem cognosci valet. Ergo sacra doctrina maxime dicitur sapientia [3].

§. II. Theologiæ partitiones.

Licet theologia una sit ratione objecti formalis, dividi tamen potest tum ratione *methodi*, tum ratione *objecti*.

7. 1° Ratione **methodi,** theologia potest esse *positiva*, *scholastica*, vel *mixta*, seu *positivo-scholastica*.

(**A**) *Positiva* ea est quæ singulas veritates credendas e fontibus revelationis eruit, exponit et demonstrat argumentis ex Scriptura et Traditione desumptis; hanc Patres præcipue excoluerunt. Primum quidem religionem christianam, contra Paganorum impugnationes, exponere et vindicare sategerunt : ita S. Justinus, Aristides, Tertullianus aliique in suis *Apologiis*. - Postea vero fidem catholicam, contra nascentes hæreses, propugnarunt : ita S. Irenæus contra

---

[1] **S. Thom.**, 1, q. 1, a. 4.

[2] Quod feliciter ostendit **V. Contenson,** *Theologia mentis et cordis ;* cfr. **Bail,** *La théologie affective.* — [3] **S. Thom.,** l. c., a.6.

Gnosticos, S. Athanasius adversus Arianos, S. Cyrillus Alexandrinus contra Nestorianos, sexcentique alii. Theologiam positivam, post Conc. Tridentinum, scientifice exposuerunt nonnulli moderni theologi, inter quos eminent **D. Petavius,** *Theologicorum dogmatum libri quatuor*, et **L. Thomassinus,** *Dogmata theologica.*

Ad theologiam positivam referri possunt theologia *biblica* et theologia *historica*. Prior, criticæ et exegeseos ope, investigat doctrinas quales colligi possunt ex Scriptura sola, aut etiam e tali vel tali Scripturæ libro; primum quidem a Protestantibus [1] exculta est, sed hodie etiam a Catholicis [2] excolitur, non sine maximo fructu : cavendum est tamen ne doctrina, quæ ex Scriptura colligitur, tamquam *integra* Christi doctrina exhibeatur, cum hæc etiam in Traditione contineatur.

Theologia *historica* non solum ex Scriptura, sed etiam ex Patribus, Conciliis aliisque Traditionis documentis, secundum ordinem *chronologicum* critice expensis, colligit et exponit catholicam doctrinam, eo fine ut ita ostendatur dogmata, quæ nunc ab Ecclesia fidei nostræ proponuntur, substantialiter eadem esse ac ea quæ ab Apostolis et Christo prædicata fuere [3]. Ita differt a theologia *positiva*, quæ ordini chronologico minus attendit, et ab *historia dogmatum* [4], quæ doctrinæ christianæ progressum describit quin

[1] Inter *Protestantium* opera hujusmodi, notatu digna sunt : **Schültz** *, *Alttestamentliche Theologie*, Frankfurt, 1869; **Oehler** *, *Theologie des Alten Testaments*, Tübingen, 1873; **B. Weiss** *, *Lehrbuch der Biblischen Theologie des Neuen Tests.*, Berlin, 1868, *anglice* redditum cura **D. Eaton** * *Biblical Theology of the New Testament;* **Stevens** *, *The Theology of the New Testament*, New-York, 1899; **Bovon** *, *La Théologie du Nouveau Testament*, Lausanne, 1902.

[2] Ita **P. Batiffol,** *L'Enseignement de Jésus*, Paris, Bloud, 1906; **Prat, S. J.,** *La Théologie de St Paul*, Paris, 2 vol. 1908-1923; **Tobac,** *Le problème de la justification dans St Paul*, Louvain, 1908; **P. M. Hetzenauer, O. C.,** *Theologia biblica*, Friburgi Br., Herder, 1908, etc.

[3] Inter Catholicos qui de theologia historica scripserunt, notatu digni sunt : **P. Pourrat,** *La Théologie sacramentaire*, Paris, Gabalda, 1907; **L. Labauche,** *Leçons de Théol. dogmat.*, 3 vol. Paris, 1908-1918; **J. Rivière,** *Le dogme de la Rédemption*, Paris, 2e éd., 1905; **P. Batiffol,** *l'Eglise naissante et le Catholicisme*, Paris, Gabalda, 1909; *L'Eglise et la paix constantinienne* 1914; *Le catholicisme de S. Augustin*, 1920; **De la Taille,** *Mysterium fidei*, Parisiis, 1922; **M. E. Neubert,** *Marie dans l'Eglise anténicéenne*, 1908. Cfr. *Bibliothèque de Théologie historique*, sous la direction des prof. de Théol. de l'Inst. Cath. de Paris, etc.

[4] Historiam dogmatum delineaverunt : inter Protestantes, **A. Harnack** *, *Dogmengeschichte*, et *Grundriss der Dogmengeschichte;* utrumque opus *anglice* redditum *History of Dogma*, transl. by *Neil Buchanan*, *Outlines of the History of Dogma*, tr. by *Ed. Knox Mitchell;* compendium *gallice* redditum ab

ejus unitatem et identitatem cum primæva revelatione demonstrare satagat.

8. (B) *Scholastica* vero dicitur ea quæ dogmata fidei methodice et philosophice scrutatur, eorum sensum magis accurate definiendo; fidei dogmata cum rationis principiis, in quantum fieri licet, conciliando; conclusiones in dogmatibus contentas dilucide aperiendo; nexum, qui inter veritates revelatas existit, ostendendo; easdem in unum doctrinæ corpus coadunando; uno verbo, dogmata fidei scientifice illustrando. Quæ methodus, jam a sæc. VIII in Ecclesia Græca a **S. Joanne Damasceno** adhibita, in scholis latinis viguit præsertim a sæc. XII ad XVI, et hodie etiam viget in omnibus fere catholicis scholis, non quidem sola, sed cum positiva et polemica feliciter consociata. Princeps theologiæ scholasticæ merito habetur **S. Thomas Aquinas.**

Eamdem multoties laudaverunt R. Pontifices; hæc inter alios habet *Sixtus V* (Bulla *Triumphantis*, 14 mart. 1588) : " Hujus quidem tam salutaris scientiæ cognitio... semper certe maximum Ecclesiæ adjumentum afferre potuit, sive ad Scripturas ipsas vere et sane intelligendas et interpretandas, sive ad Patres et utilius perlegendos et explicandos, sive ad varios errores et hæreses detegendas et repellendas ". Et addit theologiam scholasticam esse *hæreticis maxime formidolosam*, quia et ipsi intelligunt " illis dilucidis definitionibus et distinctionibus, illa argumentorum firmitate et acutissimis disputationibus lucem a tenebris, verum a falso distingui, eorumque mendacia multis præstigiis et fallaciis involuta tamquam veste detracta patefieri et denudari ". Quæ verba citavit et approbavit *Leo XIII*, hæc simul addens : " Jamvero inter scholasticos Doctores omnium princeps et magister longe eminet Thomas Aquinas : qui, uti Cajetanus animadvertit, veteres " doctores sacros quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est ". Illorum doctrinas, velut dispersa cujusdam corporis membra, in unum Thomas collegit et coagmentavit, miro ordine digessit et magnis incrementis ita adauxit, ut catholicæ Ecclesiæ singulare præsidium et decus jure meritoque habeatur " [1]. Recentes quidam auctores scholasticam theologiam calum-

E. Choisy, Précis de l'Histoire des Dogmes, Paris, 1893. Inter catholicos, **Schwane**, *Dogmengeschichte*, 1862-1890; *gallice* redditum ab *A. Degert*, *Histoire des Dogmes*, Paris, 1903; **J. Tixeront**, *Histoire des Dogmes*, 1906-1907.

[1] Encycl. *Æterni Patris*, 5 August. 1879. Cfr. **Mgr Freppel**, Œuvres, tom. III, Discours-Panégyriques, Paris, 1890, *Panégyrique de S. Thomas d'Aquin*, p. 327 sq. Nuperrime, in litteris apostolicis " *Officiorum omnium*

niati sunt quasi subtilibus et otiosis quæstionibus scaturientem. Nonnullos hujusmodi defectus in scholas irrepsisse, præsertim sæc. XV, libenter fatemur; res vero non ex abusibus, sed ex legitimo usu dijudicari debet, et quicumque P. Lombardi, S. Thomæ, S. Bonaventuræ aliorumque scholarum principum opera attente perlegerit, maximam ex eis utilitatem reportabit.

9. (C) *Positivo-scholastica* vocari potest theologia, quæ methodum tum positivam, tum scholasticam harmonice consociat[1]. Hæc est via quam, post *C. Tridentinum*, plerique theologi ingressi sunt, nosque, utpote moribus nostris maxime accommodatam, sequi intendimus, theologiæ tamen scholasticæ primum servantes locum.

Quam methodum commendabat *Pius X*, in Encycl. *Pascendi*, 8 sept. 1907 : " Major profecto quam antehac positivæ theologiæ ratio est habenda; id tamen sic fiat, ut nihil scholastica detrimenti capiat, iique reprehendantur, utpote qui modernistarum rem gerunt, quicumque positivam sic extollunt ut scholasticam theologiam despicere videantur. "

(a) Revera methodus *positiva* et *historica*, sensu catholico adhibita quoad *primarias theses*, maxime prodest ad confutandos errores eorum qui, cum Harnack, contendunt dogmata catholica naturalem evolutionem subiisse; si vero quoad omnes quæstiones, etiam accessorias, in cursu elementari usurparetur, nimis longa et tædiosa esset, nec ita serio expendi possent omnes quæstiones scitu necessariæ. (b) Aliunde methodus *scholastica* necessaria est ad perspicuam et præcisam dogmatum intelligentiam et expositionem : Ecclesia enim in suis definitionibus, præsertim jam a sæculo XIII, verbis philosophicis et scholasticis usa est, quæ recte intelligi nequeunt nisi scholarum philosophia ac methodus recte explicentur; his autem rite expositis, jam intelligitur non solum *utrum*, sed etiam *quomodo* verum sit id quod revelatum est[2].

---

sanctissimorum ", die 1ª Augusti 1922, **Pius XI** rursus Theologiam scholasticam commendavit. Cf. *Ami du Clergé*, 31 août 1922, p. 551.

[1] Cfr. **Petavius, S. J.**, *Dogmata theologica*, t. I, Prolegomena, cap. 4-5; **Coconnier, O. P.**, *Spéculative ou positive*, *Revue thomiste*, t. X, 1902, p. 629-653; **Lemonnyer**, *O. P.*, *Théologie positive et théologie historique*, *Rev. du Clergé*, t. XXXIV, 1er mars 1903, p. 5-18; **L. de Grandmaison**, *Théologiens scolastiques et théologiens critiques*, *Etudes*, t. 74, 1898, p. 26-43; **J. Brucker**, *La réforme des études dans les Séminaires*, *Etudes*, t. 92, 1902, p. 597-615; **P. Bernard**, *Quelques réflexions sur les méthodes en théologie*, *Etudes*, oct. 1904, p. 102-117.

[2] Ad rem **S. Thomas**, Quodlib. 4, art. 18 : " Ad instruendum auditores... oportet rationibus inniti investigantibus veritatis radicem, et facientibus scire

Præterea convenientiam mysteriorum cum ratione ostendit, et ita non paucas rationalistarum difficultates solvit. — Tandem ex veritatibus revelatis, ratiocinii ope, conclusiones deducit, quæ campum Theologiæ non parum extendunt, et aliquando viam parant novis definitionibus : ita, ex eo quod Christus sit perfectus Deus et perfectus homo, non paucæ illatæ sunt conclusiones, quæ, decurrentibus sæculis, tamquam fidei dogmata agnitæ sunt.

Utraque igitur methodus harmonice consocianda est : ita vitari poterunt excessus eorum qui, positivæ methodo nimis indulgentes, sufficientem dogmatum intelligentiam non præbent,—vel illorum qui, speculationi nimium indulgentes, philosophica et *a priori* argumenta ita congerunt, ut suas vel suæ scholæ theorias potiusquam verbum Dei edocere videantur.

10. 2° Ratione **objecti,** variæ fuerunt theologiæ partitiones pro varietate temporum et auctorum.

Patres integrum theologiæ cursum non scripserunt, præter S. Joannem Damascenum [1]. Sed, jam a sæculo XII, variæ summæ theologicæ exaratæ sunt, inter quas duæ sunt celeberrimæ.

(**A**) *Petrus Lombardus*, ep. Parisiensis (f. an. 1145), scripsit *libros quatuor sententiarum*, quos postea plerique theologi commentariis exornârunt. In *primo*, de *Deo* agit ejusque attributis; in *secundo*, de *creaturis*, earum origine et lapsu per peccatum; in *tertio*, de *Incarnatione, gratia* et *virtutibus*, quibus reparatur peccatum et homo instauratur; in *quarto*, de *sacramentis* et de *consummatione* omnium.

(**B**) Quam divisionem complevit atque perfecit *S. Thomas, O. P.*, in Summa theologica, cujus brevem synopsim hic exhibemus : in tres partes dividitur, quarum *prima* de Deo agit quatenus est *principium* seu causa creaturarum, *secunda* de motu rationalis creaturæ in Deum, seu de Deo quatenus est creaturarum *finis ultimus*, *tertia* de Christo, seu de Deo Incarnato, qui quatenus homo, *via* est nobis tendendi in Deum; et ita apparet quanta unitate fulgeat theologia.

---

quomodo sit verum quod dicitur : alioquin si nudis auctoritatibus magister quæstionem determinet, certificabitur quidem auditor quod ita est, sed nihil scientiæ, vel intellectus acquiret, sed vacuus abscedet. " — Quare, juxta *Vaticanum*, sess. III, c. 4, " ratio fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quærit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum quæ naturaliter agnoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo. " **D. B.**, 1796.

[1] Hic, in *Expositione fidei orthodoxæ*, methodice disserit de Deo et creaturis, præsertim de homine, necnon de divina Providentia; postea de Verbo Incarnato, de præcipuis sacramentis, sanctorum cultu et reliquiis, tandem de novissimis. — Ex operibus *S. Augustini* summa theologiæ digeri quidem posset; ipse vero hanc synthesim non perfecit.

- I. De Deo primo principio
  - De essentia divina, seu de Deo uno.
  - De distinctione personarum, seu de Deo trino.
  - De processu creaturarum a Deo, seu de Deo creante.
- II. De Deo ultimo fine
  - 1ª 2æ
    - De Ultimo fine hominis.
    - De Actibus humanis
      - in se
      - in suis principiis
        - *internis*, seu de habitibus, virtutibus et vitiis.
        - *externis* seu de legibus et gratia.
  - 2ª 2æ
    - De officiis quæ omnibus communia sunt.
      - De virtutibus theologicis.
      - De virtutibus cardinalibus.
    - De officiis cujuslibet status
      - de gratiis gratis datis.
      - de duplici vita
        - activa.
        - contemplativa.
      - de statu perfectionis
- III. De Verbo incarnato via ad Deum
  - De ipso Salvatore
    - De Mysterio Incarnationis.
    - De variis actibus et passionibus Xti.
  - De Sacramentis
    - in genere.
    - in specie.
  - De vita æterna
    - De iis quæ præcedunt
    - De iis quæ comitantur
    - De iis quæ sequuntur

(resurrectionem.)

11. (C) Communis autem partitio, quam sequuntur omnes fere theologi hodierni, ea est qua dividitur theologia in *dogmaticam* et *moralem : prior*, quæ magis *speculativa* est, veritates credendas complectitur, meritoque vocatur *regula credendorum ; posterior*, quæ magis *practica* est, circa *mores* seu *agenda* versatur, proptereaque *regula agendorum* nuncupatur [1].

[1] Exinde tamen inferre non licet theologiam dogmaticam essé *mere speculativam*, et moralem *mere practicam :* dogmata enim quæ fidei nostræ proponuntur, quamvis primario objectum credendum menti exhibent, mire tamen ad nostram

(a) Iterum *theologia dogmatica* dividitur in *generalem* seu *fundamentalem* et *specialem* : 1) *prior*, quæ est velut *Introductio in theologiam, quæstiones magis generales* et *fundamentales* investigat circa credenda, scilicet *religionis revelatæ* possibilitatem et discernibilitatem, *Christi missionem divinam*, *Ecclesiæ catholicæ* in veritatibus a Christo revelatis, custodiendis et interpretandis *auctoritatem*, ejusdem *Ecclesiæ constitutionem*, *fontes* denique ex quibus dogmata hauriri possint [1] — Sequens schema divisionem theologiæ fundamentalis exhibet in diversos tractatus :

I. De religione naturali et supernaturali.
II. De religione Christi seu de Christo legato divino.
III. De Ecclesia Christi.
IV. De constitutione Ecclesiæ catholicæ [2].
V. De fontibus revelationis.

Tres priores tractatus constituunt quod *Apologeticam* vocant. Reliqui vero *partem dogmaticam* theologiæ fundamentalis constituunt.

2) *Theologia specialis* autem *singula fidei dogmata* exponit, declarat et demonstrat. Cum vero hæc in *Symbolo Apostolorum* substantialiter contineantur, theologia dogmatica

---

sanctificationem et glorificationem conferunt; aliunde regula morum logice e christianis dogmatibus fluit, et nil efficacius ad virtutum praxim allicit quam divinorum mysteriorum, v. g., Creationis, Providentiæ, Incarnationis, attenta et pia contemplatio. Unde theologia dogmatica *primario* quidem, sed *non exclusive* est regula credendorum; et theologia moralis, quamvis primario est regula agendorum, veritates etiam speculativas spectat et expendit. Imo quidam Tractatus, v. g., *de Sacramentis*, æque principaliter sunt dogmatici et morales.

[1] **A. Gardeil, O. P.** (*La Crédibilité et l'Apologétique*, p. 142-155) hanc divisionem reprobat, quia quæstiones apologeticæ ad theologiam non spectant, sed specialem scientiam efformant. Et hoc quidem verum est sub aliquo respectu; attamen nonne dici potest præfatas quæstiones *reductive* ad theologiam pertinere, quatenus harum solutio ad theologiam proprie dictam immediate et connaturaliter introducit? Insuper, ut recte ait **P. Garrigou-Lagrange**, *Theol. fundam.*, t. I, p. 3, Apologetica defendit fidem *sub directione ipsius fidei* per motiva credibilitatis a Deo proposita tanquam revelationis signa. Putamus igitur hanc divisionem retineri posse.

[2] Hæc ultima pars proprie ad theologiam specialem spectat, et logice post *Tr. de Verbo Incarnato et Redemptore* expendi deberet; sed, utilitatis causa, statim post demonstrationem auctoritatis Ecclesiæ generatim exponitur, ne bis de eodem objecto agere videamur.

specialis nihil aliud est nisi *scientifica Symboli expositio*, ut ex sequenti schemate constat.

I. De Fide.	. *credo...*
II. De Deo uno.	. *in Deum*
III. De Deo trino	. *Patrem ... et Filium ... et Spiritum ...*
IV. De Deo Creante et elevante	. *Creatorem cæli et terræ.*
V. De Verbo Incarnato et Redemptore.	. *et in Jesum Christum etc.*
VI. De Deo Sanctificante	{ *formaliter* per gratiam, *instrumentaliter* per sacramenta... } *in Spiritum Sanctum...*
VII. De Deo Remuneratore.	. *carnis resurrectionem, vitam æternam.*

Quæ quidem divisio non solum logica est, sed etiam clare ostendit unicum theologiæ dogmaticæ objectum esse Deum spectatum sive *in se* (de Deo uno et trino), sive in suis *operibus* naturalibus et supernaturalibus (de Deo creante et elevante), sive in *restauratione* suorum operum (de Deo Incarnato et sanctificante), sive tandem in *consummatione* eorumdem (de Deo remuneratore). Ita etiam luculenter constat Jesum Christum centrum esse omnium : Ipse enim est simul Deus et homo; per Ipsum omnia facta sunt, per Ipsum omnia restaurantur, et per Ipsum omnia consummabuntur : " *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus* "[1].

(b) *Theologia moralis* dividitur in moralem *simpliciter*, quæ de *præceptis* præsertim disserit, seu de *licito* et *illicito;* et *asceticam*, quæ versatur circa *perfectionem* et media quibus attingi valet. *Mystica* autem, quæ sæpe pro ascetica sumitur, stricto sensu ea est quæ *contemplationis* arcana exponit[2].

§ III. Theologiæ præstantia[3].

12. *Theologia, tum dogmatica tum moralis, ceteris scientiis longe præstat ratione objecti, medii et finis.*

---

[1] *I Tim.*, II, 5.

[2] De qua gallice scripsimus in *Précis de Théologie ascétique et mystique*, 1924.

[3] Cf. **Petavius** *op. cit.*, Prolegomena, cap. IX; **Mgr Perraud,** *Œuvres pastorales et oratoires*, Paris, 1883, vol. I, p. 326 sq.; **A. Cave*,** *An Introduction to theology*, Edinburgh, 1886, p. 1-14; **J. H. Newman,** *Idea of a University*, Disc. III-IV.

(A) Ratione *objecti :* siquidem quo altius est alicujus scientiæ objectum, eo nobilior est scientia; atqui theologiæ objectum est manifesto omnium altissimum : dum enim scientiæ naturales considerant vel res materiales, vel viventia homini inferiora et ipsum hominem, aut etiam Deum naturali rationis lumine notum; theologia aliarum scientiarum objecta et ipsa attingit, sed sub altiori ratione : videlicet tum hominem tum entia homini inferiora contemplatur, prout ad Deum referuntur, et quatenus ad supernaturalem finem tendunt vel saltem huic obtinendo inserviunt; insuper Deum considerat non solum ut unum, sed etiam ut trinum, ut incarnatum, ut sanctificantem : quæ quidem omnia naturales scientias transcendunt, sicut res divinæ transcendunt humanas.

(B) Ratione *medii :* medium enim quo scientiæ humanæ utuntur, est ratio sola, dum medium quo theologia utitur est *ratio fide seu divina revelatione illuminata*, et infallibili Ecclesiæ magisterio ab errandi periculo liberata; atqui lumen divinæ revelationis certo lumini naturali præstat, et *ex se* majorem certitudinem confert, cum Deus nec falli nec fallere possit; ergo etiam sub hoc respectu theologia ceteras superat scientias.

(C) Ratione *finis :* ea siquidem scientia nobilior est, quæ ad altiorem finem nos evehit : atqui scientiæ naturales *de se* ad finem seu perfectionem tantum naturalem conducunt; dum theologia, et quidem sola, de fine supernaturali et mediis ad eum conducentibus disputat : proinde ipsa sola est vere et plene practica, cum sapientis sit finem et quidem ultimum in omnibus respicere; nam "si scirem omnia quæ in mundo sunt, et non essem in caritate, quid me juvaret coram Deo, qui me judicaturus est ex facto"?[1]

13. *Corollarium : Omnes scientiæ naturales theologiæ subservire debent, imo, si opus fuerit, ab ipsa corrigi debent in iis quæ ad fidem spectant.*

(a) Etenim subordinatio finium secum infert subordinationem mediorum; atqui, ex dictis, finis ceterarum scientiarum, utpote naturalis, subordinatur fini theologiæ, qui est supernaturalis et supremus. Proinde theologia omnibus imperat scientiis, tamquam regina subditis, eisque utitur in obsequium sui; v. g. dialecticæ legibus utitur ad propositiones suas tuendas adversariorumque solvenda argumenta, metaphysicæ principiis ad mysteria fidei modo scientifico exponenda, psychologiæ studio ad actus humanos regulandos etc. Nec tamen accipit "ab aliis scientiis tanquam a superioribus, sed utitur eis tanquam inferioribus et ancillis, sicut architectonicæ utuntur subministrantibus, ut civilis militari. Et hoc ipsum quod utitur eis, non est propter defectum vel insufficientiam

[1] *De Imitat. Christi*, l. I, c. II, n. 1

ejus, sed propter defectum intellectus nostri, qui ex eis quæ per naturalem rationem... cognoscuntur, facilius manuducitur in ea quæ sunt supra rationem, quæ in hac scientia traduntur "[1].

(b) Hinc ad theologiam spectat non quidem aliarum scientiarum campum invadere, sed tamen de eis judicare, in quantum hæ de eis disserunt quæ cum fide connectuntur, v. g. de animæ immortalitate, de unitate generis humani, etc. : "Quidquid enim in aliis scientiis invenitur veritati hujus scientiæ repugnans, totum condemnatur ut falsum "[2], quia cum verum vero non opponatur, quidquid veritati a Deo revelatæ et ab Ecclesia definitæ contrariatur verum esse nequit; caveant tamen theologi ne proprias opiniones pro dogmatibus propinent!

[1] S. Thom., l. c., a. 5, ad 2. — [2] S. Thom., l. c., a. 6, ad 2.

PARS PRIOR

THEOLOGIA GENERALIS

SEU

FUNDAMENTALIS

Cum in hac priore parte *Apologetica* primum ac præcipuum obtineat locum, de ea pauca prænotanda sunt.

Prolegomena in Apologeticam.

14. Ad viam demonstrationi catholicæ parandam, quædam prænotanda sunt :

1° *De ultimo hominis fine, naturali et supernaturali :* omnis enim rationalis inquisitio de religione ab hominis fine exordiri debet ;

2° *De fide*, quæ ad finem supernaturalem attingendum necessaria est ;

3° *De Apologetica*, quæ mentem ad fidem, Deo juvante, perducit ;

4° *De certitudine* quæ Apologeticæ competit ;

5° *De historica expositione* apologeticorum argumentorum, qua melius intelligitur methodus sequenda.

§ I. De fine hominis naturali et supernaturali.

15. I. **De fine hominis naturali.** Omne ens tendit ad finem sibi proportionatum. Jamvero finis hominis ultimus naturalis est *Deus ipse*, quem cognoscendo et amando *glorificamus*, et in quo *summam beatitudinem* invenimus : Deus enim, summa Veritas summumque Bonum, et ipse *solus* intellectum et voluntatem perfecte satiare et quietare potest, ut infra declarabitur, n. 148-163.

Hic finis dicitur *naturalis*, quia non superat *exigentias* et *vires* naturæ humanæ, supposito tamen divino concursu, sine quo homo facultates suas exercere nequit.

Ex hoc fine determinari potest in quo consistat *ordo naturalis*. Ordo in genere est *apta dispositio mediorum ad finem ultimum;* ad quem ordinem quatuor requiruntur : *finis, agens, medium* et *lex* per quam media ad finem ordinantur. Jamvero pro homine ita constituitur ordo naturalis : (**a**) finis est possessio Dei, non per visionem intuitivam, sed per solam rationem modo discursivo cogniti; (**b**) agens est natura humana, cum facultatibus et viribus propriis; (**c**) medium est exercitium facultatum, præsertim vero intellectus et voluntatis, sub influxu concursus Dei naturalis; (**d**) lex est lex naturalis, omnium cordibus insita, cum consectariis quæ ex ea deduci possunt.

16. II. **De fine et ordine supernaturali.** Deo autem optimo placuit hominem elevare ad finem supernaturalem, qui *vires* et *exigentias* cujuslibet creaturæ omnino superat, ut "*divinæ consortes naturæ*"[1] efficeremur. Quem finem attingimus in cælo per *visionem beatificam*, qua similes Deo erimus quoniam videbimus eum sicuti est[2], *intuitive* ejus essentiam contemplando; ad hunc vero finem prosequendum, in terra jam accipimus *supernaturalem organismum*, videlicet *gratiam habitualem* quæ substantiam animæ pervadit et *deiformem* reddit, *virtutes infusas* quæ facultates nostras perficiunt et Deo intime conjungunt, et *gratiam actualem* qua facultates supernaturales ita moventur ut actus meritorios vitæ æternæ perficere valeant.

Ordo igitur *supernaturalis* ita constituitur pro homine : (**a**) finis est cognitio Dei, non imperfecto et discursivo, sed perfecto et *intuitivo* modo, facie ad faciem, et amor Dei ejusdem generis, quia amor sequitur cognitionem; (**b**) agens est natura humana ad altiorem operandi modum elevata per gratiam sanctificantem, virtutes infusas et dona Spiritus Sancti; (**c**) medium est exercitium facultatum, sub influxu supernaturalis Dei concursus, seu gratiæ actualis; (**d**) lex est non solum complexus legum naturalium, sed etiam complexus præceptorum positivorum, quæ Deus legi naturali addere potest.

17. III. **De relationibus inter ordinem naturalem et supernaturalem.** Hujusmodi relationes tribus assertis contrahi possunt :

[1] *II Petr.* I, 4. — [2] *I Joan.*, III, 2.

1° *Ordo naturalis ordinem supernaturalem minime excludit.* Homo enim, cum sit finitus, non est sibi ipsi suprema lex, sed a Creatore omnino pendet; si igitur sapienti consilio Deus ad altiorem finem eum promovet, Creatori suo se subjicere libenter debet. Ita contra *naturalismum*, quocumque nomine vocetur (deismum, materialismum, pantheismum, agnosticismum) qui ordinem supernaturalem negat [1].

2° *Ordo naturalis ordinem supernaturalem non exigit.* Etenim si ordo naturalis quamcumque exigentiam ad ordinem supernaturalem haberet, jam non esset distinctio perfecta inter hos ordines : quod contradictorium est, et ad naturalismum deducit. — Hæc secunda propositio attingit *Baïum* [2] et *Jansenistas*, secundum quos natura supernaturale exigit; *Modernistas* quoque, qui ordinem supernaturalem nihil aliud æstimant quam ultimum religiosæ evolutionis terminum.

3° *Natura humana ad ordinem supernaturalem elevari potest.* Sic argumentatur *S. Thomas* : "Naturaliter anima est gratiæ capax; eo enim ipso, quod facta est ad imaginem Dei, capax est Dei per gratiam" [3]. Homo vero ad imaginem Dei creatus est specialiter quia, ratione præditus, capax est res abstracte intelligendi, independenter ab earum materialibus formis [4]. — Hæc hominis capacitas vocatur a theologis *potentia obedientialis.*

Necesse videtur adjungere : (a) ordinem supernaturalem *naturam non destruere, sed perficere*, secundum hanc theologorum sententiam : *gratia non destruit, sed perficit naturam*, in quantum se nostris aptat facultatibus et operationibus eisque novas addit vires; (b) plerosque theologos, clare posita distinctione inter ordinem naturalem et ordinem supernaturalem, recognoscere *aliquod desiderium* naturæ ad supernaturale, sed desiderium *elicitum* (non innatum), *conditionale* (supposita Dei libera voluntate) et *inefficax* (i. e. propriis viribus non attingibile) [5].

---

[1] **Palmieri,** *De Deo creante et elevante*, th. XXXIII; **P. Garrigou-Lagrange,** *op. cit.*, l. I, c. VII-X; *Dict. apol.*, vocabulis *agnosticisme, matérialisme, panthéisme, positivisme, pensée* (libre).

[2] Cf. **D. B,** 1021 seq.; 1079, cf. 1671 seq.

[3] I^{a} 2^{æ}, q. 113, a. 10.

[4] I^{a}, q. 93, a. 2 et q. 12, a. 4, ad 3.

[5] Vide infra n. 223-235.

§ II. De fide, credibilitate et credentitate [1].

18. Nemo est qui non videat finem supernaturalem esse homini peroptabilem. Utrum vero realiter existat an non, quid sit, quomodo attingi possit, naturali rationis usu scire non valemus, sed fide sola; de fide ergo et de ejus elementis pauca notare oportet, eo magis quod ad fidem gignendam tendat Apologetica. Fides autem de qua hic agitur est fides proprie dicta, seu fides divina, quæ divino innititur testimonio.

19. 1° **Quid sit fides.** Teste concilio *Vaticano* [2] (quod hic allegamus non ut auctoritatem infallibilem, sed tanquam authenticum doctrinæ catholicæ testem), fides est *virtus supernaturalis*, "*qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli, nec fallere potest*".

Dicitur : (**a**) *Virtus supernaturalis*, id est habitus vires et exigentias nostras superans, et intellectum nostrum ita perficiens ut veritati divinæ adhærere valeat. Hæc adhæsio gratiam aspirantem et adjuvantem exigit. Fides est ergo donum Dei.

(**b**) *Qua vera esse credimus.* Etsi fides sit donum Dei, est etiam habitus humanum *intellectum illuminans* ut firmiter adhæreat veritati divinæ. Fides proinde distinguitur a *religioso sensu*, qui in subconscientia suas radices habet, et imaginationi et sensibilitati potiusquam rationabili motivo innititur [3]; necnon ab *opinione*, quæ certitudine caret, dum fidei assensus est omnino certus.

(**c**) *A Deo revelata.* Hæc verba determinant fidei *objectum materiale*, omnes scilicet et solas veritates a Deo revelatas.

---

[1] De his quæstionibus agimus explicite in *Tr. de Fide*. Interim cf. **Gardeil**, *La crédibilité et l'Apologétique;* **Id.** art. *Crédibilité* in *D. T. C;* **de Poulpiquet**, *L'objet intégral de l'Apologétique;* **d'Herbigny**, *La Théologie du révélé*, 1re partie, ch. V-XV.

[2] **D. B.**, 1789. Cf. *Jusjurandum contra Modernistas.* **D. B.**, 2145.

[3] Hunc *religiosum sensum*, quem, post *Schleiermacher*, multi hodierni Protestantes admittunt, *Modernistæ* suscitare conati sunt, ut infra exponemus ubi de genuino religionis conceptu. Cf. *Jusjurandum contra Modernistas.* **D. B.**, 2145.

(**d**) *Non propter etc.* Hoc est *motivum*, seu *objectum formale fidei.* In ordine naturali assensus veritati datur sive propter evidentiam rationalem propositionis (ut in mathematicis), sive propter evidentiam sensibilem facti, (ut in physica), sive propter testimonium testis alicujus (ut in historia). Aliquo modo fides divina huic ultimæ adhæsioni, seu fidei humanæ, æquiparari potest. Ab ea tamen differt, quia testis veritatis fidei est ipse Deus, Veritas summa, cui intellectus noster se totum subjicit.

Unde sequitur *fidem esse :* 1) *Obsequium religiosum*, quia Deo præstatur; 2) *obscuram cognitionem* quia Dei testimonium non manifestat intrinsecam rationem rei revelatæ; 3) adhæsionem *absolutam*, cum testi infallibili detur; 4) tandem *liberam :* supponit enim illam mentis humilitatem et voluntatis submissionem, quibus homo paratum se esse fatetur ad amplectendum quidquid Deo placuerit revelare, etiamsi veritas revelata perpetuo obscura mansura sit [1]. — Hæc mentis humilitas frequenter apud incredulos deficit [2], sicque sæpe sæpius eorum explicatur obcæcatio.

Actus quo fidei virtus exercetur vocatur *actus fidei.* Omnes dotes virtutis fidei possidet, siquidem est donum Dei simul et actus liber hominis. Supponit, sicut fides ipsa, mentis submissionem. Plura elementa ad ejus productionem concurrunt, de quibus nunc verbum faciendum est.

20. 2° **Quid sit credibilitas?** Ut rationabile sit obsequium mentis actum fidei elicientis, probandum est objectum fidei fuisse vere a Deo revelatum, ita ut credi possit fide divina. Credibilitas igitur est *aptitudo alicujus veritatis ut credatur*, in quantum *certissimis signis probatur* eam a Deo revelatam esse. *Signa* autem quibus hæc revelatio constat, vocantur *motiva credibilitatis.* Quando mens, his motivis illuminata, judicat doctrinam aliquam vere fide divina credibilem esse, profert *judicium credibilitatis*, quod non est actus fidei, sed præparatio ad fidem [3].

---

[1] Hæc submissio a recentibus theologis sive *intention première de foi* **(Gardeil)** sive *résolution générale de foi* **(d'Herbigny)** appellata est. Sic eam exprimit *d'Herbigny* : "Je suis résolu à recevoir pour vrai, si incontrôlable qu'il puisse être, tout ce qu'il a plu, tout ce qu'il plaît et plairait à l'autorité divine de révéler". (l. c. p. 66).

[2] Cf. **J. Jaurès,** apud **d'Herbigny,** l. c., p. 77-78, note.

[3] Invitat nempe mentem, quæ jam "resolutionem generalem fidei" emisit,

Doctrina quæ nullum valorem motivis credibilitatis adscribit, cujus autem sententia est : "credo ut credam", *fideismus* vocatur, et ab Ecclesia catholica damnata est.

21. 3° **Quid sit credentitas.** Ut judicium credibilitatis ad plenum fidem ducat, oportet ut mens eliciat *judicium credentitatis*, sic enuntiatum : talis propositio, non solum fide divina credibilis, sed etiam *credenda* est. Quo peracto, voluntas libere fidei assentiet : *credo* [1]. Motiva quæ hunc judicium credentitatis provocant, nominantur *motiva credentitatis*. Teste *Vaticano* [2], motivum credentitatis primarium est auctoritas Dei, a quo totaliter pendemus et qui nostræ potest rationi fidem imperare. Sunt tamen etiam motiva credenditatis secundaria [3], (v. g., pulchritudo seu fecunditas alicujus doctrinæ, ejusque convenientia cum aspirationibus nostris), quæ voluntatem nostram ad aliquam doctrinam amplectendam *alliciunt*, et de quibus sæpissime in Apologetica mentio fit.

§ III. Notio, divisio et indoles Apologeticæ [4].

22. 1° **Notio apologeticæ.** (A) Exceptis casibus extraordinariis, de quibus hic curam non habemus et de quibus theologi disputant, quisque ad actum fidei eliciendum, ducitur motivo vel motivis credibilitatis propriis. Hæc motiva valde diversa sunt secundum ætatem, conditionem, scientiam credentis.

Hæc autem motiva satis valida esse debent ad *moralem* pariendam *certitudinem*, quæ omne dubium *ultimo* excludat. Nec tamen

(id est jam sibi proposuit credere quidquid Deo placuerit revelare), ad eam applicandam determinatæ veritati.

[1] Actus humani successivi qui ad fidem concurrunt sunt ergo sequentes : resolutio generalis fidei, inquisitio de credibilitate, judicium credibilitatis, judicium credenditatis, actus fidei.

[2] Sess. III, cap. 3, de fide. **D.** 1789.

[3] Ut omnis confusio abigatur, hæc motiva sæpe et clarius vocantur non "credentitatis", sed "*appetibilitatis*", v. g., apud **de Poulpiquet**, l. c., p. 464.

[4] **L. Maisonneuve,** *Apologétique*, ap. **Vac.-Mangenot,** *D. T. C.*, t. I, 1511-1533; **X. M. Le Bachelet,** *Apologétique, Apologie*, ap. *D. A.*, t. I, 189-191, cum auctoribus ibi allegatis; **A. Gardeil,** *La Crédibilité et l'Apologétique*, p. 131-155; **C. F. Aiken,** *Apologetics*, in *The Cathol. Encyclopedia*, New-York, t. I, p. 618-623; **de Poulpiquet,** *L'objet intégral de l'Apologétique;* **D'Herbigny,** *La Théol. du révélé*, ch. V-XV; et varios tractatus apologeticæ.

requiritur certitudo *absoluta*, ea nempe quæ sufficiat respectu *cujusvis intellectus*, etiam sagacis et acuti; sed sufficit *respectiva*, quæ nempe excludat omnem prudentem errandi formidinem, respectu non cujuslibet intellectus, sed *alicujus* dumtaxat, ratione particularis dispositionis in eo existentis; talis est, v. g., auctoritas parentum et pastorum relate ad simplices. Ad assensum firmum fidei satis est enim ut, omnibus rite perpensis, quisque videat rem esse *credibilem* et *credendam*, ita ut sine culpa morali hæc negari non possit. Hoc enim posito, sub influxu gratiæ et voluntatis assensus erit omnino firmus [1].

23. (B) Necesse est tamen ut in Ecclesia quædam inveniatur *Summa motivorum credibilitatis et credentitatis* in qua divinitas religionis christianæ et catholicæ logice ac plene demonstretur. Jamvero summam hanc instituere, *scopus est Apologeticæ.*

Quoad verbum, *Apologetica*, a græcis vocibus ἀπολογητική, ἀπολογεῖσθαι, idem sonat ac *defensio*, *demonstratio*, ideoque merito designat eam scientiam quæ veritatem fidei catholicæ propugnat. *Apologia* (græce ἀπολογία) etymologice idem significat. Sed, juxta communem acceptionem, *Apologia* hodie designat defensionem cujusque dogmatis *singulatim* sumpti (v. g. dicitur Apologia SS. Trinitatis, Redemptionis, etc.); dum *Apologetica credibilitatem* et *credentitatem totius revelationis christianæ* demonstrat.

Quoad rem autem definiri potest : *Scientia motivorum credibilitatis et credentitatis divinæ Revelationis a Jesu Christo allatæ, et per Ecclesiam catholicam propositæ.*

Scopus ergo apologeticæ est imprimis divinam originem demonstrare religionis catholicæ. Hæc demonstratio scientifica præbebit credentibus majorem fidei firmitatem, lumen quærentibus, et apologetis copiam probationum, quas, Dei juvante gratia mentibus incredulorum accomodare poterunt, ut homines sinceros ad fidem perducant.

24. 2° **Divisio apologeticæ.** Demonstratio christiano-catholica tria veluti stadia complectitur :

In *tr. de* **Religione** agemus tum *de religione in genere* tum de *religione revelata*, cujus possibilitatem et necessita-

[1] De quibus vide tamen n. 255.

tem ostendemus, necnon media ad veram revelationem discernenda.

In *tr. de* **Christo legato divino** seu de **Religione Christi** probabimus Christum esse vere a Deo missum divinamque prædicasse religionem quæ christiana dicitur.

In *tr. de* **Ecclesia Christi** demonstrabimus Christum *Catholicam Ecclesiam instituisse* cui revelationem christianam custodiendam et interpretandam commisit.

25. 3° **Indoles apologeticæ.** Duo hic investigantur : *quo lumine* utatur apologetica, — et utrum necne sit scientia a theologia omnino *distincta.*

(**a**) *Lumen* quo utitur apologetica est " lumen naturalis rationis, sub directione fidei, ad ipsam fidem rationabiliter defendendam " [1]. *Ratione* quidem utitur : vitiosus enim esset circulus fidem fide, revelationem revelatione demonstrare. Attamen, cum ejus scopus sit catholicam fidem defendere, directionem merito postulat a fide.

(**b**) Exinde sequitur apologeticam esse scientiam specialem, suum objectum et methodum habens, sed ad theologiam referri, et ut *partem theologiæ fundamentalis* haberi posse, quia *credibilitatem* objecti theologiæ proprie dictæ demonstrat, et a fide directionem accipit.

§ IV. De certitudine quæ Apologeticæ competit [2].

26. Ut intellectus rationabiliter motivis credibilitatis ab apologetica propositis adhæreat, necesse est ut *plenam*

[1] **P. Garrigou-Lagrange**, t. I, p. 43.

[2] **Gredt**, *Elementa philos. aristotelico-thomisticæ*, 2ª ed. (Friburgi. 1912) n. 569-574; **Schiffini**, *Institutiones phil. in compendium*, 2ª ed. (Taurini 1893) n. 103-105; 140-143, 150-157; **Gardeil**, *La Crédibilité et l'Apol.*, l. II; c. III; **de Poulpiquet**, *L'obj. int. de l'Apol.*, 2e Partie, ch. I; **S. Thom.**, 2ª 2æ, q. 2, a. 1 et 4; q. 4, a. 1 et 8; q. 5, a. 4; *De veritate*, q. 14, a. 1-3; *Quodlibet*, VI, a. 6; **Brugère**, *De Vera Religione*, 1878; Appendix I, p. 264-271; **Newman**, *Grammar of assent*, passim; **Bremond**, *Newman*, Psychologie de la Foi, 1905; **Ollé-Laprune**, *De la certitude morale*, Paris, 1880; *La Philosophie et les temps présents*, 1890; **W. Ward**, *Witnesses to the unseen*, 1893, p. 156 sq.; **Hettinger**, *Natural Religion*, translat. by H. S. Bowden, Introd. on certainty; **J. Payot** *, *De la croyance*, Paris, Alcan; **C. Bos**, *Psychologie de la Croyance*, Paris, Alcan, 1902; **S. Harent** *D. T. C.* voce *Croyance*, t. III, 2364-2396,

certitudinem attingere possit. Prænotatis igitur paucis *de certitudine in genere*, agemus *de certitudine objectiva* argumentorum quæ apologetica præbet seu de *valore intrinseco motivorum credibilitatis;* postea *de eorum certitudine subjective sumpta*, seu de perceptione motivorum ab unoquoque intellectu.

27. 1° **De certitudine in genere.** Certitudo in genere est *firma mentis adhæsio alicui cognoscibili sine errandi formidine et sine periculo falsitatis*. Periculum falsitatis excluditur recto rationis usu. Quo supposito, duo importat certitudo, nempe *exclusionem dubii* atque positivam ac firmam *mentis adhæsionem :* prior nullum gradum admittit; posterior autem major aut minor esse potest secundum varia motiva quibus innititur, seu secundum naturam objecti cui mens adhæret.

Triplex distinguitur certitudo ratione motivi cui innititur : (a) *metaphysica*, quæ habetur quando prædicatum ita subjecto convenit ut contrarium ipsi rerum essentiæ adversetur, prout contingit in rebus metaphysicis aut mathematicis, v. g., totum est majus sua parte, duo et duo dant quatuor; (b) *physica*, quæ obtinetur quando prædicatum ita subjecto convenit ut oppositum a legum physicarum ordinario cursu alienum sit, qualis est, v. g., hæc propositio : ignis comburit; (c) *moralis* [1], quæ innititur legibus moralibus seu modo constanti quo homines agere solent : talis est certitudo *historica*, (v. g., existentia Cæsaris aut civitatis Tokio) huic legi morali innixa quod testes plurimi de eadem re concordes et ceteroquin honesti, mendacia sibi inutilia proferre non solent.

Prima et secunda harum certitudinum etiam possibilitatem propositionum contrariarum excludunt : impossibile est duo et duo quatuor non dare, ignem (nisi nova incidat circumstantia) non comburere. Certitudo autem moralis

---

cum aliis auctoritatibus ibi allegatis; *Rapport sur les Conf. ecclésiastiques de Paris*, année 1906, Dogme.

[1] Agitur hic de certitudine morali *stricte dicto*, non de certitudine *prudentiali* seu *practica*, quæ non omne dubium speculativum excludit, sed solum *prudens* dubium, et sufficit ad recte agendum, ut probatur in *Tr. de Conscientia*, nec de certitudine morali *sensu hodierno*, de qua infra.

non excludit omnem possibilitatem hujusmodi, sed, attentis omnibus circumstantiis, omne dubium vere expellit, ita ut mens firmiter adhæreat veritati.

28. 2° **De certitudine objectiva argumentorum apologeticæ.** Est *doctrina catholica certa* rationem in inquisitione credibilitatis posse non solum probabilitatem, sed *veram certitudinem* attingere : quod ex documentis pontificiis clare apparet.

Anno 1697 *Innocentius XI* sequentem damnavit propositionem : "Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus" [1]. *Pius IX* contra *Hermesianos*, in Encyclica "*Qui pluribus*" anno 1846 scripsit : "Humana quidem ratio, ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinæ revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet, Deum esse locutum, ac eidem, quemadmodum sapientissime docet Apostolus, rationabile obsequium exhibeat" [2]. *Decretum* "*Lamentabili*" tandem propositionem sequentem modernistarum damnavit : "Assensus fidei ultimo innititur in congerie probabilitatum" [3].

29. Perlegendo varios tractatus apologeticæ, inveniuntur argumenta duplicis generis : *metaphysica* scilicet (e. g., argumentum metaphysicum de necessitate religionis, posita hominis dependentia a Deo; vel attributio soli Deo alicujus miraculi omnes vires creatas superantis); et præsertim *moralia* (quoties argumentatio factis historicis innititur). Utriusque generis argumenta *objectivam certitudinem* præbere debent, ut clare appareat origo divina et credibilitas doctrinæ catholicæ.

30. Notanda. (a) Argumenta apologetica aliquando *singulatim* sumpta plenam certitudinem gignere non valent; sed si *plura simul* ad *eamdem veritatem demonstrandam tendunt*, aliquando *veram certitudinem* pariunt. Quod comparatione illustratur : lapides singulatim sumpti non præbent utique medium sufficiens ad flumen transeundum; sed si multi cæmento coadunantur ad pontem efficiendum, jam facile erit flumen tuto pede pertransire.

(b) Eo major et omnibus accomodatior erit certitudo apologetica, quo *pluribus concordantibus motivis credibilitatis* statuetur. Unum vel alterum motivum forsan impugnari potest, vel alicui

[1] D. B., 1171. — [2] D. B., 1637, Cf. 1639. — [3] D. B., 2025.

menti non convenire; sed cum multa simul concurrunt, sese invicem corroborant, et assensum merito trahunt. Inde natum est proverbium : Funiculus triplex difficile rumpitur.

31. 3° **De assensu subjectivo veritatibus apologeticis præstito.** Ut mens nostra cum certitudine alicui veritati adhæreat, non sufficit ut propositio *in se* vera sit, sed requiritur ut ejus veritas *ab intellectu percipiatur*. In hac autem veritatis perceptione aliquando *non solum intellectus*, sed *voluntas ipsa* aliquam partem habet, diversam tamen pro diversitate veritatum quibus assensum præbemus. Recte enim ait *S. Thomas* [1] : "Assentit autem intellectus alicui dupliciter : uno modo, quia ad hoc movetur ab ipso objecto quod est per se ipsum cognitum (sicut patet in principiis primis, quorum est intellectus), vel per aliud cognitum (sicut patet de conclusionibus, quarum est scientia); alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter movetur ab objecto proprio, sed per quamdam electionem *voluntarie* declinans in unam partem magis quam in aliam", ut fit in rebus quæ testimonio cognoscuntur : testimonium enim non intrinsecam evidentiam præbet, sed alicujus facti existentiam asserit, nec proinde intellectum cogit ad assentiendum. Duo itaque exponemus : *quandonam* requiratur voluntatis influxus; et *quid voluntas præstet* quoad assensum.

32. A) Quandonam requiritur voluntatis influxus? (a) In omnibus veritatibus quæ *consectaria practica* involvunt quoad *vitam nostram moralem*, non solum intellectus, sed etiam *voluntas ad assensum nostrum concurrit*. Cum enim homo prævideat ex his veritatibus semel admissis arduam sequi praxim virtutum, eis non facile assensum præbebit nisi, bona voluntate præditus, has virtutes colere paratus sit.

(b) Quod quidem magis necessarium est *quoad argumenta* quæ nonnisi *moralem certitudinem pariunt*. In hoc enim casu, etsi vis argumentorum sufficiat *ex se* ad convincendum animum, adsunt tamen *difficultates* plus minusve probabiles quæ mentem commovent. Jamvero nisi præjudicia et passiones cohibeantur, mens ad has difficul-

[1] *Sum. theol.*, 2ª 2æ, q. I, a. 4; cf. *De Veritate*, q. 14, a. 1 et a. 3 ad 10.

tates nimis advertet, et vel anxia manebit vel forsan assensum denegabit [1].

Itaque recentiores auctores *moralem quamdam certitudinem* admittunt [2], quæ ita definiri potest : *firma mentis adhæsio veritatibus* (historicis aut metaphysicis) *vitam moralem influentibus*, quæ datur *sub influxu dispositionum moralium* et *cum voluntatis concursu :* non quidem eo sensu quod hæ dispositiones et voluntatis concursus vicem supplent motivorum, quippe quæ *per se* sint sufficientia, sed eo sensu quod removent præjudicia et mentem præparant ad recte percipiendam vim argumentorum.

33. (c) In argumentis *apologeticis* sæpe requiritur voluntatis influxus. Apologetica enim versatur circa res ad vitam moralem spectantes ; tendit ad *fidem* quæ vitæ conversionem exigit ; et innititur tum *aspirationibus cordis* humani, tum *factis historicis*, quæ humano testimonio probantur. Jamvero argumentum ex aspirationibus cordis desumptum illos tantum suadere potest qui nobiles jam in se experti sunt propensiones ; pariter ad vim testimonii historici admittendam, præsertim in re ad vitam moralem spectante, maxime desiderantur judicii et voluntatis rectitudo.

Certitudo igitur quæ Apologeticæ convenit, *non est mathematica*, sed *moralis*. Et convenienter quidem : si enim evidentia mathematica proponeretur, jam homines liberi non essent, sed necessario eam amplecterentur ; ubi autem necessitas est, nullum adesse potest fidei libertas et meritum. Sapienter igitur Deus res ita disposuit ut evidentia sufficiens esset pro hominibus bonæ voluntatis, non tamen ita cogens ut rebelles etiam compelleret voluntates [3].

Valor autem *objectivus certitudinis apologeticæ minime*

---

[1] Cf. **Pascal.** *Pensées.* (Ed. *Brunschvicg*, n. 99) : " La volonté est un des principaux organes de la créance ; non qu'elle forme la créance, mais parce que les choses sont vraies ou fausses, selon la face par où on les regarde. La volonté qui se plaît à l'une plus qu'à l'autre, détourne l'esprit de considérer les qualités de celles qu'elle n'aime pas voir ; et ainsi l'esprit, marchant d'une pièce avec la volonté, s'arrête à regarder la face qu'elle aime, et ainsi il en juge par ce qu'il y voit ".

[2] De qua certitudine agit præsertim **Ollé-Laprune,** in opere cui titulus : *La certitude morale.* Quæ dicitur etiam *croyance*, *D. T. C.*, t. III, col. 2364.

[3] Ad rem **Pascal,** *Pensées*, Ed. *Brunschvicg*, 564 : " Et par ce moyen il y a assez d'évidence pour condamner et non assez pour convaincre ; afin qu'il paraisse qu'en ceux qui la suivent, c'est la grâce, et non la raison qui fait suivre ; et qu'en ceux qui la fuient, c'est la concupiscence et non la raison qui fait fuir ".

læditur, cum dispositiones morales non vicem suppleant argumentorum, sed tantum *obstacula removeant* et *rectitudinem mentis operentur*, ut clare veritas percipiatur [1].

34. (B) Voluntas concurrit ad assensum veritatibus apologeticis præstitum triplici modo :

(a) Hunc assensum *præparat* quibusdam *dispositionibus*, quæ præjudicia removent et mentem adjuvant ad veritatem lucidius percipiendam et libentius admittendam. Præcipuæ autem sunt : 1) *mens sana*, id est, neque morbido scepticismo dedita, neque judiciis a priori conceptis nimis fidens, aut plus æquo novitatibus indulgens : his enim dispositionibus obnubilatur veritas; 2) *passionum mortificatio*, præsertim *voluptatis* et *superbiæ*; experientia enim constat passionibus ita mentis judicium perturbari in rebus moralibus ut vix veritas agnosci possit : ita qui libidini habenas laxant, parum de altera vita curantes, non facile perspiciunt vim argumentorum quibus animæ immortalitas et christianæ religionis divinitas probantur; 3) *veritatis amor*, seu sincerum desiderium veritatem amplectendi et sequendi statim ac nobis manifestatur; nisi enim hæc adsit dispositio, neque *mens* satis attenta erit ad argumenta consideranda, neque *voluntas* ad eorum vim admittendam satis propensa : naturalis horror quem concipimus contra religionem cupiditatibus adversam, non potest superari nisi per positivum ac generosum veritatis amorem. Optime *S. Thomas* loquitur de *connaturalitate quadam* inter veritatem et mentem, sine qua veritas difficile percipitur, per quam autem et indocti quasi sponte ad ejus lumen accedunt : " Rectitudo judicii potest contingere dupliciter : uno modo secundum perfectum usum rationis, alio modo propter connaturalitatem quamdam ad ea de quibus jam est judicandum; sicut de his quæ ad castitatem pertinent, per rationis inquisitionem recte

[1] Ad rem egregie scribit **Ollé-Laprune**, *op. cit.*, p. 413-414 : " La bonne volonté ne forme pas la créance, mais elle la prépare; elle ne fait pas naître la lumière, mais elle dispose l'esprit à la voir. On n'arrive pas à croire les choses parce qu'on veut qu'elles soient; on arrive à voir qu'elles sont en effet, parce qu'on veut, quoi qu'il en puisse coûter, voir, non ce qui plaît, mais ce qui est. Si donc il y a des efforts à faire, on les fait; s'il y a des difficultés à vaincre, on les combat; s'il y a des répugnances à surmonter, venant d'une raison trop faible ou d'une volonté vicieuse, on en triomphe... " Integer locus attente legatur.

judicat ille qui didicit scientiam moralem; sed per quamdam *connaturalitatem ad ipsam*, recte judicat de eis ille qui habet habitum castitatis [1]".

(**b**) *Influit in ipsum assensum*, et quidem dupliciter : 1) *intellectum* ceterasque facultates cognoscitivas, præsertim memoriam et imaginationem movendo ut studio veritatis attente atque perseveranter sese applicent; nam quo major attentio, eo firmior est assensus; 2) insuper *judicium* rationis in eam partem inclinando quæ magis ipsi voluntati arridet.

(**c**) Assensus ab intellectu datus haud parum roboratur *praxi religionis* seu religiosa experientia : nam qui vitam suam instituit secundum præcepta evangelica, mox in intimo corde pacem invenit ex conformitate propriæ voluntatis cum divina voluntate, novasque ex auxilio divino accipit vires quibus virtutum praxis facilior evadit; ita ex fructibus ejus divinitas religionis confirmatur.

35. Conclusiones. (**A**) Mirandum non est tam multos, etiam doctos, conclusionibus apologeticis assensum non præbere : id enim non provenit ex parte conclusionum, quæ clare apparent ut ex diversis tractatibus elucebit, sed ex parte hominum qui dispositionibus moralibus carent ad veritatem percipiendam necessariis.

(**B**) Si quis ergo aliquem incredulum ad fidem perducere desiderat, præparet jam ejus mentem ad Deum humiliter et caste quærendum, ad amorem veritatis, quidquid aliunde veritas ab ipso requirat; promoveat in corde illam bonam voluntatem, cui pax et salus promittuntur. Tunc fructuose argumenta apologetica exponet.

(**C**) Ne obliviscamur apologeticam ad *fidem gignendam* tendere. Fides autem sine gratia obtineri nequit, secundum illud Christi verbum : " Nemo potest venire a me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum " [2]. Gratia autem non datur, nisi

---

[1] 2ª 2æ, q. 45, a. 2. — Ad rem etiam **S. Augustinus,** *(Tr. 96 in Joan.*, n. 4, ap. *Migne*, P. L., XXXV, 1876) : " Non enim diligitur quod penitus ignoratur; sed, cum ex quantulacumque parte cognoscitur, ipsa efficitur dilectione ut melius et plenius cognoscatur ". Cf. **Pascal,** *Le mystère de Jésus :* " Console-toi, tu ne me chercherais pas si tu ne m'avais trouvé ". *Brunsv.*, 553.

[2] *Joan.* VI, 44. Totum evangelium *S. Joannis* allegari posset ad probandam necessitatem dispositionum moralium pro fidei assensu; legantur præsertim, cap. III, VIII, XII.

petentibus : unde apparet absoluta orationis necessitas ad veritatem detegendam et amplectendam.

§ V. Conspectus historicus Apologeticæ [1].

36. Apologetica, sicut cæteræ scientiæ, nonnisi paulatim modo scientifico exposita est et crevit, et in dies progreditur ut variis adversariorum impugnationibus sese accommodet.

1° *Primis sæculis* (a I° ad XII^um^), Apologetæ et Patres, secundum temporum necessitates, unum vel alterum credibilitatis motivum proponebant, quin intenderent, plerumque saltem, methodicam fidei demonstrationem instituere.

2° *Medio Ævo*, quando jam *scientifico modo theologica scientia* exponebatur, quæstiones apologeticæ in tractatu *de Fide* expendebantur, et merito quidem, cum apologetica *credibilitatis motiva* proponat quæ ad fidem ducunt.

3° *Modernis vero temporibus*, auctoritas Ecclesiæ a Reformatoribus negata fuit, et mox auctoritas ipsius revelationis a Deistis et Rationalistis impugnata fuit. Quapropter necesse fuit nova et aptiora credibilitatis motiva fusius proponere, adversariorum difficultates historicas et criticas solvere, et specialem tractatum de re apologetica instituere. — Nostris tandem diebus, cum omnes scientiæ propriam methodum adhibendam explorare et perficere nitantur, de methodo in rebus apologeticis sequenda multum pariter disputatum est.

37. Quo melius intelligantur methodi, ab Apologetis variis temporibus adhibitæ, præmittimus duplicis generis esse *criteria* quibus demonstratur veritas religionis revelatæ : (**a**) *interna* seu *intrinseca*, quæ ex ipsa doctrina revelata desumuntur, nempe ex ejus *conformitate* cum ratione et legitimis humanæ naturæ aspirationibus, necnon ex *effectibus* quos in ordine morali producit; aut ex ipsius *eminentia* et *transcendentia* quando cum aliis religionibus confertur; (**b**) *externa* seu *extrinseca*, quæ non ex ipsa doctrina desumuntur, sed ex *factis mirabilibus* quæ ejus manifestationem comitantur, nempe ex *miraculis* aut *prophetiis* " quæ, ut ait *Vaticanum*, cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam commons trent, divinæ revelationis signa sunt certissima [2] ".

---

[1] Præter auctores infra allegatos, cfr. **Le Bachelet,** *Apologétique, Apologie* in *D. A ;* **Maisonneuve,** *Apologétique* in *D. T. C. ;* **Bainvel,** *De vera religione et apol.*, p. I, c. III.

[2] *Vatic.* sess. III, cap. 3. **D. B,** 1790.

I. Methodus apologetica qua Patres usi sunt [1].

38. Exponuntur Judæorum et Gentilium impugnationes. Christianæ religionis apologiam Patres adversariorum impugnationibus accommodarunt. Jamvero, primis Ecclesiæ sæculis, christianismum impugnaverunt tum Judæi tum Gentiles.

(**A**) *Judæi* non solum Christum esse Messiam a Prophetis annuntiatum negabant, sed eum tanquam impostorem et seductorem habebant, variasque calumnias circa ejus nativitatem, doctrinam et mores spargebant; ejusque discipulos ut impietatis et infandorum scelerum reos accusabant [2].

(**B**) *Gentiles* variis modis novam religionem insectabantur : (**a**) *plebs* Christianos calumniabatur quasi *atheos*, (quia deos visibiles colere nolebant), generis humani osores, carnem pueruli comedentes aut incestus reos; (**b**) *jurisperiti* eos tanquam legum violatores, Imperatorum divinitatis contemptores, et de civium officiis parum curantes insimulabant; (**c**) *philosophi*, plebis calumnias plerumque renovantes, querebantur insuper quod illiterati de divinitate aliquid certi decernere auderent, hominem crucifixum et asini caput colerent, tormenta præsentia spernerent dum incerta et futura metuerent, deosque contemnerent qui per tot sæcula Romanæ faverant Civitati [3].

39. Præcipuæ Patrum Apologiæ. Ad confutandas hujusmodi calumnias, imo et ad conciliandos Christo proborum animos, varias apologias scripserunt :

---

[1] **Werner,** *Geschichte der apologetischen und polemischen Literatur der Christl. Theologie,* 1861-1867; **Freppel,** *Les Apologistes chrétiens au II^e siècle,* Paris, 1869; **Donaldson***, *A critical history of christian literature, The Apologists,* London, 1866; **G. Schmitt***, *Die Apologie der drei ersten Jahrhunderte in historisch systematischer Darstellung,* Mainz, 1890; **J. Martin,** *L'Apologétique traditionnelle,* Paris, 1905, t. I; **Tixeront,** *La Théologie anténicéenne,* 4^e éd., Paris, 1906, p. 221-231; **Zockler***, *Geschichte der Apologie des Christentums,* Gütersloh, 1907; **Gardeil,** O. P., in *D. T. C.* voce *Crédibilité,* t. III, 2239-2258; **X. M. Le Bachelet,** in *D. A.*, 1909, t. I, p. 191-199; **C. F. Aiken,** in *The Cathol. Encycl.*, t. I, 620-621. — Præcipuos Patrum textus invenies ap. **Rouet de Journel,** *Enchiridion patristicum.*

[2] Quas calumnias invenies in *Talmud;* cfr. **Freppel,** op. cit., t. I, p. 394-417; **Duchesne***, *Histoire ancienne de l'Eglise,* t. I, ch. XII, p. 198-202; **E. Leclerq,** ap. *Cabrol, Dict. D'Archéol.* t. I, p. 265-307.

[3] Has philosophorum querelas exponit *Cæcilius,* nomine Frontonis pagani philosophi loquens, ap. **Min. Felicem,** *Octavius,* c. 5-15, P. L., t. III, p. 242-279.

1° **Secundo sæculo :** — Secundum sæculum vocatum est sæculum apologetarum. Inter quos eminent : Auctor epistolæ quæ sub nomine BARNABÆ vulgata fuit, qui Judæos præsertim impugnat, ostendens christianam religionem fuisse a prophetis annuntiatam, et legem veterem jam esse abrogatam [1]; auctor EPISTOLÆ AD DIOGNETEM [2] qui contra paganos arguit de sanctitate Christi fidelium; QUADRATUS, Apostolorum discipulus in Asia Minori (125-126), cujus unum tantum superest fragmentum ubi christianæ religionis divinitatem probat ex *miraculis* ejus fundatoris [3]; ARISTIDES Atheniensis (135-165), qui christianæ religionis divinitatem ex ejus excellentia et miraculis in ejus gratiam patratis demonstrat [4]; S. JUSTINUS inter apologetas illius ævi facile princeps, qui duas Apologias et Dialogum contra Tryphonem scripsit (150-161) [5]; TATIANUS, *Oratio ad Græcos* (165); ATHENAGORAS, *Supplicatio pro Christianis* (176-178) et *de Resurrectione mortuorum;* THEOPHILUS ANTIOCHENUS, *Ad Autolycum libri tres* (169-182); MIN. FELIX, *Octavius* (190); TERTULLIANUS, *Apologeticum* (197); HERMIAS, *Irrisio Gentium* (circa finem sæculi secundi).

40. Apologetarum *scopus* duplex est, nempe impugnatorum calumnias explodere, et divinitatem aut saltem rationabilitatem christianæ religionis ostendere.

(**A**) *Calumnias* imprimis eloquenter *repellunt :* (**a**) Christiani sane athei non sunt, cum Deum increatum et æternum colant; (**b**) neque promiscuis flagitiis indulgent, cum alii castam vitam ducant in matrimonio legitimos pro-

[1] Ap. **H. Hemmer,** *Les Pères Apostoliques*, Paris, 1907, t. I, pp. LXI sq., c. I sq.,; 30 sq.,; **Funk,** *Patres Apostolici*, t. I, pp. XX sq., 38 sq.

[2] Inter patres apostolicos invenitur, **Funk.,** *l. c.*, I, p. 390-413. Cf. **R.** 96; **K.,** 151 seq.

[3] Quem locum infra allegamus, ubi de miraculis Christi. — Apologetarum secundi sæculi opera ediderunt **Migne,** P. G., t. VI, et P. L., t. III; **Otto,** *Corpus Apologetarum*, 3ª ed., Jenæ, 1886-1887.

[4] **J. Rendel Harris J. Armitage Robinson** *, *The apology of Aristides on behalf of the Christians*, Cambridge, 1891.

[5] *Apologias* edidit **L. Pautigny,** *Justin. Apologies*, Paris, 1904, *Dialogum* vero **G. Archambault,** *Justin. Dialogue avec Tryphon*, Paris, 2 vol., 1909; Cf. **M. J Lagrange,** *Saint Justin*, Paris 1914.

creando filios, et alii cælibes perpetuo maneant[1]; (c) neque inhumanas infantium perpetrant cædes, cum ne justam quidem cædem aspicere velint. — Hæc igitur mendacia sunt, et nullus accusatorum tam impudens est ut ea se vidisse dicat. " sunt nobis servi, quos latere non possumus; horum tamen nemo inventus est, qui talia fingeret de nobis "[2].

41. (B) *Varia proponunt argumenta* ad demonstrandam christianæ religionis veritatem : (a) ejus *antiquitatem*, ad repellendam novitatis insimulationem : Moyses enim multo antiquior est Homero[3]; (b) *excellentiam* hujus doctrinæ, quam docuerunt homines a Deo afflati de mundi origine, Dei unitate et idololatriæ reprobatione, de virtutibus colendis, præsertim caritate et beneficentia, castitate, pænitentia atque injuriarum condonatione[4]; (c) *prophetiarum* adimpletionem in Christo : " Quidam igitur homines inter Judæos Dei prophetæ exstitere, per quos Spiritus propheticus futura prænuntiavit antequam fierent... In his autem prophetarum libris prænuntiatum reperimus Jesum Christum nostrum advenientem atque ex Virgine nascentem, ad ætatem virilem pervenientem, morbos omnes et ægritudines curantem, et mortuos ad vitam revocantem, invisum, ignoratum et crucifixum, morientem et resurgentem, ac in cælos ascendentem ; eumque esse et vocari Filium Dei, et nonnullos ab eo mitti ad omne hominum genus, qui hæc prædicent, magisque illi credere eos qui sunt ex Gentibus ". Ita *S. Justinus*[5], qui postea late ostendit has omnes prophetias impletas fuisse. (d) *Christi* ipsius *miracula et prophetias*, necnon ejus doctrinæ atque virtutum præstantiam : " Homi-

[1] Huic christianorum castitati opponunt infandas Gentilium turpitudines : " Nam qui nundinas impudicitiæ instituunt, et infanda omnis turpitudinis diversoria adolescentibus proponunt, ac ne masculis quidem temperant... ii quæ sibi ipsis conscivere, quæque diis suis tribuunt, tanquam de præclare factis ac deorum propriis gloriantes, ea nobis in convicii loco objiciunt ". (**Athenagoras,** *Legatio*, c. 34, P. G., t. VI, p. 967).

[2] **Athenagoras,** *Legatio*, c. 35, P. G., t. VI, p. 970.

[3] **Tatianus,** *Oratio*, c. 31 et 36-41, P. G., t. VI, p. 867-887 ; cfr. **Theophilus,** *Ad Autolyc.*, l. III., c. 20-30, P. G., t. VI, p. 1147-1167.

[4] **Theophilus,** *Ad Autolyc.*, l. II, 9-21, 35; l. III, 9-15; P. G., t. VI, p. 1065 sq.

[5] *Apolog.*, I, n. 32, P. G., t. VI, 375-378; quod argumentum fusius evolvit in *Dial. cum Tryphone.*

nes ab ipso ortu et secundum carnem cæcos et surdos et claudos sanavit, verbo suo efficiens ut alius quidem exsiliret, alius audiret, alius videret; quin etiam mortuos exsuscitans et vitæ restituens, etiam ex operibus homines illius ætatis excitabat ut eum agnoscerent "[1]. (**e**) *Mundi conversionem*, non obstantibus innumeris obstaculis, martyrum constantiam, virtutesque a christianis excultas : " Qui olim stupris gaudebamus, nunc castimoniam unice amplectimur; qui magicis etiam artibus utebamur, bono et ingenito nos consecravimus Deo; qui pecuniarum et possessionum vias omnibus antiquiores habebamus, nunc etiam ea quæ possidemus in commune conferimus "[2].

42. (**C**) Relate ad *philosophiam*, diversa fuit Apologetarum agendi ratio. Alii, quales fuere *Tatianus*, *Tertullianus*, *Hermias*, etsi non omnem Græcorum sapientiam repellant, plus æquo tamen eorum erroribus irridentur[3]. Alii ex adverso, ut *Justinus*, *Athenagoras*, *Minucius*, Gentilium sapientiam laudant, libenterque agnoscunt multas e veritatibus quas Christus docuit, jam in Philosophorum operibus inveniri, licet imperfecte; quod duplici modo explicant : Gentiles has veritates a libris sacris Judæorum mutuaverunt; aut Verbum divinum, quod illuminat omnem hominem, philosophis quasdam veritates subobscure manifestavit, ne Gentiles diviño lumine omnino carerent[4].

43. (**D**) Omnes fere agnoscunt necessitatem *dispositionum moralium* ad percipiendam vim argumentorum quæ adducuntur, necnon gratiæ et *orationis* ad eisdem assentiendum; et non pauci obcæcationem Judæorum explicant ex horum prava voluntate[5].

44. 2° **Tertio sæculo,** duo eminent Apologetæ in schola Alexandrina, **Clemens** et **Origenes**. Prior, in *Cohortatione*

[1] **S. Justinus,** *Dial. cum Tryphone*, n. 69, P. G., t. VI, 639.

[2] **S. Justinus,** *Apolog.* I, n. 14, P. G., t. VI, 347.

[3] **Tatianus,** *Orat.* 1-3; **Tertullianus,** *Apologet.*, 46; **Hermias** ex integro.

[4] **S. Justinus,** *Apol.* I, 5, 10, 44, 46; Apol. II, 8, 10, 13.

[5] Ita **S. Justinus,** *Dialog. cum Tryph.*, nn. 7. 8, 29, 39, 48, 53-55, 99, 119, 123, et alibi passim.

ad Græcos, Pædagogo et Stromatibus [1], paganismi inanitatem et falsitatem vivide exponit, simulque impuritatem quæ in ejus mysteriis latet; agnoscit tamen philosophorum sapientiam fuisse veluti pædagogum quo pagani ad christianam religionem præparabantur, quæ sola legitimis aspirationibus humanæ naturæ respondet; neque omnino prætermittit historica argumenta ex miraculis et prophetiis necnon ex mirabili diffusione christianæ religionis per universum orbem.

45. Hujus opus complevit ac perfecit **Origenes** in libris *Contra Celsum* [2]. Hic philosophus Christum depingebat tanquam impostorem, ejusque discipulos ut deceptores; mirabilem novæ religionis diffusionem modo naturali explicabat; simplices et indocti, inquiebat, eam amplexi fuerant ex metu inferni. Origenes ex adverso Christi sinceritatem et eximias virtutes depingit, necnon ejus miracula, præsertim vero ejus gloriosam resurrectionem; gentilium conversionem esse supernaturalem demonstrat ex mutatione morum et heroicis virtutibus quas christiani colunt; variis testimoniis probat potestatem dæmones ejiciendi et morbos sanandi adhuc a christianis exerceri : hi autem, nedum deceptionibus et fraudibus indulgeant, morum puritate atque bonorum operum splendore mundum illuminant.

46. 3° **Quarto** et **quinto** sæculis, tres præsertim commemoratione digni sunt : *Lactantius*, *Eusebius*, *Augustinus*.

Lactantius, in opere *Institutiones divinæ* [3] (an. circiter 310), paganismi popularis et philosophorum systematum inanitatem demonstrat : nullus, inquit, ethicæ systema completum proposuit, etsi quædam honesta principia dispersa jaceant in horum operibus. Vera autem et perfecta sapientia a Christo super terram allata est, ejusque discipuli sanctitate vitæ excellentiam ejus doctrinæ manifestant,

[1] *P. G.*, t. VIII et IX. Cfr. **Kaye***, *Some account of the writings and opinions of Clement of Alexandria*, 2ª ed., 1890; **E. de Faye,** *Clément d'Alexandrie*, Paris, 1898; **J. Martin,** *Apolog. tradit.*, t. I, p. 51-80; **Tixeront,** op. cit., p. 263-277.

[2] *P. G.*, t. XI, p. 638 sq. Cfr. **G. Bordes,** *L'Apologétique d'Origène d'après le Contra Celsum*, Cahors, 1900; **J. Martin,** op. cit., p. 91-114.

[3] *P. L.*, t. VI, p. 111-822. Cfr. **J. Martin** op. cit., t. I, p. 227-237.

simulque Deo cultum acceptissimum reddunt; quod confirmatur miraculis Christi et prophetiis in eo impletis, necnon mirabili christianismi diffusione martyrumque constantia. In alio opere quod ei a multis adscribitur, *De mortibus persecutorum* [1], suam thesim corroborat violenta et ignobili morte persecutorum, quæ divinæ vindictæ tribui debet.

47. **Eusebius Cæsareensis** scripsit libros quindecim *Præparationis evangelicæ* [2] et libros viginti *Demonstrationis evangelicæ* [3], quorum tamen nonnisi decem supersunt. Ibi erudite ostendit quid in paganismo reprobandum sit, et quomodo judaica religio gentilem antecellat; aliunde demonstrat figuras et prophetias Veteris Testamenti in Christo adimpletas fuisse, ideoque christianismum amplectendum esse. Idem probant non solum mirabilis ejus diffusio martyrumque constantia, sed etiam virtutes eximiæ quas colunt christiani. Addit tamen eos solos his argumentis moveri qui sincera et humili dispositione veritatem quærunt.

48. His præcellit **S. Augustinus** [4]. In duobus opusculis, *De vera religione* [5], *De utilitate credendi* [6], viam paraverat demonstrationi, necessitatem credendi asserendo [7], et exponendo fidem christianam non esse cæcum animi motum sed solidis niti argumentis quæ infallibilitatem Ecclesiæ catholicæ demonstrant. Hanc vero probationem perfecit in libris viginti duo *De Civitate Dei.* Cum pagani, post Urbem dirutam, hujusmodi cladem tribuerent veteris religionis eversioni, Doctor catholicus divinæ Providentiæ vias perscrutans, totamque religionis historiam amplectens, ostendit duas esse civitates, inter se concertantes, civitatem Dei et civitatem diaboli, quarum prior victoriam ultimo reportabit. In priori parte, *polytheismum* impugnat tanquam inhabilem ad temporalem prosperitatem conferendam, quam vulgus exspectat, aut vitæ futuræ felicitatem quam philosophi temere suis asseclis promittunt. In posteriori parte, de

[1] *P. L.*, t. VII, 190-275. — [2] *P. G.*, t. XXI. — [3] *P. G.*, t. XXII.

[4] Cf. **Batiffol,** *Le catholicisme de S. Augustin.*

[5] *P. L.*, t. XXXIV, p. 121. — [6] *P. L.*, t. XLII, p. 51.

[7] " Multa possunt afferri, quibus ostendatur nihil omnino humanæ societatis incolume remanere, si nihil credere statuerimus quod non possumus tenere perceptum ". (*De util. credendi*, c. 12, *P. L.*, t. XLII, p. 84.)

christianismo agit in cujus historia divina apparet Providentia; successive describit *exortum* Civitatis Dei simulque Civitatis diaboli, — earum *progressum* ante Christi adventum, — et *finem* ad quem tendunt, æternam nempe beatitudinem pro filiis Dei, æternamque filiorum diaboli reprobationem. Aliunde, tum in hoc opere tum in aliis, miraculis et prophetiis utitur ad fidem confirmandam, necnon mirabili diffusione christianismi, quæ, si miraculis non tribuitur, est et ipsa miraculorum maximum. Ipsa Ecclesia, quæ ab omnibus videri potest, stat tanquam invictum veritatis argumentum : in ea siquidem adimpletæ sunt prophetiæ, ideoque ea quæ nunc annuntiat aliquando implebuntur : "et index est præteritorum et prænuntia futurorum" [1]. — Ad credendum vero, veritas pie et diligenter, cum amore et humilitate quærenda est [2].

49. Multi quidem alii apologetæ inter Patres sequioris ævi, floruerunt; sed eadem fere argumenta diverso loquendi modo renovarunt. Ex dictis satis constat jam a primævis sæculis criteria tum *interna* tum *externa* exposita fuisse, prout se dabat opportunitas, et secundum varias adversariorum impugnationes; utraque vero, juxta Patres, nonnisi ab hominibus bonæ voluntatis accipiuntur [3].

II. Methodus apologetica Scholasticorum.

50. Exponuntur impugnationes contra fidem medio ævo. Christianam religionem impugnabant præsertim *Judæi* et *Arabes philosophi*, quales fuere *Avicenna* (1037) et *Averroes* (1198), Aristotelicæ doctrinæ expositores : hi, quanquam externe mahumetismum profitentes, omnem revelationem de facto negabant [4],

[1] *De Fide rerum quæ non videntur*, n. 8, *P. L.*, XL, 178.

[2] "Nullus quippe credit aliquid, nisi *prius* cogitaverit esse credendum". (*De prædest.*, c. 2, n. 5, *P. L.*, t. XLIV, p. 962). — "Nam si sapientia et veritas non totis animi viribus concupiscitur, inveniri nullo pacto potest... Amore petitur, amore quæritur, amore pulsatur, amore revelatur, amore denique in eo quod revelatum fuerit permanetur".

[3] **Le Bachelet,** l. c., col. 191, sic contrahit methodum hujus periodi : "Exposition et justification des titres fondamentaux qui établissent l'origine et l'autorité divine du christianisme et de l'Eglise; apologies nombreuses et variées, qui les défendent contre leurs ennemis... La synthèse apologétique de l'avenir n'y est contenue qu'en germe, dans ses éléments essentiels".

[4] Docebant pariter quædam vera esse secundum philosophiam, sed non secundum fidem catholicam, "quasi sunt duæ contrariæ veritates, et quasi contra veritatem sacræ Scripturæ sit veritas in dictis Gentilium damnatorum". (*Chartularium Univ. Parisiensis*, ed. *Denifle*, t. I, p. 543).

imo et Providentiam quoad particularia, et creationem proprie dictam, quippe qui æternitatem materiæ admittebant.

51. Præterea, inter Doctores Catholicos, pauci, ut ABÆLARDUS, in quemdam semi-rationalismum propendere visi sunt. Hic, non recte intelligens fidem divino testimonio inniti, mysteria fidei ratione probare volebat; quia vero argumenta ex ratione desumpta non omnino mentem convincebant, docebat fidem esse *opinionem*, *existimationem* quamdam.

52. Præcipua theologorum opera apologetica. Contra Abælardum scripsit S. BERNARDUS († 1153), asserens in fide nostra nil haberi *dubia æstimatione pendulum*, sed totum quod in ea est certa ac solida veritate subnixum, *oraculis* et *miraculis* divinitus persuasum esse; aliunde hanc fidem firmiorem reddi testimonio Spiritus Sancti, seu gratia actuali [1].

53. Quam doctrinam expolivit schola a *S. Victore* dicta : ostendit siquidem fidem tum a voluntate tum ab intellectu procedere : "Credere in affectu est; quod vero creditur in cognitione est" [2]. Certitudo fidei non solum a motivis credibilitatis pendet, nempe miraculis et prophetiis, sed etiam et præsertim a gratia divina. Attamen, juxta *Richardum a S. Victore*, hæc motiva plenam moralem certitudinem conferunt : "Nonne cum omni confidentia Deo dicere poterimus : *Domine, si error est, teipso decepti sumus*, nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quæ nonnisi per te fieri possunt" [3]. Quod lucidius exposuit *Alexander Alensis*, distinguendo inter fidem *acquisitam*, quæ colligitur ex testimonio et ratione, nempe ex miraculis aliisque credendi motivis, sed ad salutem non sufficit; et fidem *infusam*, quæ gratiam supponit et est vere salutaris : prior disponit animam ad receptionem luminis quo assentimus veritati divinæ propter auctoritatem Dei, et posteriorem introducit *sicut tela filum;* tunc ratio cessat humana, quando ei non innititur fides introducta [4]. Ita ratio hominem præparat ad fidem.

---

[1] **S. Bernardus,** Tr. de erroribus Abælardi, ap. *Migne*, P. L., t. CLXXXII.
[2] **Hugo a S. Victore,** *De sacramentis*, l. I, p. X, P. L., t. CLXXVI, 351.
[3] **Richard. a S. Vict.,** De Trinitate, l. II, c. 2, P. L., t. CXCVI, 891.
[4] *Summa universæ theologiæ*, Pars III, q. 68, m. 2.

54. Contra Judæos et Mahumetanos scripsit **Raymundus Martinus,** *Pugio fidei adversus Mauros et Judæos*, ubi erudite christianismi divinitatem probat præsertim ex *prophetiis*, quas, rabbinicarum interpretationum ope, dilucide exponit.

55. Contra Averroistas, **S. Thomas** concinnavit, hortantibus S. Raymundo de Pennafort et Urbano IV, *Summam contra Gentiles*, in usum eorum qui Maurorum conversioni strenuam operam navaturi erant. Ibi, philosophiam aristotelicam, cui innitebantur Arabes, in iis quæ fidei non adversantur fiducialiter amplectitur, ratus rationem fidei non adversari. Singulos errores non percurrit, sed veritates philosophicas et theologicas lucide exponit, solideque probat; et exinde apparet quam debilia sint adversariorum argumenta. Ita, post indicata breviter criteria extrinseca ex miraculis, ad philosophicas statim pergit considerationes : primum quidem intrinsecis argumentis probat philosophicas veritates quibus innititur christianismus, videlicet Dei existentiam ejusque attributa, creationem, providentiam, supremum hominis finem; postea vero supernaturales veritates Scriptura et Traditione demonstrat, simul ostendens easdem rationi minime repugnare. — In alio opere, nempe *Summa Theologica*, dogmatum concordiam cum legitimis totius humanæ mentis aspirationibus et philosophicis doctrinis præclare declarat [1]. — Sed ibi, et in aliis operibus, multoties asserit fidem nostram motivis inniti certissimis, præsertim miraculis : " Omnia media per quæ fides ad nos venit suspicione carent. Prophetis enim et apostolis credimus ex hoc quod eis Dominus testimonium perhibuit miracula faciendo [2]... Nullum verum miraculum fit nisi virtute divina, et Deus nunquam est testis mendacii " [3]. Et ita motiva externa cum internis harmonice conciliat [4].

---

[1] **L. de Grandmaison,** *Sur l'Apologétique de S. Thomas*, in periodico *N. Revue Théol.*, fév. et mars 1907.

[2] **S. Thom.,** De veritate, q. 14, a. 10 ad 11.

[3] *In Joan.*, c. IX, lect. III, n. 8.

[4] **Le Bachelet,** l. c., col. 199. Sic describit historiam apologeticæ medio ævo : " La période des grands adversaires est passée, et en même temps celle des grands défenseurs ; les générations qui suivent appartiennent à une foi victorieuse... Il n'y a cependant pas d'arrêt complet, ni dans l'Apologie défensive,

56. Opera apologetica quæ sæculo *quarto decimo* edita sunt, nil speciali recensione dignum præ se ferunt. — Sæculo *quinto decimo*, inter alios, floruerunt : Savonarola, O. P., qui in *Triumpho crucis contra sæculi sapientes* (1497) multa a S. Thoma mutuans, veritatem fidei christianæ primum intrinsecis, postea extrinsecis argumentis demonstrat, a factis præsentibus incipiens et deinceps ad facta præterita regrediens; Marsilius Ficinus (1433-1499), qui, in libro *De religione christiana et fidei pietate*, Platonis philosophiam cum Christi doctrina conciliare conatus est; Ludovicus Vivès qui in libris quinque *De veritate fidei christianæ* (1513) argumenta utriusque generis æque complexus, historico ordine ea disposuit.

III. Methodus apologetica a tempore reformationis ad sæc. XIX.

57. Deismi ortus et progressus. A tempore Lutheri, plura prodierunt *polemica* opera quam *apologetica* : necesse enim erat novos Protestantium errores confutare. Attamen e protestantismo mox natus est *deismus* seu *rationalismus*, cui viam paraverant Protestantes liberales, seu *Sociniani*, quorum doctrina semi-rationalismus vocari potest.

Horum duces fuerunt *Lælius Socinus* († 1562) ejusque nepos *Faustus Socinus*, ex Italia oriundi, qui, post varias peregrinationes, in Poloniam secesserunt, ibique, favente rege Sigismundo, errores suos disseminare cœperunt. Tenebant siquidem sacras Scripturas lato sensu inspiratas esse, ita tamen ut nihil in eis sit nisi rationi consentaneum; si quid autem inveniatur quod ratione percipi nequeat, alius sensus magis spiritualis exquirendus est; his principiis innixi, trinitatem personarum in Deo, divinitatem Christi ejusque pro peccatis satisfactionem, sacramentorum virtutem aliaque hujusmodi, utpote rationi adversantia, prorsus rejecerunt[1]. Quos errores hodiedum profitentur *Unitarii*, sic vocati quia unicam in Deo personam agnoscunt.

---

car il reste des contradicteurs; ni dans l'Apologétique en général, surtout à partir du 12e siècle, où la synthèse de l'avenir est préparée par le puissant mouvement intellectuel de l'âge scholastique ". Notat insuper (col. 204) distinctionem nunc ab omnibus admissam inter intrinsecam evidentiam et credibilitatem veritatis revelatæ, inter auctoritatem Dei revelantis et motiva credibilitatis quæ hanc auctoritatem ad veritatem aliquam applicant, a theologis scholasticis originem ducere.

[1] Cf. **Vigouroux,** *Les Livres Saints et la Critique rationaliste*, p. 481 sq.; **Moelher,** *Symbolik*, opus gallice et anglice versum, § 87. Varia Socinianorum ducum opera invenire est in Bibliotheca fratrum Polonorum, Irenapoli, i. e. Amsteldami, 1656.

58. Deismus proprie dictus primum *Angliam* pervasit [1]. Cum enim ex multiplici et sæpe contradictoria Scripturæ interpretatione multa dubia orirentur, non pauci putarunt nil certi ex revelatione cognosci posse, revelationem proinde haud necessariam esse, sed religionem mere naturalem prorsus sufficere ad rectam vitæ ordinationem. Inter quos fuere *H. Cherbury* [2] († 1648) in opere cui titulus *De veritate prout distinguitur a revelatione, a verisimili, a possibili et a falso; T. Hobbes* († 1679), qui præterea scepticismum docuit; *C. Blount* († 1693), qui anglice reddidit *Vitam Apollonii Tyanensis*, ut miraculorum a Christo patratorum vim enervaret; *J. Toland* († 1722) [3], qui S. Scripturæ inspirationem, imo et genuinitatem negavit, et postea in pantheismum incidit; *Shaftesbury* († 1713); *Collins* († 1729) [4], qui prophetias præsertim impugnavit; *T. Woolston*, qui miracula Christi, etiam Resurrectionem, allegorice interpretari tentavit [5]; *M. Tindal* († 1733), qui contendit religionem naturalem perfectam esse et christianismum nihil aliud esse nisi novam legis naturæ editionem [6]; *Bolingbroke* († 1751) [7], qui mysteria fidei irridere conatus est; *D. Hume* († 1776) [8], qui scepticismum professus est, docuitque miraculorum existentiam nullo valido argumento probari posse.

59. Ex Anglia deismus in *Galliam* transiit [9] : huic viam paraverant nonnulli sceptici, ut *Montaigne* († 1592), *Charron* († 1603), *T. de Viau* († 1626), *P. Bayle* († 1706). Sed Rationalistarum dux præcipuus fuit *Voltaire* [10] († 1778), qui morum licentiam cum impietate consocians, in Angliam fugit, ut carcerem evaderet, ibique deistarum principiis ita imbutus fuit, ut per totam vitam christianæ religioni evertendæ operam impenderit. Quod præstare conatus est non solidis argumentis, sed irrisione, calumniis et sophismatibus; Scripturam sacram præsertim impugnavit : ut ridiculam eam exhiberet, verba omittere, vel addere, vel adulterare non erubuit. Ejus præcipui cooperatores fuerunt *J. J. Rousseau*

---

[1] De Deismo in Anglia vide **Vigouroux,** op. cit., t. II. pp, 1-176; **Lechler** *, *Geschichte des englischen Deismus;* **Leland** *, *A view of the deistical writers.*

[2] Cf. **Ch. de Rémusat,** *Lord Herbert de Cherbury*, Paris, 1874.

[3] Cfr. *A collection* of several pieces of Mr John Toland, London, 1726.

[4] Hujus auctoris opus confutatum est a **W. Whiston** *, *Reflexions on an anonymous Pamphlet entitled "A Discourse on Free Thinking"*, London, 1713.

[5] Quem egregie confutavit **T. Sherlock** *, *The tryal of the witnesses of the Resurrection of Jesus*, London, 1729.

[6] Quos errores feliciter impugnavit **J. Foster** *, *The usefulness, truth and excellency of the christian revelation*, London, 1731.

[7] Cf. **R. Harrop** *, *Bolingbroke*, London, 1884.

[8] Cf. **J. H. Burton** *, *Life of Hume.*

[9] Cf. **Vigouroux,** op. cit., 176-310.

[10] Cf. **Duvernet,** *Vie de Voltaire;* **U. Maynard,** *Voltaire.*

(† 1778)[1], qui supernaturale prorsus rejecit, quia nihil hujusmodi unquam vidit, et præcipue mediatæ revelationis auctoritatem recusavit, eo prætextu quia de mente Dei nos certiores facere nequit; cum aliunde parum sibi constaret, nunc Christum et Evangelium summis laudibus extollebat, nunc miracula, prophetias revelationemque oppugnabat; *Diderot* († 1784)[2], qui, longius procedens, omnem prorsus religionem etiam naturalem negavit, erroresque suos, *Encyclopediæ* ope, ubique spargere totis viribus adlaboravit; *d'Alembert* († 1783), qui religiosum scepticismum propagavit; *d'Holbach* († 1789), *Lamettrie* († 1751), *Helvetius* († 1771), qui non solum christianismum sed etiam Dei existentiam et animæ spiritualitatem impugnarunt. Quibus addere licet *Dupuis* († 1809), qui in opere *l'Origine de tous les cultes* mythici systematis fundamenta jecit, et omnes religiones totidem superstitionis et idololatriæ formas esse contendit[3].

60. In *Germania*[4] duplex viguit Rationalismi forma jam a sæc. XVII. Imprimis *philosophicum* Rationalismum docuerunt *Wolfius*[5] († 1754), qui a discipulis suis nova lux Germaniæ et professor generis humani vocatus est : tenebat videlicet revelationem inutilem esse, cum nihil aliud manifestet nisi ea quæ ratione demonstrari possunt, et ea omnia rejiciebat quæ evidenter intrinsecis argumentis probari nequeunt; *Kantius*[6] († 1804), qui, licet christianismi nomen retineret, rem ipsam negavit : juxta ipsum, *ratio pura* verum attingere nequit, ratio autem *practica* obligationem moralem agnoscit, et ex ea existentiam legis et supremi legislatoris deducit : lex autem naturalis, ratione cognita, prorsus sufficit, proindeque mysteria, sacramenta, ipsaque oratio variique ritus ut superstitiones rejicienda sunt. Sed ibi floruit præcipue rationalismus *biblicus*. Jam *H. Hardt* († 1746) authenticitatem nonnullorum V. Testamenti librorum negaverat, et miracula modo allegorico exponere tentaverat; sed præcipuus hujus erroris fautor fuit *Lessing* († 1781)[7], qui, publici juris faciendo *Fragmenta*

---

[1] Cf. **St Marc Girardin,** *J. J. Rousseau, Sa Vie et ses ouvrages*, Paris, 1875.

[2] Circa Diderot lege quæ scripsit **Taine***, *L'Ancien Régime*, ed. 1880, p. 348.

[3] Quod systema non minus solide quam lepide confutavit **J. B. Pérès,** *Comme quoi Napoléon n'a jamais existé*, 1827; quod opusculum invenies ap. **Gondal,** *Evangiles*, p. 388-399.

[4] De Germanico Rationalismo, præsertim biblico, vide **Vigouroux,** *op. cit.*, p. 311-555; **Hurst***, *History of Rationalism*, c. 4-13; **Hagenbach***, *History of Doctrines*, vol. III, § 274 sq.

[5] Cf. **Ludovici***, *Historie der W. Philosophie*, Leipzig, 1837.

[6] Cf. **J. H. Stuckenberg***, *A Life of Kant*, London, 1882; **Punjer***, *Die Religionslhere*, Jena, 1874; **P. Bridel***, *La philosophie de la Religion de Kant*, Lausanne, 1876.

[7] Cf. **Schwarz***, *Lessing als Theolog*, Halle, 1854; **J. Sime***, *Lessing*, 1877.

Wolfenbüttel dicta, quorum auctor erat *Reimarus* († 1768), aperte bellum acerrimum christianismo indixit : docebat siquidem impossibile esse unicam pro omnibus revelationem admittere, simulque impugnabat auctoritatem librorum Veteris Novique Testamenti, nec asserere dubitabat tum Moysen tum Christum impostores fuisse.

61. Opera Apologetica hujus ætatis. Contra deismum scripserunt tum *Protestantes* tum *Catholici.*

1° Inter **Protestantes** : (**A**) *in Gallia :* Duplessy-Mornay, *De la vérité de la religion chrétienne* (1579-1581), divinitatem christianæ religionis ejus *doctrinæ præstantia* præsertim demonstrat : (**a**) Deum verum Judæi et Christiani adorant, dum pagani dæmones colunt; (**b**) præcepta morum ad rectam vitæ ordinationem in verbo Dei apprime continentur; (**c**) aliunde medium reconciliationis cum Deo et principium novæ vitæ ad fideliter implenda præcepta Christus suis discipulis suppeditat; — Hugo Grotius, *De veritate religionis christianæ* (1627), post demonstratam Dei existentiam et animæ immortalitatem, divinitatem Christi ejusque doctrinæ probat non solum per miracula, sed etiam per ipsius doctrinæ puritatem et excellentiam, necnon mirabilem ejus diffusionem et perpetuam durationem; postea paganismum, judaismum et mahumetismum confutare satagit; — J. Abbadie, *Traité de la vérité de la Religion chrétienne* (1684), declarata alicujus revelationis necessitate, religionem christianam expendit, ejusque divinitatem ostendit criteriis præsertim internis; — Ch. Bonnet, *Recherches philosophiques sur les preuves du christianisme* (1770), ex miraculis divinitatem christianæ religionis infert.

62. (**B**) In *Anglia* multi pariter floruerunt Apologetæ : inter quos alii *interna* exponunt argumenta, quales fuere : J. Locke, *Reasonableness of Christianity* (1693); Jos. Butler, *The analogy of religion natural and revealed to the constitution and course of nature* (1734); Jennings, *A view of the internal evidence of the christian revelation* (1776); — alii vero *externis* innituntur criteriis, quales fuerunt : Lardner, *The credibility of the Gospel history* (1741-1769); W. Paley, *A view of the evidences of Christianity* (1784).

63. 2° Nec inter *Catholicos* defuerunt maximi ponderis Apologetæ, ex quibus tres alios superant : *Bossuet, Huet, Pascal.* **Bossuet,** in secunda parte eximii operis *Discours sur l'histoire universelle* (1681), historice probat christianæ religionis divinitatem, Dei interventum dilucide ostendendo in ejus ortu, progressu atque mirabili diffusione et perenni duratione; neque prætermittit intrinsecum argumentum ex

sanctitate Christi ejusque doctrinæ præstantia. — **Huet** pariter historica methodo utitur *in Demonstratione evangelica*, a Novo Testamento incipiens ut inde ad Vetus regrediatur : demonstratis genuinitate et veracitate librorum utriusque Testamenti, divinitatem christianæ religionis ex prophetiis diserte et erudite probat, ostendens totam Jesu Christi historiam in Veteri Testamento longe ante prædictam esse quam evenerit in Novo. Attamen prophetias non satis critice expendit; aliunde vim naturalem rationis nimium extenuat, et ita *fideismo* viam sternit.

64. Pascal, in opere quod complere nequivit, *Les Pensées*, ostendere intendebat religionem, quam contemnunt increduli, non solum non esse rationi contrariam, sed potius veneratione et amore dignam, ideoque desiderium suscitare quod vera sit, posteaque probare eam de facto veram esse [1]. Quapropter historicæ demonstrationi præmittit considerationem humanæ naturæ, ejus nempe *nobilitatis* et *miseriæ*, ut homo hujus antinomiæ conscius, agnoscat religionem esse sibi necessariam tanquam *explicationem* et *remedium* propriæ indigentiæ : explicatio enim humanæ infirmitatis in doctrina de peccato originali invenitur, remedium autem in redemptione per Christum. Postea vero christianismi veritatem probare volebat argumentis cum internis, excellentia nempe doctrinæ, tum externis, præsertim prophetiis et miraculis [2]. In hac autem demonstratione, non solum ad hominis intellectum, sed ad ejus cor et voluntatem appellat, ratus persuasionem plerumque ex corde in mentem ascendere [3].

Quæ quidem methodus multum extollitur tanquam hodiernæ menti optime accommodata. Et merito, dummodo

---

[1] " Les hommes ont mépris pour la religion ; ils en ont haine, et peur qu'elle soit vraie. Pour guérir cela, il faut commencer par montrer que la religion n'est point contraire à la raison ; vénérable, en donner le respect ; la rendre ensuite aimable, faire souhaiter aux bons qu'elle fût vraie ; et puis, montrer qu'elle est vraie. Vénérable parce qu'elle a bien connu l'homme ; aimable, parce qu'elle promet le vrai bien ". (*Pensées*, ed. *Brunschvigg*, 1900, p. 414, n. 187).

[2] " *Preuves de la religion :* Morale, Doctrine, Miracles, Prophéties, Figures ". (Ibid., p. 463, n. 290.)

[3] " Le cœur a ses raisons que la raison ne connaît point ; on le sait en mille choses... C'est le cœur qui sent Dieu, et non la raison. Voilà ce que c'est que la foi, Dieu sensible au cœur, non à la raison ". (Ibid., p. 458, n. 277-278).

tamen duo vitentur excessus, in quos aliquo modo incidit auctor : excessus Jansenistarum, qui, dum hominis miserias depingunt, nimis humanam naturam deprimunt; excessus fideistarum, qui naturalem vim intellectus hominis ad veritatem inveniendam nimis enervant [1].

65. Utrumque probationum genus adhibuerunt, minori tamen ingenio : Bergier, *Le Déisme réfuté par lui-même*, 1755, *Certitude des preuves du Christianisme*, 1764; Buffier, S. J., *Exposition des preuves les plus sensibles de la vraie religion*, 1732. Aliunde Guénée, *Lettres de quelques Juifs*, lepide et acute biblicos errores Voltaire confutabat.

In *Germania* laude digni sunt : Eusebius Amort, *Demonstratio critica religionis catholicæ nova*, 1744; Sigismundus Storchenau, *Die Philosophie der Religion*, 1755-1781, *Zugaben zur Philosophie der Religion*, 1785-1788; Jordanus Simon, *Der entlarvete Freigeist aus Gründen der Religion und Vernunft*, 1772.

In *Italia* commemorari debent : Valsecchi, *Dei fondamenti della religione e dei fonti della impieta*, 1765; Gotti, O. P., *Veritas religionis christianæ*, 1735-1740; S. Alphonsus de Ligorio, *Verita della fede fatta evidente per li contrasegni della sua credibilita*, 1762; Card. Gerdil, *Introduzione allo studio della religione*, 1755, *Breve esposizione de' caratteri della vera religione*, 1767 [2].

IV. Methodus apologetica sæculo XIX° adhibita.

66. Errores exponuntur. Sæculo XIX°, christiana veritas omnibus modis impugnata fuit, philosophice, critice, historice.

Philosophi *germani* non pauci, Kantii vestigiis inhærentes, rationis puræ inhabilitatem ad verum attingendum proclamabant, simulque necessitatem et existentiam revelationis omnino rejiciebant. In *Gallia*, *Eclectici*, quales fuere *Cousin*, († 1867), *Damiron* († 1862), *Jouffroy* († 1842), *J. Simon* († 1896), *P. Janet* († 1899),

[1] Cfr. **Giraud**, *Pascal, l'homme, l'œuvre, l'influence*, Paris, 1900; **E. Janssens**, *La Philosophie et l'Apologétique de Pascal*, Paris, 1906; **H. Petitot**, *Pascal : sa vie religieuse et son apologie du christianisme*, Paris, 1911; **J. Chevalier**, *Pascal*, Paris, 1923; **L. Maisonneuve**, *Pascal apologiste* in *Bull. litt. ecclés.* janv.-fév. 1923, p. 54-73; **Aug. Valensin**, Art. *Pascal (Pari de)* in *D. A.*; **Id.** *Le Pari de Pascal*, in *Etudes* 5 juin 1923, p. 513-531.

[2] **Le Bachelet** de hac ætate scribit (l. c. col. 212-213) : " C'est l'élaboration des traités de la religion et de l'Eglise.:. Les éléments dont la synthèse devait amener ce résultat existaient bien, mais épars..." Et subdit : Contre l'attaque méthodique du surnaturel " l'apologie ou simple défense ne suffisait plus; une justification raisonnée s'imposait. Sous cette nécessité les éléments préexistants furent peu à peu réunis et coordonnés ". Quod sæculo XIX° compietum est.

aliique multi, dum admitterent multa inveniri in christiana religione, præsertim moralia præcepta, quæ humanæ rationi consentanea sunt, revelationem proprie dictam uno ore negabant, putantes religionem naturalem plane sufficere, mysteria vero et miracula non solum non existere, sed nec possibilia esse.

67. **Critici** auctoritatem Scripturæ labefactare conabantur. *Eichhorn* († 1827) contendebat V. Testamenti libros non secus ac libros ab antiquis auctoribus, præsertim orientalibus scriptos, allegorice esse interpretandos, proindeque miracula in eis relata naturaliter esse explananda. Quod idem præstitit *Paulus* († 1851) quoad libros N. Testamenti; ita v. g. cæci nati curatio de facili explicatur quia Christus, qui peritus erat medicus, *collyrio* usus est quod astantes lutum esse putarunt. Cum autem hujusmodi explicatio non omnibus placeret, *de Wette* († 1849) *mythicam* interpretationem in medium protulit pro Veteri Testamento, *Strauss*[1] († 1874) pro Novo. Hi siquidem, post confutatas *Naturalismi* hypotheses, facta miraculosa ut *mythos*, id est ut facta per imaginationem aucta et adornata habent, similia illis narrationibus quas invenire est apud omnes gentes, ubi de earum exordiis agitur, prout sunt fabulæ circa Romulum et Remum. Cum vero *mythi* formari nequeant nisi post aliquod tempus, contendunt libros sacros non a contemporaneis fuisse scriptos sed longe post eventus in eisdem relatos. Iterum *Mythismus* a plerisque rejectus fuit, utpote certis historiæ factis contradicens, et mox successit *Criticismus*, quem exposuit *Baur*[2] († 1860), scholæ Tubingianæ dux, qui Hegelianam philosophiam christianis originibus adaptans, contendit christianismum esse veluti synthesim duorum systematum sibi invicem adversantium : juxta illum, primo siquidem viguit *Petrinismus*, seu systema judæis institutionibus plus minusve favens a Petro eductum; postea autem *Paulinismus*, id est systema Gentilibus favens a Paulo propagatum; post multos autem conflictus tandem aliquando conciliatio utriusque systematis facta est, ope præcipua auctoris quarti Evangelii, quod falso tribuitur Joanni Apostolo : authenticitas autem variorum N. T. librorum intrinsecis notis dijudicanda est, ita videlicet ut antiquiores sint libri in quibus vestigia harum divisionum apparent, recentiores autem illi in quibus conciliationis spiritus ostenditur.

---

[1] Cf. **E. Zeller***, *D. F. Strauss, in seinen Leben u. in seinen Schriften*, Bonn, 1874; quod opus anglice redditum est, London, 1874; **F. Lichtenberger***, *Histoire des Idées Religieuses en Allemagne depuis le milieu du XVIII^e s. jusqu'à nos jours*, 2ª ed., 1888; op. anglice redditum *History of German theology in the XIX century*, Edinburg, 1889, p. 320 sq.

[2] Cf. **Berger***, *Bauer et les origines de l'école de Tubingue*, Strasb., 1876; **Lichtenberger**, op. cit., p. 378 sq.

68. Alii critici authenticitatem librorum V. Testamenti, præsertim Pentateuchi, impugnabant : docebant nempe Pentateuchum ex variis documentis seu fragmentis componi, quorum pleraque non a Moyse, sed a variis auctoribus variisque temporibus a Josue usque ad Esdram scripta sunt : miracula et prophetias modo naturali explicare conabantur, inspirationem proprie dictam rejiciebant, et libros sacros existimabant esse poemata, in quibus vera falsaque indiscriminatim inveniuntur, quæ novi Critici secernere assumunt : ita inter alios *Ewald*, († 1875), *Hitzig* († 1875), *Knobel* († 1863), *E. Reuss* († 1891), *Graf* († 1869), præsertim vero *Wellhausen*, qui hodie hujus scholæ princeps agnoscitur, suumque systema evolvit præsertim quoad libros Antiqui Testamenti. — Christianismum autem *liberalem*, a miraculis expurgatum, non pauci propugnarunt cum *Schleiermacher*, *A. Ritschl*, *J. H. Holtzmann*, *Jülicher*, *E. Renan*, *A. Sabatier*, *A. et J. Réville*, *Cheyne*, qui, verba *revelationis*, *miraculi*, *trinitatis* retinentes, rem denegant, docentes Christum esse merum hominem, qui, nobilitate conceptuum et excellentia virtutum, *divinum* prope attigit, et *idealisationis* processu, tanquam Deus a discipulis habitus est. Inter quos eminet, *A. von Harnack*, juxta quem tota Christianismi essentia in dogmate unius Dei, patris omnium hominum, reponi debet [1].

69. Apologetarum argumenta. Contra præfatos errores, veritatem christianæ religionis propugnarunt apologetæ, inter quos eminent :

(**A**) In **Gallia** : Chateaubriand, *Le Génie du Christianisme* (1802), qui divinitatem religionis poetice demonstrat argumentis præsertim internis ex perfectione doctrinæ imprimis moralis, et ex perfecta harmonia cultus catholici cum æsthetico sensu et nobilissimis humanæ naturæ aspirationibus ; — F. de Lamennais, *L'Essai sur l'indifférence en matière de religion*, 1817, incredulitatem et indifferentismum eloquenter et acriter impugnat, sed simul humanæ rationis imbecillitatem plus æquo exaggerat, et in fideismum prolabitur ; Frayssinous, *Conférences sur la religion ou Défense du Christianisme*, 1825, stylo nitido criteriis præsertim extrinsecis divinitatem christianæ religionis probat ; Rozaven, S. J., *La vérité défendue et prouvée*, 1817, eamdem thesim solide propugnat ; Nicolas, *Etudes philosophiques sur le Christianisme*, 1842, *l'Art de croire*, 1866, criteriis simul internis et externis, necnon populorum traditionibus innititur.

70. Lacordaire, O. P., eloquenter in suis Conferentiis christianismi divinitatem demonstrat ex miris fructibus

[1] Cf. **Pinard de la Boullaye**, *L'étude comparée des religions*, Paris, 1922.

quos in ordine *sociali* et morali profert. Methodum quam dicunt *ascendentem* sequitur; imprimis Ecclesiam catholicam contemplatur, ostenditque *auctoritatem docendi* quam sibi vindicat esse omnino legitimam, cum homines ad veritatem pervenire nequeant absque universali et infallibili auctoritate; *doctrinam* quam docet apprime cum hominis aspirationibus concordare; *virtutes* quas sola fovet, præsertim humilitatem, castitatem et caritatem, esse privatis individuis atque ipsi ordini sociali necessarias; et exinde variis modis infert Ecclesiam catholicam esse vere divinam. Ab Ecclesia ad ejus fundatorem, Christum videlicet, ascendit, ejusque divinitatem probat ipsius testimonio, quod verum esse scimus tum ex virtutibus quas coluit tum ex miraculis quæ patravit. A Christo ad ipsum Deum gradum facit, qui vivit in unitate naturæ et personarum trinitate, — qui est ultimus finis ad quem omnia tendunt. Cetera fidei dogmata præcipuaque morum præcepta declarat, horum convenientiam cum ratione patefaciens. Methodus igitur qua utitur est simul *socialis* et *psychologica* [1].

71. Ozanam ostendit factum religiosum, utpote universale, esse a natura, ideoque aliquam religionem esse homini necessariam. Vera autem religio, cum sit omnibus necessaria, inventu facilis esse debet. Jamvero Ecclesia catholica omnibus se præbet tanquam rerum religiosarum infallibilem magistram, ideoque facile inveniri potest. Ceterum quando quis jam ingressus est Ecclesiam, intima experientia confirmatur et roboratur fides : novam enim lucem, novas vires in religionis assidua praxi invenit, ita ut hujusmodi experientia sit novum et validius argumentum [2].

Huic methodo affinis est ea quam propugnavit de Champagny [3] : homo, propriæ infirmitatis conscius, alicujus auctoritatis divinæ necessitatem agnoscit; Deus autem hominem dirigere debet per legem *universalem*, *positivam*, *perpetuo* manentem; porro lex hujusmodi in sola Ecclesia catholica invenitur.

Inter theologos qui de Vera Religione scripserunt, speciali laude dignus est L. Brugère, s. s., qui traditionalem methodum nostris temporibus opportune accommodavit. Ab intrinsecis argumentis incipit, ut, demonstrata christianismi excellentia, lectores jam optare

---

[1] **Folghera**, O. P., *L'Apologétique de Lacordaire*, Paris, 1905.

[2] **Ozanam**, Lettres, t. II, 22 mai 1849, 24 août 1851, 16 juin 1852, pp. 245, 338, 382, éd. Lecoffre, 1865.

[3] *Le Chemin de la Vérité*, 2e éd., Paris, 1874.

incipiant veram esse religionem; postea, *ascendentem* methodum sequens, *historica* exponit argumenta, prius ea quæ nobis proximiora et evidentiora apparent, nempe conversionem mundi, martyrum testimonium, miracula in N. Testamento relata, — posterius ea quæ ad Vetus Testamentum spectant, ut sic totius revelationis habeatur generalis conceptus [1].

Bougaud methodum, quam *intimam* vocat, adhibet : etsi historica argumenta non contemnat, magis tamen intrinsecis confidit, perfecta nempe harmonia quæ inter religionem et humanæ naturæ intimas aspirationes existit. *Religionis necessitatem* et *existentiam* primum demonstrat ex ipsa natura Dei et hominis, ex miseriis quas post se trahit irreligio, et ex miris effectibus quos producit religio, præsertim ex solatio quod affert iis qui dolore opprimuntur; — postea divinitatem Christi probat ex ipsius vita, morte et resurrectione, necnon ex virtutibus quas coluit, testimonio quod de seipso perhibuit, amore et odio quo homines eum prosequuntur; exinde dogmata christiana, Ecclesiam, vitam christianam poetice describit, ostendens hæc omnia cum intimis aspirationibus nostris optime concordare [2].

72. Rationalismum *biblicum*, inter alios, impugnarunt : de Valroger, *Introduction historique et pratique aux livres du N. Testament*, 1861; D. H. Wallon, *De la croyance due à l'Evangile;* Meignan, *les Evangiles et la critique au XIX^e^ siècle;* F. Vigouroux, *Les livres saints et la critique rationaliste; Le N. Testament et les découvertes archéologiques*, 1890; *Dictionnaire de la Bible;* Batiffol, *Six leçons sur les Evangiles*, 1897.

Inter *Protestantes* recensentur : Guizot, *Méditations sur l'essence de la religion chrétienne*, 1864; A. de Gasparin, *Les écoles du doute et l'école de la foi*, 1853; Ch. Secrétan, *La raison et le christianisme*, 1863, ubi ad rationalismum prope accedit; E. de Pressensé, *L'école critique et Jésus Christ*, 1863; *Jésus Christ, sa vie, son temps et son œuvre*, 1866, ubi divinitatem Christi contra Renan vindicat.

73. (B) Card. Dechamps in *Belgio* statuit demonstrationem christiano-Catholicam duplici inniti facto, omnibus obvio, uno quidem interno, altero autem externo [3]. Factum *internum* in eo consistit quod, indigentiæ nostræ conscii,

[1] **L. Brugère,** *De vera religione prælectiones novæ*, 2ª ed., Parisiis, 1878, p. xxv-xxx.

[2] **Bougaud,** *Le Christianisme et les Temps présents*, 8^e^ ed., Paris, 1901.

[3] " Il n'y a que deux faits à vérifier, un en vous et un hors de vous; ces deux faits se recherchent pour s'embrasser, et, de tous les deux, le témoin c'est vous-même ". **(Card. Dechamps,** *Entretiens sur la démonstr. catholique*, Epigraphe et 1^er^ entret.)

præsertim in rebus moralibus et religiosis, sentimus nobis opus esse aliqua auctoritate, cui plane fidere possimus, circa omnia quæ ad finem nostrum ultimum spectant; unde fit ut parati simus huic auctoritati attentam atque docilem aurem præbere, modo hæc se ostendat credibilem. — Factum autem *externum* in eo situm est quod ante oculos nostros stat *Ecclesia*, quæ *auctoritatem* infallibilem in rebus religiosis sibi vindicat, et aliunde suorum membrorum numero ac dotibus, præclarisque beneficiis quæ in ordine morali indesinenter confert, animos sibi conciliat atque digna apparet cui tuto in re morali credamus. Ex hoc duplici facto, quod satis facile constat, rationabilis præbetur assensus auctoritati Ecclesiæ, et doctrinæ quam ipsa docet [1].

74. (C) In **Germania** : Comes de Stolberg, *Geschichte der Religion Jesu Christi*, 1807; Drey, *Die Apologetik*, 1836; Doellinger, *Heidenthum und Judenthum*, 1857; Schwetz, *Theologia generalis*, 1850: Hettinger, *Apologie des Christenthums*, 1885; Schanz, *Apologie des Christenthums*, 1888; Gutberlet, *Lehrbuch der Apologetik*, 1899; Weiss, O. P., *Apologie des Christenthums;* H. Schell, *Apologie des Christenthums*, 1901, ubi tamen temerariæ quædam inveniuntur assertiones; Ottiger, *Theologia Fundamentalis*, 1897. — Inter *Protestantes* eminent : Ulmann, *Sündlosigkeit Jesu*, 1833, *Das Wesen des Christenthums*, 1845; Tholuck, *Gespräche über die vornehmsten Glaubensfragen der Zeit*, 1846; Luthardt, *Apologetische Vorträge über die Grundwahrheiten des Christenthums*, 1864; Delitzch, *System der christlichen Apologetik*, 1869; Ebrard, *Apologetick, Wissenschaftliche Rechtfertigung des Christenthums*, 1874; Baumstark, *Christliche Apologetick auf anthropologischen Grundlage*, 1872; Steinmeger, *Apologetische Beiträge.*

75. (D) In **Italia** floruerunt : Colangelo, *Apologia della religione cristiana*, 1831; Perrone, S. J., *De vera religione*, 1835; Mazzella, S. J., *De Religione et Ecclesia*, 1880; Zigliara, O. P., *Propædeutica ad sacram theologiam*, 1884; Talamo, *Le origini del*

[1] **Card. Dechamps,** Œuvres, Dessain, Malines, t. I, III, IV, XVI; **F. Mallet,** *L'Œuvre du Card. Dechamps et la méthode de l'Apologétique*, ap. *Annales de Phil. chrét.* *, oct. 1905, p. 68; fév. 1906, p. 449; mars 1907, p. 561. — Hanc fere methodum secutus est *Aug. Thierry :* historia generis humani agnovit necessitatem auctoritatis divinæ et visibilis; jamvero quidquid extra *christianismum* floruit, vix ullius est momenti; et quidquid est extra *Ecclesiam catholicam*, auctoritate caret.

cristianismo e il pensiero stoico. — In **Hispania** : J. Balmès, *Cartas a un esceptico; El protestantismo comparado con el catolicismo en sus relaciones con la civilizacion europea*, 1842, opus egregium ubi ostenditur quantum religio catholica sectas Protestantium superet; Mendive, S. J., *La religion catolica vendicada de las imposturas racionalistas*, 1888; *De principiis theologicis*, 1896.

76. (**E**) In **Anglia,** inter Catholicos eminent : Wiseman, *Twelve lectures on the connection between science and revealed religion;* Manning, *The Grounds of faith*, 1852; Newman, *Grammar of assent, — Two Essays on miracles, — An internal argument for Christianity, et alibi passim.*

In his operibus, *Newman*, rationi ratiocinanti parum fidens, argumentis psychologicis et historicis præcipue insistit. Conscientiæ auctoritatem et primatum quoad religionem naturalem agnoscens, christianam fidem potius exponit quam demonstrat, ostendens hujus consensum et harmoniam cum religione naturali quam veram esse conscientia testatur. Attamen argumenta historica minine contemnit, sed ea præsertim exponit quæ divinæ Providentiæ interventum patefaciunt, nempe monotheismi præservationem apud Judæos, messianicarum prophetiarum impletionem in Christo, miramque ejus religionis diffusionem. Singula quidem argumenta, seorsim sumpta, nonnisi probabilitatem conferunt, juxta ipsum; sed probabilitatum *congeries*, in unum idemque objectum concurrentium, moralem generat certitudinem, quæ ad actum fidei plane sufficit quoad mentes bene dispositas [1].

77. Inter *Protestantes :* Chalmers, *Series of discourses on the christian revelation*, 1817; Th. Erskine, *Remarks on the internal evidence of the truth of revealed religion;* Isaac Taylor, *The restoration of belief*, 1855; Barnes, *Evidences of christianity in the nineteenth century*, 1871; G. F. Wright, *The Logic of Christian Evidences*, 1881; W. Mallock, *Is life worth living*, 1881; A. Bruce, *Apologetics*, 1892; G. J. Romanes, *Thoughts on Religion*, 1895.

[1] De methodo apologetica quam amplexus est **Newman,** scripserunt : **Bremond,** *La Psychologie de la Foi* (d'après Newman), 1905; **Baudin,** *La Philosophie de la Foi chez Newman*, apud *Rev. de Philosophie*, juin, oct. 1906; **L. de Grandmaison,** in periodico *Etudes*, 5 janvier 1907; **J. Lebreton,** in *R. P. A.*, 15 janv. 1907, 1er mars 1907.

V. De præcipuis methodis hodiernæ Apologeticæ.

78. Acatholicorum præcipuæ tendentiæ, Quo melius intelligantur methodi quas proponunt hodierni Apologetæ, pauca prænotare oportet de diversis opinionibus quæ apud hodiernos vigent in rebus religiosis. Cum vero innumera sint eorum systemata, præcipuas *tendentias* exponere satis erit [1].

(**A**) Sunt imprimis qui *materialismum* et *monismum* aperte propugnent, quales sunt : in *Germania*, Büchner, Haeckel, Moleschott; in *Anglia*, Huxley; in *Gallia*, Berthelot, Le Dantec, aliique multi [2]. Hi fatentur quidem multas viguisse et adhuc vigere religiones, quæ a sensu quodam religioso ortæ sunt; sed, progrediente scientia, religiones paulatim evanescunt ut quid imperfectum, sensuique religioso succedit sensus scientificus, qui mox per universum orbem prævalebit. Prælucente *scientia*, homo Dei existentiam animæque spiritualitatem et immortalitatem tanquam vana figmenta rejiciet, et nonnisi de præsenti vita cogitabit, quam meliorem et feliciorem reddere quisque conabitur. Unica namque existit substantia universalis et æterna, quæ in se virtualiter continet *materiam* et spiritum, et quæ, *progressiva evolutione* omnia entia produxit. Progressus consistit in cultu veri, boni et pulchri.

(**B**) Alii *positivismum* propugnant aut *agnosticismum*, vestigiis inhærentes Comte, Littré, Fouillée, H. Spencer, etc. Hi non negant quidem explicite Dei existentiam animæque spiritualitatem, sed nihil admittentes nisi quod observatione certaque inductione probari potest, omnia entia metaphysica in dubium revocant, et phænomenorum legumque naturalium studio exclusive incumbunt. Religiones tanquam inperfectum humanitatis stadium habent, et, dum libenter agnoscunt Christianismum fuisse omnium religionum formam perfectissimam, contendunt huic successuram esse *Sociologiam*, quæ, solidaritatis principio innixa, homines ad veram felicitatem perducet. Attamen quidam inter ipsos, ut Comte [3], rati scientiam aspirationibus cordis non satisfacere, cultum *Humanitatis* promovent. Alii, ut Spencer [4], fatentur aliquam esse realitatem spiritualem, quam incognoscibilem declarant.

---

[1] De criticis qui specialiter libros sacros impugnarunt, vide infra n. 291-302 et supra n. 67-68.

[2] Quod systema exponit ac critice confutat **E. Boutroux,** *Science et Religion*, Paris, 1908, p. 119-165.

[3] Cfr. **E. Boutroux,** op. cit., p. 37-79.

[4] **E. Boutroux,** op. cit., p. 80-118.

79. (C) Alii, Kantii vestigiis inhærentes, *subjectivismum* et *idealismum* amplectuntur : cum pura ratio absolutum attingere non valeat, maximam vim tribuunt, in rebus moralibus et religiosis, sensui religioso seu conscientiæ. Non pauci in *pantheismum* prolabuntur, quales sunt Fichte, Schelling, Hegel, eorumque discipuli. Alii vero, sensus religiosi et psychologicæ experentiæ ope, quemdam *theismum* profitentur. Intima cordis humani nobilissimasque ejus aspirationes attente perscrutantur, et exinde assurgere conantur ad legem moralem, Dei existentiam, animæ immortalitatem, ceteraque religionis naturalis fundamenta. Quod confirmare conantur *religiosa experentia*, eorum præsertim qui Enti divino intimius conjuncti sunt; sed quidam inter eos fatentur hac methodo nonnisi *probabiliter* probari existentiam *Dei personalis* a mundo distincti [1].

Inter discipulos Kantii recenseri possunt *Modernistæ*, qui vim rationis ad demonstrandam Dei existentiam rejicientes, per *immanentismum* ad Deum assurgere conantur, videlicet ex indigentia alicujus entis divini cujus conscii sumus, et ex necessitate alicujus normæ moralitatis, sine qua officia moralia impleri nequeunt [2].

80. (D) Quidam adhuc supersunt *deistæ* et *rationalistæ*, qui rationis humanæ auctoritatem et autonomiam proclamantes, Dei existentiam animæque immortalitatem, necnon naturalis religionis necessitatem agnoscunt, sed religiones revelatas tanquam fabulas rejiciunt, et christianismum nomine mysticismi ut irrationabilem traducunt. Denique citandi sunt inter catholicos, præsertim in Germania, aliqui theologi, qui *semi-rationalismo faventes*, dogma per evidentiam intrinsecam probare conati sunt; inter quos *Günther*, *Frohschammer*, *Hermes*, a Pio IX damnati.

Contra quos omnes *constitutio* "*Dei Filius*" concilii *Vaticani* directa est.

81. Christianorum apologetarum variæ methodi. Quæ cum ita sint, hodierni Apologetæ diversas proponunt methodos ad veritatem fidei catholicæ propugnandam et suadendam.

1° Imprimis proponitur satis communiter a theologis methodus quæ *traditionalis* dicitur et ad hæc summa capita revocatur. Præsuppositis Dei existentia animæque immor-

[1] Inter quos **W. James** *, *Varieties of religions experience*, gallice redditum auctore **F. Abauzit**, *L'Expérience religieuse*, Paris, Alcan, 1906.

[2] Quas theorias expendit **G. Michelet**, *Dieu et l'agnosticisme contemporain;* Paris, Gabalda, 1909, p. 183-311. Vide etiam appendices hujus voluminis. Cf. **C. Piat**, *L'Apologétique de l'abbé de Broglie*, Paris, Lecoffre, 1896.

talitate, quæ apud Philosophos demonstrantur, alicujus *religionis necessitas* exinde infertur; postea vero philosophice simul et historice evincitur possibilitas, imo et moralis necessitas alicujus revelationis ad cognoscendam tuto et sine admixtione erroris summam veritatum necessariam ad rectam vitæ ordinationem. Inter diversas religiones quæ sese revelatas proclamant, expenditur præcipue religio christiana, cujus divinitas probatur criteriis sive *externis*, præsertim prophetiis et miraculis, sive *internis* ex doctrinæ sublimitate ejusque harmonia cum nobilissimis naturæ aspirationibus. Probato revelationis facto, facile eruitur obligatio eam amplectendi.

Quam methodum perfecit ABBÉ DE BROGLIE [1], criteriis internis et externis addendo argumentum *transcendentiæ*, quo, comparatione instituta inter diversas religiones et christiano-catholicam religionem, hujus superioritas tam evidenter apparet ut christianismus omnino *transcendens* videatur, imo et divinus. Nam (**a**) in sua *doctrina*, modo perfectiori quam ceteræ religiones, nobilissimis omnium aspirationibus satisfacit; — in se complectitur quidquid veri et boni est in aliis, dum omnino rejicit prava elementa in eis contenta; — harmonicam unitatem exhibet; — et, etsi in sua substantia immutabilis, semper vivens ac progressivus apparet, omnibus sæculis ac regionibus mirifice sese accommodans. (**b**) In sua *historia* divinitatis signa præ se fert : *monotheismum*, absque idololatriæ aut polytheismi admixtione, solus servavit atque hodie tuetur; — *prophetiis* multis ante eventum factis prænuntiatus est; — *fundatorem* habuit eximiæ sanctitatis, qui ad divinitatem propriæ missionis probandam, vera patravit miracula; — ejus tandem religio, celerrime in mundum universum propagata, non obstantibus persecutionibus, hodie stat invicta tanquam signum inter Gentes elevatum.

82. Attamen hanc methodum imperfectam esse et hodiernis mentibus minus accommodatam non pauci contendunt. (**a**) Argumenta historica, inquiunt, vim non habent

[1] Præsertim in operibus : *Problèmes et conclusions de l'histoire des Religions*, 4e éd. ; *Les Fondements intellectuels de la Foi chrétienne*, Paris, 1905.

ad movendos trahendosque animos hodiernorum, qui præjudiciis imbuti omne supernaturale abhorrent, et, nisi via paretur historicæ demonstrationi per criteria interna, miracula ipsa prorsus rejicient. (b) Insuper hodierni rationis *autonomiam* proclamant, neque revelationem externam admittunt, nisi prius ex intima sui inspectione ejus necessitatem agnoscant. Jamvero hæc duo aut prætermiserunt aut vix attigerunt veteres Apologetæ.

Quare nonnulli novas methodos proposuerunt quas multo efficaciores existimant. Præcipuas exponere juvat [1].

83. 2° *Ollé-Laprune* et *Fonsegrive*, vestigiis Pascal inhærentes, viam parant historicæ demonstrationi ostendendo perfectam concordiam quæ inter legitimas hominis aspirationes et christianam religionem existit. Prior magis *philosophice*, posterior magis *psychologice* procedit.

(a) Ollé-Laprune (1839-1898) tanquam principium inconcussum statuit hominem ad verum tendere ac procedere debere præsertim in rebus *moralibus*, non solo intellectu, sed *tota anima*, id est mente, corde et voluntate. Veritates autem morales ad quatuor reducuntur, nempe existentiam Dei, hominis libertatem, legem moralem atque vitam futuram. Quæ, cum sint complexæ, obscuræ et actiones arduas imperent, percipi et admitti nequeunt nisi positis quibusdam dispositionibus moralibus, seu perfecta sinceritate et bona voluntate. Idem dicendum est de religione quæ ad veritates morales spectat. Ad demonstrandam igitur christianismi divinitatem, ostendere oportet veritates quas proponit cum nobilissimis aspirationibus mentis et cordis optime concordare, et ad vitæ intellectualis et moralis rectam ordinationem esse necessarias. Quod quidem nitide et eloquenter præstat, exponendo dogmata atque præcepta christiana, eorumque harmoniam cum legibus moralibus atque intimo desiderio recte vitam nostram ordinandi [2].

(b) Sic autem arguit Fonsegrive [3]. Ad vitam recte ordinandam,

[1] Fusius eas exponit **Fonsegrive,** *L'évolution des idées dans la France contemporaine*, Paris, 1920, ubi etiam invenies varia systemata religiosa in Gallia nostris diebus excogitata.

[2] **Ollé-Laprune,** *De la Certitude morale*, 1880; *Le prix de la Vie*, 4e éd., 1897; *La Philosophie et le temps présent*, 1890; *Vitalité chrétienne*, 1901; *Raison et rationalisme.* Cfr. **Pacaud,** *La Certitude religieuse d'après la Philos. d'Ollé-Laprune, ap. R. P. A.*, t. IV, 1er Juin 1907, p. 271. Cf. **M. Blondel,** *Léon Ollé-Laprune*, Paris, 1923.

[3] **Fonsegrive,** *Le Catholicisme et la Vie de l'esprit*, Paris, 1899; **Yves le Querdec,** *Le Fils de l'esprit*, Paris, 1905.

necesse est ut nostram intimam naturam introspiciamus ejusque legitima desideria. Jamvero, teste conscientia, nobis inesse percipimus desideria multa quæ propriis viribus complere non valemus. Quidquid veri est, cognoscere et intelligere optamus; attamen nonnisi pauca cognoscimus, et quidem valde imperfecte; quidquid boni concipimus amplecti volumus, sed illud assequi proprio marte nequimus; vitam integram, supra humanam, deiformem appetimus, sed, post multos arduosque labores, hanc inaccessibilem esse fateri cogimur. Aliunde præsto adest christiana religio quæ ad nostras aspirationes complendas se idoneam esse contendit. Docet siquidem hominem ad vitam superiorem et deiformem destinari, Verbum ideo hominem factum esse ut homo fieret Deus, media ab ipso instituta fuisse quibus filii Dei adoptione efficimur, et, divinæ naturæ participes effecti, ad vitam æternam tendere valemus. Ita christiana religio, vitam intellectualem et spiritualem nedum exstinguat, eam potius extollit, et ad superiora trahit. Si igitur vitam integram et perfectam assequi volumus, christianismum amplecti debemus. Ex altero capite, hæc religio signa divinitatis haud incerta præ se fert, miracula videlicet in ordine non solum physico, sed etiam intellectuali et morali; quæ quidem miracula, posita hypothesi vitæ supernaturalis, nedum impossibilia humanæ rationi appareant, eidem omnino consentanea perhibentur.

Hæc methodus, etsi internis criteriis præcipue innitatur, externa minime rejicit, sed ea tantum proponit quando præjudicia primum remota sunt. Nil igitur impedit quominus adhibeatur ad eos suadendos qui, omne supernaturale rejicientes, nonnisi pedetentim ejus possibilitatem et existentiam agnoscere valent.

84. 3° Alia via, *ab auctoritate* scilicet proficiendo, procedunt BALFOUR et BRUNETIÈRE.

Prior[1] rationis inhabilitatem ad explicandas ideas boni, veri et pulchri, quæ nobis insunt et aliunde necessariæ judicantur ad rectam vitæ ordinationem, vivide depingit : positivismus, idealismus et rationalismus omnino impares sese ostenderunt ad has ideas scientifice demonstrandas. Remanet igitur ut eas accipiamus ex auctoritate, quæ alia esse nequit quam religiosa auctoritas. — Quam methodum laudavit *F. Brunetière*[2]. Homo, inquit, est ens *morale*

[1] **Balfour***, *The Foundations of belief*, London, 1895, gallice redditum *Les bases de la croyance*, Paris, 1897.

[2] **Brunetière**, *Discours de combat*, 1re série, *Le besoin de croire;* 2e série, *Les raisons actuelles de croire; Cinq lettres sur E. Renan; Questions actuelles*, *Après une visite au Vatican*, et *Les bases de la croyance.* Cf. **J. Cartier**, *Brunetière apologiste*, in *R. P. A.*, mars-mai 1907.

et *sociale;* sed regula morum et socialis ordo supponunt aliquid absolutum et certum, quod neque scientia neque artes, neque philosophia præbent. Sola fides id præstare valet; fides autem est rationabilis, non quia certis argumentis mere intellectualibus innititur, sed quia homo, suæ impotentiæ conscius, credendi obligationem percipit tanquam conditionem necessariam ad vitam recte ordinandam et ad socialem ordinem promovendum.

In his systematibus, quæ plus minusve affinia sunt, bona et utilia inveniuntur, quibus prudens apologeta uti poterit. Sunt tamen *incompleta*, quia convenientia quam notant inter fidem catholicam et naturam humanam, fidem quidem valde bonam seu nobis appetibilem reddit, sed non eo ipso fide divina credibilem : quod præcipuum Apologeticæ munus constituit. Hæc carentia provenit forsan ex nimia diffidentia erga rationem humanam. Attamen qui, hac utentes methodo, Ecclesiæ infallibilem auctoritatem agnoscunt, ejusque magisterium accipiunt, eo ipso in ea inveniunt motiva credibilitatis quibus ad firmiter credendum indigent.

85. 4° *Methodum immanentiæ* [1] propugnant *M. Blondel. P. Laberthonnière, Mano, Tyrrell*, aliique non pauci, aliter tamen et aliter.

(A) **Expositio methodi immanentiæ.** Sic procedit *Blondel.* Huc usque, nostro saltem tempore, falsum apologetæ ingressi sunt iter : probant quidem possibilitatem et realitatem ordinis supernaturalis; sed omittunt quod primum munus rationis est, scilicet : mentem præparare ut recipiatur revelatio [2]. Atqui hodierni philosophi, inquit, systema

[1] **Blondel,** *L'Action*, Paris, 1893; *Lettre sur les exigences de la pensée contempo: aine en matière d'Apologétique. (Annales de philos. chrét.* * janv.-juillet 1896); **Aug. et Alb. Valensin,** Art. *Immanence* in *D. A;* **Wehrlé,** *La méthode d'immanence (Science et Religion*, n. 607); **Le Bachelet,** *De l'Apologétique tradition. et de l'apol. moderne*, Paris, 1897; **de Tonquédec,** *Immanence*, Paris, 1913; **Schwalm** O. P., *Les illusions de l'idéalisme et leurs dangers pour la foi*, in *Revue thomiste*, sept. 1896; **Gayraud,** *Une nouvelle apologétique*, ap. *Annales de Philos. chrétienne*, déc. 1896, janv. 1897; *id.*, *L'Apologétique nouvelle*, ap. *Revue du Clergé français*, 1er oct. 1900; *id.*, *Le problème de la certitude religieuse*, *ibid.*, 15 mars 1902; **Mano,** *La Méthode d'immanence*, in *Rev. du Clergé fr.* t. XXVII, p. 419; **Mallet,** Un entretien avec Blondel, ibid., t. XXVII, p. 627 et t. XXXVIII, pp. 405, 513; **Dubois,** *La crise récente de l'Apologétique*, ibid., t. XXXIX, p. 113; **Allo,** *Extrinsécisme et historicisme*, t. XL, p. 655; **Gardeil,** O. P., *La Crédibilité*, p. 189-212.

[2] " Il ne suffit pas d'établir séparément la possibilité et la réalité " du surna-

immanentiæ amplectuntur, vi cujus rationis *autonomiam* ita proclamant, ut nihil *ab extrinseco* accipere velint nisi quod requiritur ad perfectam et quidem connaturalem suarum facultatum evolutionem [1]. Quare religioni christianæ valde infensi sunt, quando hæc ab apologetis proponitur ut aliquid supernaturale *ab extrinseco* impositum sub pœna æternæ damnationis. Quid igitur cum iis agendum? His ostendere oportet supernaturale, etsi humanæ naturæ indebitum, aliquomodo *postulari ab intrinseco*, ad perfectam nempe evolutionem nostrarum facultatum, ita ut illud amplecti teneamur.

Sic autem procedit. Certissimum est, inquit, hominem agere, ipsique incumbere officium agendi. Actio vero ad aliquem finem ordinatur, ideoque inquirere oportet quisnam sit ille finis. *Dilettantismus*, qui *finale problema* negat, sibi aperte contradicit; solutio *negativa*, quæ contendit hominem ad *nihilum* tendere, intimis aspirationibus nostris adversatur; *scientiæ positivæ* nonnisi incompletam solutionem præbent, quia finem ultimum non attingunt; remanet igitur ut *psychologice* hunc finem inquiramus, *moralis dynamismi* leges investigando. Quare, ex attenta consideratione *actionis humanæ*, infert hominem non posse actiones suas ad perfectionem ducere per seipsum, sine cooperatione alicujus entis superioris.

Nobis enim insunt profundissimæ aspirationes quæ voluntatem nostram intimam veluti constituunt; easdem in praxim adducere conatur voluntas nostra libera. Sed propriis viribus id assequi non valet. Non enim omnia quæ cogitamus, volumus; nec ea quæ volumus, facimus; sed sæpe quod nolumus, peragimus. In voluntate nostra jacent tendentiæ et aspirationes versus aliquid superius, infinitum et divinum, quocumque nomine illud appellemus; hoc autem nihil aliud est nisi Ens supremum ad quod, tanquam ad

turel, ce que fait l'apologétique classique, "il faut encore montrer la nécessité pour nous d'adhérer à cette réalité du surnaturel". (Lettre... p. 345.) Le rôle de l'Apologétique consiste "à déterminer les dispositions d'esprit qui préparent l'intelligence des faits et le discernement pratiqué des vérités proposées d'ailleurs". *(Ib.)*

[1] "La pensée moderne avec une susceptibilité jalouse considère la notion *d'immanence* comme la condition même de la philosophie; c'est-à-dire que, si parmi les idées régnantes il y a un résultat auquel elle s'attache comme à un progrès certain, c'est l'idée très juste en son fond, que rien ne peut entrer en l'homme qui ne sorte de lui et ne corresponde en quelque façon à un besoin d'expansion, et que ni comme fait historique, ni comme enseignement traditionnel, ni comme obligation surajoutée du dehors, il n'y a pour lui vérité qui compte et précepte admissible sans être, de quelque manière, autonome et autochtone". (**Blondel,** *Lettre*, p. 600, et tirage spécial, p. 28.)

ultimum finem, necessitate quadam naturæ tendimus. Cum autem propriis viribus Deum attingere minime valeamus, cooperatione et auxilio indigemus hujus Entis infiniti : ita, vi et impulsu naturæ nostræ, *postulamus* aliquid *heteronomum* quo compleatur et perficiatur actio nostra; ita ab immanenti et subjectivo ad aliquod ens transcendens et objectivum ascendimus, nobisque incumbit obligatio illud amplectendi, nisi velimus intimis aspirationibus nostris contradicere finemque nostrum ultimum abdicare [1].

Ergo actio nostra non potest suam perfectionem adipisci in ordine mere naturali : aliquam enim participationem divinitatis

[1] Sic suam methodum contrahit **Blondel**, *L'Action*, pp. 339, 344, 346, 353 : " Il est impossible de ne pas poser le problème de l'action, impossible d'en donner une solution négative; impossible de se trouver, ni en soi-même ni dans les autres, tel qu'on veut être; bref, impossible de s'arrêter, de reculer ou d'avancer seul. Dans mon action, il y a quelque chose que je n'ai pu encore comprendre et égaler; quelque chose qui l'empêche de retomber au néant, et qui n'est quelque chose qu'en n'étant rien de ce que j'ai voulu jusqu'ici. Ce que j'ai volontairement posé ne peut donc ni se supprimer ni se maintenir : c'est ce conflit qui explique la présence forcée dans la conscience d'une affirmation nouvelle; et c'est la réalité de cette présence nécessaire qui rend possible en nous la conscience de ce conflit même. Il y a un " *unique nécessaire* ". Tout le mouvement du déterminisme nous porte à ce terme : car c'est de lui que part ce déterminisme même, dont tout le sens est de nous ramener à lui... Qu'est-ce donc que ce mystérieux *x* qui n'est ni le néant ni le phénomène, quoiqu'on ne puisse concevoir le phénomène ou le néant sans le comprendre dans la pensée qui les admet? Pour le trouver, nous ne pouvons partir de lui, où nous ne sommes pas, il faut partir de nous, où il est. Dans notre connaissance, dans notre action, il subsiste une disproportion constante entre l'objet même et la pensée, entre l'œuvre et la volonté. Sans cesse l'idéal conçu est dépassé par l'opération réelle, et sans cesse la réalité obtenue est dépassée par un idéal toujours renaissant. Tour à tour, la pensée devance la pratique, et la pratique devance la pensée; il faut donc que le réel et l'idéal coïncident, puisque cette identité nous est donnée en fait; mais elle ne nous est donnée que pour nous échapper aussitôt... Ni ma pensée ne peut égaler mon action, ni mon action ne peut égaler ma pensée. Il y a en moi disproportion entre la cause efficiente et la cause finale; et pourtant ni l'une ni l'autre ne peuvent être en moi ce qu'elles sont déjà, sans la médiation permanente d'une pensée et d'une action parfaites. Tout ce qu'il y a de beauté et de vie dans les choses, tout ce qu'il y a de lumière et de puissance en l'homme enveloppe, dans son imperfection et son infirmité même, une perfection souveraine ". Cette perfection souveraine, c'est Dieu; et c'est vers ce Dieu que nous devons orienter notre vie : " Puisque je suis forcé de concevoir et d'assigner un terme supérieur à ma pensée et à mon action, c'est une nécessité aussi que je sente le besoin d'y égaler ma pensée et ma vie. L'idée de Dieu (qu'on sache ou non le nommer) est l'inévitable complément de l'action humaine; mais aussi l'action humaine a pour inévitable ambition d'atteindre et d'employer, de définir, de réaliser en elle cette idée de perfection. Ce que nous connaissons de Dieu est ce surcroît de vie intérieure qui réclame son emploi : nous ne pouvons donc connaître Dieu sans vouloir le devenir en quelque façon ".

optamus et postulamus, et inquietum manet cor nostrum donec eam consequamur; hanc autem obtinere nequimus nisi per aliquod lumen supernaturale et ope gratiæ. Revelationis factum sola philosophia demonstrare quidem non potest; sed, datis aspirationibus humanæ naturæ, hujus hypotheticæ revelationis quosdam characteres ratio determinare potest. Hæc nempe revelatio, quæ est donum Dei gratuitum, assensum mentis nostræ exigit, aliquem mediatorem et salvatorem supponit, quo mediante ad Deum accedere et a culpis nostris liberari valeamus [1].

Quibus positis, unum manet, nempe ut *supernaturale* amplectamur : tunc, gratia Dei cooperante, fides plena ex praxi erumpet, et plenitudinem vitæ novæ in nobis experiemur [2].

---

[1] Ad rem **Blondel**, L'*Action*, pp. 398, 399, 422 : " Si elle est, il faut que la révélation divine se propose comme indépendante de l'initiative humaine. Il est nécessaire qu'elle exige un acte de soumission, une substitution de pensée et de volonté, un aveu de la raison impuissante; en sorte que la raison même l'estimerait fausse dès lors qu'elle ne réclamerait pas de nous ce sacrifice inévitable. Mais ce n'est pas au seul effort de la volonté humaine qu'il est possible de rapporter cette salutaire disposition d'obéissance; car ce n'est pas de nous que peut procéder le mouvement surnaturel. Il faut donc que même l'élan de la recherche qui nous porte à Dieu soit, en son principe, un don. Sans cette indispensable médiation, nous ne sommes et nous ne pouvons rien. Il n'y a donc de révélation donnée et reçue que par un médiateur ". — Il y a plus : pour réaliser ce que nous avons conçu, pour faire de Dieu la fin de l'homme, pour devenir son coopérateur, " il faut un aide, un intercesseur, un pontife qui soit comme l'acte de nos actes, la prière de notre prière, et l'offrande de notre don ". — Et pour remédier aux inévitables défaillances de l'action, pour anéantir le mal, pour détruire le passé, pour rendre la vie à l'action morte et à la volonté pervertie, il faut un sauveur... " Ainsi se révèle peu à peu l'ambition intégrale de la volonté qui se cherchait elle-même sans se connaître d'abord tout entière. C'est en prétendant s'égaler effectivement à sa propre puissance qu'elle cesse de trouver sa suffisance en elle seule. Nous voulions, semble-t-il, tout faire de nous-mêmes; et voici que, par ce dessein, nous sommes amenés à reconnaître que nous ne faisons rien, et que Dieu seul, agissant en nous, nous donne d'être et de faire ce que nous voulons. Nous demandons qu'il soit, qu'il soutienne, achève, reprenne en sous-œuvre toutes nos opérations; nous ne sommes à nous que pour nous réclamer de lui et nous rendre à lui; notre vraie volonté, c'est de n'en avoir point d'autre que la sienne; et le triomphe de notre indépendance est dans notre soumission. Soumission et indépendance également réelles. Car ce que nous devons obtenir, c'est que notre vouloir se règle sur le sien, et non le sien sur le nôtre. Et lorsque, par cette substitution volontaire, nous reconnaissons qu'il fait tout en nous, mais par nous et avec nous, c'est alors qu'il nous donne d'avoir tout fait. Nous n'arrivons à l'indépendanee que par l'abnégation, mais nous y devons arriver ".

[2] " Ainsi (quelque étrange que paraisse cette règle de conduite), qui a compris la nécessité, qui a senti le besoin de la foi, doit, sans l'avoir, agir comme s'il l'avait déjà, pour qu'elle jaillisse en sa conscience des profondeurs de cette action héroïque qui soumet tout l'homme à la générosité de son élan. Car ce n'est point de la pensée qu'elle passe au cœur, c'est de la pratique qu'elle tire

86. (B) **Judicium de methodo immanentiæ.** (a) Quam methodum multi impugnarunt tanquam Baianismo, fideismo et semi-rationalismo faventem : *baianismo*, quia sæpe asserit naturam postulare supernaturale; *fideismo*, quia vim rationis nimis deprimit, miraculorum efficaciam ad revelationem probandam enervat, et fidem ex praxi, ex *actione* præsertim stabilire contendit; *semi-rationalismo*, quia præcipua dogmata ratione demonstrare conatur.

b) Fatendum est quidem hanc methodum, præsertim qualis primum exposita fuit, hujusmodi impugnationibus ansam præbere; attamen ejus defensores eam expolire et attenuare conati sunt.

87. 1) Ut accusatio de Baïanismo abjiciatur, *P. Laberthonnière* [1] animadvertit hominem, prout a *Blondel* inspicitur, non esse hominem *in abstracto*, qualis creari potuisset, sed hominem *in concreto*, qualis de facto conditus est, *cum ordinatione ad finem supernaturalem*. Quo posito, mirum non est, inquit, hominem ita spectatum aspirationes supernaturales in intimo cordis, juvante gratia, detegere, cum hic, etiam post lapsum, destinatus maneat ad visionem beatificam. Supernaturale igitur, a nobis quidem exoptatur et postulatur, sed supra vires et exigentias nostras manet, et gratuito nobis conceditur [2]. — Animadvertimus ta-

une lumière divine pour l'esprit". (*L'Action*, p. 403). — " La synthèse réelle et efficace de la nature avec le surnaturel ne se fait que dans la pratique effective et par grâce. (*Lettre*, p. 64). — Hic agitur non de receptione sacramentorum, sed de praxi virtutum christianarum ope gratiæ *actualis*.

[1] *Le problème religieux*, in *Annales de Philosophie chrét.* * fév.-mars, 1897. Idem exponitur in art. *Immanence*, in *D. A.* " La méthode d'immanence... telle que M. Maurice Blondel l'a proposée dans l'*Action*, nous paraît en contact avec l'affirmation théologique de la nécessité du surnaturel sous forme de grâces actuelles absolument nécessaires pour justifier les responsabilités de la décision volontaire qui fixera le sort de l'éternité. " (**P. Alb. Valensin**, col. 604.)

[2] Hoc jam subobscure animadverterat *Blondel*, dicens : " Sans donc qu'il y ait de continuité réelle entre le monde de la raison et celui de la foi, sans qu'on fasse en rien rentrer dans le déterminisme de l'action humaine l'ordre surnaturel qui demeure toujours au delà de la capacité, des mérites, des exigences de notre nature et même de toute nature concevable, il est légitime de montrer que le progrès de notre volonté nous contraint à l'aveu de notre insuffisance, nous conduit au besoin senti d'un surcroît, nous donne l'aptitude, non à le produire ou à le définir, mais à le reconnaître et à le recevoir, nous ouvre en un mot, comme par une grâce prévenante, ce baptême de désir qui, supposant déjà une touche secrète de Dieu, demeure partout accessible et nécessaire en dehors même de toute révélation explicite, et qui, dans la révélation même, est comme le sacrement humain immanent à l'opération divine ". (*Lettre*, ap. *Annales de Philos.*, p. 710, tirage à part, p. 38).

men supernaturale non proprie a nobis postulari seu exigi, ut recte monet *Pius X*, loco infra citato, sed tantum esse in nobis *capacitatem* et *convenientiam ad ordinem supernaturalem* ideoque in eo impleri altiores animæ tendentias [1].

2) Quoad *fideismum*, M. Blondel [2] declaravit ratione attingi posse veritatem, dummodo *totus homo* ad eam tendat, nec sua methodo excludi historica argumenta. — Attamen vim *solius* rationis et miraculorum plus æquo deprimit.

3) Minime quidem *semi-rationalismo* favere volebat vir ceteroquin catholice sentiens, nec sola ratione demonstrare dogmatum existentiam, sed tantum convenientiam [3]. — Attamen modus loquendi adhibitus æquivocus erat, ideoque sedulo emendari debet, secundum recentes Ecclesiæ declarationes.

88. (c) *Methodus immanentiæ admitti nequit nisi sensu a Pio X declarato*, quatenus nempe in natura humana *capacitas est et convenientia ad ordinem supernaturalem*. Potest quidem adhiberi, præsertim quoad mentes Kantianis præjudiciis imbutas, ad probandam necessitatem alicujus religionis, immo ad suadendam moralem necessitatem revelationis; sed non sufficit *ex se* ad demonstrandam *existentiam* revelationis. Hæc enim ad ordinem supernaturalem spec-

[1] Dolendum est tamen quod *Laberthonnière* et quidam alii propugnatores *immanentiæ methodi* tam acriter impugnaverint veterem theologorum methodum, et scholasticæ philosophiæ bellum indixerint. Nonne satius est dextras jungere contra communem hostem, et omnibus legitimis methodis uti ad convertendos eos qui a vera fide alienati sunt? De philosophia scholastica, quatenus hodiernis moribus accommodari potest, melius sentiebat *d'Hulst*, ut constat ex ejus operibus, præsertim *Mélanges Philosophiques*. Cfr. **A. Baudrillart**, *L'Apologétique philosophique de Mgr d'Hulst*, in *R. P. A.*, t. III, 1906, pp. 13, 73, 387, 470, 513, 577, 641.

[2] Ita **Blondel**, *Lettre à l'Univers*, 1er mars 1907 : " Loin d'admettre que les preuves historiques et objectives sont superflues ou peuvent être suppléées, je me suis sans cesse attaché à mettre en lumière l'utilité et la solidarité des diverses preuves, l'élément qui en opère la synthèse, l'unité d'une démonstration qui rend obligatoire autant que raisonnable l'adhésion aux vérités révélées... Je n'ai pas cessé un seul instant d'affirmer que, sans un enseignement objectif et une révélation positive, nous ne pouvons par nous-mêmes découvrir aucun dogme, obtenir aucune connaissance de la véritable réalité surnaturelle, dégager aucune notion de la grâce, même quand les touches secrètes de Dieu se traduisent déjà par des faits de conscience anonyme ". Quæ si aperte ab initio declarata fuissent, non tam acriter nova methodus impugnata esset.

[3] " Il est légitime de considérer ces dogmes... de les confronter avec les profondes exigences de la volonté, et d'y découvrir, si elle s'y trouve, l'image de nos besoins réels et la réponse attendue. (*L'Action*, p. 391.)

tat, omnino gratuita est et a libera Dei voluntate pendet; ejus existentia, (supposito Dei libero interventu), philosophicis argumentis demonstrari nequit, sed, sicut cætera facta, nonnisi historicis argumentis. — Præ oculis igitur habenda sunt verba *Pii X* merito eos catholicos damnantis, "qui quamvis immanentiæ doctrinam ut doctrinam rejiciunt, ea tamen pro apologesi utuntur; idque adeo incauti faciunt, ut in natura humana non capacitatem solum et convenientiam videantur admittere ad ordinem supernaturalem, quod quidem apologetæ catholici, opportunis adhibitis temperationibus demonstrarunt semper, sed germanam *verique nominis exigentiam*".

89. (**d**) Si vero *methodo immanentiæ* quis utitur ad viam parandam *historicæ demonstrationi* ejusque *vim augendam*, præfatos excessus vitando, opus utile sane perficit [1]. Cum enim non pauci philosophi rationis autonomiam hodie proclament ut dogma inconcussum, parum prodesset prius eis proponere miracula quibus revelatio innititur : istis enim vix ullam attentionem præberent. Expedit igitur ut hi, penitus introspecta propria conscientia, attenteque consideratis altissimis aspirationibus quarum conscii sunt, necnon eorum inhabilitate ad agendum modo consentaneo cum eisdem, opportunitatem alicujus superioris luminis et auxilii sincere agnoscant : tunc enim historicorum argumentorum vim multo facilius percipient, necnon officium amplectendi revelationem qua indigent ad finem suum attingendum [2].

---

[1] Recte P. Aug. Valensin hanc apologeticam, sic spectatam, *apologétique du seuil* vocat, l. c. col. 584.

[2] Hanc methodum, tanquam præparationem subjectivam et moralem ad demonstrationem historicam et ad actum fidei, admittit **Le Bachelet,** S. J., *De l'apologétique tradit. et de l'apologétique moderne*, Paris, 1897, p. 140-141. "Voici finalement comment la chose est concevable. Même dans l'ordre naturel, nous sentons le besoin d'un surcroît pour le développement de nos aspirations légitimes et la perfection intégrale de notre action humaine. Il faut donc se tourner vers Celui d'où le secours peut venir, et cela suffit pour expliquer un mouvement initial de l'âme vers Dieu. Mais si l'ordre surnaturel existe réellement, nous ne pourrons de fait trouver en dehors de cet ordre le surcroît tel qu'il nous le faut. Si donc nous cherchons le secours divin avec l'humble sentiment de notre insuffisance, si nous le poursuivons d'après toutes les lois de la sincérité intérieure, la grâce interviendra certainement pour nous aider et pour orienter nos aspirations vers l'unique terme, Dieu notre fin surnaturelle... De la sorte il peut arriver que le besoin du surcroît, vague et indéterminé au début,

Ita ex conscientia primum vaga et implicita alicujus auxilii superadditi pedetentim quis assurgit ad perceptionem moralis necessitatis alicujus auxilii supernaturalis; postea *historice* demonstratur factum revelationis, et mens bene disposita, accedente Dei gratia, intelligit sibi incumbere officium credendi ea omnia quæ divinitus revelata sunt, propter auctoritatem Dei. — Neque dici potest hunc processum, utpote *subjectivum*, vi carere ad demonstrandam veritatem objectivæ revelationis. Scopus enim hujus methodi est assurgere ab intimis et immanentibus aspirationibus, quæ vere et objective nobis insunt, ad recognoscendum aliquod Ens *transcendens* et moralem necessitatem alicujus auxilii objectivi ab illo Ente præstandi. Ita ex *immanenti* fit ascensus ad *transcendens*, et parum refert qua via Deum attingimus, dummodo eum vere attingamus et amplectamur.

90. Fatendum est tamen, hanc methodum *non omnibus* mentibus accommodari, sed iis tantum quæ modernam philosophiam excoluerunt, simulque in seipsis experiuntur nobiles illas aspirationes quas suggerit *Blondel* in suo opere [1].

Conclusio. Ex his omnibus constat *primariam ac principalem methodum* esse *methodum historicam*, quæ *ex se* est *brevior, facilior* ac *tutior* (n. 250); ceteras autem methodos non esse spernendas, sed, pro personarum ac circumstantiarum diversitate, adhibendas esse tanquam *præparationem* aut *confirmationem* historicæ demonstrationis.

se précise dans la suite sous l'influence de la grâce, et devienne besoin du surnaturel proprement dit".

[1] In hoc opere multa invenientur quæ utiliter apologeta in usum convertet, e. g., quæ de melioribus nostris aspirationibus, de valore doloris et sacrificii, de insufficientia scientiæ, pessimismi, dilettantismi, etc. dicuntur.

TRACTATUS I

DE RELIGIONE NATURALI ET SUPERNATURALI

Scopus et Divisio tractatus.

91. Existentiam factorum religiosorum nemo est hodie qui negare possit. Etenim, apud varias gentes, a temporibus remotissimis usque ad nos, viguere et adhuc vigent *variæ religiones*, et quidem tam *universaliter*, ut genus humanum generatim spectatum tanquam vere religiosum haberi debeat.

Variæ autem religiones problemati finis nostri solutionem afferre conantur : docent siquidem, præter hunc visibilem mundum, alium existere invisibilem, ad quem pervenire possumus, si communionem habemus cum Ente vel Entibus superioribus, quæ ibi degunt; docent proinde nos aliquo divino lumine et auxilio, seu divina revelatione, indigere, tum ad cognoscenda officia vitæ moralis tum ad eadem implenda.

92. Studium igitur criticum ac scientificum religionis, et revelationis est *maximi momenti*, et quidem dupliciter. 1) Agitur enim primo de *facto universali*, quod in vitam sive privatam sive publicam hominum maximum habuit influxum, quod proinde prætermitti nequit.

2) Agitur etiam de quæstione suprema vitæ nostræ : nempe *ad quem finem destinemur;* ex ejus solutione pendet totius vitæ nostræ ordinatio : si mundus hic spectabilis nihil aliud est nisi atrium et vestibulum alterius mundi invisibilis, si præsens vita non est nisi præambulum immortalis vitæ, actiones nostræ non ad terrenam et transeuntem felicitatem, sed ad spiritualem et sempiternam ordinandæ sunt.

Necesse est ergo ut religiosæ quæstionis studio attente et perseveranter incumbamus. Nam neque scientiæ physicæ, neque sola philosophia solutionem certam et tutam nobis supplent, ut infra probabitur.

Scopus autem hujus tractatus est probare critice et scientifice veritatem doctrinæ ab Ecclesia catholica traditæ (una quidem cum cæteris christianis Ecclesiis, necnon, positis ponendis, cum plerisque religionibus) circa religionem et revelationem divinam, ad finem nostrum attingendum necessarias.

93. Divisio. Tres quæstiones præcipuæ investigandæ sunt, videlicet : 1° *num necessaria sit religio aliqua* ad finem nostrum attingendum; 2° *num revelatio necessaria* nobis sit; 3° *quomodo* inveniri possit vera religio a Deo revelata.

94. In *primo* igitur capite agemus de *religione in genere*, de ejus conceptu et necessitate; in *secundo*, de religionis revelatæ conceptu, possibilitate, necessitate et obligatione; in *tertio* tandem de *methodo* veram religionem revelatam investigandi, et de præcipuis notis divinæ revelationis [1].

CAPUT I. *De Religione.*
- Religionis conceptus.
- Religionis necessitas demonstratur
  - historice et psychologice;
  - metaphysice.

CAPUT II. *Religionis revelatæ*
- conceptus.
- possibilitas.
- necessitas.
- obligatio moralis.

CAPUT III. *De criteriis divinæ revelationis.*
- In genere.
- In specie.
  - De miraculo.
  - De prophetia.

Conclusio tractatus : Revelatio divina inveniri potest, quærenda et amplectenda est.

[1] Putamus, contra **P. Gardeil**, aliosque, quæstiones quæ de religione tractant ad apologeticam pertinere : efformant enim cum thesibus quæ de revelatione agunt, totum quoddam, quod immerito rumperetur. Relinquimus autem, cum plerisque theologis, quæstiones de valore cognitionis, de existentia et attributis Dei, de animæ existentia et immortalitate, *Institutionibus philosophicis*, ad quas hæc problemata spectant, easque demonstratas supponimus.

CAPUT I

DE RELIGIONE

95. Hic agitur de religione in genere, abstrahendo a quæstione utrum hæc sit naturalis an revelata; et in duplici articulo dicemus :

I. De *conceptu* religionis;

II. De ejus *necessitate.*

Art. I. De conceptu religionis.

96. Prævia de vocis etymologia. Religio, si spectetur vocis etymologia, venit : (**a**) juxta *Ciceronem*, a *relegendo*, quia hominis religiosi est mente revolvere seu relegere quæ ad Dei cultum pertinent : "qui omnia quæ ad cultum deorum pertinerent, diligenter retractarent et tanquam relegerent, sunt dicti religiosi ex *relegendo*, ut ex eligendo eligentes, tanquam ex diligendo diligentes" [1]; (**b**) juxta *Lactantium* [2], a *religando*, quia religionis proprium est homines Deo pietatis vinculo ligare : "hoc vinculo pietatis obstricti Deo et *religati* sumus; unde ipsa Religio nomen accepit, non, ut Cicero interpretatus est, a relegendo"; (**c**) vel, juxta *S. Augustinum* [3], a *reeligendo*, quia Deum, per peccatum amissum, virtute religionis de novo eligimus : "hunc eligentes, vel potius *religentes* (amiseramus enim negligentes, hunc ergo religentes) unde et religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus ut perveniendo quiescamus".

Si autem recentes audiamus, religio primum significasse videtur scrupulum in genere, deinde pium scrupulum, postea tandem omnia officia erga Deum quæ cum pio scrupulo perfici debent [4].

§ I. De genuino religionis conceptu [5].

Duplici sensu religio accipitur : sensu *objectivo* et *subjectivo.* In hoc tractatu agitur præsertim de religione *objective* spectata.

---

[1] **Cicero,** *de Natura deorum*, l. II, c. 28.

[2] **Lactantius,** *Divin. Instit.*, l. IV, c. 28, apud *Migne*, P. L., VI, 356.

[3] **S. Augustinus,** *de Civit. Dei*, l. X, c. 3, P. L., XLI, 280.

[4] **M. Bréal** et **A. Bailly,** *Dict. étymol. latin*, Paris, 1898, p. 157, ubi tamen Ciceronis opinio præfertur.

[5] **Wilmers,** S. J., *De religione revelata*, n. 1-16; **Lahousse,** S. J., *De Vera Religione*, n. 5-11; **L. Gondal,** *Religion*, éd. nouv., 1904, ch. I; **Abbé de Broglie,** *Religion et critique*, 1896, p. 3-105.

97. I. **De religione objective spectata** Hunc conceptum duplici modo assequi possumus : *a priori*, ex ipsa notione Dei et hominis, qualis in Philosophicis Institutionibus declarata fuit; *a posteriori*, facta religiosa ab aliis factis secernendo, ita ut ex hac collatione elementa religionis determinari valeant.

98. 1° Si notio religionis ex ipsa *natura Dei et hominis deducitur*, tria præsertim elementa complectitur : (**a**) *doctrinam* seu dogmata : cum homo sit intellectu præditus, Deum cognoscere debet, ejus scilicet naturam, attributa, providentiam, possibilitatem et moralem obligationem Eum attingendi, necnon modum et media quibus ad Deum assurgere Eique uniri valemus. Quare omnes religiones aliquot dogmata seu veritates credendas suis asseclis proponunt.

(**b**) *Regulam morum :* cum homo sit voluntate præditus et ad agendum destinatus, actus suos versus aliquem finem ordinare debet : hunc finem esse Deum ipsum religio ostendit, posteaque regulas morales tradit quarum ope in ipsum tendere valeamus, officia nempe implendo erga Deum, proximum et seipsum. In omnibus itaque religionibus asseritur *obligatio moralis* Deum colendi et bonum faciendi [1].

(**c**) *Principium vitæ :* cum homo sit amoris capax, Deum totius bonitatis fontem non solum reveretur, eique gratias pro beneficiis persolvit, sed eum diligit, ab eoque diligitur : ita religio fit principium mutui amoris, ideoque principium vitæ moralis. Hos autem reverentiæ, gratitudinis et amoris sensus homo actibus externis seu *ritibus religiosis* manifestabit. — Religio igitur totum hominem, cum omnibus facultatibus, complectitur et in Deum ordinat.

---

[1] Quod elementum est pars *essentialis* religionis, ut recte ostendit **Lagrange**, *Etudes sur les religions sémitiques*, Paris, Lecoffre, 1903, p. 7 : " Il faut cependant reconnaître que tous ceux qui pratiquent la religion *s'y croient obligés*. Nulle part on ne se résout à l'observer par un choix libre et parce qu'elle procure des avantages dont on pourrait se passer. Les hommes religieux ont toujours cru que les relations qu'ils souhaitaient entretenir avec la divinité étaient voulues par Elle, qu'Elle exerçait sur la vie un certain contrôle et attendait d'eux certains actes. Toute religion contient donc une exigence, et une exigence morale, car la moralité d'un acte est indissolublement liée à l'idée d'obligation ".

99. 2° Si notio religionis infertur ex diligenti *observatione factorum* religiosorum, eadem elementa in ejus conceptu reperimus ut ex mox dicendis, n. 111-137, patebit [1].

100. Religio igitur *objective* spectata definiri potest *complexus veritatum et officiorum quibus vita nostra in Deum ordinatur.*

101. II. **Religio subjective spectata** est *voluntaria mentis dispositio qua homo, sciens aliquod esse Numen Supremum, inclinatur ad exhibendum ei cultum propter ejus excellentiam et dominium.*

Religio proinde triplicem actum importat : (a) actum *intellectus* Dei excellentiam apprehendentis; (b) actum *voluntatis* hoc judicium approbantis; (c) actum *practicum*, quo parati sumus omnia officia erga Deum implere. Non in phantasia aut in sensu quodam speciali residet, sed *primario in voluntate*, secundario autem in *intellectu*, imo et in *facultatibus sensibilibus*, quatenus ipsæ ad cultum Deo reddendum concurrunt. *Totum* igitur *complectitur hominem*, quia homo, totus quantus est, a Deo pendet.

102. Corollaria. (A) **Quid non sit religio.** Natura religionis melius apparebit, si comparatur cum *philosophia*, *ethica*, *arte* et *magia.*

(a) *Philosophia* et religio *circa idem fere objectum* versantur, nempe primum principium hominis ejusque ultimum finem, diverso tamen modo. Prior est præsertim *speculativa* et ad cognitionem tendit, dum posterior est principaliter *practica* et ad amorem ultimo tendit; prior experientiæ et rationi innititur, posterior traditioni et revelationi : religiones enim fere omnes de facto aliquam divinitatis revelationem supponunt, ut ex dicendis patebit, nn. 118, 123, 127, 130, etc. [2]

[1] **P. de Grandmaison** (*Christus* p. 6-7) rem ita contrahit : " D'après l'histoire des religions, la religion comprend : 1° Un corps de doctrine, au moins ébauché; un cycle de croyances traditionnelles touchant l'origine et les destinées du monde, en particulier du monde humain, ou d'une fraction déterminée (groupe ou race), de l'humanité. L'adhésion à ces croyances, dans tous les cas incontestés, est, ou tend à devenir obligatoire. 2° Un ensemble de règles de conduite s'imposant à l'action humaine au nom d'un pouvoir surhumain. 3° Un système de rites et de pratiques, autorisés ou imposés, et destinés à établir, à promouvoir, à régler les relations de l'homme, individuel ou social, avec une ou des puissances conçues comme transcendantes ".

[2] Cf. **L. Roure**, *Le merveilleux spirite*, p. 281-282. " La philosophie cherche à construire un système rationnel des choses, une synthèse cohérente des vérités naturelles. La religion se propose d'établir un commerce entre

103. (b) Religio et *ethica* pariter in eo conveniunt quod *ambo regulam agendi* seu regulam morum præbent; sed in eo differunt quod ethica nullam aliam *legem* nisi *naturalem* agnoscit seu officia qualia manifestantur a conscientia; dum religio vocem conscientiæ habet tanquam *vocem Dei* et, præter legem naturalem, *positivas* leges admittit, in quantum sunt divinæ sapientiæ et voluntatis manifestatio.

104. (c) *Ars* et religio prosequuntur quidem *pulchrum* et *ideale*, quatenus est divinæ perfectionis umbra; sed ars pulchrum præsertim *sensibile* exprimere quærit, directe ut oculis et æsthetico sensui *placeat;* dum religio moralem pulchritudinem, vitæ honestatem et sanctitatem non solum pingere sed etiam attingere nititur, ut inter Deum et hominem virtutibus ornatum intima sit unio.

105. (d) Religio pariter differt a *superstitione* et *magia;* ambo in eo quidem consentiunt quod *entia invisibilia admittunt*, cum quibus relationes habere valemus; sed, dum magia et superstitio vanam *curiositatem* et sæpe *passionum expletionem* modis illegitimis quærit, religio propriam et aliorum *sanctificationem* mediis divinitus institutis prosequitur. Insuper magia entia spiritualia tanquam sibi subdita considerat, eisque in proprium commodum uti quærit, dum religio se numini subdit ab eoque pendere profitetur.

Jamvero ex hac comparatione constat religionem tribus elementis constare supra descriptis : *doctrina* quadam *intellectuali*, et in hoc cum philosophia concordat; *regula morum*, et in hoc cum ethica convenit; tandem *principio vitæ* spiritualis : non enim in mera contemplatione veri et boni sistit, sed, sicut ars, verum, bonum et pulchrum amore prosequitur et attingere nititur. — Si unum ex his tollitur, eo ipso tollitur religio : si *primum* tantum servatur elementum, habetur philosophia, non autem religio; si *secundum*, habetur codex moralis, minime religio; si tertium, manet quidem vagus mysticismus, sed non integra religio.

106. (B) **De præcipuis religionis actibus.** Actus speciales ad quos præcipue religio nos inclinat, quatuor sunt, e quadruplici relatione qua Deo conjungimur, fluentes : (a) *adoratio*, qua supremum Dei *dominium* agnoscitur : ipse enim, utpote Creator, est supremus omnium dominus,

---

l'homme et la divinité, des relations qui, d'une façon ou d'une autre, dépassent l'attitude commandée par la stricte raison. D'une part, elle prétend ajouter aux devoirs de soumission, de respect et d'amour, que la simple morale rationnelle prescrit envers Dieu, quelque chose de plus filialement intime, un hommage qui aille non seulement au maître, mais au père. D'autre part, elle a toujours aspiré à connaître, par communication spéciale, au sujet de la divinité, plus que les seuls efforts de la raison n'en pouvaient saisir ".

primum principium et ultimus finis; (**b**) *gratiarum actio*, qua Deum ut *benefactorem* colimus; ab eo siquidem accepimus quidquid boni habemus, sive substantiam, sive facultates, imo concursum ad agendum; (**c**) *petitio*, qua ut fons omnium bonorum recognoscitur; quum enim omne bonum ab eo dimanet, ad eum recurramus oportet, si nova beneficia obtinere velimus; (**d**) *pœnitentia*, qua Deum offensum placare conamur : homo enim libertate præditus Creatorem suum nonnunquam offendit, et ad placandam ejus justitiam, pœnitentiam agere debet. Hæc autem omnia *amore* informantur, qui est velut religionis anima seu principium.

107. (C) Divisio religionis. Relictis aliis divisionibus, quæ huc non pertinent, duplex concipi potest religio, *naturalis* et *supernaturalis* : (**a**) *Prior* ea est quæ in ipsa rerum natura fundatur, solius rationis ope, sine revelationis lumine, comparari potest, et ad finem naturalem tendit. (**b**) *Posterior* ea est quæ positiva revelatione manifestatur, et dogmata vel præcepta continet, quæ non necessario ex ipsa natura rerum fluunt, sed expressa Dei voluntate manifestata fuerunt : de qua fusius agetur in sequenti capite.

§ II. Falsæ aut incompletæ definitiones religionis [1].

108. Tanquam *falsæ* aut *incompletæ* rejici debent sequentes definitiones religionis : (**a**) definitio *Kantii*, qui contendit religionem consistere in *moralitate*, quatenus nempe dictamen conscientiæ tanquam vox ipsius Dei consideratur : ita religio cum ethica confunditur; (**b**) notio a *Fichte* tradita, juxta quem religio non est scientia practica morum, sed scientia *mere speculativa* de altissimis rebus : a philosophia igitur non differt; (**c**) definitio *pantheistarum*, qui contendunt religionem sitam esse in *communione quadam cum Infinito* [2]; (**d**) variæ definitiones *modernistarum*, juxta quos religio e subconscientia oritur, et consistit in quadam communione affectuosa cum divinitate [3]; (**e**) definitiones *positivistarum*,

[1] **Abbé de Broglie**, *Rel. et critique*, p. 5-15; **A. Réville***, *Prolégomènes de l'hist. des Religions*, p. 15-48. Notandum est falsas religionis definitiones a falsis de Deo notionibus oriri.

[2] **A. Loisy*** hanc proponit definitionem : " Aspiration de l'humanité vers un idéal, vaguement perçu et voulu, de société bonne et de conscience satisfaite ". (*A propos d'histoire des religions*, Paris, 1911, p. 166.)

[3] Ita **A. Sabatier*** : " Que la religion, c'est la prière du cœur... C'est un

qui contendunt religionem nihil aliud esse nisi puerilem explicationem naturalium phænomenorum, quorum causa ignoratur [1].

Quas quidem notiones aut falsas aut incompletas esse constabit ex iis quæ infra dicemus de necessitate religionis.

Art. II. Religionis alicujus necessitas.

109. Status quæstionis. Necessitatem alicujus religionis, prout eam definivimus, n. 10, negant :

(a) Ii omnes qui *Dei personalis existentiam* vel prorsus *rejiciunt*, vel *in dubium revocant*, quales sunt *Athei*, *Materialistæ*, *Positivistæ*, *Agnostici*, *Pantheistæ :* nam si Deus non existit, vel a mundo non distinguitur, aut si nil certi de Eo cognosci potest, de relationibus inter Eum et homines inquirere inutile est. (b) *Indifferentistæ absoluti*, qui, licet Deum existere agnoscant, Eum de nostris obsequiis minime curare contendunt, proindeque religionem ut rem indifferentem et inutilem negligunt; in hoc differunt ab *indifferentistis mitigatis*, qui necessitatem alicujus cultus admittunt, sed tenent cuivis licere religionem, quam libuerit, profiteri; de quibus infra agemus. (c) Præterea, inter deistas qui religionis necessitatem agnoscunt, non desunt qui *orationis* utilitatem et efficaciam negent, quippe quæ nec Deum nec hominem decet [2]. (d) Alii autem *cultus externi et publici* necessitatem rejiciunt, eo quia Deus vult tantum in *spiritu et veritate* adorari.

In præsenti articulo, contra priores errores, necessitatem alicujus religionis in suo conceptu *fundamentali* spectatæ et orationis, probabimus, necessitatem cultus externi ac publici in fine articuli demonstraturi.

110. *Thesis enuntiatur :* **Singulis hominibus inest obligatio moralis religionem profitendi, id est Deum agnoscendi tanquam principium a quo pendemus Eique cultum exhibendi.**

Thesis duplici argumentorum genere probari potest : 1° argumento *historico-psychologico*, ostendendo ex historia

---

commerce, un rapport conscient et voulu, dans lequel l'âme en détresse entre avec la puissance mystérieuse dont elle sent qu'elle dépend et que dépend sa destinée. Ce commerce avec Dieu se réalise par la prière. La prière, voilà donc la religion en acte, c. à d. la religion réelle ". (*Esquisse d'une philosophie de la religion*, 9ª ed., p. 24.)

[1] Cf. quod in deterius scripsit **Salomon Reinach*** : " Un ensemble de scrupules qui font obstacle au libre exercice de nos facultés ". *Orpheus*, Paris, 1909, p. 4.)

[2] Ita v. g. **J. Simon***, *Religion naturelle*, IV^e P., ch. I,

religionum et ex intimis profundisque animæ aspirationibus hominem aliqua religione indigere; 2° argumento *metaphysico*, ex relationibus inter Deum et hominem deducto. — Prius argumentum non supponit necessario existentiam Dei, sed eo tendit ut, directe religionis necessitatem demonstrando, indirecte etiam Deum existere demonstret. Ultimum vero argumentum præsupponit existentiam Dei atque spiritualitatem animæ, quæ in *Philosophicis Prælectionibus* probari solent.

§ I. Argumento historico-psychologico probatur alicujus religionis necessitas.

Argumenta ex *historia* et *psychologia* petita ad unum reducuntur, quia uno eodemque facto nituntur, scilicet inclinatione religiosa naturæ humanæ, considerata tum in genere humano *collective* sumpto, tum in *singulis* hominibus, et ad eamdem ducunt conclusionem. Incipimus a factorum religiosorum *expositione*, eorum deinde *explicationem* daturi.

I. Facta religiosa exponuntur [1].

111. Factum religiosum esse *universale* nemo inter eruditos hodie negat aut negare potest. Tum apud populos

[1] Hodie hæc quæstio maximi est momenti, cum non solum in Universitatibus, sed etiam in collegiis, historiam religionum doceant Acatholici, et quidem eo fine ut exinde appareat omnes religiones superstitionibus æquiparandas esse. Ita præsertim **Sal. Reinach***, *Orpheus, histoire générale des religions*, Paris, 1909. — Præcipui scriptores de *historia religionum* non sunt catholici; inter quos eminent : **Max Müller***, *Introduction to the science of religion*, 1873, *gallice* redditum; *Hibbert Lectures on the origin and growth of Religion;* Chips from *a german worshop;* **Tiele***, Geschiedenis van den godsdienst tot aan de heerschappij der wereldgodsdiensten, 1876, *gallice* redditum sub titulo *Manuel de l'histoire des religions*, trad. M. Vernes, 1880; **J. Freeman-Clarke***, Ten great religions, 1871-1883; **A. Réville***, *Prolégomènes de l'histoire des Religions*, 1881; **Chantepie de la Saussaye***, *Lehrbuck der Religiongeschichte*, gallice *Manuel de l'histoire des Religions*, traduit de la 2e éd. allemande, Paris, Colin, 1904.

Inter Catholicos recensentur : **W. Schneider**, *Die Naturvölker, Missverständnisse, Misshandlungen*, 1885; *Die Religion der afrikanischen Naturvölker*, 1891; **C. Pesch**, *Gott und Götter*, 1890; **A. Borchert**, *Der Animismus;* **Mgr de Harlez**, *Védisme, Brahmanisme et Christianisme;* **Abbé de Broglie**, *Problèmes et conclusions de l'histoire des Religions*, 4e édit., s. d.; **A. Bros**, *La Religion des peuples non civilisés*, 1907; **Mgr. A. Le Roy**, *La Religion des Primitifs*, Paris, Bauchesne, 1909; **J. Huby**, *Christus*, Manuel d'Histoire des

quorum historia cognoscitur, tum apud homines *præhistoricos* et *primitivos* invenitur aliquis cultus religiosus : 1) ubique reperiuntur *dogmata*, saltem fides in existentiam alicujus Numinis, homini superioris, de homine curantis, eique nocere aut prodesse valentis, quod proinde debet placari, adorari, ac propitium reddi; 2) ubique dantur *præcepta moralia* quæ, licet in multis diversa, prohibent semper impietatem erga Deos et parentes, necnon injustitiam erga ceteros homines; 3) ubique dii coluntur *ritibus* minutim determinatis qui scrupulose observandi sunt [1].

Quo melius vero intelligatur *natura* hujus facti religiosi, abs re non erit præcipuas religiones breviter describere, 1° *præhistoricorum* et *primitivorum;* 2° Gentium *Extremi Orientis;* 3° *Orientis;* 4° *Occidentis.*

112. 1° Homines præhistorici et primitivi. (A) Recentes excavationes et investigationes vestigia *hominum ætatis quaternariæ* in lucem ediderunt, ex quibus non pauca ad religionem spectant : *sepulturæ*, *picturæ* in quibusdam speluncis reconditæ, *loci sacri*, etc. Hæc quidem *per se* naturam religiosi cultus non clare manifestant; sed, si

---

Religions, 1912, 16e mille, 1921; **J. Bricout**, *Où en est l'histoire des Religions*, 2 vol., 1912.

[1] **Lubbock*** (**Sir John**), in opere *Origin of civilisation*, gallice redditum auctore **Barbier**, *Les origines de la Civilisation*, asserebat multas esse tribus sine religione; idem tenebat **Broca***, *Bulletin de la Société d'Anthropologie*, 1866, p. 56. Sed **Roskoff*** id erudite confutavit in opere *Das Religionswesen der rohesten Naturalvoelker*, Leipzig, 1880; idem præstitit **Girard de Rialle**, *Mythologie comparée*, 1878. Hinc positivista **M. Guyau***, *L'Irréligion de l'avenir*, p. 2, scribit : " Il est un premier point acquis par la critique contemporaine. Après les travaux de Roskoff, de M. Réville, de M. Girard de Rialle, il est impossible de soutenir qu'il existe aujourd'hui, sur la surface de la terre, des peuples absolument dépourvus de religion ou de superstition (ce qui revient au même quand il s'agit des non-civilisés)... En outre, dès les temps préhistoriques, les monuments mégalithiques (menhirs, cromlechs, dolmens), les sépultures, les amulettes sont des indices certains de religiosité, auxquels il faut sans doute ajouter les *rondelles crâniennes*, ces fragments d'os détachés intentionnellement du crâne et percés parfois de trous de suspension. La religiosité humaine remonte ainsi à l'âge de la pierre polie". — Quod ita confirmat **S. Reinach***, *Cultes, Mythes et Religions*, Paris, 1905, Introduct. : " L'homme, partout et à quelque époque qu'on l'observe, est un animal religieux; la *religiosité*, comme disent les positivistes, est le plus essentiel de ses attributs, et personne ne croit plus, avec Gabriel de Mortillet et Hovelacque, que l'homme quaternaire ait ignoré la religion ".

comparantur cum institutis religiosis quæ etiam hodie apud *Primitivos* in usu sunt, evidens fit jam ab initio hominem religiosum fuisse [1].

(B) *Primitivi* vocantur gentes incultæ quæ in Africa, in utraque America, necnon in Oceania degunt. Ex earum religione, simpliciora elementa includente, probabiliter inferre possumus quis fuerit cultus vetustissimarum tribuum.

Jamvero, si audiuntur non viatores qui *per transennam* solum cum his populis conversati sunt, sed qui apud eos commorati sunt et eorum linguam et mores didicerunt, ad hæc capita reducitur illorum religio, quatenus sub variis superstitionibus et symbolis latet [2].

113. (a) Omnes fere admittunt existentiam alicujus *principii vitalis* in homine, quod, post mortem, supervivit et in speciali loco inhabitat ubi veneratione et cultu dignum est, si recte vixerit : cujus felicitas pendet ab ejus agendi ratione in præsenti vitâ [3].

(b) Inter illas defunctorum animas, quædam, ab humanis imperfectionibus magis immunes, *spiritibus* adjunguntur qui, hominibus superiores, eisdem provident et cum eis relationes habent. Notari tamen debet inter ipsos spiritus quosdam esse bonos, qui nobis auxilium præstant, alios autem malos qui nobis nocere quærunt. — Spiritibus offeruntur preces et sacrificia, ut a bonis obtineantur beneficia, et ut mali non noceant : quæ offeruntur primum a patrefamilias, posteaque a sacerdotibus speciatim ad hoc deputatis.

114. (c) Præter hos spiritus, plus minusve perfectos, adest *Magnus Spiritus*, qui hominibus, spiritibus atque

[1] **Breuil et Bouissonie,** Art. *Homme* in *D. A*; **Bricout,** l. c. I, ch. I; **Mainage,** *Les religions de la préhistoire*, Paris, 1921; **Guibert et Chinchole,** *Les Origines*, 23e mille, Paris, 1923, p. 501-633.

[2] De his superstitionibus, de totemismo et magia apud *incultos*, cfr. **Bros,** *La Religion des peuples non-civilisés*, cum animadversionibus quas addidit **Mgr le Roy,** in ep. ad auctorem.

[3] Attamen felicitas non semper proportionatur *virtutibus* defuncti, sed sæpe dignitatibus et divitiis quas ante mortem possidebat. Cfr. **Mgr le Roy,** *La Religion des Primitifs*, Paris, 1909, p. 253-254; **A. Bros,** *La mort chez les non-civilisés*, ap. *R. C. F.*, t. LVI, nov. 1908, p. 417-422.

viribus naturæ dominatur. Nomina quibus designatur, eum perhibent tanquam mundi conditorem, altissimum, potentem, animam mundi, eum qui in altis seu in cælo habitat, auctorem vitæ et mortis, a quo omnia pendent, quin ipse ab ullo pendeat. Cum hic sit hominibus inaccessibilis, et aliunde bonus et benefaciens, generatim cultus ei non exhibetur; et ita fit ut quidam viatores putaverint apud has tribus Deum esse prorsus ignotum.

115. (**d**) Quædam sunt licita, quædam vero illicita; homo igitur legem moralem sequi debet, quæ in *justitia* præcipue consistit [1] : secus, pœnas pro peccatis luet. Viget pariter discrimen inter res *sacras* et *profanas*.

(**e**) Religio non est solum individua, sed familialis et socialis, et tanquam omnino *obligatoria* exhibetur.

---

[1] Ita **Mgr A. Le Roy,** qui per viginti annos in Africa inter incultas tribus conversatus est, op. cit., p. 205-208.

In opere *La Religion des Primitifs* (p. 464-465), ita breviter contrahit essentialia religionis *Primitivorum* elementa : " 1° Distinction entre le monde visible et un monde invisible. 2° Sentiment de dépendance de l'homme vis-à-vis de ce monde supérieur, particulièrement dans l'usage de la nature. 3° Croyance en un être suprême, créateur, organisateur et maître du monde, en même temps que père des hommes. 4° Croyance en des esprits indépendants, les uns tutélaires, les autres hostiles. 5° Croyance en l'âme humaine, distincte du corps, survivant à la mort. 6° Croyance en un monde de l'Au-delà, où vivent les Esprits, où les âmes survivent. 7° Sens moral universel, basé sur la distinction du bien et du mal : sentiment de la pudeur, de la justice, de la responsabilité, de la liberté, du devoir; reconnaissance explicite ou implicite de la conscience. 8° Prescriptions et proscriptions en vue d'un but moral ou réputé tel; notion du péché, avec sanction appliquée par l'autorité du monde invisible ou de ses représentants. 9° Organisation cultuelle : prière, offrande, sacrifice, rites, cérémonies, symboles, etc. comme expression de soumission, de reconnaissance ou de supplication. 10° Sacerdoce, d'abord représenté par le chef de la famille, puis par des anciens ou des prêtres spécialement chargés des fonctions sacrées, puis par des corps organisés. 11° Distinction entre le Profane et le Sacré, et affectant les personnes, les lieux, les objets, les paroles, etc. 12° Etablissement et organisation de la famille, comme centre religieux et social, cherchant à conserver la pureté de son sang, s'imposant des lois, se distinguant par des marques spéciales, et se fortifiant par des alliances ". — Quod confirmari potest testimonio **A. Lang** *, qui, in nova editione operis *The Making of religion*, 1900, p. 160-305, rejicit *animismi* theoriam quam prius advocaverat, et docet animismo præivisse monotheismum quemdam, seu fidem in aliquod Ens supremum. Cfr. **R. H. Nassau** *, *Fetichism in West Africa*, London, 1904, p. 38 sq.; **J. L. Wilson** *, *Western Africa*, p. 209. Cf. **G. Koppers,** *La religion et l'Etre suprême chez les Yagans*, in *Etudes*, 20 oct. 1922; **H. Froidevaux,** Art. *Précolombiens (Américains)* in *D. A.*

116. 2° Inter Gentes **Extremi Orientis,** tres recensebimus antiquissimas, *Sinenses*, *Indos* et *Persas*.

(**A**) Apud **Sinenses** [1], secundum veteres libros sacros quos collegit *Confucius* sæculo sexto ante Christum, triplex florebat cultus : (**a**) cultus *Entis supremi*, quod vocatur *Shang-ti* (imperator eminens), aut *Thian* (cælum); Cælum vero de quo agitur non esse materiale, sed designare *dominum cæli*, constat ex iis locis ubi perhibetur tanquam in solio dominans, respiciens super terram, ita ut nil eum lateat, beneficia probis conferens et malos puniens. (**b**) Cultus *geniorum*, seu entium invisibilium, quæ per orbem terrarum mira operantur : his enim maxima potestas competit, fere æqualis potestati divinæ; ita parabatur via polytheismo. (**c**) Cultus *majorum* qui, post mortem, geniis annumerantur, et protegere valent eos qui in terra degunt, eos præsertim a quibus honores accipiunt. Hic majorum cultus ita prævaluit ut apud quosdam principalis omnino esse videatur.

117. *Confucius* triplicem hunc cultum jam tantisper adulteratum renovare conatus est. Statuit ut divinitati, quam *Thian* (cælum) vocat, servaretur indoles potestatis moralis, — ut geniorum ac majorum cultus restringeretur, docens neminem qui adversus Cælum peccavit, geniorum interventu salvari; etsi non directe de vita futura loquatur, eam certo supponit, dum regulat cultum honorificum majoribus præstandum. — Quia vero cultus ita ordinatus multis frigidus videbatur, non pauci Sinenses huic prætulerunt idololatriam et superstitiones [2] quas rejecerat Confucius, aut Budhismum, de quo infra. Imo apud quosdam populares Confucius ipse colitur, eique præstantur divini honores.

118. (**B**) Apud **Indos** antiquitus florebat et adhuc floret *Brahmanismus* [3], cui adhærent homines fere 210.000.000,

---

[1] **Ch. de Harlez**, *Les religions de la Chine*, 1891. Cfr. **J. H. Plath** *, *Die Religion und der Cultus der alten Chinesen*, 1862; **J. Legge** *, *The religions of China*, 1880; **J. J. M. de Groot**, *The religions system of China;* **Abbé de Broglie**, *Problèmes et conclusions*, p. 128-136; **Chant. de la Saussaye** *, *Manuel de l'hist. des religions*, p. 43-60; **Lahousse**, *De vera religione*, n. 246-247; **Wieger**, Art. *Chine* in *D. A.* Cf., quoad *Japoniæ religionem*, **Brou**, Art. *Japon* in *D. A.*

[2] Cultus ille popularis dicetur *Taosismus;* quandoque tribuitur philosopho *Lao-tseu*, Confucii coævo, sed immerito : huic enim non fuit adscriptus nisi multo post, et quidem ad majorem auctoritatem eidem conciliandam.

[3] **Roussel** et **de la Vallée-Poussin,** Art. *Inde* in *D. A.;* **A. Barth** *, *Les religions de l'Inde*, 1870, ap. **Lichtenberger**, Encycl. des Sciences religieuses,

non obstantibus impugnationibus quas passus est a Budhismo, Christianismo et Mohammedanismo.

Libri sacri vetustissimi, quibus hæc religio continetur, vocantur *Vedas* et quadruplicem collectionem efformant, nempe *Rig-Veda*, *Sama-Veda*, *Atharva-Veda*, *Yajur-Veda*, cujus antiquiores partes probabilius sæculo XIV ante Christum adscribi possunt. Brahmani tenent hos libros esse divinos, æternos, ab omni errore immunes, non solum inspiratos, sed quoddam numen. Ibi docetur, juxta quosdam, *monotheismus*, et varia nomina *Indra*, *Mitra*, *Varuna*, *Agni* nonnisi unum eumdemque Deum designant; secundum *Max Müller*, ibi non traditur monotheismus, quia coluntur montes, sylvæ, sol, nubes; neque polytheismus, nam quando isti dii invocantur, non concipiuntur ut limitata potestate gaudentes; sed systema quoddam medium, quod *henotheismum* vocat, in quo videlicet ens infinitum concipitur sine forma determinata; secundum alios, ibi miscetur *polytheismus cum pantheismo :* deificantur enim virtutes naturæ, cælum, terra, luna, aurora, ignis, ventus, tempestas, et isti dii aliquando exhibentur tanquam diversæ manifestationes entis universi.

Ex quo sequitur apud Indos veteres satis vagam fuisse divinitatis notionem : concipiebatur tamen ut Ens superius, cui sacrificium offerebatur ad beneficia impetranda.

119. Hanc popularem religionem *Philosophi* in systema redegerunt, quod est vere *pantheisticum*. Juxta eos, *Brahma*, (in genere *neutro*), est totum universale, germen indeterminatum unde evolvuntur Deus, mundus et omnia. Ex eo procedit *Deus Brahma* (in genere *masculino*), a quo emanant diversæ castæ : ex *ore* ejus orti sunt *brahmani* seu *sacerdotes*, e thorace milites, e ventre mercatores, e pedibus artifices, et ita de ceteris; ita brahmani sunt æquales Brahmæ, ejus vicem gerentes. — Dii vere indigent *sacrificiis*, nec de dæmonibus victoriam reportare olim potuerunt sine sacrificiis, quæ ex se magicam virtutem habent. — Homines, post mortem, in corpora animalium migrant plus minusve perfectorum, prout bene aut male egerint, donec tandem aliquando immutabilitatem acquirant. Qua ratione immutabiles evadant, inter scholas dispu-

— *anglice* redditum et auctum, *Religions of India*, 2ª ed., 1882; **Max Müller** *, *Hibbert Lectures of the origin and growth of religion as illustrated by the religions of India*, 1878; **H. Oldenberg** *, *Die Religion des Veda*, 1894, trad. française par V. Henry, Paris, 1903; **Ch. de Harlez,** *La Bible dans l'Inde;* **Mgr Laouenan,** *Du Brahmanisme et de ses rapports avec le Judaïsme et le Christianisme*, Pondichéry, 1884; **Abbé de Broglie,** op. cit., p. 142-161; **Ch. de la Saussaye** *, op. cit., p. 315-432; **L. de la Vallée Poussin,** *Le Védisme* (Sc. et Religion), 1909.

tatur : juxta *Vedanta*, homines absorbentur a Brahma, unico et universali ente; secundum *San Kya*, anima paulatim se separat a natura, quæ est mutationum causa, et manet sine passionibus, sine actione, sine gaudio et pœna; medium, quo hæc obtinetur liberatio, est scientia et virtus. Cum peccata sint causa mutationum et dolorum, sedulo vitanda sunt : quod fit compescendo omnia desideria cordis, quæ sunt peccatorum causa; si vero quædam committuntur, confessione vitari possunt pœnæ peccato debitæ. Exinde natus est *ascetismus*, seu praxis mortificationum quæ apud quosdam omnino immodica est.

120. Brahmanismus multum immutatus est, sæculo VI ante Christum, a reformatoribus, quorum præcipuus est *Siddatha*, qui vocatur *Çakyamouni* (sapiens a domo Çakya) aut **Budha** [1] (sapiens). Hic enim professus est non inquirendum esse de Ente supremo, de quo nil certi cognoscere valemus, et ita præcursor fuit positivistarum; sed solum de bono faciendo. Cum autem omne malum oriatur e desiderio vivendi, hoc desiderium penitus extirpandum est, cum omnibus passionibus et desideriis quæ in corde germinant. Tunc homo, post plurimas vitas et pravas inclinationes superatas, ingreditur *Nirvana*, statum quemdam immobilitatis et forsan annihilationis.

121. Budhismus propagatus est non solum in India, sed etiam in imperio Sinensi et Japonia, ubi adhuc floret, cum aliis religionibus, sed omnino diversus a systemate quod Budha ipse prædicaverat. Cum enim populus aliqua divinitate indigeat, honores maximos, imo et divinos, Budhæ reddidit; insuper dii antiqui Indorum pariter cultum acceperunt, utpote variæ manifestationes ipsius Budhæ. Ita *polytheismus* revixit, simulque *idololatria :* nam dentes, capilli, ossa, aliæque reliquiæ Budhæ vere adorantur tanquam divinæ substantiæ participes. Pariter *nirvana* non est amplius annihilatio, sed locus cælestis ubi multis sæculis vivitur inter spirituales et sensuales voluptates. Ita Budhismus non potuit popularis fieri nisi commercium aliquod cum divinitate profitendo.

122. Idem relate ad Brahmanismum accidit. Cum cultus Brahmæ redditus nimis frigidus esset, populus alium deum adoravit, *Vishnu* nempe, seu principium vitæ, qui sub variis formis piscis, leonis, testudinis sese manifestavit. Huic Brahmani addi-

[1] Hic breviter solum de Budha et Budhismo disserimus, fusius de eodem acturi, comparando Budhismum cum revelatione christiano-catholica.

derunt *Krishna*, antiquum bellatorem, quem dixerunt unam esse ex formis sub qua Vishnu sese manifestaverat. Postea, ut Budhistas ad suum cultum reducerent, dixerunt *Budha* esse ultimam formam a Vishnu assumptam. Hinc Medio Ævo *trinitas* quædam, seu *trimourti*, efformata est, nempe *Brahma*, *Civa*, *Vishnu* : tres deos in unum coadunaverunt Brahmani, ut diversas sectas conciliarent; initiatos autem docebant tres istos esse manifestationes unius ejusdemque entis universalis. Tandem apud vulgus crevit deorum numerus, hodieque multi sunt dii pluribus ornati capitibus et brachiis : et ita polytheismo favetur. — Ethica, ex una parte, docet ascetismum rigidum, et ex altera, impura bacchanalia promovet.

123. (**C**) Apud **Persas** et **Medos** florebat religio *mazdeensis* seu *avestica*, quæ præcipuum auctorem agnoscebat *Zoroastrem* [1] seu *Zarathustra*, et in sacris libris, imprimis *Zend-avesta*, exposita invenitur [2]. Hodie adhuc excolitur a paucis tribubus, nempe *Guébres*, et 40.000 *Parsis* in urbe Bombay.

(**a**) Hæc religio essentialiter consistit in *dualismo*. Duplex siquidem agnoscitur principium, *principium boni et lucis* et *principium mali et tenebrarum*, utrumque æternum et independens.

Prius, quod vocatur *Ahura*, id est Dominus, aut *Mazda*, sapiens, vel *Ormazd*. Hic spiritualis et scientia perfecta præditus, res bonas producit, sustentat atque eisdem providet; adoratur sub symbolo ignis aut luminis. Hujus potentiæ participes sunt, licet ei subditi, septem spiritus, vocati *Ameshas Spentas* (immortales sancti), qui homines custodiunt ac protegunt contra spiritus malos; apud vulgus, materiales formas paulatim induerunt, et specialem cultum acceperunt. In recentioribus recensionibus Avestæ, Supremo Numini adjungitur *Mithra*, ab Ahura creatus eique

[1] De tempore quo floruit eruditi non consentiunt; juxta alios, an. 2000 a. C., juxta alios, 500 a. C.

[2] *Zend-avesta*, germanice translatum auctore *Spiegel*, 1852-1863, — gallice auctore **Ch. de Harlez**, 2ª ed., 1881, — anglice auctore L. H. Nills, in collectione *Sacred Books of the East*, IV, XXIII, XXXI; **Haug** *, Essays on the sacred language, writings and religion of the Parsies, 3ª ed., 1884; **F. Windischmann** *, Zoroastriche Studien, 1863; **Jackson** *, Zoroaster, the prophet of ancient Iran, New-York, 1899; **Ch. de Harlez**, in period. *Controverse*, 1881, t. I, p. 673; t. II, pp. 385, 449, 591, 717; **Robiou**, *L'Avesta et son origine*, in period. *Rev. des Questions historiques*, XXVII, 6 sq.; **Abbé de Broglie**, op. cit., p. 136-142; **Ch. de la Saussaye**, op. cit., p. 433-484; **Lahousse**, op. cit., n. 248; **M. J. Lagrange**, Art. *Iran* in *D. A.*

æqualis : hic est *deus fidelitatis*, et severe punit eos qui juramentum violant, dum præmia tribuit eis qui fideles permanent. — Ex adverso autem stat principium mali, *Ahriman*, ignorantia quidem laborans sed eam paulatim excutiens contemplando opera principii boni; ea imitari conatur, sed male, ita ut sit auctor mali; ministros habet spiritus tenebrarum et mortis. — Inter utrumque deum bellum grassabitur per plura millia annorum; sed, in fine temporum, *Caoshyand*, e stirpe Zoroastris, principium malum debellabit, et sacrificio oblato mortuos suscitabit, et penitus evertetur regnum Ahriman.

124. (**b**) *Præcepta moralia* ad hæc reducuntur : colendus est Ormazd, deus purus et fidelis, ideoque non solum actiones, sed etiam verba et cogitationes pura esse debent [1]. Homines statim post mortem judicantur : boni paradisum ingrediuntur, mali in infernum detruduntur.

125. 3° In **Oriente** floruerunt præsertim religiones *Semitarum* et *Ægyptiorum*.

(**A**) Nomine **Semitarum** [2] veniunt *Assyrii* et *Babylonii*, *Cananæi*, *Aramæi*, *Arabes*, *Edomitæ*, *Ammonitæ* et *Moabitæ*; necnon *Israelitæ*, de quibus tamen hic non agimus, cum de horum religione acturi simus in secundo Tractatu.

(**a**) Apud Semitas, nomen antiquissimum divinitatis fuit *El* seu *Il*, *Ilu*, a quo derivarunt *Eloah* et *Elohim*; quod nomen, juxta multos, *potentem* aut *dominum* designat, et, juxta alios, eum ad quem tendimus. Quidquid est, illud nomen singulare ostendit olim viguisse conceptum *unius Entis Superioris*, a ceteris rebus distincti, ideoque polydæmonismum excludit [3]. Insuper *El* non exhibetur ut deus

[1] Præter hæc præcepta, alia sunt de animalibus puris et impuris; de contactu cadaverum, quæ nec humari nec cremari possunt, ne his terra aut ignis polluatur, sed exponi debent ut ab avibus devorentur.

[2] De religione Semitarum, cfr. **W. Robertson Smith***, *Religion of the Semites*; **Jastrow***, *The religion of Babylonia and Assyria*; **M. J. Lagrange**, O.P., *Etudes sur les religions sémitiques*, Paris, Lecoffre, 1903; **Smend***, *Lehrbuch der alttestamentlichen Religiongeschichte*; **Baudissin***, *Studien zur semitischen Religiongeschichte*.

[3] " D'où nous pouvons conclure enfin qu'à l'origine tous les Sémites avaient un même nom et un seul pour désigner le divin, conçu comme distinct du reste des choses, et que par conséquent ils le considéraient comme unique d'une certaine façon, n'éprouvant pas le besoin de le déterminer davantage ; tandis qu'il est de la nature du polythéisme que tout être divin soit distinct des autres par

tali vel tali loco affixus, sed solum ut dominus. Appellatur etiam *Eli* seu *Ili*, id est Deus *meus*, ut exinde significetur intimas relationes inter Deum et hominem existere. Fatemur tamen postea plerosque Semitas in polytheismum incidisse.

126. Ita nomen *Baal*, apud Semitas sæpe usitatum, jam designat deum alicui loco affixum, dominum talis vel talis loci, Baal Libani, Baal Hermon, etc.; exinde multi agniti sunt *Baalim*, seu dii secundarii. — Pariter nomen *Mélék*, *Milk*, *Molek* (apud Septuaginta, *Moloch*), quod idem sonat ac rex, est deus localis, qui secundum varias civitates multiplicatur, et cui offeruntur aliquando sacrificia humana; a quibusdam habetur ut deus inferni. — Attamen deus concipiebatur etiam tanquam *pater hominum*, ut constat ex his variis nominibus *Ab-Baal* (Baal pater est), *Bar-Rekoub* (filius dei Rekoub), etc.; hoc autem explicari nequit *totemismo*, qui apud Semitas non vigebat, sed ostendit deum habitum fuisse tanquam bonum et providum [1]. — His autem diis addebantur deæ, præsertim diva *Achera* et diva *Astarte* seu *Ichtar*, dea amoris, de qua Plautus scribebat : " Diva Astarte hominum deorumque vis, vita, salus : rursus eadem quæ est pernicies, mors, interitus " [2] ita dii hominibus comparabantur et via parabatur anthropomorphismo.

127. (b) Diis sacrificia offerebantur, in quibus victima quædam immolabatur ad honorem diis reddendum et beneficia ab eis impetranda, ut ita communio quædam inter deum et homines intimior fieret. Triplicis erant generis : in aliis tota victima consumebatur, sicut in holocaustis; in aliis, pars victimæ consumebatur et alia soli sacerdoti reservabatur; in aliis tandem, præter partem victimæ destructam, una pars sacerdoti, altera offerenti reservabatur.

128. (c) Etsi nonnisi obscura de vita futura apud Semitas inveniantur, constat eos tamen non omnino alteram vitam ignorasse.

---

une note spéciale, aucun d'eux n'étant suffisamment désigné par le seul prédicat du divin. " **(Lagrange,** op. cit., p. 78).

[1] " Dans les obscurités des origines une chose demeure claire : l'hypothèse totémiste ne peut se soutenir qu'à force de suppositions incertaines; pour nous, il suffit qu'une même idée, celle de comparer Dieu à un parent et à un père, se soit produite dans tout le domaine sémitique, avec les applications différentes qu'exigaient les différents états sociaux. Jusqu'à présent nous avons reconnu surtout un Maître dans le dieu des Sémites; maintenant, c'est un protecteur qui est nécessairement un ami; nous touchons à l'attribut de la bonté, du moins dans les limites des liens formés par le culte, assimilés à une parenté ". **(Lagrange,** op. cit., p. 118).

[2] **Plautus,** *Mercator*, IV, sc. VI, v. 825 sq.

Post mortem, defuncti vocantur *rephaïm;* horum anima, *nephech*, supervivit; quare defunctis quidam honores conferuntur, quædam dona offeruntur. Descendunt in inferiora terræ, *cheol*, *arallou*, ubi vitam satis tædiosam ducunt; sed, apud Babylonios saltem, putabatur eos posse resurgere. Aliquando preces pro mortuis offerebantur; quandoque tamen ipsi mortui invocabantur, et ab eis exspectabatur quædam rerum occultarum et futurarum notitia. Tandem quidam inter eos famosissimi diis ipsis annumerabantur.

129. (B) Apud **Ægyptios**[1], qui Semitis affines erant, licet ab eis distincti, vestigia inveniuntur monotheismi simul et pantheismi, imo et idololatriæ. In libris theologicis a sacerdotibus scriptis, reperitur quidem fides in unum Deum, invisibilem, æternum, qui nulla imagine depingitur, neque in templo manufacto inhabitat. Sed non pauci critici contendunt polytheismum ab initio apud populum viguisse, et monotheismum fuisse veluti *synthesim* omnium deorum quos plebs colebat. Probabilius forsan est antiquos Ægyptios notionem habuisse saltem vagam unius Supremi Numinis, et exinde in polytheismum deflexisse; nam nomen *Nouter*, quo utebantur ad designandam divinitatem significat Deum unicum et universalem, cum Ægyptii ad christianam fidem conversi eodem nomine (*Noute*, *Nouti*) usi fuerint ad Deum verum designandum[2].

Attamen, præter hunc invisibilem Deum, multi habebantur dii, qui in maximis templis Abydos et Memphis colebantur : *Ra*, seu *Horus* vel *Toum* (sol), *Ah* seu *Thot* (luna), *Nouit* seu *Hator* (cælum), *Sed* (terra), *Hapi* vel *Osiris* (fluvius Nil); prætereaque dii locales qui in variis civitatibus honorabantur. Postea animalia adorabantur, præsertim taurus Apis, et sic mox floruit idololatria. Insuper divini honores regi seu Pharaoni tribuebantur.

De *mortuis* maxime curabant Ægyptii; ipsis enim persuasum erat non totum hominem mori, sed ejus animam *(ba)* supervivere,

[1] **Virey,** *La religion de l'ancienne Egypte*, Paris, 1910; **R. Lepsius***, Ueber den ersten ægyptischen Götterkreis und seine geschichtlich mythologische Entstehung, 1851; **P. Pierret,** *Essai sur la mythologie égyptienne*, 1879; *Le Panthéon égyptien*, 1881; **P. Lepage-Renouf,** *Lectures on the origin and growth of religion as illustrated by the religion of ancient Egypt*, 1879; **H. Brugsch***, Religion und Mythologie der alten Ægypter, 1888; **Maspero,** *Etudes* de mythologie et d'archéologie égyptiennes, 1892; **Abbé de Broglie,** op. cit., p. 123-126; **Ch. de la Saussaye***, op. cit., p. 69-123; **A. Wiedemann***, *Religion of Egypt*, ap. *Dict. of the Bible*, (Hastings), Extra vol., p. 176-197.

[2] Quod erudite declarat **Ph. Virey,** *Comment les Egyptiens conçurent et définirent la divinité, R. P. A.* t. VII, mars 1909, p. 894-912.

et cælum ingredi posse, ubi cum diis felicitate gaudebat. Sed antea judicium subire debet coram *Osiris* et quadraginta duobus judicibus; qui enim peccaverunt nec pœnitentiam egerunt in inferno diris suppliciis cruciantur.

130. 4° In **Occidente,** recensere sufficiet religiones *Græcorum, Romanorum, Gallorum* et *Germanorum.*

(**A**) In **Græcia** [1] quemdam monotheismum vagum invenimus cum polytheismo mixtum. Ex una parte *Zeus* videtur esse supremus deus, divum pater atque hominum rex [2], simulque providus, in rebus humanis frequenter sese immiscens, ad quem omnes, etiam dii, recursum habere debent. Ex altera vero, deificantur *vires naturæ* atque viri eminentissimi seu heroes.

Ita flumina et fontes, sub nomine *nympharum* coluntur; arbores sub nomine *Dryadum;* animalia quædam cultum pariter accipiebant, ut serpentes, qualis erat Athenis οἰκουρός ὄφις. — Honores defunctis præstabantur; nam Græci putabant animas hominum supervivere et generatim in ipso loco sepulturæ manere, ubi cibum, potum aliaque a posteris accipiebant. Exinde natus est *heroum* cultus, virorum scilicet qui virtute aut dignitate ceteris præcelluerant; hi ut *semi-dii* habebantur. Simul varii dii diversis civitatibus assignabantur, aut variis mundi muneribus præsidebant. Inter deos, duodecim præcipui numerabantur : Zeus seu Jupiter, Hera, Poseidon, Demeter, Apollo, Artemis, Hephestos, Athene, Ares, Aphrodite, Hermes et Hestia.

131. Cultus primitus non in templis perficiebatur, sed in sacris nemoribus, super altaria sub dio erecta; neque tunc erant idola, quæ nonnisi postea erecta fuere. Diis sacrificia offerebantur, quandoque humana, quibus Græci sibi divinum favorem conciliare intendebant. His addebantur orationes, ad beneficia impetranda, aut ad gratias pro præteritis donis agendas, aut etiam ad adorationem Supremo Numini reddendam. Cultus exhibebatur in qualibet *familia* præcipuis diis, sed præsertim *Hestiæ*, quæ domi specialis

[1] **Stengel***, *Die griechischen Sakralalterthümer*, ap. **Müller.**, *Handb. der Klass. Alterthumswiss.*, V. 3, 1899; **Gruppe***, *Griechische Culte und Mythen*, 1887; **A. Maury,** *Histoire des religions de la Grèce antique*, 1857-59; **P. Decharme,** *Mythologie de la Grèce antique*, 1886; **Daremberg et Saglio,** *Dict. des antiquités grecques et romaines;* **Percy Gardner and F. B. Jevons***, *Manual of greek antiquities*, 1895; **Ch. de la Saussaye***, op. cit, p. 485-587; **Fustel de Coulanges,** *La Cité antique*, 16e ed., 1898; **Hastings***, *Dict. of the Bible*, Ext. vol., p. 109-156; **Huby,** Art. *Grecs*, in *D. A.*

[2] **Virgilius,** *Æn.*, x, 2, et alibi.

erat protectrix; insuper in qualibet *phratria*, quæ erat quasi ipsius familiæ extensio; et tandem in *civitate*, pro tota natione : ita cultus non solum privatus et familialis sed etiam publicus et nationalis erat. Decursu temporum instituti sunt cultus secreti, initiatos tantum ad sua *mysteria* admittentes : mysteria præcipua in Eleusine celebrabantur.

Notandum quoque est, labore *philosophorum*, apud aliquos monotheismum quemdam, saltem theoreticum, prævaluisse.

132. (B) Græcæ religioni affinis est *Romanorum* religio[1]. (a) Apud eos viget quidem polytheismus, imo et inveniuntur quædam pantheismi vestigia. Attamen, inter deos, unus antiquitus præ ceteris colebatur, nempe *Janus*, qui ut principium omnium rerum habebatur; postea vero quando Græca civilitas Italiam pervasit, principalis inter deos factus est Jupiter. Teste *Ennio*, duodecim præcipuæ recensebantur divinitates :

> " Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
> Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo ".

133. (b) Ceteroquin religiosissimi erant Romani, in vita tum privata tum publica : cultus totam eorum vitam pervadebat eique aliquid sacri conferebat. Cuique familiæ præerat *Vesta;* domum protegebant dii *Penates*, necnon *Lares*, seu spiritus majorum jam defunctorum : his sacra precesque offerebantur a patrefamilias, mane, tempore prandii; festaque in eorum honorem celebrabantur statis diebus, necnon in præcipuis vitæ circumstantiis. Supra familiam erat *gens*, ex omnibus familiis constans quæ ab uno eodemque avo descendebant; hæc suum habebat *gentilicium* cultum, qui reddebatur a *flamine*, seu sacerdote ab ipsa gente electo. Quo facilius cultus perpetuus maneret, creata sunt *collegia* et *sodalicia*, non solum inter patricios sed etiam inter plebeios, quorum munus erat sacra celebrandi, totius communitatis nomine. Tandem *Civitas* ipsa suos habebat lares, Romulum et Remum, suum Numen, Vestam nempe, cui speciale templum dedicabatur, in quo sacer ignis perpetuo a virginibus accensus servabatur. Duplicis generis sacra celebrabantur : sacra *popularia*, quæ laribus *compitalibus* seu laribus cujusque vici offerebantur; et sacra *publica*, quæ, nomine totius reipublicæ, a *flaminibus* seu sacerdotibus offerebantur.

[1] **Mommsen und Marquardt**, *Handbuch der römischen Alterthümer*, t. VI, *gallice*, redditum auctore *Brissaud*, *Manuel des antiquités romaines*, t. XIV, Le culte chez les Romains; **Bouché-Leclercq**, *Manuel des Institutions romaines*, 1896; **G. Wissowa***, *Religion und Kultus der Römer*, 1902; **André Baudrillart**, *La religion romaine*, 1905 (Science et Religion.)

134. (**c**) In precibus et sacrificiis bona temporalia fere exclusive postulabantur; ritus veluti magicam virtutem habere censebantur, ita ut minima omissio aut mutatio validitati noceret. Attamen dii ultores criminum existimabantur, et speciatim juramenti violationem injustitiamque stricte puniebant, non solum in præsenti, sed etiam in altera vita. Dum vero quædam festa pietatem et puritatem foverent, alia, ut bacchanalia et saturnalia, turpissima promovebant vitia. Quod quidem præcipue accidit quando græca et orientales religiones Romam invaserunt. (**d**) Tempore imperii, *cultus Romæ et Augusti* a statu præcipiebantur; sed religiosior pars civium in cultibus mysteriorum orientalium suarum aspirationum satisfactionem quærebat.

135. (**C**) De antiqua **Gallorum** religione pauca novimus [1]. Tempore quo Cæsar Galliam invasit, jam vigebat polytheismus; præcipui quos colebant dii erant Mercurius, Atesmerius, Mars (Belatueradus), Apollo (Bowo), Jupiter (Aramo), Silvanus. Sed multa erant alia numina : fontes enim et flumina deificabantur. Cultus a *druidis* perficiebatur, qui maxima auctoritate gaudebant; sacrificia offerebantur, sæpe humana, præsertim tempore belli. Firmiter Galli tenebant *animam esse immortalem*, et præsenti vitæ alteram succedere in qua omni genere bonorum frui exspectabant; quare mortalem vitam haud magni faciebant nec morte terrebantur.

136. (**D**) Plura de **Scandinavis** et **Germanis** novimus [2], licet aliquatenus obscura.

(**a**) In *Scandinavia* tres præcipui colebantur dii : *Thor*, qui tonitrui præsidet; *Odinus* seu *Wodan*, qui primum tanquam sapientissimus habitus est posteaque tanquam deus belli; *Friggo* seu *Freyr*, deus pacis et abundantiæ, qui postea impurum cultum obtinuit. Quibus adjungebantur deæ, præsertim *Hertha*, seu tellus, *Holda*, venatorum patrona, *Frea*, seu dea fecunditatis et

[1] **H. d'Arbois de Jubainville**, *Cours de littérature celtique*, t, I et II, Paris, 1883-84; **A. Bertrand**, *La religion des Gaulois, les druides et le druidisme*, 1897; **A. Holder**, *Alceltischer Sprachschatz*, Leipzig, 1891-1903; **J. Rhys**, *Lectures on the origin and growth of religion*, as illustrated by Celtic-Heathendron, London, 1888; **G. Dottin**, *La Religion des Celtes*, Paris, Bloud, 1904.

[2] **Tacitus**, *De origine, situ, moribus ac populis Germanorum;* **J. Grimm**, Die deutsche Mythologie, 4e ed., 1875-1878; **Chantepie de la Saussaie** *, The religion of the Teutons, 1902; **A. F. Ozanam**, *Les Germains avant le Christianisme*, ch. II, La Religion, Paris, 1872; **Ch. de la Saussaye**, *Manuel d'hist. des religions*, p. 675-700.

amoris. Multi erant alii dii secundarii. His omnibus sacrificia offerebantur, quandoque humana, a sacerdotibus qui simul erant principes temporales. — In libris sacris a sacerdotibus scriptis, quædam inveniuntur monotheismi vestigia : deus siquidem exhibetur ut potens, remunerator et judex, qui malos severe puniet atque justos præmiabitur [1].

(b) *Germani* eamdem fere religionem, paucis tantum mutatis, habebant. Quoddam supremum numen *(Gott)* in sylvis colebant, quod neque picturis neque statuis repræsentabant. Præterea, tres præcipuos deos adorabant, teste Tacito, nempe *Mercurium*, *Herculem* et *Martem :* hæc sunt nomina latina ad significandum *Wodan* (Odin), *Thor* et *Donar*. Quibus multa inferiora addebantur numina. Vitam futuram credebant, in qua justi præmia suorum laborum accipiebant. Sed multæ superstitiones atque magicæ artes, necnon impuri atque crudeles ritus cultum religiosum deturpabant.

137. Conclusio. Quibus rite inspectis, merito infertur apud omnes gentes et tribus, ab initio, quamdam floruisse religionem, quæ essentialiter tribus constabat elementis, aliquot *dogmatibus*, moralibus *præceptis* et *ritibus*.

(a) Inter *dogmata*, recensetur *fides in aliquod numen*, homini superius, de homine curans ipsique nocere aut prodesse valens, non solum in præsenti sed etiam in altera vita; exinde eruitur *obligatio* hoc numen placandi, adorandi et variis precibus et sacrificiis conciliandi.

Ens illud superius concipitur tanquam judex et *remunerator*, malos puniens rectisque præmia conferens.

(b) Dantur proinde *præcepta moralia* quæ, etsi in multis diversa, in eo concordant quod impietatem et injustitiam prohibent, pietatem erga deos et parentes, justitiam erga omnes imperant, ita ut legis violatores pœnas subeant sive æternas sive saltem valde diuturnas.

(c) In omni pariter religione inveniuntur *ritus speciales* et minutim determinati, quibus dii coli debeant quibusque ab eis beneficia obtineri possint; horum efficacia pendet non solum a dispositionibus precantium et offerentium, sed a scrupulosa observatione minimorum rituum.

[1] Ita describitur ap. *Edda Sæmundar :* " Tum venit Potens ille, — ad magnum judicium, — validus e superis, — qui omnia regit. — Fert hic sententias et causas dirimit, sacra fata... quæ semper durabunt ".

Quibus positis, horum phænomenorum *explicatio* sedulo quærenda est.

II. Factorum religiosorum explicatio.

138. Dicimus : *Ex historia religionum merito infertur religionem ita esse naturæ humanæ connaturalem et ingenitam ut necessaria dicenda sit;* scilicet necessaria est homini eo sensu quod homo tota sua natura rationali movetur ad reddendum cultum Enti Supremo ad cujus existentiæ cognitionem quasi sponte assurgit.

Quod quidem duplici modo probabimus : 1° adversariorum hypotheses confutando; 2° veram solutionem statuendo.

1° Falsæ aut incompletæ hypotheses rejiciuntur.

Factum religiosum, tam universale tantique momenti, explicare et tandem eludere conantur adversarii, ostendendo sensum religiosum paulatim evolutum esse, ideoque valore absoluto carere [1].

139. (**A**) **Positivistæ** cum *A. Comte* et *M. Littré* [2] contendunt humanitatem in sua religiosa evolutione tres status vel tria stadia percurrisse : (**a**) stadium *theologicum*, in quo homines naturalium phænomenorum causam reponunt in entibus superioribus; (**b**) stadium *metaphysicum*, in quo natura explicatur entibus seu *conceptibus metaphysicis;* (**c**) *stadium positivum*, ubi phænomena scientifice explorantur *legibusque naturalibus* explicantur. Religio ergo nihil est nisi fructus ignorantiæ, expressio scilicet mythologica admirationis, quam experti sunt primi homines (sicut et hodie Primitivi seu inculti populi) stupenda naturæ phænomena contemplantes : supponentes enim vim occultam seu aliquem spiritum his inesse, ea adoraverunt, et animismum aut fetichismum coluerunt : a quo pedetentim ad polytheismum et monotheismum gradum fecerunt. Hic autem conceptus omnino evanescet coram scientia.

---

[1] Innumera sunt systemata : de quibus vide **Pinard de la Boullaye**, *L'étude comparée des religions*, Paris, 1922. Hic tantum de præcipuis agimus.

[2] **A. Comte**, *Cours de philosophie positive;* **M. Littré**, *Paroles de philosophie positive :* quorum theorias lucide et critice exponit **E. Boutroux**, *Science et Religion*, Paris, 1908, p. 37-39.

140. Hæc hypothesis 1) supponit veram *scientiam incompossibilem esse cum conceptu Entis Supremi*, quod falsum apparet ex viris in omni scientia peritis simul et religionem colentibus; 2) *opponitur factis historice certis*, cum apud nonnullos populos religio e monotheismo ad idololatriam et polytheismum [1] paulatim deciderit, ut constat ex superius dictis (nn. 114, 116, 118, 123, 125, 129, 130, 136); et aliunde lex *trium statuum* experientia historica non confirmatur; 3) *fundamento caret*, nam prima religio hominis citra revelationem nobis ignota remanet; ostendi nequit tribus incultas hodie vigentes servasse formam antiquiorem religionis [2], multique critici affirmant eas non esse deditas naturismo aut mero animismo [3]; 4) *impar est explicandis fructibus moralibus* ideæ religiosæ, qui, quando perennes sunt, errori tribui nequeunt; imo et notionibus cuique religioni essentialibus, v. g., notionibus juris, officii et obligationis moralis : hæc enim omnia supremum legislatorem supponunt.

141. (B) **Systemata evolutionistarum** [4]. Ad positivismum plus minusve accedunt variæ hypotheses, quæ religionis originem explicare conantur *naturali evolutione* idearum quas, inquiunt, conceperunt primi homines vix a brutis distincti. Tria systemata distinguuntur, scilicet *animismus*, *magia* et *tabouismus*. (a) Secundum quosdam, primæva religio ex *animismo* orta est : homo quippe,

---

[1] Quod admittunt non pauci acatholici, ut **Max Müller** *, qui putat ab initio floruisse *henotheismum*, seu quamdam monotheismi formam satis vagam (*Lectures on the origin and growth of religion; Essais sur l'histoire des religions*, trad. par *G. Harris*, Paris, 1872. p. 447); **A. Lang** *, qui censet homines a monotheismo in polytheismum incidisse, etc. — Catholici autem, cum **Abbé de Broglie**, *Probl. et Concl. de l'hist. des Relig.*, p. 60-88, ostendunt etiam *historice* multo probabiliorem esse hypothesim quæ admittit primitivam religionem fuisse monotheismum, ex quo postea, per modum corruptionis, ortus est polytheismus. Quod confirmat **DD. Le Roy**, in opere supra laudato, *La Religion des Primitifs*.

[2] " L'état social du sauvage, malgré ses incohérences, est beaucoup trop compliqué pour être primitif... La religion même, si pauvre dans le fond, est chargée de rites minutieux qui attestent un long développement. Le sauvage est donc au terme d'une évolution, mais d'une évolution manquée ". (**Lagrange**, *Rel. sém.*, p. 5).

[3] Cf. n° 114; **DD. Le Roy**, *La rel. des Primitifs*, p. 464-465.

[4] *D. A.*, *Animisme*, auctore **Bugnicourt**; *Magie*, auctore **Bouvier**; **de Broglie**, *Problèmes*, c. III; legantur etiam *Chroniques des Religions* in variis periodicis, v. g., *Recherches des Sc. relig.*, *Rev. des Sc. Phil. et Théol.*

mundum ad suam similitudinem excogitans, res omnes tanquam *animatas* fingit, diversa phænomena diversis *spiritibus*, plus minusve ab eis distinctis, attribuens. Inter hæc entia unum aut alterum *divinam dignitatem* attingit atque *deus* vocatur. (**b**) Juxta alios, religionis exordium in *magia* invenitur [1], quæ *viribus ignotis* naturæ utens, easdem in entia divina erigit. (**c**) *Tabouismum* excogitavit *Sal. Reinach :* homo siquidem, timori addictus, et pericula vitare volens, quasdam res tangere non audet, ne forte ex eis aliquod damnum patiatur : quas res tanquam *sacras* seu *tabou* [2] reputat. Exinde natæ sunt præscriptiones multæ prohibentes ne talis res tangatur, ne talis actio fiat; exinde orta est lex moralis et idea alicujus numinis necnon religionis. (**d**) Alii tandem hæc omnia systemata permiscent : ab animismo derivatur dogma, a tabouismo ethica, a magia cultus [3].

142. Ad hæc systemata animadvertere licet : (**a**) Supponunt *evolutionismum integralem*, qui theologice, scientifice et philosophice falsus est [4]. (**b**) Derivant religionem, factum universale, a phænomenis quæ, *neque universalitate gaudent neque sola*, absque religione aliqua, *inveniuntur*. (**c**) Considerant animismum, magiam et tabouismum ut phænomena primitiva, unice quia *mentem crassam et rudem revelant*, cum e contra regressus multos historia patefaciat. (**d**) Quoad *animismum* in specie, revelat comprehensionem generalem mundi, animo inculto multo difficiliorem quam sit religio ipsa [5]. (**e**) *Magia* et religio nimis inter se differunt (n° 105), ut una ab alia defluere possit [6]. (**f**) *Tabou* autem existentiam Entis superioris supponit, qui talem observantiam statuit.

---

[1] " La foi aux dieux serait sortie de la crise d'âme, par laquelle, après de longs siècles d'exercice, passèrent les sorciers, s'apercevant enfin de l'inanité de leur art ". (*D. A.*, Magie, col. 68.)

[2] *Tabou* in Polynesia designat res aliquas interdicto religioso vel superstitioso subjectas. — [3] Ita **Loisy** *, *La religion*, Paris, 1917, p. 99-104.

[4] Cf. **Guibert-Chinchole**, *Les Origines*, Paris, 1923, p. 357-406.

[5] Idea Creatoris qui mundum produxit, quemadmodum homo opera sua facit, multa concretior est quam idea spirituum omnia moventium. Sic **Lagrange**, *Rel. sem.*, p. 23.

[6] Animismus et Magia potius vocantur prima experimenta hominis ad mundum explicandum et ad vires naturæ domandas.

143. (C) **Psychologistæ**[1] putant religionem e *subconscientia* oriri. Infra conscientiam, admittunt existentiam subconscientiæ, in qua obscure et latenter formantur paulatim syntheses omnium idearum et imprimis idearum religiosarum. Cum autem synthesis religiosa in conscientiam irrumpit (quod fit in *conversione* quam *W. James* ut phænomenon religionis magis proprium habet), emotionem suam homo interpretatur quasi Ens quoddam superius eum tetigisset. Ita obtinetur conceptus divinitatis, qui postea secundum varias emotiones religiosas evolvetur. — Cui hypothesi favent hodierni *Modernistæ*[2], qui contendunt religiosos sensus, primum ex *subconscientia* ortos, postea intima experientia perceptos, tandem in dogmata et præcepta fuisse conversos.

144. (a) Hæc hypothesis supponit *doctrinam philosophicam* de subconscientia quæ philosophice falsa est[3]. Admittimus quidem aliquem laborem obscurum, latentem facultatum nostrarum; sed quando hujus laboris fructus in lucem conscientiæ erumpit, nunquam (in casibus saltem ordinariis nec pathologicis) consideratur ut ab alio ente productus, sed tanquam fructus laboris facultatum nostrarum. (b) Supponit quoque *ideas ab emotionibus* provenire, nihilque aliud esse quam emotionum complexum; quod quidem falsum est, cum homo ante omnia intellectu et voluntate præditus sit. (c) Aliunde *conversio*, cui *James* originem religionis tribuit, est aliquid raro occurrens, dum religio in omnibus temporibus et locis existit. (d) Psychologismus tandem *moralem obligationem* non explicat, quam omnes imponunt religiones, et

[1] Ita, **W. James** *, *L'expérience religieuse*, Traduction Abauzit, 2e éd. 1908. Cujus doctrinas exponit atque confutat **G. Michelet**, *Dieu et l'Agnosticisme contemporain*, Paris, 1909, p. 114-182. Cf. **Mainage**, *La psychol. de la conversion*, 3e éd. 8e Leçon.

[2] Ita, inter alias **A. Loisy** (in primis suis libris), **G. Tyrrel** necnon auctores operis *Programma dei Modernisti;* cfr. Appendix de modernismo.

[3] Ducit ad pantheismum, ut ex opere "*L'expérience religieuse*" clare apparet. Cf. e. g. pp. 425, 427, 428, 433, 434. Sic p. 428 legitur : "Sous toutes les croyances religieuses il existe un contenu positif de l'expérience religieuse, dont la réalité ne peut être mise en doute : c'est le fait que le *Moi* conscient ne fait qu'un avec un *Moi* plus grand d'où lui vient la délivrance".

quæ, nisi ab Ente superiore proveniat, nullum valorem præ se fert [1].

145. (D) **Sociologistæ** [2] contra Psychologistas tenent religionem ut aliquid *mere sociale*. — Sic ejus originem describunt. Cum homo in societate aliqua versatur, experitur se supra id quod individualiter est elevari, seque partem esse organismi homine majoris, a quo et pendet, nempe societatis : quod recentibus studiis de turbarum psychologia (gallice *psychologie des foules*) manifestatum est. Etiam homo primitivus hoc animadvertit, indeque distinctionem instituit inter affectus sociales, quos *sacros* vocat, et affectus individuales, qui *profani* dicuntur. Jamvero id quod *sacrum* habetur, paulisper imaginatione ad personæ dignitatem evehitur [3], sicque nascuntur *spiritus* et *dei*, qui tamen nihil aliud sunt nisi societatis aliqua *personnificatio* [4].

---

[1] *Psychologismum differentem* exponunt **Murisier** *, *Maladies du sentiment religieux*, Paris, Alcan, 1901; **Ribot** *, *Psychologie des sentiments*, 5e éd. Paris, 1905, p. 307-329, secundum quos religio nihil aliud est quam evolutio psychologica animi affectuum, (plus minusve morbidorum), qui de timore ad amorem progressi sunt. Neque hic explicatur quomodo semper et ubique nati sint conceptus Entis Supremi et obligationis moralis. Cf. **Boutroux**, *Science et Religion*, p. 169-207.

[2] Ita præsertim **Durkheim** *, *L'Année sociologique*, 1898, ubi exponit *La définition des phénomènes religieux; Les formes élémentaires de la vie religieuse*, Paris, 1912; **Hubert** *, Introductio ad *Manuel d'histoire des religions par Chantepie de la Saussaye;* **Fauconnet** et **Mauss** *, *Grande Encyclopédie*, article *Sociologie*. — Quam theoriam exponit et confutat **G. Michelet**, op. cit., p. 1-70; **Id.**, *Une récente théorie française sur la religion*, *R. P. A.*, VI, p. 268-283, 337-345. **Id.**, *Pour la psychologie religieuse*, *R. C. F.*, 15 janv. et mars 1905; **C. Piat**, *L'origine de la pensée religieuse*, *Correspondant*, 10 sept. 1912, p. 944-962; **A. Bros**, *Les affirmations de l'école sociologique sur les Religions*, in *R. A.*, 15 mars 1923, p. 705-725; **G. Fonsegrive**, *L'origine de la religion*, *Correspondant*, 10 avril 1915, p. 121-149.

[3] Mediante imagine alicujus plantæ vel animalis, quod "totem" vocatur (vide infra, notam quartam.) Hæc imago primum tanquam vexillum tribus considerata est; postea vero planta vel animal ipsum, ut signum tribus et ut forma sensibilis divinitatis, protectoris tribus, retenta sunt.

[4] "Le totem... exprime et symbolise deux sortes de choses différentes. D'une part, il est la forme extérieure et sensible de ce que nous avons appelé le principe ou le dieu totémique. Mais d'un autre côté, il est aussi le symbole de cette société déterminée qu'on appelle le clan... Si donc il est, à la fois, le symbole du dieu et de la société, n'est-ce pas que le dieu et la société ne font qu'un?... Le dieu du clan, le principe totémique, ne peut donc être autre chose que le clan lui-même, mais hypostasié et représenté aux imaginations sous les

Probationes quas afferunt sociologistæ tria præsertim facta complectuntur : (a) *obligatio moralis*, quæ omnibus religionibus communis est, a nullo alio provenire potest nisi a societate, quæ solo individuo major invenitur; (b) *traditio*, quæ in omnibus religionibus primum locum tenet, essentialiter institutio *socialis* est; (c) *totemismus*[1] tandem, qui apud rudes primitivos tanquam rudimenta religionis constituit, certe socialem aspectum præ se fert.

146. Sociologismus, contra psychologismum, merito *socialem* aspectum religionis vindicavit. Attamen ut explicatio adæquata facti religiosi minime haberi potest. (a) Est *nimis exclusivus :* Religio quidem est factum essentialiter sociale, sed *non mere sociale.* (b) Methodum advocat quæ individui ideas et agendi rationem e sola societate explicare conatur; quod quidem admitti nequit; cum enim societas individuis constet, societas ipsa non potest rite explicari sine recursu ad individua quibus constituitur. (c) Distinctio *sacri* et *profani*, quam ut essentiam religionis habet, minime ad distinctionem inter sociale et individuale reducitur. Sunt sociales institutiones quæ profanæ reputantur, et facta individualia quæ ab omnibus ut sacra habentur. *Sacrum* et *profanum* non explicantur nisi relatione plus minusve stricta ad aliquod Numen. (d) Confusionem inducit inter *vim coercitivam*, quæ quidem a societate derivat, et *obligationem moralem*, quæ interdum vi coercitivæ totaliter opponitur[2] : hæc enim ab intrinseco, in conscientia agit, et multo melius per Ens supremum quam per societatem explicatur. (e) *Traditio* in religionibus valorem habet non quia factum sociale est, sed quia tanquam vera aut tanquam fons veritatis

espèces sensibles du végétal ou de l'animal qui sert de totem ". (**Durkheim,** *Formes élémentaires*, p. 294-295.)

[1] *Totem* apud *Indianos* dicitur animal, vel planta aut aliquid hujusmodi, a quo certa quædam tribus originem suam ducere putat. Indianus qui vulpem v. g. tanquam *totem* habet, ab ejus nomine se appellat, eam pro genio habet, omnes vulpes cognatos existimat, eas non occidit nec ejus carnibus vescitur, neque puellam, quæ eumdem totem colit, in matrimonium ducit. *Totemismus* habetur a nonnullis ut *religio*, quæ a tribu seu hominum collectivitate originem ducit. Cfr. **A. Bros,** *La religion des non civilisés*, p. 217-244.

[2] " Loin que la conscience religieuse consente à s'identifier avec la conscience sociale, elle incline l'homme à opposer les droits de Dieu à ceux de César, la dignité de la personne à la contrainte publique ". (**Boutroux,** *Science et Religion*, p. 206.)

consideratur. (f) Tandem *totemismus*, cui tanquam facto inconcusso et universali innituntur sociologistæ, non est proprie religio, sed pactum quoddam, vi cujus homines cujusdam tribus consociantur cum animalibus alicujus speciei determinatæ seu potius cum spiritu invisibili qui sub his animalibus latere supponitur; ex una parte, homines animalia hujus speciei neque occident neque comedent, et ex altera, hæc animalia supponuntur præfatis hominibus non nocitura. Est igitur quædam superstitio, quæ religioni jam antea existenti superadditur, sed religionem ipsam minime constituit : ubi enim hæc viget superstitio, simul adest cultus religiosus, fides in aliquod Numen et in futuram vitam, et totemismus ipse ut quid accessorium habetur [1].

147. *Concludendum est* ergo has hypotheses non sufficere ad explicandam originem ipsius Religionis. Concedimus tamen adversarios multa collegisse quæ scientiæ religionum magnopere profuerunt, quibusque ostenditur quam multum conferant ad conservandam Religionem phænomena naturæ, inclinatio religiosa hominis et societas humana [2].

---

[1] Ad rem **DD. Le Roy,** *La Religion des Primitifs*, p. 132 : " Le Totémisme est un moyen dont les hommes primitifs se sont servis pour unir, distinguer, fortifier et étendre la famille, par un pacte magique. Il ne crée ni la conscience religieuse, ni la morale, ni la croyance aux esprits, ni le sacrifice, ni la communion : il *suppose*, au contraire, *tout cela déjà existant*, et il s'en sert lui-même pour se constituer et se perpétuer. Pour faire une alliance avec un être invisible, il faut croire qu'il existe; on ne s'allie pas avec le néant. Il n'est donc pas la Religion primitive, il n'est même pas une religion, et pas même une partie de religion. C'est un pacte magique familial et social. — Et, comme conclusion, nous définirons le Totémisme : " Une institution consistant essentiellement en un pacte magique, représentant et formant une parenté d'ordre mystique et supranaturel, par lequel, sous la forme visible d'un animal, et, exceptionnellement, d'un corps végétal, minéral ou astral, un esprit invisible est associé à un individu, à une famille, à un clan, à une tribu, à une société secrète, en vue d'une réciprocité de services ".

[2] Omnia prædicta systemata hoc commune habent quod facta religiosa *sine Deo* explicare conantur : quod est præjudicium veritati valde nocivum. Inter se differunt non solum quoad explicationes contradictorias quas afferunt, sed quoad opinionem quam profitentur de *utilitate religionis*. *Priora* religionem ut *abolendam* considerant; psychologistæ vero sensui religioso (abstrahendo a veritate objectiva) aliquem favorem præbent; sociologistæ tandem religionem conservare intendunt, sed tantum ut institutionem socialem. Sic de his ultimis scribit **Bros** (*l. c.*, p. 712) : " Les forces religieuses ont la réalité des constructions sociales auxquelles elles sont liées, mais les symboles dans lesquels elles sont pensées et les figurations rituelles qu'elles revêtent sont imparfaites et

2° Vera explicatio facti religiosi statuitur.

148. *Causa facti religiosi vera in toto homine quærenda est* qui, nisi religionem colat, finem suum non attingit, et sic beatitudinem non invenit, nec potentiis suis satisfactionem impertitur.

Argumentum ita proponi potest :

Finis hominis, simul cum ejus beatitudine, in eo consistit quod omnibus potentiis suis verum et bonum prosequatur et attingat.

Atqui religio et religio sola homini verum et bonum præstat, scilicet summum verum et bonum, Deum ipsum.

Ergo sola religione homo attingit finem suum, simul cum beatitudine [1].

149. (**A**) **Quid sit finis hominis?** Homo, velit nolitve, beatitudinem suam quærit.

Hæc sane sita est in completa satisfactione nobilissimarum aspirationum quæ facultatibus proprie humanis insunt. Quænam sint hujusmodi aspirationes declarare oportet.

(**a**) Ex parte *intellectus* : homo ad veritatis cognitionem assurgere conatur non qualiscumque, sed integræ, et in ea proficere, non obstantibus mysteriis et nebulis quibus velatur; præsertim vero de problemate *suæ originis suique finis ultimi* vult certior fieri : utrum nempe finis noster *in nobismetipsis* quærendus sit an *extra nos;* utrum anima nostrâ sit *immortalis* an *cum corpore pereat;* quisnam futurus sit *status noster post mortem; quibus mediis* finem prosequi debeamus, propriis viribus an Deo juvante.

(**b**) Ex parte *voluntatis*, tendimus in *bonum*, et quidem integrum, perfectum et perenne; *amare* quidem volumus, sed id quod amore dignum sit et cordis perpetuo impleat

---

peuvent être vidées de tout objet autre que le social même, et partout laïcisées. C'est, au fond, la légitimation d'une certaine religion sécularisée et athée ".

Evidens est nullum horum systematum cum veritate catholica componi posse.

[1] **Hettinger,** *Apologétique*, § 6; **Gondal,** *Religion*, 1904, p. 53-93; **J. Guibert,** *Le Mouvement Chrétien*, Paris, Bloud, 1903, p. 5-45; **Abbé de Broglie,** *Preuves Psychologiques de l'Existence de Dieu*, Paris, 1905; **M. Serol,** *Le Besoin et le Devoir religieux*, Paris, Beauchesne, 1908. Multa etiam perutilia invenies in **Blondel,** *L'Action*.

desideria. Ad quod consequendum, indigemus *regula morum* qua in prosecutione boni dirigamur; *auxilio* et *stimulis*, quorum ope bonum cognitum indesinenter operemur : nam, præter nobilissimas aspirationes, nobis insunt propensiones *pravæ* quibus ad malum, utpote delectabile, vehementer allicimur, et nisi potenti manu juvemur, sæpe et facile in malum prolabimur.

(c) Insuper *natura sensibilis* hominis aliqua satisfactione indiget.

Quæ aspirationes homini connaturales sunt, nisi sit sua conditione indignus : derivari possunt ad deterius objectum, vel obnubilari præjudiciis, voluptatibus vel terrenis bonis; sed occasione data, statim orientur.

150. (B) Religio aspirationes hominis implet. In nulla re creata homo beatitudinem suam invenire potest [1], quia, sive per intellectum, sive per voluntatem, ad summum bonum, ad summum verum tendit, semper ad altiora anhelans. Nam, ut ait *Angelicus Doctor:* " Objectum voluntatis est universale bonum, sicut objectum intellectus est universale verum. Ex quo patet, quod nihil potest quietare appetitum hominis, nisi bonum universale, quod non invenitur in aliquo creato, sed solum in Deo, quia omnis creatura habet bonitatem participatam " [2]. Donec in Deo quiescamus, inquieti remanemus. Ergo sponte tota natura ad Deum assurgimus [3].

---

[1] Quod egregie ostendit **S. Thomas**, *C. Gent.* l. III, cap. II, III, XVI-XXXVII. — [2] I[a] 2æ, q. 2, a. 8.

[3] Sic **S. Augustinus** : " Satis ostendis, (Domine), quam magnam creaturam rationalem feceris, cui nullo modo sufficit ad beatam requiem quidquid te minus est, ac per hoc nec ipsa sibi ". (Conf. l. XIII, c. VIII, 9). Sic etiam **Blondel** : " Le terme auquel l'action réfléchie semble éprouver l'impérieux besoin de se suspendre, c'est un absolu, quelque chose d'indépendant et de définitif, qui soit hors de l'enchaînement des phénomènes, un réel hors du réel, un divin ". (*L'Action*, p. 303). Deo indiget humanitas, et quando vero Deo satiari nequit, etiam lapides Deum arbitratur : " L'appétit du divin se jette en pâture même les pierres... Point d'acte, si infâme qu'il soit, où l'on n'ait placé le divin ". (**Ib.**, p. 308). — Psychologice res illustratur testimonio conversorum. Unus e recentioribus audiatur : " Je faisais le mal, mais je ne l'approuvais ni ne l'aimais... Vous me faisiez sentir un vide douloureux, une tristesse, que je n'ai jamais éprouvée qu'alors;... elle me revenait chaque soir lorsque je me trouvais seul dans mon appartement... elle me tenait muet et accablé pendant ce qu'on appelle les fêtes : je les organisais, mais le moment venu je les passais dans un mutisme, un dégoût, un ennui infinis... Vous me donniez cette inquiétude

In Religione beatitudo invenitur, quia totam nostram vitam ad Deum religat, sicque nobis Summam Veritatem et Summum Bonum præstat.

151. (a) *Intellectus* in religione solutionem invenit omnium problematum quæ mentem agitant. Omnes siquidem religiones limites hujus visibilis mundi transgrediuntur, et *originem finemque nostrum* assignare conantur, sed præcipue *religio vera* seu *christiana.* Docet enim : 1) nos *originem* a Deo accepisse per creationem, anima spirituali et immortali præditos esse; 2) *finem nostrum* ultimum esse Deum, ipsum qui nobis perfectionem simul et beatitudinem conferet; 3) *medium* vero ad finem assequendum esse impletionem officiorum erga Deum, proximum et nosmet-ipsos, necnon patientiam in tribulationibus et tentationibus quæ peccati maculas abstergit, virtutem perficit et merita auget. Jamvero nemo est qui non videat hac solutione quietari intellectum etiam in rebus adversis.

152. (b) *Voluntas* pariter in *religione* præsertim *vera* invenit quidquid ad bonum prosequendum, amandum et attingendum necesse est : — 1) *legislatorem* sufficienti *auctoritate* pollentem : Deus enim, utpote supremus omnium Dominus, auctoritate gaudet *absoluta* et *universali* in homines, ideoque *vim obligatoriam* legibus tribuere valet; *intima cordis* pariter scrutari potest, ideoque actus imperare non solum externos, sed etiam *internos*, et ita totum hominem regere in vita sua morali; 2) *efficacem sanctionem* qua ad bonum prosequendum incitemur : Deus enim, sapiens legislator ac societatis rector, ad vires animis nostris addendas, nos adhuc imperfectos ad virtutem allicit *spe æterni præmii* et a vitiis *pœnarum comminatione* deterret; vult enim ut tandem aliquando virtus proportionatum præmium accipiat, et *seipsum* tanquam mercedem proponit, seipsum, inquam, cognoscendum et amandum; 3) *auxilium validum :* Deus

vague d'une conscience mauvaise, qui, tout endormie qu'elle est, n'est pas tout à fait morte. Je n'ai jamais senti cette tristesse, ce malaise, cette inquiétude qu'alors. Mon Dieu, c'était donc un don de Vous... comme j'étais loin de m'en douter!... que vous êtes bon!... " (*Ecrits spirituels* de **Charles de Foucauld,** Paris, 1923, p. 76-77).

enim, utpote perfectus et totius perfectionis auctor, non solum præceptis et sanctionibus nos ad bonum incitat, sed potenti manu sua *vires facultatibus* nostris *addit*, quibus, contra externa impedimenta atque internas tentationes, roborati dicere valemus : "Omnia possum in eo qui me confortat" [1].

153. (c) *Cultu* tandem *corpus* nostrum et *sensibilitas* beatitudini mentis et voluntatis sociantur. Deus quippe per religionem se nobis proximum, si dicere fas est, ostendit, eique, quamquam imperfecte, unimur, maxime oratione et sacrificio [2].

Sic totus homo beatitudinem [3] et finem suum attingit.

154. Quod quidem *confirmatur* eo quod etiam qui nullam profiteri religionem volunt, suis etiam quotidianis actibus quasi caracterem ritualem, religiosum, instinctive imprimunt [4].

155. (C) **Sine religione finis non attingitur.** Ad quæstionem finis nostri absque Dei interventu solvendam, plura excogitata sunt systemata. Eorum insufficientiam demonstrando, nostra explicatio confirmabitur.

156. (a) *Dilettantismus* contendit nil aut parum de his quæstionibus curandum esse, cum nihil certi de eis cognosci valeat, sed nos modo uni modo alteri solutioni adhærere posse, prout majorem voluptatem nobis præbet. — Quod systema omnino falsum est : 1) insulsum est enim parum

[1] *Philip.* IV, 13.

[2] Oratione mens ad Deum elevatur; in sacrificio autem homo sese Deo offert, et, per communionem ad victimam sacrificii, sibi quasi virtutem divinam incorporat. (**Lagrange**, *Rel. sem.*, c. VII, Le sacrifice).

[3] Quod libenter fatentur qui *critice* religiosa phænomena recenter descripserunt. Ita, inter alios, **Leuba***, *A study in the psychology of religions phenomena*, in *The American Journal of Psychology*, t. VII, april 1896; **E. D. Starbuck***, Psychology of religion; **W. James***, *The varieties of religion experience, gallice* redditum cura **Abauzit**, *L'expérience religieuse*, Paris, Alcan, 1906; **M. Serol**, *Le Besoin et le Devoir religieux*, p. 93-114; **F. Coppée**, *La bonne souffrance*, Préface.

[4] Sic optime **Blondel** in *L'Action* : "L'homme met toujours dans ses actes, si obscurément qu'il le sache, ce caractère de transcendance. Ce qu'il fait, il ne le fait jamais simplement pour le faire"; (p. 353) "même chez ceux qui se disent affranchis de toute superstition, qu'on remarque ce besoin de rites et cette contrefaçon d'un véritable culte, comme s'il fallait rehausser à tout prix, par une solennité liturgique, la pauvreté trop visible des actions toutes nues", (p. 312).

curare de quæstionibus a quibus tota pendet hominis beatitudo in hac aut futura vita[1]; 2) irrationabile est unum aut alterum systema successive amplecti, prout majorem affert voluptatem, cum ita practice agnoscatur systemata contradictoria posse simul esse vera, et criterium veritatis nihil aliud esse nisi voluptatem; 3) ceterum dilettantismus, nedum profundis aspirationibus hominis satisfaciat, fatetur hanc satisfactionem inveniri non posse, ideoque hominem in suo miserabili statu relinquit et in pessimismum projicit.

157. (**b**) *Pessimismus* agnoscit bonis præsentibus impleri non posse legitimas aspirationes nostras, ideoque nullam esse solutionem nisi in earum exstinctione et propria annihilatione. — Quod sanæ rationi contrarium est : 1) innatum enim beatitudinis desiderium exstinguere nequimus, et ipsi pessimistæ, dolorem expellere conando, ostendunt se suo modo beatitudinem prosequi; 2) nobiliores aspirationes exstinguendo, novos dolores eo ipso accendunt, et ita sibi practice contradicunt; 3) ex eo quod beatitudinem in bonis temporalibus invenire nequimus, illogicum est inferre eam nullibi quærendam esse : ratio enim alia bona sublimiora excogitare potest.

158. (**c**) *Positivismus*, rerum supra-sensibilium existentiam in dubium revocans, scientiarumque mirabilem profectum plus æquo extollens, contendit *scientiæ* studio et usu hominis omnia impleri desideria, ideoque religionem prorsus inutilem esse. — Quod falsum est : 1) scientia enim de *phænomenis* quidem, externis et internis, de eorum nexu, coordinatione, legibus et causis proximis diligenter inquirit, et hac in re multum profecit; sed de prima rerum origine, de vita futura, ultimo fine, et mediis ad eum attingendum

[1] Hominem sine solutione hujus problematis inquietum et infelicem esse fatetur incredulus **Jouffroy,** *Mélanges philosophiques*, p. 338 : "Comment voulez-vous que l'homme vive en paix, quand sa raison, chargée de la conduite de la vie, tombe dans l'incertitude sur la vie elle-même, et ne sait rien de ce qu'il faut qu'elle sache pour remplir sa mission? Comment vivre en paix, quand on ne sait ni d'où l'on vient, ni où l'on va, ni ce qu'on a à faire ici-bas? Vivre en paix dans cette ignorance est chose contradictoire et impossible. Si quelques hommes, à force de distraction et d'insouciance, peuvent s'endormir dans une telle situation, c'est une exception qui n'atteint pas la masse".

omnino silet[1]; si de his aliquid asserit aut negat, jam non est *scientia* sensu hodierno intellecta, sed metaphysica; 2) ceteroquin minime satisfacit aspirationibus hominis qui, suæ libertatis conscius, et bonum morale a bono sensibili distinguens, utrumque prosequitur, et perenniter vivere ambit.

159. (**d**) *Spiritismus*, *theosophia*, simul et varia *superstitionum* genera, ad quæ, specialiter post recens elapsum bellum, multi deflexere, solatium quærentes, speciem quidem religionis præ se ferunt. Sed qui illorum fundamenta scrutantur, mox eorum inanitatem detegunt[2].

160. (**D**) **Conclusio totius argumenti.** (**a**) Ex argumento sic exposito defluit religionem homini omnino necessariam esse ut legitimas suas aspirationes impleat; et ita solummodo explicatur cur factum religiosum superius expositum sit universale in spatio et tempore.

(**b**) Ex hoc pariter sequitur esse aliquod Numen supremum. Genus enim humanum non posset motu spontaneo, constanti et universali suæ naturæ trahi ad concipiendum Ens Infinitum quo mens quietetur, ad prosequendum Bonum a quo quisque melior efficiatur et in quo exoptet ultimo beatificari, si non esset Deus; secus enim homo esset ens contradictorium, inintelligibile, miserum, et quidem eo magis quo nobiliores et puriores experiretur aspirationes : quod repugnat[3].

---

[1] Quam insufficientiam scientiarum naturalium ostendunt : **M. Blondel**, *L'Action*, p. 51-86; **Brunetière**, *Questions actuelles*, Paris, Perrin, 1907, p. 3-47; **E. Boutroux** *, *Science et Religion*, p. 228-268; **W. H. Mallock** *, *Is life worth living? gallice* redditum a *P. J. Forbes*, *La Vie vaut-elle la peine de vivre?* Paris, 1882, ch. IX. Quod adhuc magis apparebit si, cum **Boutroux**, **H. Poincaré**, **P. Duhem**, valor nisi relativus scientiæ recognoscitur.

[2] De quibus infra agetur in appendicibus hujus voluminis.

[3] " A qui voudra considérer de sang-froid l'ensemble des faits décrits dans ce Manuel, il apparaîtra, sans doute, clairement, que la religion étant une part essentielle, permanente, et la plus haute, de la vie supérieure de l'humanité, il faut en admettre la légitimité ou douter expressément que l'activité humaine ait un sens et un but. Qui veut échapper à cette dernière alternative, qui refuse de voir, dans un monde où tant de signes de finalité apparaissent, une énigme indéchiffrable, et dans notre race un troupeau d'errants désespérés, doit prendre parti. Quiconque entend sauvegarder, ou rétablir, dans sa vie mentale et morale, quelque chose d'entièrement ferme, de cohérent, d'incontesté, est amené

Hoc argumentum ergo *directe* ostendit hominem indigere religione, *indirecte* autem Deum existere et esse colendum.

161. Nota. Ex hoc argumento apparet : (a) *non ipsam Religionem esse homini innatam, sed propensionem ad religionem.* Hæc prædispositio potest voluntate libera impugnari, derivari ad res temporaneas vel ad abstractiones quasdam, vel e contra ampliari. Ita facile intelligitur quam utile sit educationem puerorum esse religiosam.

(b) *Propensionem ad Religionem numquam defecturam* ab anima humana, quæ essentialiter eadem semper manet, et easdem semper experietur aspirationes ad colendum Ens Infinitum.

162. Solvuntur difficultates. 1° Objiciunt non pauci hodie multos esse atheos et irreligiosos, ita ut prævideri possit apud excultas gentes omnem prorsus religionem mox exstinguendam esse.

Resp. Fatemur equidem atheismum apud quasdam Gentes, præsertim in Gallia, recenter *per fas et nefas* propagatum fuisse, cum spe omnem prorsus religionem penitus exstinguendi. Hac de re duo animadvertimus :

(A) Imprimis non dantur tam multi athei quam prima facie apparet : non pauci enim se irreligiosos proclamant, qui revera non sunt; quod quidem constat ex eo quod, gravi imminente mortis periculo, ad Deum naturali quodam instinctu se confugiunt; fingunt igitur se esse atheos, ut placeant impiis societatibus et viris, a quibus honores et munera exspectant. — Et revera isti inveniuntur non apud primitivos populos, qui naturales sequuntur aspirationes, sed apud illas Gentes quarum mores civilitatis abusu corrupti sunt.

(B) Paucorum atheismus minime probat sensum religiosum non esse homini naturalem. Sicut enim errores aliquando inter plebem sparsi non impediunt quin mens naturaliter ad verum tendat, ita pariter ex eo quod quidam dantur athei, minime inferre licet humani generis universalem tendentiam in Deum deletam esse. Siquidem multæ sunt causæ quæ satis explicant paucorum a

---

insensiblement à croire en Dieu". (*Christus*, p. 1301.) Ita scriptor, ceteroquin dilettantismo addictus, **Pierre Loti** *, *Un pèlerin d'Angkor*, id fatetur, p. 232-234. Inter alia scribit : "La Pitié suprême vers laquelle nos mains se tendent en désespérés, il faut qu'elle existe, quelque nom qu'on lui donne : il faut qu'elle soit là, capable d'entendre, au moment des séparations de la mort, notre clameur d'infinie détresse, sans quoi la création, à laquelle on ne peut raisonnablement plus accorder l'inconscience comme cause, deviendrait une cruauté par trop inadmissible à force d'être odieuse et à force d'être lâche".

Hoc argumentum simile est ei quod in *Institutionibus philosophicis* ex desideriis mentis humanæ et ex consensu populorum desumitur ad existentiam Dei probandam.

religione defectionem : (**a**) nonnullorum *incuria* de rebus supra-sensibilibus : cum enim tam multi terrena commoda ambiant, non est mirum quosdam immemores esse, saltem ad tempus, rerum æternarum; (**b**) *præjudicia* quædam junioribus inculcata : ubi enim magistri aperte docent religiones omnes esse vana imaginationis figmenta, nonnulli discipuli, novitatis amatores, hujusmodi asserta eo facilius accipiunt quo melius intelligunt, sublata religione, se jam liberiorem vitam agere posse; (**c**) externa *coactio* ab impiis procedens : quando Status atheismum profitetur, et honores, muneraque distribuit, mirum non est non paucos, timoris aut ambitionis causa, externe religioni valedicere, quo securius optatos honores consequi valeant.

Hi sunt *civilisationis abusus*, qui per aliquod tempus durare possunt; non autem diu; soluto enim religionis vinculo, mox nullum invenitur moralitatis fundamentum, mores facile corrumpuntur, et paulo post vel atheismus rejicitur, vel natio ipsa præceps corruit [1].

163. 2° *Objicitur* etiam nonnullos esse viros non solum honestos, sed etiam omni naturali virtute præditos, quin tamen religionem colant; ergo moralitas sine religione subsistere potest. — *Resp.* Paucos esse hujusmodi viros non negamus, sed, si omnia recte attendantur, plerumque constabit eos vel religiosam educationem accepisse, vel religionis personis consociatos fuisse, ita ut etiam inscii religionis auctoritatem et influxum subierint, eisque tribuendæ sint pleræque eorum virtutes [2]. Aliunde etiamsi daretur *paucos*, meliori indole præditos, et in opportunis circumstantiis positos, posse, absque religionis praxi, juxta rationis dictamina vivere, non

[1] Cfr. **C. Piat,** *La logique de l'athéisme*, in *Rev. prat. Apolog.*, t. III, 1907, p. 449-461. **Le Dantec** *, atheismi advocatus, fatetur societatem ex atheis constantem, si logici sint, non posse subsistere : " Une telle société finirait naturellement par une épidémie de suicide ". (*L'athéisme*, p. 113).

[2] Quod acute declarat **A. Balfour** *, *The Foundation of Belief*, New York and London, 1895, p. 82-83 : " Naturalismus, objiciunt, simul existit cum mirabili virtutis exercitatione in personis *A*, *B*, *C* etc., absque ulla mercedis spe. Si in his hominibus res ita se habet, cur non in millibus? Et si in millibus, quid hoc vetat in omnibus? — Factis quibus hoc innititur argumentum non contradico. Hæc præclara virtutum exempla, religione posthabita, nec ignorare, nec minuere mihi in animo est; at si vera sint, ratiocinatio quæ inde eruitur, subtili examine proposito, omnino excidere videtur. Narrant biologi quosdam parasitos vivere in animalium corpore, quæ perfectioribus organis præstant, ibique tantum vivere... Ita de quibusdam evenit qui suis exemplis demonstrare audent naturalismum cum sublimi virtutum imagine, quacum tamen nullam habet affinitatem, optime conciliari posse. Quoad vitam spiritualem ipsi parasiti sunt; innixi alienis opinionibus ad societatem spectantibus in qua vivunt, suam virtutem a principiis non suis accipiunt. Cum hujusmodi opiniones debilitantur, cum hæc principia evanescunt, vita mutuo accepta quam servaverant, hoc sublato fulcimento, difficile vigere poterit ".

exinde sequeretur *omnes*, aut majorem communitatis partem id valere, præsertim quando iis in circumstantiis versantur ubi virtus ardua est, vitium autem facile.

164. Scholion : de religionis origine. Hic agitur de modo quo religio inter homines apparuerit. Rejectis falsis opinionibus, n. 139-146, catholici auctores docent ex duplici fonte religionem ortam fuisse : **a**) ex *primitiva revelatione* protoparentibus facta : hujus enim revelationis existentia, quæ in primis *Genesis* capitibus refertur, valde probabilis etiam redditur ex communibus traditionibus quæ apud multos antiquos populos inveniuntur, et hodie etiam a *primitivis* retinentur, præsertim de uno Deo [1]; (**b**) *ex ipsa ratione humana :* cum enim primitiva revelatio mox erroribus et figmentis multis apud plerosque obnubilata fuerit et forsan exstincta, ratio humana, auxiliante Deo intime animæ præsente, ad Deum assurgit et alicujus religionis necessitatem percipit.

Res ita declarari potest [2] :

(**a**) Homo, *intellectu* præditus, e contemplatione rerum naturæ et suiipsius pedetentim assurgit ad *primam causam* phænomenorum quæ conspicit : hanc autem causam concipit tanquam Ens *superius*, *vivens*, *personale*, *bonum* et *providum*, cui cultus debetur et a quo beneficia consequi valemus. Unde *dogma*.

(**b**) Simul vero ejus *voluntas*, si recte est disposita, bonum appetit et felicitatem quærit; neutrum vero nec in seipso, nec in creaturis invenit, sed altius quærit, nempe in Ente supremo cujus existentiam agnovit, cujus voluntati sese subjicit. Unde *ethica*.

(**c**) Quia autem homo non solum intellectu et voluntate, sed etiam corpore et *sensibilitate* constat, variis affectibus ad Ens illud Supremum fertur eosque exterius *cultu* manifestat.

Perversitas autem humana hanc religionem monotheisticam paulatim pervertit [3] : unde falsæ religionum formæ quæ adhuc nunc vigent [4].

---

[1] **DD. Le Roy,** *La religion des primitifs*, p. 458-484. **Id.,** *A la recherche de l'origine des religions* in *R. P. A.*, 1-15 juillet 1921, p. 321-333. De revelatione primæva, vide præsertim **P. G. Schmidt,** *La révélation primitive et les données actuelles de la Science*, trad. *Lemonnyer*, Paris, 1914. **Id.,** *Recul de l'évolutionnisme dans la sociologie et dans l'histoire des religions au cours des dix dernières années*, *R. S. R.*, oct. 1923, p. 385-396.

[2] **G. Michelet,** *Dieu et l'agnosticisme contemporain*, p. 313-350.

[3] Cf. *Sap.* XIII seq. ; *Rom.* I, 18 seq.

[4] " Tout se présente à nous comme si l'Espèce humaine, irradiant d'un point commun sur lequel elle aurait apparu, à une époque que la Science est impuissante à fixer d'une façon précise, avait été mise en possession d'un fond de Vérités religieuses et morales, avec les éléments d'un Culte, le tout prenant racine dans la nature même de l'homme, s'y conservant avec la Famille, s'y

Hæc explicatio omnino psychologiæ conformis esse videtur, quia homo semper manet ratione et voluntate præditus; nec historiæ religionum contradicit quæ, uf supra dictum est, apud multos populos monotheismum polytheismo anteriorem demonstravit.

§ II. Argumento metaphysico demonstratur singulis hominibus inesse obligationem moralem Religionem profitendi [1].

165. Res mundanæ ita subordinantur ut aliæ aliis præeant. Pariter, in ordine morali, adest ordinatio inferiorum entium ad superiora, et *moralis obligatio* hanc ordinationem servandi [2].

Fundamentum autem obligationis moralis est ordinatio cujuslibet entis ad suum finem ultimum, *seu ordo quem recta ratio sequi præcipit, sive in exercitio propriarum facultatum, sive in relationibus cum aliis entibus.*

Ubicumque igitur est relatio quam servandam jubet natura rationalis, ibi exsurgit obligatio moralis. Atqui recta ratio ostendit inter Deum et homines esse tales relationes ut Deo debeatur *adoratio, gratiarum actio, pœnitentia et oratio,* quæ religionem constituunt.

166. 1° Deo debetur cultus *adorationis,* quo nempe supremum ejus dominium agnoscimus. (**a**) Ipse enim homines *creavit,* id est, e nihilo produxit quoad totum esse, tum quoad substantiam, tum quoad facultates. (**b**) Illos præterea in esse *conservat :* proprio enim pondere ad nihilum tendunt, cum ex nihilo sint, et nisi positive a Deo quolibet instanti sustentarentur, in nihilum redigerentur. (**c**) Imo cum illis in agendo *concurrit :* licet enim activitate

développant avec la Société, et donnant peu à peu — , suivant les mentalités particulières à chaque race, sa portée intellectuelle, les conditions spéciales de sa vie — , ces formes à surfaces variées mais fondamentalement identiques que nous appelons les Religions. Religions auxquelles, partout et dès le principe, se seraient attachés les Mythes, les Superstitions et les Magies, qui les vicient et les défigurent, en les détournant de leur objet". (**DD. Le Roy**, *La Religion des primitifs*, p. 484.)

[1] **Fénelon,** *Lettres sur divers sujets de métaphysique et de religion,* ch. IV; **Lahousse,** n. 16-20; **Wilmers,** n. 24-32; **Gondal,** *op. cit.*, p. 48-53; **Bougaud,** *Le Christianisme et les Temps présents*, t. I, ch. 2.

[2] Quod philosophi et theologi exponunt ubi de fundamento obligationis moralis.

gaudeant sibi a Deo indita, in actum erumpere non possunt nisi suprema omnium causa juventur; homines igitur toti quanti sunt a Deo pendent, et sub ejus dominio constituuntur.

Atqui supremus Dominus, a quo omnia pendent, jus habet et quidem strictum ut ejus dominium a creaturis omnibus rationalibus agnoscatur : ideo enim rationales sunt ut rationis ordinem sequantur, et suam a suprema Causa dependentiam sponte et libere confiteantur; quod quidem fit per *adorationem*, qua Deum ut primum principium et ultimum finem, seu aliis verbis ut supremum Dominum profitemur; ergo Deus jus strictum habet ut ab hominibus adoretur et qui cultum Ipsi denegat veræ injustitiæ reus est.

167. 2° Præterea Deus est supremus omnium *benefactor :* quidquid boni nobis inest ab Eo nobis gratuito donatum est. Ipse siquidem gratuito nos inter possibilia elegit, ut nobis existentiam largiretur; gratis vitam, gratis rationem et libertatem nobis donavit; gratis eadem servat et tuetur, gratisque nova beneficia quotidie sua providentia nobis libera manu concedit. Atqui benefactori debentur grati animi sensus, et quidem eo ferventiores quo majora sunt beneficia collata; ergo Deo debemus *gratiarum actiones* et quidem maximas persolvere, et qui tale officium negligit, turpis ingratitudinis reus est.

168. 3° Posito quod Deus ab hominibus offensus fuerit jus strictum habet ut offensa ei irrogata, per *pœnitentiam* compensetur. Nam peccatum grave est vera injustitia erga Deum, cum violet jus quod Deo inest ut sit Supremus omnium Dominus et ultimus finis; est etiam injusta contra legitimam auctoritatem rebellio, cum sine dubio Deus jus habeat ut a creaturis suis serviatur. Atqui omnis injustitia stricto jure reparari et compensari debet, et quidem eo strictius quo jus violatum sanctius est. Ergo injustitia contra Deum per peccatum commissa, stricto jure debet compensari : quod sine contritione seu pœnitentia fieri nequit : proindeque injustitiæ reus est qui, cum Deum Optimum Maximum offenderit, pœnitere recusat.

169. 4° Deo tandem debetur *oratio*[1]. Id recta ratio valde suadet : (a) Ex una parte enim *homo*, propter moralem infirmitatem qua laborat in hujus vitæ statu et obstacula quæ, sive intra sive extra se, invenit, certe auxilio indiget, quo finem suum attingere valeat; jamvero qui propriam sentit infirmitatem, naturaliter ad Eum qui potest auxilium præstare recurrere debet. Intelligere ergo homo debet quantum sibi necessarium sit ad cælestem Adjutorem manus tendere ut, eo juvante, viam mandatorum et justitiæ tuto gressu ambulare valeat. (b) Ex altera autem parte, *Deus potest* precibus nostris acquiescere quin consilia mutet, quia *omnipotens* est et orationes nostras prævidit[2]; et *vult*, quia *summe bonus* et benefactor eximius est, qui nos diligit tanquam opera manuum suarum et tenera sollicitudine de nobis curat.

170. Quæ quidem omnia *comparatione* declarantur. Jure naturæ parentibus honorem, reverentiam, gratitudinem et amorem exhibere tenemur; si forte eis injuriam attulerimus, eam cito reparare necessarium ducimus, et ab eis quæ nobis necessaria sunt, confidenter petimus. Jamvero plus Deo quam parentibus debemus : hi enim vitæ corporalis nostræ auctores sunt quidem, sed nonnisi instrumentaliter, virtute a Deo accepta, dum Deus est principalis auctor vitæ tum animæ tum corporis; cui proinde majorem reverentiam quam parentibus certo debemus. Pariter si parentes assidua cura ac indefesso labore nos incolumes a multis periculis servarunt, atque liberali educatione ad altiora nos evexerunt, nonne majora adhuc beneficia a divina Providentia accepimus, eique proinde majores gratias reddere tenemur? Si injuria parentibus inflicta, specialem impietatis characterem præ se fert, nisi cito sincera pœnitentia reparetur, nonne majori diligentia compensari debet offensa Ei irrogata, qui speciali dilectione nos prosequitur? Tandem, quia Deus infinite potentior ac benignior parentibus est, nonne cum majore fiducia ad eum confugere debemus?

Nec dicatur Deum nostris obsequiis et orationibus non indigere, cum sibi ipsi sufficiat et bene sciat quæ nobis necessaria sunt. Licet enim Deus obsequiis nostris non indigeat, non ex hoc ab

---

[1] **S. Thomas**, 2ª 2æ, q. 83; **d'Alès**, Art. *Prière* in *D. A.*; **A. D. Sertillanges**, *La Prière*.

[2] Recte animadvertit **S. Thomas** : " non enim propter hoc oramus ut divinam dispositionem immutemus, sed ut id impetremus quod Deus disposuit per orationes esse implendum ", 2ª 2æ, q. 83, a. 2.

obligationibus nostris liberamur, quæ in ipsa rerum natura fundantur, sicut nec ab obligatione restitutionis immunis est qui a divite nummos furatus est. Aliunde Deus, licet sibi sufficientissimus, jura sua non abdicat, imo quædam saltem nec abdicare potest; cum sit enim Supremus Dominus, non potest non exigere ut omnes creaturæ ipsi serviant. Quoad orationem vero, ut recte ait *S. Thomas*[1] "non est necessarium nos Deo preces porrigere ut ei nostras indigentias vel desideria manifestemus, sed ut nos ipsi consideremus in his ad divinum auxilium esse recurrendum"; sic enim melius nostram infirmitatem agnoscimus, majorem fiduciam erga Deum concipimus, majorique conatu cum eo ad bene agendum concurrimus.

171. Conclusiones. (**a**) Ergo homini cuique gravis incumbit obligatio religionem profitendi, i. e., Deum agnoscendi tanquam principium a quo pendet, eique cultum exhibendi. Proinde non solum *necessaria* homini dicenda est Religio ut impleantur nobilissimæ ejus aspirationes; sed etiam *obligatoria* sensu stricto, ita ut Deus jus habeat exigendi cultum ab universis hominibus.

(**b**) Non quamlibet tamen religionem homo profiteri debet, sive polytheismum, sive dualismum, sive monotheismum, sed eam tantum quæ rectæ rationi conformis sit. Atqui monotheismus solus hanc conformitatem habet, cum plura entia infinita contradictionem involvant.

(**c**) Tandem si Deus ipse formam aliquam religionis determinavit, ex obedientia huic formæ adhærere debemus : de quo in sequenti capite agetur.

§ III. De necessitate cultus externi et socialis[2].

172. *Thesis.* **Deo debetur cultus non solum internus, sed etiam externus et publicus seu socialis.**

Certum est contra illos Rationalistas qui, dum agnoscunt Deum in spiritu colendum esse, negant tamen hujusmodi cultum manifestandum esse, illosque externos ritus irrident quibus Deus honorari solet : nonnulli suam opinionem his Christi verbis confirmant[3] : "Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores ado-

[1] 2^a $2^æ$, q. 83, a. 2, ad 1.

[2] **Mazzella**, n. 49; **Gondal**, *op. cit.*, l. IV; **Fénelon**, *Lettres sur la Religion*, lettre I, c. 4; lettre IV, n. 4; **F. Hettinger**, op. cit., c. IX; **Card. Guibert**, *Mandement sur la prière en famille*. — [3] *Joan.*, IV, 23.

rabunt Patrem in spiritu et veritate". Iidem a fortiori negant cultum socialem, seu nomine totius societatis, Deo esse præstandum.

173. 1° *Deo debetur cultus* **externus.** (**A**) Cultus externus necessarius est *ratione sui.* (**a**) Etenim Deus auctor est non solum animæ, sed etiam *corporis*, et beneficia non solum spiritualia, sed etiam corporalia nobis largitus est; ergo a Deo pendemus etiam quoad corpus; ergo illam dependentiam profiteri debemus non solum interne, sed etiam modo sensibili. (**b**) Quod quidem magis etiam patebit, si animadvertitur hominem, utpote sensibilium creaturarum ducem, esse veluti *pontificem* irrationalis naturæ, ideoque teneri Deum laudare et adorare, non solum proprio, sed etiam inferiorum creaturarum nomine. Hoc autem melius præstare nequit quam cultum externum exhibendo corporis ope, quod est *microcosmos*, seu compendium totius naturæ sensibilis.

174. (**B**) Cultus externus necessarius est etiam ratione *interni cultus*, ad eum scilicet exprimendum et fovendum. (**a**) Nam ita a natura comparati sumus, ut animi interiores affectus, præsertim quando vividiores sunt, modo sensibili, oculis, vultu, gestu totiusque corporis habitu exprimantur; si igitur homo vere et sincere Deum reveretur et amat, sponte et veluti necessario reverentiam, gratitudinem et amorem externis actibus, verbis, gestu totoque corporis habitu manifestabit [1].

175. (**b**) Quod pariter requiritur ad cultum internum *promovendum.* Cum enim actibus externis *intensiores* reddantur interni actus, interna religio cultu externo non parum augetur; dum ex adverso, decrescentibus exterioribus signis et cæremoniis, generatim minuuntur ipsi religionis sensus, sublatisque signis hujusmodi, communiter ipsa religio perit.

Quod jam animadverterat *Augustinus* [2] : "Nam et orantes, ait, de membris sui corporis faciunt quod supplicantibus congruit,

[1] Hoc nonnulli Rationalistæ intelligunt; ita v. g. **J. Simon***, *op. cit.*, p. 390 sq. docet superioribus officium incumbere Deo cultum exhibendi in suis cum inferioribus relationibus; ita reges, populum alloquentes; patres, filios; heri, famulos, nomen Dei invocare ac laudare debent. Alia testimonia lege apud **E. Duplessy**, *Les Apologistes laïques*, Paris, 1893, p. 464 sq.

[2] *De cura pro mortuis*, c. V; ed. *Migne*, XL, col. 597.

cum genua figunt, cum extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, et si quid aliud visibiliter faciunt; quamvis eorum invisibilis voluntas et cordis intentio Deo nota sit, nec ille indigeat his indiciis, ut humanus ei pandatur animus; sed hinc magis seipsum excitat homo ad orandum gemendumque humilius atque ferventius". — Nec dici potest exinde fieri ut religio nostra externis solum ritibus constet; nam, ut merito ait Angelicus Doctor [1], "quia in omnibus actibus latriæ, id quod est exterius refertur ad id quod est interius, sicut ad principalius, ideo ipsa exterior adoratio fit propter interiorem; ut videlicet, per signa humilitatis quæ corporaliter exhibemus, excitetur noster affectus ad subjiciendum se Deo, quia connaturale est nobis ut per sensibilia ad intelligibilia procedamus".

176. Neque contra thesim militant verba Christi supra relata: "Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate"; inspecto enim contextu, præfata verba duo significant: (**a**) cultum Dei esse in *spiritu*, id est, non futurum esse *mere* aut *principaliter externum*, et lapideis templis alligatum, sed *primario internum* et ubique offerendum; quod tamen exteriores cæremonias non excludit [2]; (**b**) cultum *in veritate* offerendum esse, id est, non in umbra, aut figura, prout fiebat sub Antiqua Lege; umbram enim fugat veritas, id est, reale sacrificium ab ipso Christo oblatum fugavit antiqua sacrificia legis mosaicæ.

177. 2° *Deo debetur etiam cultus* **socialis.** Nam (**A**) Deus, sicut singulorum hominum, ita et *humanæ societatis est conditor*, in quantum hominem creavit ad societatem aptum et pronum, legesque cordibus civium indidit, quibus civitas subsistere valet; Ipse eam sua Providentia servat et tuetur; eidemque multa confert beneficia. Ergo et societas, qua talis, Deum ut Supremum Dominum agnoscere debet, eique cultum præstare adorationis, gratitudinis et expiationis. Quod ita egregie exponit *Leo XIII*: "Natura et ratio, quæ jubet singulos sancte religioseque Deum colere... eadem lege adstringit civilem communitatem.

[1] *S. Theol.*, 2ª 2æ, q. 84, a. 2. — Ad rem etiam **Pascal**, *Pensées*, n. 250, editio *Brunschvigg*, p. 449: "Il faut que l'extérieur soit joint à l'intérieur pour obtenir de Dieu; c'est-à-dire que l'on se mette à genoux, prie des lèvres, etc., afin que l'homme orgueilleux qui n'a voulu se soumettre à Dieu, soit maintenant soumis à la créature. Attendre de cet extérieur le secours est être superstitieux, ne vouloir pas le joindre à l'intérieur est être superbe".

[2] "Adoratio corporalis etiam in spiritu fit, in quantum ex spirituali devotione procedit et ad eam ordinatur". 2ª 2æ, q. 84, a. 2, ad 1.

Homines enim, communi societate conjuncti, nihilo sunt minus in Dei potestate quam singuli, neque minorem quam singuli gratiam Deo societas debet, quo auctore coaluit, cujus nutu conservatur, cujus beneficio innumerabilem bonorum quibus affluit, copiam accepit [1]."

178. (B) Ut societas civilis *permanere valeat*, necesse est ut cives legibus et magistratibus obediant, et ut mores publici sint honesti. Atqui hæc duo sine religione obtineri non possunt.

(a) Homines enim, naturaliter propriæ independentiæ cupidi, sæpe leges frangunt atque superioribus resistunt, nisi motivo quodam superiori ab obedientiam proni efficiantur. Motivum illud supplet religio quæ nos edocet omnem auctoritatem legitimam esse a Deo, ideoque omnem animam sublimioribus potestatibus subditam esse oportere, ut finem suum consequi valeat [2]. Religione autem sublata, nil manet nisi pœnarum metus. Hic autem sæpe est inefficax, quia multis persuasum est se posse leges violare quin a magistratibus puniantur; et ita paulatim vis legum enervatur et ordo publicus turbatur.

179. (b) Nec *mores* diu honesti esse possunt sine religione. Sufficiat referre quæ hac de re scribebat *Leo XIII* [3] : "Sublato Dei metu legumque divinarum verecundia, despecta principum auctoritate, permissa probataque seditionum libidine, projectis ad licentiam cupiditatibus popularibus, nullo nisi pœnarum freno, necessario secutura est rerum omnium commutatio et eversio". — Et revera, evanescente religione, mores pagani mox redeunt, crudelitas et libido : ita accidit in Italia, tempore Renascentiæ; in Anglia, tempore Restaurationis; in Gallia, tempore generalis perturbationis sæculo XVIII exeunte [4]. — Itaque ut societas salva et incolumis servetur, aliqua religio necessaria est; ideoque societas ipsa *publice* religionem promovere debet.

---

[1] Encycl. *Immortale Dei*.

[2] Quam doctrinam diserte exposuit **Leo XIII** in Encycl. *Diuturnum*, 29 junii 1881.

[3] Encycl. *Humanum genus*, § Ceterum ex iis.

[4] Quod vivide exponit **Taine***, *Les Origines de la France contemporaine, Le Régime moderne*, t. II, p. 118-119, ubi inter alia hæc habet : "En Italie pendant la Renaissance, en Angleterre sous la Restauration, en France sous la Convention et le Directoire, on a vu l'homme devenir païen, comme au premier siècle; du même coup, il se retrouvait au temps d'Auguste et de Tibère, c'est-à-dire voluptueux et dur : il abusait des autres et de lui-même; l'égoïsme brutal et calculateur avait repris l'ascendant, la cruauté et la sensualité s'étalaient, la société devenait un coupe-gorge et un mauvais lieu".

Conclusio hujus primi capitis.

180. Nemini igitur licet Religionem despicere et respuere ut superstitionem vanam a scientia destruendam aut figmentum inane cæcæ sensibilitatis, neve indifferenter religionem profiteri aut non, prout sibi magis placuerit; sed cuique gravis incumbit obligatio religionem amplectendi, id est Deum totis viribus et facultatibus colendi.

CAPUT II

DE REVELATIONE SEU DE RELIGIONE REVELATA.

181. Probatum est aliquam Religionem necessariam esse. Ecclesia vero catholica, simul cum insignissimis Orbis religionibus, ultra progreditur, contenditque Deum ipsum per se aut per legatos docuisse homines Religionem quam ipse vult sibi offerri. Estne hæc affirmatio fide digna?

Ad hanc quæstionem solvendam necesse est expendere plures quæstiones prævias, nempe : *quid sit* revelatio divina, — num *possibilis*, — num *necessaria*, — num *obligatoria?*

Art. I. De conceptu divinæ revelationis [1].

Duo breviter declarabimus : 1° *notionem* revelationis divinæ proprie dictæ; 2° varias ejusdem *species*.

§ I. Notio revelationis divinæ proprie dictæ.

182. 1° **Revelatio in genere.** *Etymologice* revelatio est remotio veli, seu ablatio velaminis quod impedit rei visionem

---

[1] **S. Th.**, 2ª 2æ, q. 171-174, præsertim 173; **Hettinger**, § 12; **Lambrecht**, *Demonst. christiana*, p. 104 sq.; **Ottiger**, p. 41-49; **Wilmers**, n. 57-62; **Gondal**, *Le surnaturel*, l. III, ch. 1; *Mystère et Révélation*, 1905, p. 91-146; **Gardeil**, *Le donné révélé et la théologie*, ch. II; **Bourchany**, **Périer et Tixeront**, *Conf. apol.* 2e Conf. De la déformation que fait subir le modernisme aux notions de révélation et de foi; **Garrigou-Lagrange**, *De Revelatione*, l. I, cap. IV; cf. etiam Art. *Modernisme*, in *D. A.*, col. 602-603 (**L. de Grandmaison**), 665-695 (**J. Lebreton.**)

vel intelligentiam, et proinde *manifestatio rei* antea *obscuræ, occultæ* aut *ignotæ* [1].

Dicitur *humana* vel *divina*, prout res ab homine vel a Deo manifestatur. — Hic agemus tantum de revelatione *divina*.

183. 2° **Revelatio divina proprie dicta,** seu stricto sensu accepta, *est manifestatio alicujus veritatis a Deo nobis facta per supernaturalem mentis nostræ illuminationem*, sicut nempe Deus multifariam locutus est olim patribus in prophetis, et novissime nobis in Filio [2].

Explicatur definitio : (**a**) *Veritas revelatur* eo sensu quod manifestatur quædam *convenientia*, hucusque nondum percepta, inter duos conceptus jam naturaliter cognitos. Ita, quando Apostolis revelatum est *Christum esse Filium Dei unigenitum*, jam Christum noverant et intelligebant quid significaret *Filius Dei unigenitus*, sed nesciebant divinam filiationem ipsi convenire; hoc autem eis manifestatum est. (**b**) *A Deo*, ita ut Deus ipse testetur hanc veritatem, — quæ proinde creditur propter *auctoritatem* Dei revelantis. (**c**) *Per supernaturalem illuminationem*, qua convenientia inter duos conceptus manifestatur *præter* naturales cognoscendi modos. — De modo autem quo fit hæc illuminatio dicetur n. 192 seq.

184. 3° **Corollaria. (A) Hæc igitur revelatio est quid supernaturale,** id est, *superans essentiam, exigentias et vires naturæ humanæ.*

Refertur enim totaliter ad ordinem *supernaturalem*, ut supra explicatum est n. 15 : est ergo naturæ humanæ indebita.

---

[1] Revelatio græce dicitur ἀποκάλυψις vel φανέρωσις quæ in Novo Testamento fere promiscue sumuntur.

[2] *Hebr.* I, 1. — Dicitur autem *improprie* revelatio divina, quando veritas nobis apparet per simplex exercitium facultatum quæ naturaliter nobis insunt, v. g. sic per intellectum nostrum Deum cognoscimus ex creaturis. — Hinc quidem jure et merito plures theologi distinguunt *lato sensu* triplicem veluti gradum revelationis : revelationem *naturæ*, per opera creationis, — *gratiæ*, per verba legatorum divinorum, — et *gloriæ*, per claram visionem divinæ essentiæ; — cui respondet triplex lumen *rationis, fidei et gloriæ*. — Modernistæ autem, post plures rationalistas, nedum distinguant, prorsus confundunt improprie et proprie dictam revelationem (infra n. 189.)

185. (B) **Hæc revelatio potest esse supernaturalis duplici gradu :** *vel secundum quid et quoad modum tantum, vel simpliciter et quoad substantiam.*

Quando veritas quæ revelatur est aliunde *ratione naturaliter cognoscibilis*, v. g., Providentia Dei, tunc revelatio dicitur supernaturalis quoad modum tantum ; quando autem veritas est *omnino rationi impervia*, prout sunt *mysteria* Trinitatis, Incarnationis, etc., quæ ad vitam divinam spectant, tunc revelatio dicitur supernaturalis quoad substantiam [1].

186. (C) **Hinc revelatio divina facile distinguitur :** (a) *ab illustrationibus* quibus mens nostra gratiæ auxilio juvatur, quo melius intelligat veritates jam revelatas ; (b) a simplici *assistentia*, qua error quidem præcavetur, sed nulla veritas denuo manifestatur ; (c) ab *inspiratione*, quæ potest existere sine revelatione, quando scilicet auctor sacer jam novit quæ, Deo inspirante, scripturus est.

187. 4° **Falsæ notiones.** Hinc patet quantum adulterent notionem divinæ revelationis *Protestantes-liberales*, plures *Rationalistæ* et *Modernistæ*. Inter quos : (a) *Kantius* († 1804), modernorum rationalistarum pater, rejicit omnino religionem supernaturalem, sed retinet vocabulum *revelationis*, ad significandam *vocem conscientiæ* seu rationis practicæ. — Pariter ejus discipulus *Schleiermacher* (1768-1834) tenet revelationem consistere in *conscientia* nostrarum cum Infinito relationum. — Idem fere docet *Ritschl* († 1899) nempe christianam religionem a divina revelatione oriri eo sensu quod Deus christianam educavit *conscientiam* [2].

(b) Quod *A. Sabatier* († 1901) ad usum Gallorum sic explicat : Religio primario consistit in quodam commercio cum Ente universali, præcipue per orationem ; *revelatio* autem non est manifestatio alicujus doctrinæ, sed progressiva Dei cognitio intra *conscientiam* se manifestantis [3].

---

[1] Eadem fere distinctio redit in *Tr. de Deo Creante et Elevante.*

[2] Cf. **Baldensperger***, *La Théologie d'A. Ritschl*, Lausanne, 1883.

[3] **A. Sabatier***, *Esquisse d'une Philosophie de la Religion*, Paris, 1897, p. 34-35. La révélation " consiste dans la création, l'épuration et la clarté progressive de la conscience de Dieu dans l'homme individuel et dans l'humanité ". *Les Religions d'autorité et la Religion de l'Esprit*, 1903. — Idem fere tenent *Stapfer*, *Ménégoz* aliique.

(c) Similiter *Modernistæ;* v. g., *A. Loisy* declarat revelationem nihil aliud esse nisi acquisitam ab homine suæ ad Deum relationis *conscientiam* [1]. — Item auctores italici *Programmatis Modernistarum* docent revelationem esse quoddam verbum Dei intra mentem loquentis, quo nobis præbetur non abstracta quædam divinitatis notio, sed practica directio ad Deum colendum ejusque voluntatem implendam.

Itaque isti omnes, retinendo eadem verba quæ Catholici, sensum omnino diversum eisdem tribuunt, omne elementum proprie *objectivum* excludunt, et revera *naturalismum* profitentur et *agnosticismum.*

§ II. Variæ species revelationis divinæ.

188. (**A**) Ratione *modi* quo fit, revelatio supernaturalis potest esse *immediata* vel *mediata :* nempe *immediata*, quando Deus, sive per se, sive per ministerium angeli, directe alicui homini, sine alterius hominis interventu, veritatem manifestat, qualis fuit, v. g., revelatio Moysi, vel Prophetis, vel Apostolis facta; *mediata*, quando fit per interventum alterius hominis, qui, nomine Dei, aliis communicat veritates ipsi divinitus revelatas : qualis est revelatio nobis facta, mediantibus Christo et Apostolis.

Immediata autem revelatio subdividitur in *internam*, qua

[1] " Ce qu'on appelle révélation n'a pu être que la conscience acquise par l'homme de son rapport avec Dieu " (**Loisy** *, *Autour d'un petit livre*, p. 195). — " Les conceptions que l'Eglise présente comme des dogmes révélés ne sont pas des vérités tombées du Ciel et gardées par la tradition religieuse dans la forme précise où elles ont paru d'abord ". (*Evangile et Eglise*, 3me édit., p. 202.) — " Leur forme native est une intuition surnaturelle et une expérience religieuse, non une considération abstraite, ou une définition systématique de leur objet". (**Loisy,** *Autour d'un petit livre*, p. 201.) Sic etiam **Tyrrel,** *Théologisme-Catholicisme*, in *R. P. A.*, t. IV, 1909, p. 499-548. Errores Modernistarum damnati sunt Decreto "*Lamentabili*", Prop. 20, 22, 26 (**D. B.,** 2020, 2022, 2026.) Prop. 20 : Revelatio nihil esse potuit quam acquisita ab homine suæ ad Deum relationis conscientia. — Prop. 22 : Dogmata quæ Ecclesia perhibet tanquam revelata, non sunt veritates e cælo delapsæ, sed sunt interpretatio quædam factorum religiosorum quam humana mens laborioso conatu sibi comparavit. — Prop. 26 : Dogmata fidei retinenda sunt tantummodo juxta sensum practicum, i. e., tanquam norma præceptiva agendi, non vero tanquam norma credendi. Cf. Encycl. *Pascendi*, **D. B.**, 2075, et *Jusjurandum contra Modernistas*, **D. B.**, 2145-2147.

Deus facultatibus nostris internis, sine visibili signo, veritatem manifestat; et *externam*, qua Deus mentem suam aperit signis externis, quæ, si nimis obscura sunt, interno lumine explicantur.

Huic divisioni affinis est alia qua revelationem distinguit optime *S. Thomas* in *sensitivam*, *imaginativam* et *intellectualem* [1].

189. (**B**) Ratione *finis* propter quem fit, revelatio est *privata*, quando fit primario et per se ad utilitatem alicujus hominis vel paucorum, quamvis per accidens in bonum plurimorum cedat; *publica*, si primario et per se ob utilitatem generis humani editur, vel saltem alicujus magnæ societatis; proinde publica esse potest revelatio uni homini facta, dummodo non propria, sed totius communitatis utilitas directe intendatur.

§ III. Descriptio revelationis immediatæ secundum S. Thomam.

190. Cum notio catholica revelationis sæpe a *Liberalibus* et *Modernistis* irrideatur, haud ingratum erit verba Doctoris Angelici referre quibus *revelationem immediatam* lucide declarat [2]:

"Circa cognitionem autem humanæ mentis duo oportet considerare, scilicet *acceptionem*, sive *repræsentationem* rerum, et *judicium* de rebus repræsentatis. Quando autem repræsentantur menti humanæ res aliquæ secundum aliquas species, et secundum naturæ ordinem, primo oportet quod species repræsententur *sensui*, secundo *imaginationi*, tertio *intellectui possibili*, quin immutantur a speciebus phantasmatum secundum illustrationem intellectus agentis. In imaginatione autem non solum sunt formæ rerum sensibilium, secundum quod accipiuntur a sensu, sed transmutantur diversimode, vel propter aliquam transmutationem corporalem (sicut accidit in dormientibus et furiosis), vel etiam secundum imperium rationis disponuntur phantasmata in ordine ad id quod est intelligendum. Sicut enim ex diversa ordinatione earumdem litterarum accipiuntur diversi intellectus; ita etiam secundum diversam dispositionem phantasmatum resultant in intellectu diversæ species intelligibiles. Judicium autem humanæ mentis fit secundum vim intellectualis luminis.

[1] *S. Theol.*, 2ª 2æ, q. 173, a. 2. — [2] *Sum. theol.*, 2ª 2æ, q. 173, a. 2.

Per *donum* autem *prophetiæ* confertur aliquid humanæ menti supra id quod pertinet ad naturalem facultatem, quantum ad utrumque, scilicet et quantum ad judicium per influxum luminis intellectualis, et quantum ad acceptionem, seu repræsentationem rerum, quæ fit per aliquas species. Et quantum ad hoc secundum potest assimilari doctrina humana revelationi propheticæ, non autem quantum ad primum. Homo enim suo discipulo repræsentat aliquas res per signa locutionum; non autem potest interius illuminare, sicut facit Deus.

Horum autem duorum principalius est primum in prophetia, quia judicium est completivum cognitionis. Et ideo si cui fiat divinitus repræsentatio aliquarum rerum per similitudines imaginarias (ut Pharaoni et Nabuchodonosor), aut etiam per similitudines corporales (ut Balthasar), non est talis censendus propheta, nisi illuminetur ejus mens ad judicandum : sed talis apparitio est quiddam imperfectum in genere prophetiæ. Unde a quibusdam vocatur extasis prophetiæ, sicut et divinatio somniorum. Erit autem propheta, si solummodo intellectus ejus illuminetur ad judicandum etiam ea quæ ab aliis imaginarie visa sunt, ut patet de Joseph, qui exposuit somnium Pharaonis. Sed, sicut Augustinus dicit 12 super Gen. ad litt., c. 9, in med. : *Maxime propheta est qui utroque præcellit, ut* scilicet *videat in spiritu corporalium rerum significativas similitudines, et eas vivacitate mentis intelligat.*

Repræsentantur autem divinitus menti prophetæ, quandoque quidem mediante sensu exterius quædam formæ *sensibiles;* sicut Daniel vidit scripturam parietis, ut legitur Daniel 5; quandoque autem per formas *imaginarias*, sive omnino *divinitus impressas*, non per sensum acceptas (puta si alicui cæco nato imprimerentur in imaginatione colorum similitudines) vel etiam *divinitus ordinatas* ex his quæ a sensibus sunt acceptæ; sicut Jeremias *vidit ollam succensam a facie aquilonis*, ut habetur Jerem. 1; sive etiam imprimendo species *intelligibiles* ipsi menti; sicut patet de his qui accipiunt scientiam, vel sapientiam infusam, sicut Salomon et Apostoli. Lumen autem intelligibile quandoque quidem imprimitur menti humanæ divinitus ad dijudicandum ea quæ ab aliis visa sunt; sicut dictum est, hic sup., de Joseph, et sicut patet de Apostolis, quibus *Dominus aperuit sensum, ut intelligerent Scripturas*, ut dicitur Lucæ 24, 45, et ad hoc pertinet interpretatio sermonum; sive etiam ad dijudicandum secundum divinam veritatem ea quæ cursu naturali homo apprehendit; sive etiam ad dijudicandum veraciter et efficaciter ea quæ agenda sunt, secundum illud Isa. 63, 14 : *Spiritus Domini ductor ejus fuit.* Sic igitur patet quod *prophetica revelatio quandoque quidem fit per solam luminis influentiam, quandoque autem etiam per species de novo impressas, vel aliter ordinatas".*

191. Quæ doctrina S. Thomæ ita breviter contrahi potest : In cognitione *humana*, duo sunt consideranda, scilicet repræsentatio rerum in mente, et judicium de rebus repræsentatis, quod est completivum cognitionis; nam non est veritas nisi in judicio. Juxta ordinem naturalem, repræsentatio rerum fit per species in sensu, in imaginatione, in intellectu, et judicium fertur secundum vim intellectualis luminis. — In revelatione *supernaturali* confertur humanæ menti aliquid supra id quod pertinet ad facultatem naturalem, sæpius quantum ad repræsentationem, semper quantum ad judicium. *Sæpius res divinitus repræsentantur menti prophetæ* sive per formas *sensibiles externas* a Deo productas, sive per species *imaginarias* sive directe per species *intelligibiles* a Deo impressas aut specialiter ordinatas; attamen quandoque propheta judicat sub influxu divini luminis de iis quæ cursu naturali homo apprehendit, de iis quæ ab aliis visa sunt, de iis quæ agenda sunt, et tunc non adest actio divina supernaturalis in repræsentatione rerum, sed *semper infunditur a Deo lumen intelligibile indebitum* quo mediante apparet existentia convenientiæ inter duos conceptus præhabitos : ita discit homo veritatem antea ignotam quam intelligit Deum sibi testari, et cum plena certitudine fert judicium.

192. Veritatem vero ita sibi revelatam propheta verbis aut scriptis exprimere potest, sine adulteratione, eamque aliis notam facere.

Nihil igitur puerile est in revelatione ita exposita, nihil humanæ cognitionis processui oppositum, sed tantum interventus *Patris luminum* qui mentem illuminat *modo supernaturali*, supra vires et exigentias humanæ naturæ.

Exinde etiam intelligitur lumen revelationis, cujus participes sumus, nonnisi *gratiæ* ope percipi posse in ordine ad actum fidei.

Art. II. De possibilitate divinæ revelationis [1].

193. Rationalistæ [2] ipsam revelationis *possibilitatem* impugnant : tum *revelationis cujuscumque* in genere, — tum revelationis *mediatæ*, — tum præsertim revelationis *mysteriorum*.

[1] Cf. **S. Thom.**, *C. Gent.*, l. I, c. 3-6; **Valsecchi**, *De Fundamentis Religionis*, l. II, c. 6; **Perrone**, n. 5 sq.; **Jungmann**, n. 68 sq.; **Lambrecht**, p. I., c. 2; **Hettinger**, § 14-15; **Hettinger-Bowden**, *Revealed Religion*, ch. I, p. 27 sq.; **Mazzella**, n. 91 sq.; **Ottiger**, p. 57; **Gondal**, *Surnaturel*, Paris, 1804, p. 305 sq.; **Garrigou-Lagrange**, *De Revelatione*, l. I, cap. X-XII.

[2] Historia rationalismi supra descripta est (nn. 57-60, 66-68, 78-80.)

Nos e contra statuimus, in triplici thesi, et demonstramus hanc omnimodam revelationem possibilem esse et plane convenire.

194. *Thesis I[a] :* **Revelatio supernaturalis in se possibilis est et plane convenit.**

Philosophice certum est, *theologice* de fide [1].

Probatur *I[a] pars :* **Possibilis est.**

1° Ex *parte Dei :* namque physice et moraliter potest revelare. (**A**) Potest *physice.* Etenim Deus *omniscius* cognoscit multas veritates quæ nos latent; et *omnipotens*, Ipse easdem nobis, sive externe sive interne, manifestare valet multo facilius quam homo, ab Ipso creatus et loquela donatus, potest alium hominem edocere. Potest etiam augere ac juvare aciem intellectus infusione novi luminis, cum omnis intellectus omneque lumen intelligibile ab Ipso indesinenter procedat. (Cf. supra n. 190-192.)

(**B**) Potest *moraliter.* Revelatio enim non repugnat Dei attributis, de quibus Rationalistæ nimium solliciti sunt : nec ejus *majestati :* qui enim hominem creare dignatus est; potest illæsa dignitate eum alloqui et gubernare; — nec ejus *sapientiæ :* qui enim dedit homini media apta ad finem attingendum, potest alia superaddere media aptiora, et sic firmare ordinem a se sapienter institutum : itaque revelatio perficiet rationem.

195. 2° *Ex parte hominis*, qui potest audire Deum sic loquentem et certior fieri de ejus sermone, quamvis eum non videat facie ad faciem. Nec periclitatur *dignitas* humanæ rationis : nihil enim dignius quam audire magistrum scientia et auctoritate pollentem; nihil liberius et securius quam amplecti veritatem testimonio infallibili propositam et comprobatam.

196. *Objicit A. Loisy* id repugnare, quia conceptus nostri nonnisi ex experientia oriuntur, quippe qui nihil aliud sint nisi con-

[1] " Si quis dixerit fieri non posse aut non expedire ut per revelationem divinam homo de Deo cultuque ei exhibendo edoceatur; A. S. " (*Vaticanum*, sess. III, can. 2, de Revelat., **D. B.**, 1807, cf. 1808.) In hoc Tractatu canones Conc. *Vaticani* sicut cætera documenta ecclesiastica, allegamus non ut argumenta ad Rationalistas confutandos, sed ut documenta ex quibus colligi potest quæ sit doctrina catholica.

junctio quædam imaginum seu idearum jam conceptarum; hæc autem conjunctio fit sub influxu religiosi sensus, ab intellectu quidem, sed præmovente corde. Ex quo infert nullas esse veritates e cælo delapsas [1]. — Revelatio repugnaret quidem si *Deus personalis* non existeret (et revera de ejus existentia dubitat *A. Loisy!*); sed admissa Dei existentia, hic sane præstare valet quod humani magistri faciunt, qui, utpote aliis doctiores, sæpe nobis manifestant convenientiam nondum perceptam inter duos conceptus. Possunt igitur quædam veritates e cælo delabi, quatenus, Deo mentem illuminante, convenientiam inter quasdam ideas percipere valemus, quam propriis viribus nunquam percipere potuissemus.

197. *Objiciunt* quoque *rationalistæ rationis autonomiam.* Immerito tamen, quia humana ratio veram autonomiam non possidet : pendet quippe et a veritate, ad quam admittendam cogitur, et a Deo, veritate suprema, qui ei fidem imperare potest [2].

198. Probatur *2ª Pars :* **Immo plane convenit revelatio.**

Sic enim Deus perficit opus suum, quod erat perfectibile, utpote opus ad extra et finitum. — Sic etiam attributa sua melius manifestat, præsertim sapientiam, bonitatem et potentiam, elevatque hominem ad intimiorem secum communicationem.

199. *Thesis IIª.* **Revelatio mediata possibilis est et plane convenit.** *Philosophice* et *theologice* (cum *de facto* revelatio mediata nobis credenda proponitur) *certum* est.

Probatur *1ª pars :* **Possibilis est.** Etenim non obstat

[1] " Toute connaissance réfléchie naît de notions antérieures, et le progrès résulte d'une combinaison nouvelle d'idées acquises, qui éclaire d'un jour plus satisfaisant le rapport des choses. Les vérités fécondes dans l'ordre religieux, celles qui constituent, en style théologique, la substance de la révélation, se sont formées par la conjonction d'idées ou d'images qui préexistaient à ces vérités dans l'esprit de ceux qui les ont d'abord conçues... A la différence des perceptions d'ordre rationnel et scientifique, la perception des vérités religieuses n'est pas un fruit de la seule raison ; c'est un travail de l'intelligence exécuté, pour ainsi dire, sous la pression du cœur, du sentiment religieux et moral, de la volonté réelle du bien". *(Autour d'un petit livre,* 1903, p. 196-197). — " Les conceptions que l'Eglise présente comme des dogmes révélés ne sont pas des vérités tombées du ciel... " *(L'Evang. et l'Eglise,* 3e éd., p. 202). — Quos errores confutatos vide ap. **E. Portalié,** *Le Dogme et l'histoire,* in *Bulletin ecclés. de Toulouse,* 1904, p. 70-80, et condemnatos decreto " *Lamentabili* " prop. 22, **D. B.,** 2022.

[2] *Vaticanum,* sess. III, cap. III, **D. B.,** 1789, 1810.

certitudini necessariæ quam de revelatione habere debemus ad firmiter credendum, nec æqualitati hominum.

Non obstat *certitudini* necessariæ. Nam testimonium humanum, debitis vestitum conditionibus atque signis divinis comprobatum, præsertim miraculis, præbet *moralem* certitudinem, quæ sola in rebus ordinis moralis expetenda est.

Nec obstat *æqualitati* hominum. Vere coram Deo omnes homines æquales sunt eo quod singuli secundum opera sua judicandi sunt : ideo constat neminem etiam inter paganos positivis suppliciis damnandum esse, nisi sciens et volens contra leges sibi cognitas deliquerit [1].

Sed Deus liber est in donis suis, præsertim supernaturalibus : sicut non tenetur eumdem intelligentiæ gradum omnibus largiri, ita et a fortiori neç singulis æqualiter et immediate revelare [2].

200. Probatur *2 pars :* Imo **plane convenit** revelatio, mediata. (**A**) *Ex parte Dei*, si spectantur leges unitatis et simplicitatis in *gubernatione* divina.

(**a**) *Unitas.* Quæ a Deo sunt ordine quodam aguntur [3]. Sic in ordine naturali voluit vitam, scientiam et virtutem a parentibus filiis communicari, et ita cunctos in societate multiplici vinculo inter se connecti. Pariter in ordine supernaturali, qui naturalem imitatur, decet ut doctrina revelata non singulis immediate a Deo manifestetur, sed paucis tantum qui eamdem ceteris tuto transmittant. Hoc doctrinæ vinculo spiritualis societas efformatur atque servatur.

(**b**) *Simplicitas.* Non solet Deus miracula sine ratione multiplicare, sed gubernare per leges generales. — In hypothesi revelationis immediatæ, pro singulis hominibus, in quolibet casu notæ extraordinariæ requirerentur, quarum ope vera revelatio ab illusionibus secerneretur.

201. (**B**) *Ex parte hominis*, cujus *mores* interest observare :

(**a**) Cum sit naturaliter socialis et docilis, *pronus* est ad veritatem accipiendam ab aliis, quos scit doctiores aut

[1] Cf. tractatum *de Deo Remuneratore*, n° 21.

[2] Ad fusiorem hujus difficultatis solutionem, videre est *Censure* de l'*Emile*, apud *Migne, Theol. Curs., II*, p. 1136 sq.

[3] Cfr. **S. Thom.**, *Contra Gent.*, l. III, c. 155.

divinitus inspiratos, ut constat ex *historia religionum*, quæ nobis ostendit plurimas gentes etiam excultas, v. g. Indos, Persas, Græcos, Romanos, Arabes, etc., revelationi mediatæ libenter adhæsisse.

(**b**) Econtra, in hypothesi revelationis immediatæ, via facile aperitur *hallucinationibus :* multi nempe propriæ phantasiæ fallacias pro divina revelatione habebunt, (ut accidit in sectis, v. g. *Anabaptistarum*[1], quæ privatam inspirationem tanquam fidei regulam sequuntur), nec unquam poterunt ab hoc errore revocari, cum proprias opiniones pro voce Dei habeant.

202. *Thesis III^a^.* **Revelatio mysteriorum possibilis est et valde expedit.**

Thesis *declaratur.* (**A**) Mysterium (græce μυστήριον) significat aliquid obscurum, absconditum vel ignotum. — Apud Paganos, designabat illos ritus qui coram solis initiatis perficiebantur; — apud auctores sacros V. et N. Testamenti, sive secreta in genere, sive secreta Dei, seu veritates absconditas, quarum cognitio ad salutem requiritur, — præsertim vero secretas Dei vias circa hominum salutem per Christum. — Hic autem mysterium in genere intelligitur *veritas quæ nostram intelligentiam excedit.*

203. (**B**) Porro triplex hujusmodi mysteriorum *species* distingui potest : — (**a**) *Mysteria ordinis naturalis :* nempe innumeræ sunt veritates et leges, tum scientificæ, tum philosophicæ, quæ nobis naturaliter notæ sunt quoad *existentiam*, sed imperfecte quoad *essentiam*, v. g., natura vitæ vegetativæ aut animalis, compositio corporum, leges attractionis, etc. —; item creatio ex nihilo, unio substantialis animæ humanæ cum corpore, concordia libertatis humanæ cum divina præscientia[2].

(**b**) *Mysteria theologica improprie dicta, seu secundi ordinis,*

[1] Cfr. **Janssen**, *Histoire du peuple allemand*, tom. III-IV; **Baudrillart**, in *Dictionnaire de T. Cath. (Vac.-Mangenot)* t. I, p. 1128-1134. Quam thesim expositam invenies in opere **M. Barrès,** *La colline inspirée.*

[2] Nuper, in oratione ad Parisiensem Academiam, **H. Poincaré** dicebat : "Quelque loin que la science pousse ses conquêtes, son domaine sera toujours limité; c'est tout le long de ses frontières que flotte le mystère; et plus ces frontières seront éloignées, plus elles seront étendues".

scilicet veritates quarum *existentiam* naturaliter detegere nequimus, sed quarum definitionem et *essentiam* intelligere valemus, statim ac revelatæ sunt : v. g., institutiones positivæ a Deo factæ, Ecclesiæ infallibilitas, suprema R. Pontificis auctoritas.

(**c**) *Mysteria theologica proprie dicta, seu primi ordinis*, veritates nempe ita superantes intellectum humanum ut non possit earum *existentiam* naturaliter cognoscere, neque earum *essentiam* intrinsece intelligere, etiam post revelationem, v. g., mysterium Trinitatis *quod ratio invenire per se nequit, nec etiam revelatum intelligere et intrinsece demonstrare valet.*

Igitur statuimus revelationem mysterii *proprie dicti* non repugnare ex parte Dei, neque ex parte hominis, — immo valde expedire.

Philosophice certum est; theologice de fide[1].

204. Thesis *probatur 1ª Pars :* **Possibilis est** revelatio mysteriorum.

(**A**) Possibilis est *ex parte Dei;* quippe qui *novit* plura mysteria et potest ea nobis *manifestare.* Utrumque patet. (**a**) Plura esse mysteria proprie dicta ab *Eo cognita*, ipsa ratio nobis suggerit suadetque. Si enim fatemur innumera esse mysteria scientifica in ordine naturali, a fortiori credere debemus magna esse mysteria proprie dicta in ordine supernaturali, quæ Deus infinita sua scientia perfecte comprehendit, noster autem intellectus finitus non valet intelligere. Ita Deus *intimam* habet *vitam*, quæ nobis ignota est, et *hujus vitæ participationem* nobis impertiri potest[2]; atque tum vita Dei intima, tum ejus communicatio *mysteriis plena* menti nostræ apparebit; et sic mysteria nobis manifestari possunt.

---

[1] " Si quis dixerit in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari; A. S. " (*Vatic.*, III, canon. sess., 1, de Fide et Ratione, **D. B.**, 1816.)

[2] Quod demonstrat **S. Thomas**, 1, q. 12, a. 4, ubi ostendit intellectum nostrum, utpote *immaterialem*, ad altiorem cognitionem elevari posse ad videndam Dei essentiam ope luminis quod dicitur *lumen gloriæ*, et ita accipere aliquod consortium divinæ naturæ.

(**b**) Sicut doctus indocto aliquam veritatem pro captu notam facit, ita Deus a fortiori mysteria sibi nota *revelare* valet, quantum homo potest audire, videlicet modo *analogico.*

205. (**B**) Possibilis est *ex parte hominis.* Revera homo potest certo percipere, etsi nec clare, nec perfecte, talem Dei locutionem suæ infirmitati accommodatam. Nempe, Deo loquente, discere potest convenientiam existere inter duas ideas jam sibi notas, quamvis eamdem ipse non videat, illique veritati fide divina adhærere, sicut quotidie recipimus ex auctoritate vel testimonio doctiorum multa quæ non videmus, nec intrinsece intelligimus.

Ex. gr., habentes notionem philosophicam naturæ et personæ, discimus a Deo tres esse personas in una eademque natura divina. Credimus rem *sic esse*, licet minime videamus *quomodo sit.* Inter terminos hujus propositionis non percipimus quidem convenientiam positivam, sed neque ullam repugnantiam; et aliunde propter auctoritatem Dei revelantis talem convenientiam existere rationabiliter confitemur.

Mysterium igitur est *supra* rationem, non autem *contra* rationem; et nostra mysteriorum fides est *secundum* rationem [1]. Itaque "nimiæ stultitiæ esset homo, si ea quæ divinitus revelantur falsa esse suspicaretur, ex hoc quod ratione investigari non possunt [2]".

---

[1] Falsum est igitur, si stricte sumitur, illud effatum quod immerito *Tertulliano* tribuitur : "*Credo, quia absurdum*", quasi motivum fidei esset ipsa absurditas. Sed recte dicitur, juxta Scripturam, multa esse stulta, inania, impossibilia apud homines, quæ potius sunt sapientia, possibilia, imo mirabilia apud Deum. — Quoad mentem Tertulliani, qui de morte Christi scripsit (*P. L.*, t. II, 761) : "Prorsus credibile est, quia ineptum"; cfr. **Adhémar d'Alès**, *La Théologie de Tertullien*, Paris, 1905, p. 33-36.

[2] **S. Thom.**, *Contra Gent.*, lib. I, c. 3; cfr. l. IV, c. I. — Juxta plures *doctrinæ immanentiæ* defensores, nulla veritas mentem nostram ingredi potest quin *postuletur* ab alia quam prius percepimus. Ita præsertim **E. Le Roy**, *Dogme et Critique*, Paris, Bloud, 1907, p. 9-10 : "Ainsi, aucune vérité n'entre jamais en nous que *postulée* par ce qui la précède à titre de complément plus ou moins *nécessaire*, comme un aliment qui, pour devenir nourriture effective, suppose chez celui qui la reçoit des dispositions et préparations préalables, à savoir l'appel de la faim et l'aptitude à digérer". — Sed graviter errant, quia maxima latet æquivocatio sub illa voce *postuletur*. Equidem nulla veritas nobis ab extrinseco proponi potest, nisi jam in mente ideas habeamus per quas *analogice* saltem concipere valeamus sensum veritatis revelatæ. Sed minime requiritur ut veritas revelata cum prioribus ideis stricte connectatur, seu ab eis absolute *exigatur*. Satis est, si inter has et illam nulla sit contradictio.

Objicitur quidem mysteria, utpote veritates *supernaturales*, ab intellectu nostro *naturali* percipi non posse. — Sed immerito; nam nobis inest *potentia* seu *capacitas obedientialis*, quæ, Deo juvante, elevari potest ad cognoscendum omne quod non excedit objectum adæquatum intellectus; atqui Deus, etiam in sua vita intima, excedit quidem objectum *proprium*, non autem objectum *adæquatum* intellectus nostri. Etenim objectum *proprium* intellectus est quidem essentia rerum sensibilium, sed ejus objectum adæquatum est *ens secundum totam suam latitudinem*, proindeque etiam deitas in sua intima natura, dummodo tamen vis intellectus divino lumine corroboretur [1].

206. *Probatur 2ª Pars :* **Valde expedit** revelatio mysteriorum.

(**A**) *Ex parte Dei.* Sic arguit *S. Thomas* [2] *:* "Pertinet ad rationem boni ut se aliis communicet. Unde ad rationem summi boni pertinet quod *summo modo* se communicet". Hæc autem communicatio inchoatur per revelationem, completur autem per visionem beatificam.

207. (**B**) *Ex parte hominis.* Nam, ut bene scribit S. Thomas [3], "de rebus nobilissimis quantumcumque imperfecta cognitio maximam perfectionem animæ confert" in ordine tum intellectuali, tum morali. Sic altissimorum Trinitatis et Incarnationis mysteriorum revelatio etiam imperfecta : (**a**) illuminat universam theologiam catholicam, quæ sermonem habet de Deo ipso, de motu rationalis creaturæ in Deum, et de Christo qui, secundum quod homo, via est nobis tendendi in Deum [4]; (**b**) non solum nobis præbet occasionem plures exercendi virtutes, humilitatem, fidem et religionem, sed etiam nos erigit in spem vivam et ita cum Deo per charitatem conjungit ut divinæ naturæ consortes efficiamur [5].

208. Corollaria. *Deus revelare potest præcepta positiva*, id est, quæ non e natura rerum necessario fluunt, sed e libera et positiva Dei voluntate pendent. Creator enim, supremus omnium dominus, majori pollet auctoritate quam humani principes; isti

[1] Cf. **Garrigou-Lagrange**, *op. cit.*, t. I, c. XII, p. 372-384, ubi late hanc difficultatem solvit.

[2] *Sum. theol.*, 3, q. 1, a. 1. — [3] *Contra Gent.*, lib. I, c. 5.

[4] *S. theol.*, 1, q. 2, Procem. Vide supra, n. 10.

[5] *II Pet.*, I, 4.

autem jus habent multas leges positivas condendi eo fine ut societatis bonum promoveatur; ergo *a fortiori* Deus sapientissimus positivas leges statuere potest, tum ad supremum suum dominium vividius manifestandum, tum ad statuta legis naturalis, præsertim in iis quæ ad divinum cultum spectant, distinctius determinanda. — Quod magis patebit ex modo dicendis, ubi de necessitate Revelationis.

Nec dicatur hujusmodi præceptis *opprimi humanam libertatem.* Hæc enim justa lege non læditur, sed dirigitur et ad majora acquirenda merita eo felicius juvatur quod Deus, statuendo præceptum, simul voluntati *vires addit* opportunas ad illud implendum.

Imo, data mysteriorum revelatione, valde utile est et moraliter necessarium superaddi præcepta positiva, sine quibus opera supernaturalia vix ægre fierent et proinde fides ipsa moreretur.

Art. III. De necessitate divinæ Revelationis [1].

Necessitas hujus revelationis expendi potest, vel quoad *veritates* et *præcepta legis naturalis*, vel quoad *mysteria supernaturalia* et *præcepta positiva.*

§ I. Necessitas revelationis veritatum et præceptorum legis naturalis.

209. Inquirimus num et quatenus homini revelatione opus sit ad cognoscendas illas veritates quæ religionem naturalem constituunt, et per se humanæ rationi imperviæ non sunt. — Hic autem errant qui nimium rationi humanæ vel detrahunt vel tribuunt, nempe : (**a**) *Traditionalistæ* et *Fideistæ* contenderunt humanam rationem laborare impotentia physica hujusmodi veritates cognoscendi, nisi revelatione primitiva vel postera adjuvetur : ita *D. Huet*, Abrincensis episcopus († 1721), *L. de Bonald* († 1840), *Bautain* († 1867), *Ubaghs* († 1875) paucique alii. (**b**) Ex

[1] **S. Thomas**, *C. Gent.*, l. I, c. 4; *S. Theol.*, I, q. 1, a. 1; 2. 2., q. 2, a. 4; **Garrigou-Lagrange**, *De Revelat.*, l. I, c. XIII; **Hooke**, apud *Migne*, *Theol. Curs.*, vol. II, p. 463 sq.; **Valsecchi**, *De Fundam. religionis*, l. II, c. 1 sq.; **Dechamps**, *La Question Religieuse*, vol. I. c. 3; **Brugère**, n. 21 sq.; **Jungmann**, n. 90 sq.; **Mazzella**, n. 114 sq.; **Lambrecht**, p. 246 sq.; **Ottiger**, p. 97; **Hettinger**, *op. cit.*, § 16-17; **Hettinger-Bowden**, *op. cit.*, ch. II, p. 44 sq.; **Weiss**, *Apolog. du christ.* vol. I, 8e Conf., p. 337 sq.; **Gondal**, *Surnaturel*, 1894, l. III, c. 3-5, p. 352 sq.; **Mallock** *, *op. cit.*, ch. XI; **Abbé de Broglie**, *Les Fondements intellectuels de la Foi*, 1905, p. 83-96.

adverso autem *Rationalistæ*, v. g., *Rousseau*, *Cousin*, *Jouffroy*, *J. Simon*, *P. Janet*, tenent tantam esse vim humanæ rationis ut, sine ullo auxilio extrinseco, ea omnia quæ ad religionem pertinent certo cognoscere *physice atque moraliter* valeat.

Inter hos excessus media stat nostra thesis : —

210. *Thesis.* **Genus humanum in præsenti conditione non potest moraliter propriis viribus, seu absque speciali auxilio Dei, cognoscere expedite, firma certitudine et nullo admixto errore, summam veritatum religiosarum, quæ ad rectam vitæ institutionem desideratur : quapropter revelatio harum veritatum moraliter necessaria dici potest.** *Philosophice* et *theologice certum est* [1].

Thesis *declaratur.* (a) Hic agitur *de genere humano collective sumpto quale existit* in præsenti rerum ordine; non autem de uno vel altero homine sapientissimo, nec de statu generis humani qui fingeretur superior.

(b) Agitur de impotentia *morali*, non physica : impotentia *physica* consistit in physico defectu proportionis inter facultatem et actum, ita ut actus sit vere impossibilis : sic, v. g., oculus non potest audire, nec auris videre; *moralis* autem impotentia supponit quidem physicam potentiam actum ponendi, sed tot obstaculis præpeditam, ut, secundum mores hominum, difficillime in actum transeat; sic, v. g., tam difficile est circulum perfecte rotundum, absque ullo instrumento, describere, ut moraliter impossibile dici possit. Itaque homo absolute loquendo posset veritates de quibus agitur cognoscere, sed tot et tantis difficultatibus præpeditur, ut, attenta ejus natura, dici possit eum de facto vix unquam eas proprio studio cogniturum esse.

Itaque genus humanum posset absolute loquendo has veritates adipisci; sed, attenta ipsius infirmitate præ tot tantisque difficultatibus quibus premitur, de facto nunquam eas proprio studio cognoscere valebit.

(c) Dicitur : absque *speciali auxilio Dei*, seu interventu indebito, quo Deus, removendo quædam obstacula, intellectui et voluntati hominis subsidia nova præbeat.

[1] Cfr. *Conc. Vatic.*, sess. III, cap. 2. D. B., 1786.

(**d**) — ... *cognoscere expedite* etc.; quia hujusmodi cognitione facili, certa et tuta indiget genus humanum; secus non poterit moraliter agere recte atque finem suum attingere.

(**e**) ... *summam veritatum*... Præcipuæ hujusmodi veritates sunt : cognitio Dei unius et providi, — primi omnium rerum principii atque ultimi finis; immortalitas animæ; — summaque officiorum quæ homo implere debet erga Deum, proximum et seipsum.

(**f**) Quapropter revelatio *moraliter necessaria* [1] dici potest. Attenta impotentia humanæ naturæ, revelatio veritatum religionis naturalis, *moraliter necessaria* est, secundum conditiones ordinarias vitæ nostræ, nisi Deus alium modum eligat ad infirmitatem nostram sublevandam.

211. Thesis *probatur* duplici argumento, uno historico, altero psychologico.

1° **Historice.** Genus humanum vere in impotentia morali jacet cognoscendi expedite, certo et tuto veritates Religionis naturalis si populi omnes, extra Revelationem positi, in pessimos errores circa religionem et mores lapsi sunt, quibus ratio sola mederi nequivit. — Siquidem potentia quæ nunquam actum elicit merito dicitur impotens moraliter ad hunc actum eliciendum.

Atqui historice constat populos omnes, extra Revelationem positos, in pessimos errores circa Religionem et mores lapsos esse, quibus ratio mederi nequivit. — Ergo stat thesis.

212. *Minor* probatur *factorum expositione* [2]. (**A**) Historia enim constat apud Paganos, etiam Græcos Romanosque, qui aliunde scientiis et artibus floruerunt, maximos viguisse errores circa religionem.

(**a**) Imprimis *notio divinitatis* apud multos turpiter deformata

[1] *Necessarium dicitur* id *quod non potest non esse.* Theologi et philosophi duplicem distinguunt necessitatem, *absolutam* quæ fundatur in principiis intrinsecis rei (necesse est triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis), et *hypotheticam* quæ fundatur in causis extrinsecis. Hæc autem subdividitur in necessitatem *physicam* seu *strictam* (tale medium exigitur ut talis finis attingatur, e. g., cibus ad vivendum) et *moralem* (quæ est maxima utilitas). Necessitati strictæ respondet impotentia physica, necessitati autem morali impotentia moralis.

[2] **Abbé de Broglie,** *Les Fondements intellectuels de la Foi chrét.*, p. 83-96.

fuit; *polytheismus*, vel *dualismus* (seu doctrina de duobus principiis), aut *idololatria* per universum fere orbem grassatus est : astra, virgulta et plantæ, bruta et animantia, lignea, argentea vel aurea simulacra tanquam numina adorata sunt, et hodie etiam apud barbaras Africæ et Oceaniæ tribus adorantur [1]. Notandum est insuper eo magis divinitatis notionem depravatam fuisse, quo populi a primæva religione remotiores erant. Qui vero inter deos Supremum Numen agnoscebant, illud *fato* subjici dicebant, ut tum ex poetis, tum ex philosophis colligitur [2]. Præterea diis multa vitia et cupiditates tribuebantur, ita ut patroni viderentur esse turpissimorum criminum, videlicet ebrietatis, raptus, adulterii, incestus, crudelitatis, invidiæ, furti, mendacii etc. [3]

213. (b) *Cultus diis redditus* in crudelitatem et licentiam sæpe abiit : interdum humana sacrificia offerebantur ad eos placandos, sæpe obscenæ effigies in ipsis templis exponebantur, et in quibusdam festis (*Saturnalibus*, *Lupercalibus* etc.) pudoris leges publice violabantur [4]. De cultu autem *interiore* persolvendo pauci admodum cogitabant; nam, ut ait Cotta apud *Ciceronem* [5], "quis, quod bonus vir esset, gratias diis egit unquam?" Imo *Aristoteles* scripsit [6] : "Absurdum namque fuerit, si quispiam dixerit se Jovem amare"; revera vix ante Senecam et M. Aurelium reperitur auctor, qui Deum esse amandum docuerit.

214. (c) Ipsa *dignitas hominis* non satis agnita fuit : imperfecta quædam caritas quoad proximos quidem colebatur; sed ut proximi habebantur ii solum qui communis patriæ juribus consociabantur; ceteri ut hostes vel servi habebantur, et sæpe crudeliter excipie-

---

[1] Hinc lepide **Horatius** (lib. I, *Sat.* 8) :

"Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum;
Cum faber, incertus scammum faceretne Priapum,
Maluit esse deum. Deus inde ego".

[2] Ita **Seneca** de Supremo Numine ait (*de Provident.*, 5) : "Semper paret, semel jussit", quia videlicet fata mutare nequit. Cfr. **Homer.**, *Iliad.*, VI, 488; XXIV, 209-211; XXII, 208-213; **G. Sortais**, *Ilios et l'Iliade*, Paris 1892, p. 300 sq.

[3] Hæc apud Homerum et Virgilium passim referuntur. Cfr. **Terent.**, *Eun.*, act. III; **Cicero**, *de Nat. deor.*, l. II, 24 sq.; **S. Augustinus**, de *Civit. Dei*, l. VI., c. 9, *Migne*, P. L., XLI, 187; **Arnobius**, *Adversus Gentes*, l. IV, c. 18 sq.; *Migne*, V, p. 1037 sq. Hinc **Ovidius** (*Trist.*, lib. II) vetabat ne puellæ templa Jovis ingrederentur, ne forte discerent "quam multas matres fecerit ille deus". Cf. **Martinet**, *op. cit.*, vol. I, p. 396 sq.

[4] **Dionysius Halicarn.**, l. I; **Macrobius**, *Saturnal.*, l. I, c. 7 sq.; **Lucianus**, *Dialog. de sacrificiis*; **S. August.**, op. cit., l. VII, c. 21, *P. L.*, XLI, 210; **Lactantius**, *Divin. Institut.*, l. I, c. 21; *Migne*, P. L., VI, p. 230 sq.; **Martinet**, *op. cit.*, vol. I, p. 404.

[5] *De Natur. deor.*, III, c. 36. — [6] *Magn. moral.*, II, 11, alias 13.

bantur. *Immortalitatem animæ* plerique vel negabant vel in dubium revocabant; *Plato* ipse, qui tam præclara scripsit, de immortalitate animæ dubitabat [1]; *Cicero* item scribebat [2] : "Evolvi ejus librum (de immortalitate), sed nescio quomodo dum lego assentior : dum posui librum et mecum ipse de animarum immortalitate cogitare cœpi, assensio omnis ista elabitur". Qui autem animas immortales esse putabant, futuram vitam etiam bonis satis injucundam esse tenebant [3].

215. (d) Ex his falsis principiis circa Deum et hominem prava consectaria circa *mores* logice sequebantur. Plato ipse uxorum communitatem commendabat, vagosque concubitus permittebat, imo et infantium expositionem, quando non erant bene conformati [4]; ebrietatem quidem damnat, sed non in festis Bacchi; Aristoteles turpes et lascivas deorum imagines in templis depictas excusat; fornicatio inter vitia non recensebatur, et peccata contra naturam sat communia erant, ita ut testimonio paganorum scriptorum comprobari possint quæ Apostolus scribit : "Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam; similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes... repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones... [5]".

---

[1] *Apolog. Socrat.*, n. 37; *Phedo.*

[2] *Tusc.*, l. II, c. 11.

[3] Cf. **J. Girard**, *Le sentiment Religieux en Grèce*, Paris, 1879, l. II, c. 5, p. 247 sq.; **Fustel de Coulanges**, *La Cité Antique*, l. I, c. 1.

[4] Quæ omnia et nostris temporibus in regionibus non christianis inveniuntur. Sic scribebat missionarius tempore famis quæ anno 1920 Sinam depopulabatur : "On meurt de faim, on s'empoisonne, on se pend, on vend les femmes et les filles, on jette les enfants. C'est triste, un pays non chrétien". (*Études*, 20 avril 1921, p. 216.)

[5] *Rom.*, I, 26, sq. — Revera legitur apud **Ciceronem**, (*de Nat. deor.*, l. I, c. 28) : "Deinde nobis, qui concedentibus philosophis antiquis, *adolescentulis delectamur*, etiam vitia sæpe jucunda sunt". Cf. **Aul. Gell.**, l. XVIII, c. 2; XIX, c. 2; **Plutarch.**, *De liberis educandis*, circa finem opusculi. Circa mores Romanorum scribit **Sallustius** (*Bell. catilin.*, c. 12-13) : "Ex divitiis juventutem luxuria atque avaritia cum superbia invasere : rapere, consumere, sua parvi pendere, aliena cupere, pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nil pensi neque moderati habere... sed libido stupri, ganeæ, ceterique cultus non minor incesserat. Viri pati muliebria, mulieres pudicitiam in propatulo habere..." Cfr. **Epictetus**, *Enchirid.*, c. 47; **Tertull.**, *Apologet.*, c. 15; *P. L.*, 1, 357-363; **Lactant.**, op. c., l. V, occ. 6, 18 etc.; **Döllinger**, *Heidentum und Judentum*, 1857, *anglice* et *gallice* redditum; **G. Boissier**, *Cicéron et ses amis*, Paris, 1874, p. 167 sq.; **Abbé de Broglie**, *La Morale sans Dieu*, Paris, 1886, ch. I, p. 13 sq.

216. (**B**) Aliunde ratio sola, etiam ab *illustrissimis philosophis* exculta, his erroribus mederi non potuit. Licet enim apud Paganos philosophi sapientiæ studuerint, et scholas sectasque efformaverint, populis ad verum Dei cultum et naturalium virtutum praxim adducendis impares fuerunt, utpote qui nec *potuerunt*, nec *voluerunt* plebem edocere.

(**a**) *Non potuerunt*, tum propter defectum *scientiæ*, tum propter defectum *auctoritatis*. 1) Deerat *scientia*. Siquidem nullus est philosophus qui summam veritatum necessariam ad rectam vitæ institutionem absque erroris admixtione collegerit; siquidem omnes materiæ æternitatem tenuerunt, nec ullus clare mundi creationem docuit. De multis etiam valde necessariis, v. g., de natura Dei et animæ immortalitate, dubitarunt [1]. Præterea etiam illustrissimi inter eos in turpissimos errores practicos lapsi sunt, ut jam supra de Platone, Aristotele aliisque notavimus. Jamvero quomodo alios docere potuerunt qui veritatem vel non noverunt, vel incerto modo noverunt, vel non sine erroris admixtione? [2]

217. 2) Aliunde ad veritatem suadendam ipsis defuit *auctoritas*. *Argumentorum* vi id præstare non potuerunt, cum via hujusmodi nimis longa et difficilis sit; neque *propria auctoritate;* nam quæ philosophorum apud plebem auctoritas esse potuit? Inter se perpetuo divisi, de omni re litigabant palam in gymnasiis, in hortulis, in locis publicis et privatis : alii asserebant unum, alii innumerabiles esse mundos; alii æternum, alii ortum habuisse; alii immortales esse animas, alii mortales, alii hominum animas revolvi in bestias [3]. Sed etiamsi consensissent, auctoritate tamen caruissent, quia eorum exempla cum doctrina consona minime erant, teste ipso Cicerone [4] : " Quotus enim quisque philosophorum

---

[1] Ad rem **Tullius,** (*de Nat. deor.*, l. I, c. 1) : " Plerique deos esse dixerunt; dubitare se Protagoras; nullos esse omnino Diagoras Melius et Theodorus Cyrenaicus putaverunt. Qui vero deos esse dixerunt, tanta sunt in varietate ac dissensione, ut eorum molestum sit dinumerare sententias. Nam et de figuris deorum, et de locis atque sedibus et actione vitæ multa dicuntur; deque his summa philosophorum dissensione certatur; quod vero maxime rem causamque continet, utrum nihil agant, nihil moliantur, omni curatione et administratione rerum vacent, an contra ab his et a principio omnia facta et constituta sint, et ad infinitum tempus regantur atque moveantur, imprimisque magna dissensio est ". — Cfr. **Augustinus,** *de Civ. Dei*, l. XVIII, c. 41, *P. L.*, XLI, 601; **Lactant.,** op. cit., l. VII, c. 7.

[2] Cfr. **A. J. Balfour** *, *op. cit.*, part. II, c. 3, p. 164.

[3] Cfr. **S. August.,** op. cit., l. XVIII, c. 41, P. L., XLI, 601.

[4] *Tuscul.*, l. II, 4. — Cfr. **Lactant.,** op. c., l. III, c. 16, *P. L.*, t. VI, p. 395.

invenitur, qui sit ita moratus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio postulat? qui disciplinam suam, non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putet? qui obtemperet ipse sibi, et decretis suis pareat? Videre licet alios tanta levitate et jactatione, iis ut fuerit non didicisse melius; alios pecuniæ cupidos, gloriæ nonnullos, multos libidinum servos : ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio". Jamvero qui docent tantum nec faciunt, parvi penduntur; nam verba movent, exempla trahunt. Tandem præcepta vim fere nullam habent nisi sufficienti *sanctione* muniantur : porro cum ipsi philosophi de immortalitate animæ dubitarent, qua sanctione leges firmare potuissent?

218. (b) Etiamsi potuissent, *noluerunt* tamen sincere et efficaciter omnes veritates docere ad finis obtentionem necessarias. Sacerdotes gentiles ubique fere terrarum secretas doctrinas tenebant, quas vix initiatis, nullomodo autem profanis manifestabant. Plerique autem philosophi profanum vulgus despiciebant [1], ac paucissimis contenti discipulis, opera sua stilo ad popularem mentem minime accommodato scribebant; immo uno ore clamabant multa esse vera quæ a plebe ignorari expediat, et in iis quæ ad religionem spectant nihil esse immutandum, neminemque sanæ mentis id unquam suscepturum.

Hinc sapientissimi, ut Socrates, Plato, Cicero, Seneca, licet privatim deos irriderent, publice tamen colebant; ita Socrates morti proximus amicos rogavit ut Esculapio gallum, quem voverat, pro se immolarent : pariter Plato falsam patriæ religionem retinendam esse docebat [2]; nec aliter censebat Cicero, qui licet dictum Catonis approbaret, videlicet mirari se quod non rideret aruspex, aruspicem cum videret [3], scribebat tamen [4] : " A Patribus acceptos deos placuit coli... illud ex institutis pontificum et aruspicum non mutandum est, quibus hostiis immolandum cuique deo ".

219. Nec dicatur modernos philosophos majori auctoritate gaudere quam antiquos : ipsi enim in turpissimos errores lapsi sunt : scepticismum renovarunt *D. Hume* et *Bayle;* pantheismum *Spinoza*, *Fichte*, *Schelling*, *Hegel*, *Vacherot;* subjectivismum docuit *Kant;* materialismum et positivismum vel agnosticismum propugnant philosophi non pauci, quales sunt *Büchner*, *Huxley*, *H. Spencer*, *A. Fouillée*, *M. Guyau*, ita ut nullus fere sit error ab antiquis edoctus qui sub una vel altera forma nostris diebus

[1] Ita inter alios scribebat **Cicero** (*Tuscul.*, l. II, c. 1) : "Est enim philosophia paucis contenta judicibus, multitudinem consulto ipsa fugiens, eique ipsi et suspecta et invisa". **Horatius** autem (*Od.*, III, 1) : " Odi profanum vulgus et arceo ". Cfr. **Hooke**, *op. cit.*, ed. *Migne*, p. 482.

[2] *De Republica*, lib. 4.

[3] *De Divin.*, t. II, c. 24. — [4] *De Leg.*, lib. II.

recoctus non fuerit; hinc fundamenta ethicæ super arenam ædificaverunt, ut ex eorum operibus constat [1]: immo negatur a quibusdam ipsum moralitatis fundamentum, seu notio *officii* [2]. Ipsi deistæ seu rationalistæ, qui naturalem advocant religionem, multa ex doctrina christiana hauserunt, ut videre est ex scriptis *J. Simon*, qui visionem beatificam asseclis suis promittit [3], et nihilominus fateri coguntur religionem mere naturalem plebi non esse acceptam, nec posse diu solam subsistere [4].

220. Neque naturales disciplinæ, quæ sæpe sæpius nomine *scientiæ simpliciter* decorantur, hominem moralem beatumque efficere valent ut supra ostensum est, n. 158.

Hinc multi eorum qui in scientiis animi pacem, cordisque aspirationum satisfactionem quæsierant, mox agnoscentes se deceptos fuisse, cum sapiente dixerunt : " Et agnovi quod in his quoque esset labor et afflictio spiritus... cumque me convertissem ad omnia opera quæ fecerant manus meæ, et ad labores in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole " [5]. Ergo neque scientia humani ingenii erroribus, in re ad mores vel religionem spectante, mederi potest [6].

---

[1] Cfr. **Spencer***, *The Principles of Ethics*, *The Principles of Sociology*; **A. Fouillée***, *Critique des Systèmes de Morale contemporains*, 3ª ed., Paris, 1893; **Guyau***, *L'Irréligion de l'Avenir*, 6ª ed., Paris, 1896; *La morale Anglaise contemporaine*, 3ª ed., Paris, 1895; *Esquisse d'une morale sans obligation ni sanction*, 4ª ed., Paris, 1896.

[2] Ita **Lévy Brühl***, *La Science des Mœurs*, Paris, Alcan, 1904, ubi contendit morum scientiam non consistere in exponendis et inculcandis officiis, sed solum in describendo mores quales existunt.

[3] Cf. **J. Simon***, *La Religion naturelle*, p. 315-316.

[4] Ita inter alias **E. Saisset***, *Essais sur la Philosophie de la Religion*, p. 237, qui animadvertit religionem naturalem sæculo XVIII multum quidem laudatam fuisse, sed hodie ita obsolevisse ut inter entia rationis vanaque imaginationis figmenta recenseri possit. Quod aliunde lucide demonstravit **A. de Broglie** (*Questions de Religion et d'Histoire*, Paris, 1860, t. II, p. 310 sq.) Ipsi Rationalistæ fatentur rationem, etiam rite excultam, veritatem sine erroris admixtione attingere non posse. (**V. Cousin**, *Histoire générale de la Philosophie*, Paris, 1863, p. 21). — Revera moderni philosophi fatentur se solvere non posse problemata maximi momenti, v. g., originem mundi, cum, inquiunt, mundus possit esse vel a se existens, vel a se productus, vel ab alio creatus. (**H. Spencer***, *First Principles*, p. 30.) Merito igitur concludit **Balfour***, *op. cit.*, p. 165, humanum genus, etiam in statu hodiernæ civilisationis, a philosophis modernis recte vivendum non posse instrui, proindeque ad altiora principia, seu ad religionem supra-humanam esse recurrendum. — [5] *Eccles.*, I, 17; II, 11.

[6] Multos hodie esse, etiam inter acatholicos, qui ita sentiant, constat ex testimoniis quæ collegit **Mgr Baunard**, *Espérance*, Paris, 1891. Cfr. **Brunetière**, *Questions actuelles*, Paris, Perrin, 1907, p. 3-47; **E. Boutroux***, *Science et Religion*, Paris, 1908, p. 228-268; **G. J. Romanes***, *Thoughts on Religion*.

Constat igitur ex innumeris factis, tum antiquis tum recentibus, nunquam moraliter potuisse genus humanum, sine aliqua revelatione, Deum glorificare vitamque honestam ducere, nec ullam esse humanam potestatem quæ moraliter huic nativæ infirmitati succurrere possit; ergo moraliter necessaria est aliqua revelatio.

221. Quæ conclusio haud parum roboratur ex eo quod omnes fere religiones, quæ aliquando exstiterunt, tanquam *divinitus revelatas* sese exhibent[1]. Excipitur quidem *Budhismus*, qualis a fundatore prædicatus fuit; sed Budhæ discipuli magistrum deificaverunt et contenderunt eum esse mediatorem inter Supremum Numen et homines; nil sane magis evidenter ostendit quam vivide humanum genus alicujus revelationis necessitatem sentiat.

222. 2° Probatur **psychologice.** Ratio cur humanum genus codicem morum ad rectam vitæ institutionem invenire non potuerit, ex debilitate humanæ naturæ in præsenti conditione desumitur.

Etenim, ut genus humanum moraliter posset illas veritates comparare quæ necessariæ sunt ad rectam vitæ institutionem, necesse esset ut (**a**) ea fulgerent evidentia quæ *omnium* etiam *rudium* captui sit accommodata : nam et ipsi finem suum consequi debent; (**b**) evidentia quæ *expedite, sine mora* percipi possit : vita enim brevis est, nec tota in speculativa veritatis inquisitione consumi debet; (**c**) et facile *graves saltem errores excluderentur :* nam si graves hac de re admittantur errores, via ad finem tuta non erit.

Atqui multum abest ut talis evidentia præfatis veritatibus insit; nam, ut optime arguit *S. Thomas*[2] :

223. (**A**) *Multi* a fructu studiosæ inquisitionis impediuntur tribus de causis, propter defectum *ingenii, temporis*, vel *industriæ :* (**a**) propter *defectum ingenii;* quidam enim, propter *complexionis indispositionem*, seu propter corporis et

[1] Cf. etiam **Plato**, *Phædon*, cap. 35 ubi philosophus ad " verbum divinum " appellat, quo veritas amplius effulgeat.

[2] **S. Thom.** *C. Gent.*, l. I, c. 4, cujus verba fere ad litteram retulimus; Cf. *S. Th.*, I, q. 1, a. 1; 2ª 2æ, q. 2, a. 4. Cf. **Zigliara**, *Propædeut.*, ed. 3ª, 1890, p. 168; **Monsabré**, *Introd. au Dogme Cathol.*, 6e Confér., vol. I, p. 169 sq. Idem fere argumentum exponunt **A. de Tocqueville**, *De la Démocratie en Amérique*, tom. III, p. I, c. 5; et recenter **A. Balfour***, *op. cit.*, p. 204 sq.

cerebri infirmitatem, ex qua multi naturaliter sunt indispositi ad sciendum, nec possunt summum gradum humanæ cognitionis attingere, qui in cognoscendo Deum consistit; (**b**) propter *defectum temporis;* quidam videlicet impediuntur *necessitate rei familiaris*, quatenus oportet inter homines esse aliquos qui temporalibus administrandis insistant, nec studio vacare possint necessario ad Dei cognitionem adipiscendam; (**c**) propter *defectum industriæ;* nam quidam impediuntur *pigritia;* ad cognitionem enim eorum quæ de Deo ratio investigare potest, multa præcognoscere oportet quæ ad metaphysicam pertinent; sic ergo nonnisi cum magno labore ad prædictæ veritatis possessionem perveniri potest; quem quidem laborem pauci subire volunt.

224. (**B**) Ratio individua sibi relicta nonnisi post *longum tempus* ad harum veritatum cognitionem pertingere potest : (**a**) tum propter hujusmodi veritatum *profunditatem*, ad quam capiendam, per viam rationis, *nonnisi post longum exercitium* intellectus humanus idoneus invenitur; (**b**) tum propter hoc quod, tempore *juventutis*, dum diversis motibus passionum anima fluctuat, non est apta ad tam altæ veritatis cognitionem, sed in quiescendo fit prudens et sciens. Remaneret igitur genus humanum, sine revelatione, in maximis ignorantiæ tenebris, cum Dei cognitio nonnisi paucis, et quidem post longum tempus proveniret.

225. (**C**) Tandem ratio sola vix veritates hujusmodi attingere potest sine *gravium errorum admixtione* aut saltem *formidine;* nam investigationi rationis humanæ plerumque falsitas admiscetur propter *debilitatem intellectus* nostri in judicando, et *phantasmatum permixtionem*, id est multitudinem objectorum, quæ frequenter per imaginationem repræsentantur, et reflexionis exercitium præpediunt. Et ideo multi in dubitatione remanerent circa ea quæ sunt verissimè etiam demonstrata, propterea quod vim demonstrationis ignorarent, et præcipue viderent a diversis, qui sapientes dicuntur, diversa doceri. Inter multa etiam vera, quæ demonstrantur, immiscetur aliquando aliquid falsum, quod non demonstratur, sed aliqua probabili vel sophistica ratione suadetur. Jamvero multi, inter eos præsertim qui dialecticæ non studuerunt, vix possunt expedite argumentum a sophis-

mate distinguere. — Aliunde supra ostensum est, n. 216 et 219, ignaros non posse efficaciter a philosophis has veritates discere. Ergo salubriter divina providit clementia ut ea etiam quæ ratio investigare potest, revelaret, ut sic omnes de facili possent divinæ cognitionis participes esse et absque dubitatione et errore [1].

226. Conclusio. (a) Demonstrata generis humani impotentia suis viribus ad Religionem naturalem perveniendi, vere *moraliter necessaria* apparet Revelatio veritatum religiosarum ordinis naturalis. Vix enim alius modus (aliunde factis exclusus) nostram infirmitatem sublevandi (utputa virium intellectus et voluntatis incrementum) possibilis est; nam pro quocumque homine interventionem Dei specialem postularet. Jamvero Deus inutilia facere non solet. (b) Valde probabiliter Deus hoc Revelationis auxilium humano generi præstitit, quo Religio naturalis ab omnibus expedite, certo et tuto cognosci possit : Deus enim summe sapiens et bonus in necessariis non deficit.

§. II. Necessitas revelationis quoad mysteria supernaturalia et præcepta positiva.

227. Cum Apologetica ad ordinem supernaturalem, et in specie ad Religionem christiano-catholicam nos perducere intendat, de necessitate revelationis mysteriorum supernaturalium agere oportet, necnon de præceptis positivis. Doctrina catholica inter duos errores oppositos viam sequitur mediam. Ex una parte, *rationalistæ* omne supernaturale rationi repugnare affirmant. Ex altera parte, secundum *Baïanistas*, *Jansenistas*, *Modernistas*, supernaturale stricte a natura postulatur, et ideo revelatio mysteriorum stricte, vel saltem moraliter necessaria dicenda est. (Cf. supra n. 17)

228. *Thesis.* **Data hypothesi elevationis hominis ad ordinem supernaturalem, mysteriorum revelatio**

[1] Eamdem conclusionem alio tamen modo attigit **Benj. Kidd** * (*op. cit.*, c. V, p. 106 sq.), ubi probat societatem non posse legitimam evolutionem prosequi, nisi homines discant propriam utilitatem communi societatis bono subdere; et aliunde hoc fieri non posse nisi admittatur supra-rationalis seu supernaturalis sanctio pro legibus.

stricte necessaria est; sed extra hanc hypothesim, nec stricte, nec moraliter necessaria dici potest, sed conveniens tantum. *Philosophice certum* est et *theologice de fide*, ex condemnatione supradictorum hæreticorum.

1° *Probatur 1ª pars :* Data hypothesi elevationis gratuitæ hominis ad finem supernaturalem, revelatio mysteriorum stricte necessaria apparet, quia sola ratione cognoscere non valemus quid sit vita divina, cujus participes efficimur, quomodo gratia in nobis producatur et augeatur, etc. [1]; in hac igitur hypothesi, stricte necessaria est proprie dicta revelatio.

2° *Probatur 2ª pars :* Cum elevatio ad ordinem supernaturalem ex parte Dei omnino gratuita sit, revelatio mysteriorum neque stricte neque moraliter necessaria est, sed tantum valde conveniens sicut elevatio nostra ad ordinem supernaturalem. (**A**) *Ex parte Dei :* Summo bono, scilicet Deo, convenit quod sese communicet creaturis secundum id quod est sibi magis intimum. Atqui quod est Deo magis intimum est sua natura divina. Ergo convenit Deo ut nobis communicet participationem suæ naturæ divinæ, seu suæ vitæ intimæ supernaturalis. (**B**) *Ex parte hominis.* Elevatio sine qua satiari nequit nostrum desiderium naturale, etsi conditionatum et inefficax, est nobis conveniens simul et gratuita. Atqui sine elevatione ad finem supernaturalem satiari nequit nostrum desiderium naturale, conditionale et inefficax videndi Deum ut in se est. Ergo elevatio hominis ad finem supernaturalem est conveniens et simul gratuita [2]. — Quod melius patebit ex dicendis de hominis desiderio videndi Deum.

229. Scholion : de desiderio hominis videndi Deum ut in se est. Hoc desiderium inesse homini docet *S. Thomas* [3] : " Inest homini *naturale desiderium cognoscendi causam* cum intuetur effectum... Et ideo remanet *naturaliter* homini desiderium, cum cognoscit effectum, et scit eum habere

[1] **S. Th.**, I pars, q. 1, a. 1. Cf. **Vaticanum** declarans revelationem mysteriorum absolute (i. e. stricte) necessariam " quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quæ humanæ mentis intelligentiam omnino superant ". **D. B.**, 1786.

[2] **P. Garrigou-Lagrange,** *De revelatione*, I, p. 417-418.

[3] *Sum. theol*, 1, q. 12, a. 1 ; 1ª 2æ, q. 3, a. 8 ; *C. Gentes*, l. III, c. 50.

causam, ut etiam sciat de causa quid est; et illud desiderium est admirationis, et causat inquisitionem". De mente Angelici Doctoris multum quidem disputatum est[1]; plerique autem Thomistæ eam sic declarant : homo *naturaliter* desiderat, desiderio *non innato, sed elicito, conditionali* et *inefficaci, videre essentiam Dei auctoris naturæ.* Hoc igitur desiderium est : 1) *elicitum*, non innatum, quia ex cognitione effectuum causæ primæ oritur, non autem hanc cognitionem antecedit; 2) *conditionale*, seu hypotheticum : vellem Dei essentiam videre, si res possibilis esset et Deus ad hanc visionem me elevare vellet; proindeque *ex se* est *inefficax;* 3) versatur circa *visionem* Dei *unius*, non trini : sequitur enim cognitionem quæ naturalis est.

230. Hujus desiderii originem ita explicat *S. Thomas :* homo beatitudinem quærit, eamque non in rebus creatis sed in solo Deo invenit; cognitio autem incompleta, quam sola ratio præbet, desiderium beatitudinis non plene satiat; directa igitur visio Dei desideratur ad perfectam felicitatem adipiscendam. Confirmatur ex variorum philosophorum conatu ad contemplandum Deum, et desiderio, quod in omnibus fere religionibus invenitur, intimam communionem cum divinitate per sacrificia et mysteria consequendi.

231. Itaque hoc desiderio uti possumus ad ostendendam *convenientiam* revelationis ejusque *appetibilitatem.* Revelatio enim apparet tanquam donum desideria nostra satians et quidem modo superabundanti, non autem tanquam jugum nobis impositum et a nobis alienum. Exinde autem non potest demonstrari ejus necessitas : non enim necesse est ut compleantur desideria elicita, conditionata et inefficacia.

232. Conclusio totius articuli. Revelatio vere nobis moraliter necessaria dici potest ad veritates Religionis naturalis certo ac tuto cognoscendas; maxime autem conveniens quoad veritates supernaturales et præcepta positiva. Sic præparatur mens humana ad Revelationem quærendam et amplectendam; sic via paratur demonstrationi *historicæ.*

[1] Cf. **P. Garrigou-Lagrange,** *op. cit.*, t. I, p. 384-398; **Ligeard,** *La Théologie scolastique et la transcendance du surnaturel.*

233. Aliqui moderni (ut *Card. Dechamps*, n. 73) directe concludunt a conscientia quam habemus indigentiæ nostræ et ab aspirationibus nostris, ad veritatem Revelationis catholicæ hujusmodi aspirationes complentis : siquidem Ecclesia catholica est per se ipsam magnum quoddam et perpetuum motivum credibilitatis, ut infra probatur, ubi de Ecclesiæ notis. Hac breviore methodo, occasione data, feliciter apologeta utetur.

Art. IV. De morali obligatione revelationem inquirendi et amplectendi [1].

234. Status quæstionis. (a) Obligationem revelationem inquirendi et amplectendi plerique *Rationalistæ* negant : cum enim revelatio sit donum gratuitum, quisque liber manet eam amplectendi aut rejiciendi, dummodo naturalem religionem in corde suo colat. (b) Hanc obligationem pariter negant illi *Indifferentistæ* qui asserunt omnes religiones esse æqualiter bonas, et cuique licere illi adhærere in qua natus est, vel aliam magis sibi accommodatam amplecti [2]. (c) Quibus accedunt *Modernistæ*, qui religionem in *sensu religioso* aut *interna experientia* reponentes, eo ipso plus minusve explicite asserunt omnes religiones esse veras; nam sensus religiosus unus semperque idem est, saltem substantialiter, experientia autem religiosa pariter eadem fere est in omnibus. Unde nonnulli affirmant mox omnes religiones in unam coalituras esse, nempe *religionem spiritus* [3].

Duæ igitur erunt theses : prior contra Rationalistas, posterior contra Indifferentistas et Modernistas.

235. *Thesis I^a^.* **Posita morali necessitate revelationis quoad Religionem naturalem et convenientia revelationis veritatum supernaturalium, gravis cuiquam obligatio incumbit eam inquirendi eamque amplectendi cum inventa fuerit.** Certum est.

---

[1] **Pascal**, *Pensées*, sect. III, ed. *Brunsch.;* **Lamennais**, *Essai sur l'Indifférence*, t. I; **Mc Carthy**, *Sermons*, 1842, sur l'Incrédulité et l'Indifférence, t. II, p. 159-290; *anglice* redditum, Dublin, 1881, p. 401 sq.; **Mazzella**, op. cit., n. 53-74; **Lambrecht**, op. cit., p. 99 sq.; **Mgr Pie**, *Instr. synodale* du 7 Juillet 1855, 2^e^ part.; **Wilmers**, op. cit., n. 108-112; **Gondal**, *Religion*, 1904, p. 185-218.

[2] Ita **Rousseau***, *Emile*, Profession de foi du Vicaire Savoyard, multique moderni. — [3] Ita, inter alios, **A. Sabatier***, *Esquisse*, p. 408-410.

Probatur : (**A**) *Ex reverentia veritati et Deo debita.* Data magna probabilitate existentiæ revelationis divinæ, ut ex n. 226 apparet, reverentia quam veritati et imprimis Dei verbo debemus, exigit ut revelationem veram inquiramus eamque amplectamur.

(**B**) *Ex obligatione Religionem profitendi.* Sicut gravis cuique incumbit obligatio Religionem profitendi, ita et mediis utendi necessariis ad acquirendam cognitionem veræ Religionis; nam finis imponi nequit quin simul et media ad finem necessaria imperentur. — Atqui ex impotentia morali humani generis, revelatio ut medium moraliter necessarium ad veram Religionem sequendam apparet. — Ergo cuique etiam gravis incumbit obligatio revelationem inquirendi et amplectendi.

(**C**) *Ex obligatione meliores aspirationes sequendi.* Ex dictis de aspirationibus naturæ humanæ ad visionem Dei, homo suas aspirationes nobilissimas mutilaret, si de inquisitione et adoptione Revelationis minime curaret.

236. Nec dicas revelationem, utpote donum *gratuitum*, respui posse. Etsi enim Deus non teneatur aliquid nobis revelare, cum revelatio gratuita sit, — si de facto revelat, potest strictam obligationem imponere hanc revelationem amplectendi et sequendi, cum Ipse sit supremus omnium *dominus* : sic in ordine naturali, vitam corporalem, quæ est donum gratuitum, ita nobis imponit ut eam abdicare sit grave scelus [1]. Quod autem Deus ita statuerit, ex eo satis constat quod humanum genus hac revelatione indigeat ad rectam vitæ suæ ordinationem et innuitur ex aspiratione mentis ad intimiorem cum Deo unionem. Maximæ igitur temeritatis esset qui scienter et volenter recusaret inquirere utrum necne Deus aliquid revelaverit, utrum necne obligationem imposuerit revelationem amplectendi.

Nec dicere juvat *nimis incertam* esse revelationem ut de ea inquiramus. Prudentia enim suggerit ut, in rebus maximi momenti, præsertim quando de æterna salute agitur, omne dubium prudens excutiamus et tutiorem partem sequamur. Et sane, etiamsi nulla esset religio revelata, non multum sane amittimus dum diligenter eam inquirimus; sed potius opus Deo gratum facimus facultatibus nostris utendo ad ejus gloriam meliori quo possumus modo promovendam; si vero existit religio revelata, eamque investigare culpabiliter recusamus, omnia bona amittimus

[1] Quod eloquenter urget **DD. Pie,** op. cit.

quæ nobis parabantur, et in periculum æternæ damnationis incidimus [1]. Ergo temeritatis, imo dementiæ reus est qui, dum novit revelationem valde probabilem esse, eam diligenter inquirere negligit.

237. *Thesis 2ª :* **Homo non potest indifferenter quamlibet religionem quæ se dicit revelatam profiteri, sed veram religionem inquirere et amplecti tenetur.**

Probatur 1° *ex unitate veritatis religiosæ.* Si Deus aliquam religionem revelavit, eamque hominibus imposuit (quod sane gravibus rationibus fulciri vidimus), hæc religio *una* est, — sicut ipsa veritas, — nec proinde amplecti potest dogmata aut præcepta contradictoria. Jamvero inter diversas religiones quæ tanquam revelatas sese præbent adsunt essentialia discrimina, imo apertæ contradictiones.

Tria videlicet elementa in qualibet religione invenire licet : *veritates* credendas, *præcepta* adimplenda, et *cultum* observandum. (a) Ad *dogmata* quod spectat, cum in variis religionibus inveniantur propositiones contradictoriæ, impossibile est ut omnes sint æque veræ; ita, v. g., quædam religiones *polytheismum* docent, aliæ *pantheismum*, aliæ autem *monotheismum :* porro hæc omnia simul vera esse nequeunt; Christiani Jesum Christum non solum ut divinum legatum agnoscunt sed etiam ut *verum Dei Filium :* quod tum Judæi tum Mahumetani negant; hi autem Mahumetem tanquam maximum prophetam habent, dum Judæi et Christiani eum ut deceptorem existimant. (b) Quoad *præcepta*, polygamia et divortium, quæ hic prohibentur et alibi permittuntur, non possunt esse simul licita et illicita in iisdem circumstantiis. (c) Pariter varii *cultus* in mundo existentes inter se valde differunt non solum accidentaliter sed etiam substantialiter, cum alii sint puri, honesti virtutesque promoveant, dum alii inhumani sunt et libidinosi, ideoque dici nequit omnes cultus æque legitimos esse vel æque Deo placere.

---

[1] Quod argumentum (vulgo dictum *argument du pari*, sed ab ipso Pascal *règle des partis)* urget **Pascal,** *Pensées*, n. 233, éd. *Brunsch.*, ubi ait : " Mais il y a une éternité de vie et de bonheur. Et cela étant, quand il y aurait une infinité de hasards dont un seul serait pour vous, vous auriez encore raison de gager un pour avoir deux, et vous agiriez de mauvais sens, étant obligé à jouer, de refuser de jouer une vie contre trois à un jeu où d'une infinité de hasards il y en a un pour vous, s'il y avait une infinité de vie infiniment heureuse à gagner... A la vérité, vous ne serez point dans les plaisirs empestés, dans la gloire, dans les délices; mais n'en aurez-vous point d'autres? Je vous dis que vous y gagnerez en cette vie; et qu'à chaque pas que vous ferez dans ce chemin, vous verrez tant de certitude du gain, et tant de néant de ce que vous hasardez, que vous reconnaîtrez à la fin que vous avez parié pour une chose certaine, infinie, pour laquelle vous n'avez rien donné ". *Totus* locus *attente* legendus est.

Admisso igitur Indifferentismo, posset quis Romæ Christum adorare, eumdem apud Judæos blasphemare et apud Mahumetanos abjurare; Constantinopoli plures legitimas uxores habere, et Parisiis ut criminis bigamiæ reum haberi [1]. Jamvero si consectaria quæ logice ex Indifferentismo fluunt absurda sunt, falsum sane est ipsum principium. Ergo una est tantum vera religio, eaque sedulo inquiri debet.

238. 2° *Ex ipsa Dei natura.* Deus enim est ipsa veritas ipsaque justitia, nec potest sine maxima injuria indifferens supponi in iis quæ veritatem et honestatem spectant; atqui systema quod impugnamus manifeste supponit Deum æquo respicere animo religiones, quarum una verum, altera falsum edocet, quarum una bonum, altera malum promovet; quod idem est ac supponere Deum indifferentem se habere relate ad verum et falsum, honestum et inhonestum.

Nec dicatur eos qui varias hujusmodi religiones colunt in bona fide esse, proindeque Deo acceptos : si revera sint bonæ fidei, excusari quidem possunt coram Domino, qui intuetur cor, propter rectam intentionem, sed falsa religio quam observant, *objective* sumpta, in iis quæ veritati opponuntur, certo Ipsi displicet. Proinde si quis de veritate suæ religionis serio dubitat, sub gravi inquirere tenetur quisnam sit legitimus cultus Deo probatus : secus ipsi injuriam facit.

CAPUT III.

DE CRITERIIS DIVINÆ REVELATIONIS.

239. Ut rationabiliter aliquam religionem tanquam divinitus revelatam accipiamus, validis demonstrandum est argumentis eam esse vere a Deo traditam : non enim rationabiliter credimus, nisi certo moraliter videamus aliquid credendum esse.

Unde nobis inquirendum est de *notis* vel *criteriis* divinæ Revelationis. Agemus successive :

1° de *criteriis* divinæ Revelationis *in genere;*

2° de *miraculo;*

3° et de *prophetia* in specie.

---

[1] Quod eloquenter exponit **Lamennais,** *op. cit.*, t. I, ch. IV.

Art. I. De criteriis divinæ revelationis in genere [1].

240. Status quæstionis. 1° Certum est *contra Rationalistas unicum* criterium revelationis non esse ejus conformitatem cum principiis rationis. Nam (**a**) conformitas alicujus doctrinæ cum ratione probat quidem eam esse veram, non autem eam fuisse certo revelatam : sola enim ratione accurate exculta non paucas veritates cognoscere valemus. (**b**) Præfatum criterium vix usurpari potest quoad mysteria veritatesque ordinis supernaturalis, quæ captum hominis superant : ratio enim positivam eorum convenientiam demonstrare non valet, sed solum ostendere horum repugnantiam non demonstrari [2]. (**c**) Aliunde revelatio est *factum historicum*, quod, sicut cetera facta, diligenti historica inquisitione præcipue investigari debet. Quod ceteroquin libenter agnoscunt hodierni *Critici*, qui totis viribus historice demonstrare nituntur, christianam religionem non fuisse de facto revelatam, sed a Christo ejusque discipulis ex variis fontibus concinnatam.

2° Certum est quoque *contra Modernistas* criterium revelationis *non esse experientiam religiosam.* Hoc enim criterium nimis *subjectivum* est, quovis homine suam religionem ut optimam habente [3]; *insufficiens* quoque, quia experientia religiosa probare quidem potest religionem homini bonam esse, non tamen a Deo revelatam.

---

[1] **Brugère**, n. 29-44; **Mazzella**, n. 158-170; **Lambrecht**, p. 142 sq.; **Ottiger**, p. 149-169; **Hettinger**, § 18-20; **Lahousse**, n. 84-93; **Wilmers**, n. 122-139; **Garrigou-Lagrange**, *De Revelatione*, l. I, c. XVI-XVIII.

[2] Ad rem **S. Thomas**, *(C. Gent.*, l. III, c. 155) : "Sed quia sermo propositus confirmatione indiget ad hoc quod recipiatur, nisi sit per se manifestus, ea autem quæ sunt fidei sunt *humanæ rationi immanifesta*, necessarium fuit aliquid adhiberi quo confirmaretur sermo prædicantium fidem. Non autem confirmari poterat per aliqua principia rationis per modum demonstrationis, cum ea quæ sunt fidei rationem excedant. Oportet igitur aliquibus indiciis confirmari prædicantium sermonem, quibus manifeste ostenderetur hujusmodi sermonem processisse a Deo, dum prædicantes talia operarentur, sanando infirmos, et alias virtutes operando, quæ non possit facere alius nisi Deus".

[3] *Encycl. Pascendi*, n. 14. "Quo jure autem modernistæ veritatem experientiæ abnuent, quam turca affirmet, verasque experientias unis catholicis vindicabunt?" **D. B.**, 2082. Cf. 2081.

3° Alia ergo via quærenda est. *Concilium Vaticanum*, apologetarum omnium contrahens conclusiones, eam sic exprimit : " Ut nihilominus fidei nostræ obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus, cum *internis Spiritus Sancti auxiliis, externa jungi revelationis suæ argumenta*, facta scilicet divina, atque imprimis *miracula* et *prophetias*, quæ cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinæ revelationis signa sunt certissima, et omnium intelligentiæ accommodata [1] ". Origo ergo divina revelationis concluditur ex signis quæ Revelationem comitantur et clarissime probant Deum locutum esse, ideoque Revelationem ut veram amplectendam esse. Signa autem, ut jam dictum est, n. 19, vocantur *criteria* revelationis (e græco κρίνω, judico, discerno), seu *motiva credibilitatis*.

241. Hoc genus demonstrationis *comparari potest demonstrationi historicæ*, qua variis factis seu signis concluditur ad authenticitatem et credibilitatem documenti alicujus : quæritur enim num scriptura documenti e manu auctoris suppositi proveniat, num sigillum integrum remanserit, etc. (cf. infra, n. 281).

Comparatur etiam *demonstrationi per absurdum* in matheticis multum usitatæ. Hæc enim concludit ad veritatem propositionis alicujus per absurditatem consequentiarum quæ aliter admitti deberent. Sic, in apologetica, concluditur ad veritatem Revelationis alicujus signis munitæ quæ Dei interventum ostendunt, quia secus Deus testis erroris probaretur, quod absurdum est [2].

Notandum est sic veritatem Revelationis, indirecte, aliquam evidentiam ordinis metaphysici induere, in quantum nititur in impossibilitate metaphysica contrariorum [3].

---

[1] **D. B.**, 1790. Cf. 1812.

[2] Cf. verbum **Richardi a S. Victor**, n. 53 citatum. Cf. **La Bruyère**, *Caractères*, Des esprits forts : " Si ma religion était fausse, voilà le piège le mieux dressé qu'il soit possible d'imaginer; il était inévitable de ne pas y donner au travers et de ne pas y être pris. Dieu même pouvait-il mieux rencontrer pour me séduire? "

[3] Disputatur inter theologos utrum *Revelatio ut factum* apologetica demonstratione reddatur *evidens* an solum *evidenter credibilis?* Nobis videtur factum Revelationis tantum demonstrari evidenter credibile. (Cf. **de Poulpiquet**, *L'objet intégral de l'Apol.*, p. 34-54, 188-228). Quod admittimus sive propter naturam demonstrationis apologeticæ, quæ ex motivis credibilitatis ad revelationem *concludit* et directe Revelationem non probat; sive propter canonem **Vaticani** : " S. q. d. revelationem divinam externis signis *credibilem fieri* non posse... " (**D. B.**, 1812). Revelatio ergo, ut factum historicum qualecumque, exceptis testibus qui propriis oculis viderunt, pro nemine evidens redditur, sed tantum evidenter credibilis.

242. Descriptio criteriorum revelationis. Criteria, ut in historia apologeticæ ostensum est, a sæculo II° usque nunc, ab omnibus apologetis cognita, et secundum temporum necessitates adhibita sunt.

Hæc autem criteria duplicis sunt generis : (**a**) *interna*, seu *intrinseca*, quæ ex ipsa doctrina revelata desumuntur, ex ejus nempe *conformitate* cum ratione et legitimis humanæ naturæ aspirationibus, necnon ex *effectibus* quos in ordine morali producit, (**b**) *externa*, seu *extrinseca*, quæ non ex ipsa doctrina defluunt, sed ex *factis mirabilibus*, præsertim *miraculis* et *prophetiis*, quæ ejus manifestationem comitantur.

243. 1° **Criteria interna** possunt esse *negativa* vel *positiva.*

(**A**) *Negativa* dicuntur quæ demonstrant *nihil obstare* quominus revelatio *possit* esse divina, sed non illico probant eam revera esse divinam; unde si desint, allegata revelatio est aperte falsa; si vero adsint, non exinde sequitur ejus veritas, sed solum probabilis exsurgit præsumptio ejus veritatis. Præcipua sunt immunitas ab *errore*, *contradictione* et *fraude* : (**a**) **immunitas ab errore,** *sive speculativo sive morali*, seu ab omni evidenti pugna cum veritatibus naturalibus certo cognitis; Deus enim, qui est veritatis auctor, nihil revelare potest quod rationi sit aperte contrarium : ita vera esse nequit religio quæ assereret plures esse deos, voluntatem non esse liberam, animam non esse immortalem. Notandum est tamen religionem revelatam complecti posse veritates quæ sunt *supra*, quamvis *non contra* rationem, nec omnia philosophorum vel physicorum placita pro indubitatis veritatibus esse tenenda; hinc ex eo quod aliquid privatæ opinioni viri cujusdam docti adversetur, non sequitur id esse falsum. (**b**) Huic accedere debet *immunitas ab omni contradictione* : Deus enim summe verax revelare nequit doctrinas inter se, vel cum aliis veritatibus jam revelatis pugnantes; ita merito ut falsa haberetur religio quæ supremum cultum simul pluribus diis redderet. (**c**) Requiritur etiam *immunitas ab omni fraude* in modo quo revelatio proponitur : Deus enim infinite sanctus et verax fraudibus uti non potest ad mentem suam manifestandam.

Si omnes hujusmodi notæ negativæ simul adsint, jam

probabilis exsurgit *præsumptio* de veritate illius revelationis; nam vix fieri potest ut homo, sine speciali divino auxilio, religiosas veritates doceat absque erroris admixtione, ut ex jam probatis colligi potest [1].

244. (B) *Positivæ* notæ intrinsecæ eæ sunt quæ demonstrant cum majori vel minori certitudine revelationem, in cujus gratiam dantur, vere divinam esse. Hujusmodi sunt *perfecta conformitas* alicujus doctrinæ *cum ratione*, ejusque *excellentia*, tum *in se*, tum in suis *effectibus*, quæ *tanta* sit ut humanæ naturæ necessitatibus atque legitimis aspirationibus *aptissime* conveniat, nihilque omittat quod ad vitæ honestatem sit necessarium. Nam, si religio quædam non solum sit ab errore immunis, sed etiam omnes illas veritates tum speculativas tum practicas tradat, quæ ad rectam vitæ institutionem plane sufficiant, moraliter certum evadit ex supra dictis (n. 210 sq.) eamdem non humanam, sed divinam esse, præsertim si *sola* sit quæ hisce dotibus præfulgeat [2].

Quare argumentum validius erit si, *comparatione* instituta inter præcipuas religiones, una ex eis omnino *transcendens* appareat, præsertim si hæc præstantia tanta est ut sine speciali divino interventu explicari nequeat [3].

245. 2° **Extrinseca,** seu **externa** criteria ea sunt quæ non ex ipsa doctrina desumuntur, sed ex iis quæ revelationem comitantur, videlicet ex testimoniis et signis divinam illius originem confirmantibus. Possunt esse *negativa*, si tantummodo probant nil obstare huic divinæ origini, v. g., si præco hujus revelationis neque delirus neque impostor fuit sed e contra honestus; *positiva*, si directe divinam ejus originem probant, qualia sunt *declarationes prophetæ* qui revelationem affert, *ejusque sanctitas* ac imprimis *miracula* et *vaticinia* cum aliqua revelatione connexa; cum enim hujusmodi facta Deo tribui debeant, non possunt fieri in confirmationem allegatæ revelationis, nisi hæc sit vere divina, ut recte ait *Vaticanum* [4].

---

[1] Cf. **Suarez**, *de Fide*, disp. IV, sect. III, n. 2; **Lugo**, *De fide divina*, disp. V, n. 49. — [2] Cf. **Suarez**, l. cit., n. 3; **Brugère**, n. 32.

[3] Qua methodo usus est **Abbé de Broglie**, ut supra notavimus, n. 81.

[4] *Vaticanum*, sess. III, cap. 3. **D. B.**, 1790, jam citatum n. 240.

246. De usu criteriorum. Ut ex historia apologeticæ, præsertim nostris temporibus, apparet, disputatur inter catholicos quænam methodus sit anteponenda, utrum *historica* quæ notis extrinsecis innititur, an *philosophica*, quæ intrinsecis fundatur argumentis.

(**A**) Methodus *historica* in se *generatim* anteponi debet, utpote *brevior*, *facilior* et *tutior*. (**a**) *Brevior* quidem, nam demonstrata veritate alicujus religionis revelatæ aliquot miraculis satis evidentibus, v. g., miraculis a Christo patratis, jam patet obligatio eam amplectendi, quin necesse sit singula dogmata vel præcepta diligenti et longo examine discutere. (**b**) *Facilior* etiam, nam facta quibus revelatio probatur, sunt generatim obvia, splendida, multorum testimonio firmata, faciliusque expenduntur aut simplicibus exponuntur quam characteres quibus excellentia religionis dignoscitur. (**c**) *Tutior* tandem, quia in factorum investigatione, minus errandi periculum invenitur quam in scrutanda alicujus doctrinæ sublimitate : quod enim uni sublime videtur alteri valde obscurum apparet, nec facile determinatur sublimitatis gradus ad probandam divinitatem alicujus revelationis necessarius.

247. (**B**) Attamen methodus *doctrinalis*, seu *philosophica*, vi et *utilitate non caret*. (**a**) Haud raro *necessaria* est ad præjudicia removenda, quæ historicam inquisitionem inutilem redderent : qui enim putant dogmata christiana absurda esse, sæpe historicis argumentis aures præbere nolunt, vel, si ea audiant, eorum vim evadere exoptant, ne quod sibi absurdum aut nimis durum videtur, admittere cogantur; dum ex adverso, si brevi et lucida expositione, primum intellexerint christiana dogmata præceptaque aptissime legitimis cordis humani aspirationibus respondere, jam in votis habebunt agnoscere hujus religionis veritatem, meliusque vim historicæ demonstrationis percipient. (**b**) Quæ methodus *magis accommodata* videtur tum iis qui simplici sunt corde, quia naturali quodam instinctu percipiunt doctrinam, quæ legitimis humanæ naturæ tendentiis adaptatur, divinam esse; tum iis qui jam varia philosophorum systemata variasque religiones scrutati sunt, quin in eis invenerint summam veritatum ad complenda legitima eorum desideria necessariam.

Cavendum est tamen ne, sub prætextu philosophicam methodum extollendi, utpote ætati nostræ magis accommodatam, temere dicatur methodum historicam et traditionalem nil amplius valere; quod sane experientiæ contradicit, cum non pauci historicis studiis ad fidem christianam convertantur.

248. Practice autem : 1° Si agitur de aliquo *incredulo ad fidem convertendo*, sapiens apologeta prius ejus mentem

detegere sataget, ut sciat quid hic admittat, quid neget, ideoque ubi incipere debeat demonstratio, et quæ motiva ad eum movendum aptiora sint. — Non prætermittet ad fidem requiri *bonam voluntatem*, eamque ipsam egere *divino auxilio* ac proinde *oratione* [1]. Quibus positis : — (a) Inter *motiva credibilitatis*, ea proponet quæ cujusque ingenio aptiora videntur. Quidam enim *internis argumentis*, alii *externis* efficacius trahuntur. Iterum, inter motiva interna, nonnullis placent argumenta *inductiva* et *psychologica*, quibus e contemplatione humanæ infirmitatis necessitas alicujus divini luminis et auxilii infertur ad plenam facultatum evolutionem ; aliis magis arridet simplex *doctrinæ christianæ expositio*, quatenus nobilissimis hominum aspirationibus optime respondet.

(b) Pariter inter argumenta *historica*, nonnullis majorem persuasionem præbent prophetiæ, aliis miracula physica, præcipue Christi resurrectio, aliis vero miracula ordinis moralis vel socialis, quales sunt mirabilis Christianismi propagatio, necnon socialis immutatio quam per orbem terrarum diffudit atque hodie etiam diffundit [2].

(c) Notandum est etiam multo majorem vim inesse *synthesi* omnium argumentorum quam argumentis *singulatim* sumptis [3].

249. 2° Si vero quæritur *methodus integra, objectiva, ex se* sufficiens ad suadendos hodiernorum animos, putamus argumenta *intrinseca* et *extrinseca* sic *harmonice consocianda*

---

[1] Ad rem **Pascal**, op. cit., p. 442 : " Si ce discours vous plaît et vous semble fort, sachez qu'il est fait par un homme qui s'est mis à genoux auparavant et après, pour prier cet Etre infini et sans parties, auquel il soumet tout le sien, de se soumettre aussi le vôtre pour votre bien et pour sa gloire ; et qu'ainsi la force s'accorde avec cette bassesse ".

[2] Cfr. *Newman*, Two Essays on biblical and ecclesiastical miracles, 1890, p. 8 : " Philosophus vehementius fortasse commovebitur populi judaici constitutione vel mira mutatione a christianismo peracta. Ex adverso, præclara Novi Testamenti moralia præcepta, eorumque luculenta ingenuitas indoctis ac spiritu simplicibus quam maximam persuasionem ingerunt. Operæ pretium est statuere Revelationis argumenta vim *cumulativam* præ se ferre et mutuam vim sibi invicem præstare ; quapropter argumentum e miraculis depromptum multo validius est, si una cum aliis perpendatur quam si solum consideretur ".

[3] Cfr. **A. de Poulpiquet**, *L'objet intégral de l'Apologétique*, P. I, ch. 5, et supra n. 30.

esse ut mutuam opem sibi ferant. (**a**) Via historicæ demonstrationi paratur per *argumenta intrinseca*, exponendo quomodo revelatio, de qua agitur, nobilissimis humanæ naturæ aspirationibus respondeat; (**b**) *historice* investigatur num religio, quæ revelatam se esse profitetur, revera divinitus manifestata fuerit; (**c**) tandem demonstratio confirmatur *comparatione* instituta inter varias religiones quæ revelatæ existimantur, et quidem sub duplici respectu doctrinali et historico.

Quam proinde methodum sequemur in posterioribus Tractatibus.

250. Scholion. De gratiæ influxu in credibilitate dignoscenda [1]. Disputatur inter theologos de gradu influxus gratiæ [2] in judicio credibilitatis emittendo. Duo præsertim problemata agitantur.

(**A**) *Utrum necnè ad motivum credibilitatis dignoscendum gratia necessaria sit?* Juxta *P. Huby*, aliosque, gratia necessaria est ut motivum credibilitatis dignoscatur. Judicium enim credibilitatis pars integra est actus fidei, qui necessario gratiam postulat; motivum quoque credibilitatis intime connectitur cum doctrina revelata, quæ certe accipi nequit, sine gratiæ influxu.

Plerique tamen theologi cum *P. Gardeil* admittunt *in se* gratiam non absolute requiri ad motivum credibilitatis recognoscendum et ad judicium credibilitatis proferendum. In præparatione enim actus fidei, inquisitio de credibilitate doctrinæ revelatæ optime distingui potest, ut operatio specialis, soli rationi commissa. Motivum autem credibilitatis connecti quidem debet cum doctrina revelata; non tamen eamdem naturam, eamdem supernaturalitatem habet: revelatio est quidem simpliciter supernaturalis ideoque lumen fidei requirit ut admittatur; motivum credibilitatis, miraculum, v. g., supernaturale est tantum *quoad modum*, non quoad substantiam. Ex se ergo sola ratione percipi potest cum naturali concursu. (Cf. infra ubi agitur de discernibilitate miraculi.) Ex hoc melius constat apologeticam esse objectivam, pro omnibus validam et omnibus obviam.

---

[1] Cf. **Gardeil,** *La crédibilité et l'apologétique;* **Huby,** *Miracle et lumière de grâce*, R. S. R., janvier-mars 1918, p. 37-77; **Id.,** *La conversion.* Cf. Controversiam **Gardeil-Bainvel** in *R. P. A.*, t. VII et VIII.

[2] Duplici modo hæc gratia operari potest, sive per *gratiam actualem illuminationis*, ut fit in aliquo qui fidem nondum habet; sive per *lumen fidei*, i. e., lumen supernaturale datum menti virtute fidei informatæ. De quo lumine specialiter tractavit **P. Rousselot,** *Les yeux de la foi*, *R. S. R.*, 1910, p. 241 seq., 444 seq.

Attamen omnes concedunt ad motivum credibilitatis *de facto* dignoscendum non solum requiri dispositiones morales [1], sed plerumque et gratiæ adjutorium. " Quamvis, ait *P. Garrigou-Lagrange* [2], ad hanc rationalem certitudinem credibilitatis gratia non sit absolute necessaria, tamen *frequenter*, et, juxta quosdam, *ordinarie*, intellectum ad eam assequendam adjuvat ". Et quidem recte, nam vix concipi potest quomodo gratia, ad resolutionem generalem fidei et ad judicium credentitatis requisita, in *judicio credibilitatis*, quod inter hæc duo profertur, gratiæ subtraheretur.

251. (B) *Utrum gratia motivis credibilitatis aliquando suppleat?* Secundum *P. Gardeil*, in aliquibus casibus, gratia insufficientiæ objectivæ motivorum credibilitatis supplere potest [3]. Quod fit, e. g., in puero qui credit propter auctoritatem parentum vel pastorum (n. 22), vel in philosopho qui, suam infirmitatem cognoscens, statim ac doctrinam catholicam invenit, eam profitetur ut doctrinam quam ipse Deus ad inopiæ suæ opitulandum revelavit.

Hæc tamen facta aliter *P. Huby* explicat. Lumen fidei seu gratia, non supplent insufficientiæ objectivæ motivorum credibilitatis, sed vigorem novum, supernaturalem, menti præbent, ut motivum reale agnoscatur, quod soli rationi non apparuisset. Lumine fidei, e. g., ex bonitate et sanctitate parentum suorum vel pastorum, puerulus statim ascendit ad auctorem hujus sanctitatis, qui etiam auctor est doctrinæ hanc sanctitatem inspirantis; percipit itaque illud maximum motivum credibilitatis, quod est sanctitas Ecclesiæ [4].

Hæc ultima hypothesis efficacius ostendit omnibus credentibus motiva credibilitatis proprie dicta concedi, etiam simplicibus.

Eligat quisque quod sibi magis placuerit.

---

[1] Vide n. 32-33 ubi de certitudine in rebus quæ ad vitam moralem pértinent, et infra n. 274, b., ubi de miraculo agitur.

[2] *De Revelatione*, I, p. 533.

[3] Omnes concedunt gratiam signis supplere in revelatione immediata, (ubi origo divinæ doctrinæ agnoscitur ex ipso lumine prophetico, cf. supra n. 190), vel in conversionibus *miraculosis* quæ revelationi privatæ æquiparantur (v. g., in conversione S. Pauli). Sed hic agitur de casibus ubi nullum interfuit miraculum, nulla revelatio proprie dicta. Cf. **de Poulpiquet,** *Le miracle et ses suppléances*, ch. I.

[4] **Huby** gratissimo illustrat exemplo suam hypothesim. Comparat perceptionem credibilitatis inventionibus scientificis. Sicut Newton, v. g. e lapsu unius mali concludit, vi sui ingenii, ad doctrinam attractionis universalis quæ hunc lapsum explicat, (cum tamen mille Normanni mille malos cadentes aspexissent quin leges attractionis supposuissent); sic lumine fidei mens illustrata divinam actionem percipit, quæ lumini puræ rationis impervia est.

Art. II. De miraculo [1].

Inter criteria revelationis, maximum apparet miraculum, quo, post Christum ipsum (v. g. *Joan.* X, 25-38; XV, 24), omnes apologetæ usi sunt.

De miraculo quatuor expendere juvat : 1° *quid* sit; 2° utrum necne *possibile* sit; 3° quomodo *discerni* valeat; 4° quænam sit *vis* ejus *demonstrativa.*

§ I. De conceptu miraculi.

252. 1° Prævia de variis nominibus quibus miraculum designatur. (a) Miracula in sacris Scripturis dicuntur : *prodigia*, τέρατα; seu *mira*, *mirabilia*, θαυμάσια, quia videlicet attentionem excitant; *signa*, σημεία, quia aliquid significant seu denotant, v. g. potestatem facientis vel divinam ejus missionem; *gloriosa*, ἔνδοξα, quia gloriam Dei manifestant; *virtutes*, δυνάμεις, quia exercitium sunt divinæ virtutis seu potentiæ; *opera*, ἔργα, utpote opera Deo propria [2].

(b) *Etymologice* miraculum, a *mirando*, id omne designat quod ad excitandam admirationem aptum est. Jamvero, ut ait *S. Thomas* [3], ad admirationem duo concurrunt : ut causa operis efficiens

---

[1] **S. Thomas**, I, q. 105, a. 6-8; *C. Gent.*, l. III, c. 101; *Quæst. disput.* de Potent., q. VI de miraculis; **Hooke**, apud *Migne*, *Theol. Curs.*, II, p. 507 sq.; **Perrone**, n. 109 sq.; **Brugère**, n. 4. sq.; n. 34 sq.; **Mazzella**, n. 171 sq.; **Lambrecht**, p. 152 sq; **Spagni**, de Miraculis, Romæ, 1777: **Van Weddingen**, De miraculo, Lovani, 1869: **Newman**, *Essays on miracles;* **G. Campbell** *, *Dissertation on miracles;* **Trench** *, *Notes on the miracles of O. Lord;* **Bushnell** *, *Nature and the Supernatural*, New-York, 1892, ch. XI; **J. B. Mozley** *, *Eight Lectures on miracles*, London, 1890; **L. Gondal**, *Surnaturel*, l. II, p. 101 sq.; *Miracles*, 1905; **Mead** *, *Supernatural Revelation*, c. 4-6; **De Bonniot**, *Le Miracle et ses contrefaçons; Le Miracle et les sciences médicales;* **J. Didiot**, *Logique surnaturelle objective*, Paris et Lille, 1892, th. 26; **Ottiger**, p. 170; **Hastings** *, *Dict. of the Bible*, voce *miracle;* **G. Sortais**, *La Providence et le miracle*, Paris, Beauchesne, 1905; **Mercier**, *Le Miracle*, in *Revue thomiste*, Sept.-Oct., 1907 sq.; **P. de Poulpiquet**, *Le miracle et ses suppléances*, 1913; **Id.**, *L'objet intégral de l'Apologétique*, p. 87-121; **J. de Tonquédec**, *Introduction à l'étude du merveilleux et du miracle*, 1916; **Id.**, Art. *Miracle* in *D. A;* **Dr. Le Bec**; *Preuves médicales du miracle*, 1918; **Id.**, *Critique et contrôle médical des guérisons surnaturelles*, 1920; **P. M. Périer**, *Le miracle est-il une violation des lois de la nature*, in *R. P. A.*, 1-15 avril 1920; **Hugueny**, *Crit. et cath.*, I., ch. XII, L'Eglise et le miracle; **de Grandmaison**, Art. *Jésus-Christ*, in *D. A.*, col. 1405-1409, 1412-1417; **Garrigou-Lagrange**, *De Revelatione*, l. I., c. XIX.

[2] **S. Thom.**, 2ª 2æ, q. 178, art. 1, ad 3.

[3] **S. Thom.**, Quæst. disp., VI, a. 2.

sit *occulta*, et *præter consuetum ordinem* naturæ operetur. Hinc creatio, peccatoris justificatio per gratiæ infusionem, habent quidem causam occultam, nec tamen proprie miracula vocantur, quia non sunt præter consuetum naturæ ordinem : creatio enim constitutionem ordinis naturæ præcessit; justificatio autem, licet supernaturalis, fit secundum leges a Deo determinatas [1].

253. 2° **Genuinus miraculi conceptus.** Cum pleræque difficultates, ab adversariis contra miraculum propositæ, ex falso ejusdem conceptu oriantur, ejus accuratam notionem tradere necesse est. Jamvero miraculum sumitur *lato* et *stricto* sensu.

(**A**) *Lato sensu* communiter definitur *factum sensibile, quod extra consuetum naturæ cursum fit, ab agente suprahumano.* Cum vero duplex esse possit agens suprahumanum, nempe creatura homine naturaliter excellentior, (angelus aut diabolus), vel Deus ipse, duplex erit miraculum : miraculum *relativum*, seu quoad nos, quod fit ab angelis vel a diabolo; et miraculum *simpliciter et absolute divinum*, quod soli Deo tribui debet.

254. (**B**) Miraculum autem *stricte dictum* est *factum sensibile, extraordinarium et divinum* [2]. Dicitur : (**a**) *factum sensibile*, id est, quod ab externis sensibus percipi valeat; attenta enim hominis constitutione ex corpore et anima, signum revelationis sensibile esse debet, quo facilius admirationem excitet, sicque fides a sensibus incipiat sicut ipsa scientia. Hinc mira opera, quæ Deus *occulte* in anima operatur, vel in Sacramento Eucharistiæ, *proprie* miracula non dicuntur.

(**b**) *Extraordinarium*, videlicet *extra*, seu præter aut *supra* consuetas leges patratum. Deus enim, qui summe liber est in operibus *ad extra*, duplici modo creaturas gubernare potest : 1) *Ordinem mundi* a se constitutum *sequendo*,

[1] Animadvertere tamen licet peccatoris conversionem aliquando *miraculosam* esse, nempe quando fit præter leges consuetas ordinis supernaturalis, qualis fuit Pauli conversio.

[2] Quæ notio æquivalet definitioni a S. Thoma desumptæ, 1, q. 110, a. 4, ad 2, et communiter acceptæ : miraculum est *factum sensibile a Deo præter ordinem totius naturæ productum;* aliunde concordat cum descriptione *C. Vaticani*, juxta quod miracula sunt facta *externa* et *divina* quæ Dei omnipotentiam et infinitam scientiam commendant (sess. III, cap. 3, **D. B.**, 1790.)

i. e. servando *leges generales*, quibus phænomena modo uniformi et constanti producuntur; 2) *directe interveniendo* in casu particulari ad aliquem effectum extra has leges producendum. Jamvero prioris generis phænomena ad *ordinem naturæ* seu ad *ordinem generalem Providentiæ* spectant, nec proinde sunt miracula, v. g., animæ creatio et infusio in corpus; facta vero alterius generis sunt *mira*, utpote extra consuetum ordinem peracta, et, si vere a Deo patrata, *miracula* dicuntur : talis esset subita leprosi curatio aut mortui resurrectio. — Miraculum non est *violatio* aut *suspensio* legum naturæ, (nam leges sunt hypothetice immutabiles, scilicet posito quod omnes et solæ agant causæ naturales, in debitis conditionibus) sed effectus speciali Dei interventu productus, *independenter a legibus naturæ consuetis.*

(**c**) *Divinum*, quod nempe, *omnibus* sedulo perpensis, soli Deo tribui possit. Non requiritur quidem ut opus miraculosum *in se* infinitam requirat potentiam; sed sufficit ut, attentis *natura* operis, *modo* quo producitur et omnibus *circumstantiis*, non possit tribui causæ naturali, sed soli Deo. Ita curatio cæci *in se* divinam potentiam non requirit; sed si fiat subito, absque causa proportionata, paucis verbis, merito ipsi Deo tribuitur.

Deus autem potest agere *immediate per se*, aut *mediate per angelos* aut *homines* sibi subservientes; dummodo effectus productus, omnibus attentis, ut supra, Deo tanquam causæ principali tribui debeat, vere miraculum erit.

Miraculum sic clare distinguitur a facto naturali fortuito, qui tamen legibus naturalibus subjicitur, et ab actione providentiali ordinaria, quamquam hæc in aliquibus eventibus manifestius apparere possit.

255. 3° **Miraculorum species.** Miraculum est *physicum*, *intellectuale* aut *morale* : (**a**) *physicum*, quando fit extra consuetum ordinem naturæ physicæ, v. g., miraculum trium puerorum in camino ignis, multiplicatio panum, curatio leprosi etc., (**b**) *intellectuale*, quando cognitio quædam exhibetur extra consuetum ordinem naturæ intellectualis habita, qualis est futurorum contingentium prophetia, secretorum cordis cognitio et manifestatio, scientiæ infusæ subitanea

acquisitio etc.; (c) *morale*, cum fit actio vel actionum series extra leges consuetas ordinis moralis, ita ut viribus humanis explicari nequeat, sed divino auxilio speciali tribui debeat, v. g., mirabilis sanctitas Christi, conversio Pauli, martyrum constantia, Evangelii mira propagatio, etc.

Alii theologi, post **S. Thomam,** tria miraculorum genera distinguunt : *præter*, *supra* et *contra* naturam (sed ea quæ *contra naturam* dicuntur, leges naturæ non destruunt; non sunt enim vere contra naturam, sed solum contra inclinationem *alicui naturæ* insitam. Cf. *C. Gent.*, III, cap. 100-102, *S. Th.*, I, q. 105, a. 6-8; q. 110, a. 4.) Juxta ipsos scilicet, miracula sunt *supra* naturam, quando effectum quem Deus operatur, natura nullo modo potest producere, qualis est certa futurorum contingentium prædictio; *contra* naturam, quando in natura remanet contraria dispositio ad effectum quem Deus operatur, sicut quando conservavit pueros illæsos in camino, remanente virtute comburendi in igne, et quando aqua Jordanis stetit, remanente in ea gravitate; *præter* naturam, quando producit effectum quem natura efficere potest, illo tamen modo quo natura producere nequit, vel quia *deficiunt instrumenta* quibus natura operatur, sicut cum Christus convertit aquam in vinum, quod tamen natura aliquo modo facere potest dum aqua aliaque elementa in nutrimentum vitis assumpta, suo tempore, in succum uvæ convertuntur; vel quantum *ad tempus*, sicut cum statim, ad invocationem alicujus sancti, aliquis curatur quem natura non statim sed successive curare posset. (**S. Thom.,** *quæst. disp.*, de mirac., a. 2, ad 3). Ad eamdem divisionem reduci possunt ea quæ tradit *S. Th.*, 1, q. 105, a. 8 : miraculum quantum ad *substantiam* facti, quantum ad *subjectum* in quo fit, quantum ad *modum*.

256. 4° **Errores de notione miraculi.** (A) *Protestantes Liberales* ita notionem miraculi adulterant ut illud e medio tollere videantur. Secundum *Wegscheider*, miracula sunt "eventa *mirabilia* quæ, Deo moderante, ita comparata erant, ut spectatores ad certam divinæ Providentiæ efficientiam agnoscendam excitarent, eosque ad fidem novæ religionis doctori habendam moverent"[1]. Cui notioni affinis est ea quam tradunt *A. Ritschl* et *A. Sabatier*, qui contendunt miracula esse *extraordinarios* eventus quos tanquam divinæ benevolentiæ testes, aut tanquam precum exauditionem, fides considerat[2]. — In utroque casu miraculum confunditur cum miro, aut cum divinæ Providentiæ consueto exercitio, et ita *negatur specialis Dei interventus*.

[1] **Wegsch.**, *Instit. dogmaticæ*, § 48.

[2] "Réduit à sa signification purement religieuse et morale, le miracle pour Jésus, c'était *l'exaucement de la prière*". (**A. Sabatier**, *Esquisse*, p. 87.)

257. (B) *Modernistæ* pariter verum miraculi conceptum adulteraverunt. Inter quos *Ed. Le Roy*, juxta quem miraculum est manifestatio legis superioris, vi cujus materia spiritui subordinatur, siquidem nihil est aliud nisi actus quo spiritus hominis, modo intensissimo agens, suam supra materiam potestatem recuperat[1]. Hæc autem intensior activitas fit sub influxu *fidei*, quæ facultatibus nostris majorem vim impertitur; ideoque Christus sæpe fidem requirit ab iis quos sanaturus est. Cumque hæc non excitetur nisi Dei gratia, hinc sequitur ultimo miraculum Deo legitime tribui[2]. — Ita miraculum, cum aliqua veritate religiosa connexum, eam esse veram ostendit, cum verum sit quidquid bonos fructus profert. Attamen aliquod fidei initium, seu bona voluntas requiritur ut miraculum tanquam aliquid supernaturale appareat.

258. Quæ notio rejicienda est. Nam : (a) innititur singulari et falso conceptui materiæ; nam, juxta *E. Le Roy*, materia non existit nisi *in mente* et *per mentem*, ideoque omnino pendet *a mente* nostra[3]; quod quidem nihil aliud est nisi *idealismus* in Prælectionibus philosophicis confutatus. (b) Neque conciliari potest cum fide catholica, quæ tenet miracula esse *externa revelationis argumenta* et *facta divina*, Dei *omnipotentiam* commonstrantia; non sunt igitur directe et proprie *opus fidei*, ut vult *E. Le Roy*, sed *opus divinum*, ex se aptum, simul cum gratia, ad fidem gignendam. (c) Impar est ad explicanda omnia miracula in Evangeliis narrata, qualia sunt resurrectio Lazari vel Christi.

---

[1] "Un miracle, c'est l'acte d'un esprit individuel (ou d'un groupe d'esprits individuels) agissant comme esprit à un degré plus haut que d'habitude, retrouvant en fait, et comme dans un éclair, sa puissance de droit". (*Annales de Philosophie chrétienne**, décembre 1906, p. 242). "Un miracle, c'est l'acte d'un esprit qui retrouve plus complètement que d'habitude, qui reconquiert momentanément une part de ses richesses et de ses ressources profondes". *Ib.*, p. 247.

[2] "Oui certes, il n'y a de miracle que par la foi. N'en concluez point que le miracle soit une simple illusion mystique. La vérité, c'est qu'il manifeste le pouvoir causal de la foi. Par lui, la foi montre qu'elle est une force efficace et réelle, capable de vaincre les forces physiques... On voit aussi comment le miracle est... *surnaturel*. C'est que la foi l'est elle-même..." *Ib.*, p. 249. Idem invenies apud **Fogazzaro***, *Le Saint* (Il Santo), Paris, 1906, p. 175. Quam theoriam confutat **Bernard de Sailly**, *La notion et le rôle du miracle*, in *Ann. de Phil. chrét.**, t. 134, 1907, p. 337-361.

[3] "Selon cette conception, la matière existe sans doute, mais elle n'existe que dans et par l'esprit, intérieurement et relativement à l'esprit... En tant que *matière actuelle*, elle a une réalité explicite et concrète, mais est l'œuvre de l'esprit : c'est le groupe des mécanismes qu'il a montés pour agir, le système des habitudes qu'il a contractées". **Le Roy**, *Dogme et Critique**, p. 237.

§ II. De miraculi possibilitate [1].

259. Miraculi possibilitatem logice negant ii omnes qui Dei existentiam rejiciunt, vel pantheismum docent : nam si nullus sit Deus a mundo distinctus, nullus specialis ejus interventus admitti potest. Sed mirum est *Rationalistas*, qui supremum Numen agnoscunt, eidem potestatem denegare in mundo quem creavit, legitima de causa, interveniendi. Hi tamen, putantes miraculum esse *violationem legum naturæ*, illud rejiciunt tanquam *impossibile* quia adversatur *determinismo* qui hodie, inquiunt, a scientia tanquam dogma inconcussum agnoscitur, et Deum dedecet utpote quid *puerile* [2]. — *Positivistæ* possibilitatem miraculi neque negant neque affirmant, sed contendunt nullius miraculi existentiam certo constare [3], imo impossibile esse facta miraculosa ab aliis secernere. Contra quos thesis sequens dirigitur.

260. *Thesis.* **Admissa Dei existentia, miraculum nullo modo repugnat, sed possibile est et multipliciter convenit.**

---

[1] **S. Thomas**, *C. Gent.*, II, cap. 22-30; III, cap. 98-99, *Quæst. disput.*, De potentia, VI.

[2] Ita **G. Séailles** *, *Les affirmations de la Conscience moderne*, Paris, Colin, 1903, p. 33-34 : " Aussi bien nous ne rejetons pas seulement le miracle parce que nous ne voyons pas qu'on ait jamais constaté dans la suite des faits l'intervention d'une puissance surnaturelle; son idée ne trouve plus place dans notre esprit, elle est exclue par l'ensemble de tout ce que nous pensons... Il nous apparaît aujourd'hui comme un procédé puéril, enfantin, indigne d'une haute intelligence, à laquelle il ne saurait convenir de troubler le règne des lois qu'elle a établies... Si nous n'admettons plus le miracle, ce n'est pas seulement qu'il ne s'en produit que quand on y croit, c'est qu'il est rejeté par la conscience plus encore qu'il est nié par la science. Loin de faire preuve, le miracle désormais est une raison de mettre en doute et de soumettre à l'examen les vérités qu'on prétend appuyer de cette singulière autorité ".

[3] Inter quos **E. Littré** *, in *Philosophie positive*, juillet-août 1869. " *A priori*, la science ne nie pas le miracle ou interversion du cours de la nature; mais *a posteriori*, elle a reconnu que devant elle, sous ses yeux, entre ses mains, aucun miracle n'arrive ". Eodem sensu scribebat **E. Renan** *, *Vie de Jésus*, Introd., p. 51 : " Nous ne disons pas : Le miracle est impossible; nous disons : il n'y a pas eu jusqu'ici de miracle constaté ". Mox tamen sibi contradicens, ipsam possibilitatem miraculi rejicit : " La négation du surnaturel est devenue un dogme absolu pour tout esprit cultivé ". Cf. Opus anonymum *Supernatural Religion*, London, 1879, t. I, c. 2.

Philosophice certum est, theologice de fide [1].

Probatur 1ª pars : **nullo modo repugnat miraculum.** Repugnantia miraculi, aut ejus impossibilitas, proveniret sive ex parte legum naturæ, sive ex parte Dei. Atqui neutrum dici potest.

261. (**A**) Non repugnat *ex parte legum naturæ.* (**a**) Res *philosophice* spectari debet, nam philosophia sola investigari potest num interventus Dei in mundo extra ordinem naturæ sit ex se impossibilis. Ille interventus Dei præter leges repugnaret, si leges quæ vires creatas regunt ipsam libertatem divinam determinarent, si essent metaphysice necessariæ, ut, e. g., *Spinoza* contendit [2]. Sed ex philosophia constat Deum esse summe liberum tum in condendis [3] tum in exsequendis legibus dynamicis entium quorum vires continuo producit et ad actionem applicat pro sua voluntate [4]. Ergo dominus manet legum quas ipse posuit, et nil impedit quin possit eas sequi, vel seorsum ab eis effectum producere modo quo libuerit. Immo contradictorium esset actionem divinam cohiberi legibus naturæ, quasi vires creatæ possent sine Creatore esse, independenter a Causa divina exerceri aut voluntati Creatoris obstare [5].

262. (**b**) *Scientia* impossibilitatem miraculi demonstrare nequit quia de causis præternaturalibus non curat. Immo,

---

[1] "S. q. d. miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in Sacra Scriptura contentas, inter fabulas et mythos ablegandas esse..., A. S." **Vatic.**, sess. III, cap. III, can. 4, **D. B.**, 1813.

[2] *Tract. Theologico-politicus*, c. VI : "Leges Naturæ universales mera sunt decreta Dei, quæ ex necessitate et perfectione naturæ divinæ sequuntur. Si quid igitur in Natura contingeret quod ejus universalibus legibus repugnaret, id decreto et intellectui et naturæ divinæ necessario etiam repugnaret".

[3] Deus siquidem ordinem mundi perfectiorem excogitare potuisset (quod et nobis licet) et mundum creare, qui melius perfectionem divinam expressisset. (**de Poulpiquet,** *Le miracle...*, p. 166-168).

[4] Leges naturæ non sunt ergo nisi hypothetice necessariæ. Cf. quod egregie declarat **S. Thomas** (I, q. 105, a. 6) : "Sic Deus potest facere præter ordinem rerum, quia ordini secundarum causarum ipse non est subjectus; sed talis ordo ei subjicitur, quasi ab eo procedens, non per necessitatem naturæ, sed per arbitrium voluntatis. Potuisset enim et alium ordinem rerum instituere. Unde et potest præter hunc ordinem institutum agere, cum voluerit; puta, agendo effectus secundarum causarum sine ipsis, vel producendo aliquos effectus, ad quos causæ secundæ non se extendunt".

[5] **De Tonquédec,** *Introduction...*, p. 200.

ex notione vera immutabilitatis legum naturæ apparet locum esse in mundo interventui libero ex parte Dei. Etenim lex naturæ solum exigit ut, datis omnibus et solis causis naturalibus in circumstantiis requisitis, sequatur effectus [1]; non impedit autem quin agens aliquis interveniat ad novas causas apponendum aut eas quæ existunt removendum, ad mutandum circumstantias in quibus leges suos effectus producunt : quod quotidie fit vel a rebus materialibus, vel præsertim ab agentibus liberis. Et sic producuntur phænomena quæ alicui legi contradicere videntur [2], v. g., in volatu *aeroplani*, quod quidem aere gravius est.

Porro si homo intervenire potest ad aliquem effectum impediendum aut obtinendum, quando vult, a fortiori Deus. Hic interventus liber hominis non est miraculum quia homo leges naturæ, sed alias, applicat, cum dependens sit semper a natura cui præest obediendo; interventus autem Dei est miraculum quia Deus effectum operatur independenter a legibus, cum Dominus sit omnium entium quibus imperat, producendo totam earum realitatem, activitatem et efficaciam [3].

Objiciunt miraculo *ordinem naturæ perturbari, scientiamque negari* [4]. — Immerito tamen : non enim leges mutantur aut

[1] Quod agnoscunt haud pauci philosophi et scientiarum cultores. Ita **E. Rabier,** *Leç. de Philosophie*, Paris, 1884, t. I, ch. 39, § 4, p. 546 : " Pour s'en convaincre, il suffit de remarquer que toutes les lois scientifiques sont, comme le principe de causalité, *hypothétiques* et non *catégoriques*. La science ne dit jamais : A sera donné, donc B sera donné. Mais elle dit : *si* A est donné, B sera donné ". — Pariter **E. Boutroux,** *De la Contingence des lois de la nature*, 2e éd., 1895, p. 149, ait : " Telles ne sont pas les suites de la doctrine de la contingence. Elle ne se borne pas à ouvrir devant la liberté, en dehors du monde, un champ infini, mais vide d'objets où elle puisse se prendre. Elle ébranle le postulat qui rend inconcevable l'intervention de la liberté dans le cours des phénomènes, la maxime suivant laquelle rien ne se perd et rien ne se crée. Elle montre que ce postulat, s'il était admis d'une façon absolue, engendrerait une science purement abstraite. Elle découvre, dans les détails mêmes du monde des marques de création et de changement. Elle se prête donc à la conception d'une liberté qui descendrait des régions suprasensibles pour venir se mêler aux phénomènes et les diriger dans des sens imprévus ". Cfr. **P. M. Périer,** *l. c.*, p. 18-29. Ne fallaris eo quod leges physicæ mathematice exprimi queant : hoc earum necessitatem metaphysicam non probat, sed solum earum regularitatem. — [2] De quibus vide præsertim **Périer,** l. c.

[3] Cf. **de Tonquédec,** Art. *Miracle*, col. 543-544.

[4] Sic **Cl. Bernard :** " L'admission d'un fait sans cause, c. à d. indéterminable

evertuntur, sed solum circumstantiæ in quibus entia naturalia agunt aliquantulum modificantur, quod quotidie ab agente humano fit quin scientia destruatur [1]. Miraculum insuper, definitione sua, aliquid rarum manet.

263. (**B**) Non repugnat miraculum *ex parte Dei.* Illæsa enim manent ejus attributa : (**a**) ejus *immutabilitas*, cum Deus miracula præviderit et decreverit ab æterno; ut recte notat *S. Thomas* [2], " Deus ab æterno prævidit et voluit se facturum quod in tempore facit; sic ergo instituit naturæ cursum, ut tamen præordinaretur in æterna sua voluntate quod præter cursum istum quandoque facturus erat "; et alibi addit [3] : " aliud est mutare voluntatem et aliud est velle aliquarum rerum mutationem; potest enim aliquis eadem voluntate immobiliter permanente velle quod nunc fiat hoc et postea contrarium fiat ". (**b**) Ejus *sapientia*, quæ jubet leges communiter servari, sed non excludit interventum extraordinarium, modo fiat propter rationem sufficientem, non arbitraria voluntate aut desiderio defectus mundi emendandi. Quod sequentibus amplissime demonstrabitur.

264. *Probantur 2ª et 3ª Pars :* **Miraculum possibile est et multipliciter convenit.** (**A**) *Possibile est miraculum* quia Deus *omnipotentia* sua efficere valet immediate per se quæ communiter operatur cum causis secundis et alia multa quæ superant vires naturæ creatæ. Actio divina in miraculo intellectu difficilior non est quam in concursu ordinario : semper nos latet efficacia divini influxus qui ab Infinito procedit.

(**B**) Multipliciter *convenit miraculum.*

Etenim ad multos fines Deus patrare miracula valet :

(**a**) Ad suæ *virtutis* seu *potentiæ manifestationem :* " Ex hoc enim apparet quod ordo rerum processit ab eo, et non per

---

dans ses conditions d'existence, n'est ni plus ni moins que la négation de la science". *(Introd. à l'ét. de la méd. expériment.*, p. 88.)

[1] " L'action volontaire apparaît comme une création dans la création... Pour manier de moi-même le petit doigt, il faut que j'ébranle le plein du système des phénomènes ". **Blondel,** *L'Action*, p. 123. Et tamen mundus et ordo mundi non destruuntur!

[2] *Quæst. disp., de Pot.*, q. VI, a. 1, ad 6.

[3] *S. Theol.*, 1, q. 19, a. 7.

necessitatem naturæ, sed per liberam voluntatem "[1]. Nam quæ quotidie fiunt, vi legum naturalium, quamvis in se miranda, assiduitate vilescunt, dum quæ raro præter consuetum fiunt ordinem, facilius admirationem excitant, et Dei gloriam manifestant[2].

Quod jam aperte docuerat *Augustinus*[3]: "Quia enim Ille non est talis substantia quæ videri oculis possit, et miracula Ejus (i, e. opera mirabilia) quibus totum mundum regit universamque creaturam administrat, assiduitate viluerunt, ita ut pene nemo dignetur attendere opera Dei mira et stupenda in quolibet seminis grano; secundum ipsam suam misericordiam servavit sibi quædam quæ faceret opportuno tempore præter usitatum cursum ordinemque naturæ, ut non majora sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerant. Majus enim miraculum est gubernatio totius mundi, quam saturatio quinque millium hominum de quinque panibus; et tamen hoc nemo miratur; illud mirantur homines non quia majus est, sed quia rarum est. Quis enim et nunc pascit universum mundum, nisi ille qui de paucis granis segetes creat?... Potestas enim erat in manibus Christi: panes autem illi quinque quasi semina erant, non quidem terræ mandata, sed ab eo qui terram fecit multiplicata. Hoc ergo admotum est sensibus, quo erigeretur mens, et exhibitum oculis ubi exerceretur intellectus, ut invisibilem Deum per visibilia opera miraremur..."

265. (**b**) Præterea miracula Deus operatur ad *ostensionem suæ bonitatis*: hanc quidem manifestavit in constitutione legum naturæ, sed luculentius eam ostendere potest gratuita beneficia extra naturæ consuetum ordinem conferendo; ita, v. g., si, misericordia motus, infirmorum preces benigne excipit, eosque præter naturæ leges curat, opus perficit quod ejus bonitati maxime consentaneum est.

(**c**) Sed præcipue miraculo patrare potest ad alicujus *veritatis confirmationem*. Posito enim quod veritatem hominibus ignotam revelare voluerit, nullum signum efficacius erit ad probandum revelationis factum quam miraculum cum eo indivulse connexum: hoc erit veluti sigillum, quo

[1] **S. Thomas,** *C. Gent.*, l. III, c. 99.

[2] **E. Scherer***, *Mélanges de critique religieuse*, Conversat., théol., p. 169-187; **Guizot***, *Méditations*, vol. I, c. 3; **Lacordaire,** *Confér. N. D.*, 38e; vel, in *anglica* versione, Jesus-Christ, *The Public power of Jesus-Christ.*

[3] *Tract. XXIV in Joannem*, *Migne*, t. XXXV, 1593; Brev. Roman., 3° Nocturno Domin. IV Quadrag.

epistola ab eo scripta signatur et authentica redditur. Hic autem finis Deum omnino decet; cum enim, ex dictis, revelatio generi humano sit moraliter necessaria ad finem suum attingendum, nil sane Eo dignius quam hujusmodi revelationem dare eamque miraculis comprobare [1].

Optime notat *S. Thomas* in ordine supernaturali miraculum idem munus habere ac res creatas in ordine naturali. "Naturale enim est homini ut veritatem intelligibilem per sensibiles effectus deprehendat. Unde sicut ductu naturalis rationis homo pervenire potest ad aliquam Dei notitiam per effectus naturales, ita per aliquos supernaturales effectus, qui miracula dicuntur, in aliquam supernaturalem cognitionem credendorum homo inducitur" [2].

§ III. De miraculi discernibilitate.

266. Quidam rationalistæ et positivistæ, prætermittentes quæstionem de possibilitate miraculi, tantummodo affirmant illud non posse a naturalibus factis aut a diabolicis miraculis secerni, præsertim si attendatur multas esse leges naturæ nobis ignotas, multa phænomena, quorum causam ignoramus. — Contra quos sequentem thesim statuimus.

267. *Thesis.* **Miracula, saltem in quibusdam casibus, certe discerni possunt, id est ut facta sensibilia, præternaturalia, divina, recognosci.** *Philosophice certum* est, *theologice de fide* [3].

Thesim per partes probabimus.

268. 1° **Miracula ut facta sensibilia certe constare possunt.** Nam miracula, ut diximus, sunt facta sensibus obvia, quæ tam facile observari possunt quam quælibet alia; sic, v. g., tam certo videri potest homo super mare ambulans quam super littus, tam tuto audiri potest vox hominis antea muti, thaumaturgi imperio sanati, quam vox illius qui nunquam mutus fuit. Ideoque et documentis historicis posteris transmitti queunt.

269. (a) Nec dicatur ea esse *supernaturalia*, ideoque apprehensionem nostram naturalem effugere. — Hæc enim dicuntur quidem

---

[1] **J. H. Newman.** *Essays on miracles*, I, sect. I, p. 22. Cf. **de Tonquédec**, Art. *Miracle*, col. 547-549. — [2] 2ª 2æ, q. 178, a. 1.

[3] **Vatic.**, *Sess. III, cap. III, can. 4*, "S. q. d... miracula certo cognosci nunquam posse... A. S." **D. B.**, 1813.

supernaturalia *quoad causam*, vel *quoad modum*, quatenus ab agente supra-humano procedunt, sed *in se* quatenus *facta*, *quoad substantiam*, naturalia sunt et sub sensibus cadunt; si, v. g., agatur de miraculosa cæci curatione, satis erit hæc tria percipere : hominem de quo agitur vere *antea cæcum* fuisse, ab eodem *visum recuperari*, et quidem *subito* et *absque ulla medicina;* quæ quidem omnia tam facilia cognitu sunt quam quælibet facta mere naturalia. Immo miracula, quia mira sunt et extra consuetum ordinem peracta, majorem attentionem excitant, diligentius explorantur, proptereaque certius cognoscuntur [1].

(b) Exinde etiam apparet quam insulse quidam Rationalistæ dicant facta non posse ut miraculosa agnosci, nisi coram scientifica Academia patrentur, et ad nutum repetantur [2]. — Deus, quando aliquid revelare dignatur, sane jus habet seligendi signa quibus hæc revelatio credibilis fieri potest, eaque adhibendi quæ omnium captui, etiam simplicium, accommodantur, ad quæ proinde intelligenda rectus animi sensus potiusquam scientifica solertia requiritur : scientia enim paucorum est, multis difficultatibus implicatur nec nisi post longum tempus veritatem attingit, dum rectus animi sensus omnium esse potest, et celeriter simul ac tuto judicat. Nec sane Academiæ judicium requiritur ut subita curatio cæci nati tanquam miraculum agnoscatur! Insuper, si factum ad nutum repeti posset, jam non esset miraculosum.

(c) Hic autem occurrit difficultas a *D. Hume* proposita nostrisque etiam diebus pluries renovata; dicitur siquidem facilius esse mille testes errare aut decipere quam factum legibus naturæ repugnans existere : primum *moraliter* tantum impossibile est; secundum vero *physice* impossibile, et experientiæ contrarium est. In omni autem miraculo contra unum testem mille insurgunt; sic, v. g., si unus testetur mortuum resuscitatum esse, milleni testes affirmant mortuos ad vitam haud redire [3].

Hæc difficultas falso nititur supposito. 1) Miraculum non est, ut supponit *Hume*, violatio legum naturæ, sed specialis Dei interventus extra has leges (supra, n. 262). Neque *experientiæ*

---

[1] **Gondal**, *Surnaturel*, p. 182-183.

[2] Ita **Renan**, *Vie de Jésus*, Introd., ubi ait miracula forsan admitti posse, si thaumaturgus coram Parisiensi Academia, non semel aut bis, sed iterum atque iterum, variis in circumstantiis, mortuos suscitaret.

[3] *Hume's Works*, ed. 1770, vol. III, p. 178. Idem argumentum legi potest in opere *Supernatural Religion*, vol. I, p. 77 sq. : et optime confutatur a **G. Campbell**, *A dissertation on Miracles*. Sic fere etiam **Langlois et Seignobos**, *Introduction aux études historiques*, Paris, 1898, p. 176-179, contra miracula argumentantur, quatenus scientiæ physicæ majorem certitudinem præbent quam historicæ. Miraculum, quod documentis historicis tantum transmittitur, scientiæ physicæ, quæ miraculum excludit, locum det.

adversatur; nam experientia versatur circa facta singularia, eaque expendit prout contingunt, *absque ullo præjudicio*, sive hæc naturalia appareant, sive supernaturalia.

2) Falsum est pariter contra unum testem, factum miraculosum asserentem, millenos assurgere : *non enim de uno eodemque objecto* testantur : hi de lege generali, ille de exceptione huic regulæ [1].

3) Denique historia factum aliquod constare potest, quin cum scientiis physicis concordet : postea philosophi aut theologi est quærere num supernaturale sit quoad causam annon.

270. 2° Miraculorum præternaturalitas pariter dignosci potest. Ad hoc enim sufficit ut, attentis sive *rei natura*, sive *circumstantiis* omnibus, clare percipiatur nullam esse proportionem inter media adhibita effectusque productos, ita ut hujusmodi effectus nonnisi agenti supra-humano tribui possint. Jamvero hæc duo in nonnullis saltem casibus, certo constare possunt.

(**a**) Quoad *naturam facti*, certe præternaturalis est resurrectio mortui, multiplicatio materiæ, transmutatio subita substantiæ, sanatio quæ quasi creationi vel destructioni materiæ æquivalet [2].

(**b**) Quoad *circumstantias*, tria præsertim consideranda sunt, nempe *regularitas*, *proportio* et *tempus*. In phænomenis naturalibus semper *regularitas* existit, ita ut eædem causæ, in iisdem circumstantiis, eosdem substantialiter effectus producant; insuper semper existit *proportio* inter causam et effectum; tandem aliquod *tempus* requiritur. Atqui hæc tria in miraculis desunt. Nulla proportio, e. g., inter tactum et curationem lepræ, verbum et sanationem cæci; nulla regularitas, quando in iisdem circumstantiis diversi effectus producuntur, vel diversas circumstantias iidem effectus sequuntur. (Cf. v. g., curationem cæci nati

[1] **J. H. Newman,** *Grammar of Assent*, London, 1874, p. 306-307. Demonstrat etiam *Romanes* (op. cit. p. 109-110) Humi argumentum nihil scientifici præ se ferre.

[2] **Dr. Le Bec,** *Preuves médicales du miracle*, p. 27-37, n. 49, ostendit, exemplis historice certis, sanationem subitam fractionis femoris quasi-creationem materiæ postulare, quia materia chemica necessaria ad fractionem reparandam, nec per tam breve tempus per arteriola transire potest, nec quidem tam abundans in sanguine existit; in sanatione cancri e contra invenitur quasi-destructio materiæ, quia cellulæ vulneris evanescunt, quin tamen earum veneno corpus inficiatur.

Joan. IX, 1-7, et cæci apud Jericho, *Marc.*, X, 46-52); sanationes miraculosæ tandem tempore naturaliter insufficienti peraguntur [1].

Præsertim vero absentia regularitatis in miraculo mentem ad *causam liberam* (non necessariam), deducit.

271. (A) *Objiciunt* quidem adversarii hoc fieri non posse, quia *non omnes naturæ vires nobis perspectæ sunt* [2]. Fatemur equidem multas naturæ vires nobis ignotas esse, immo nonnulla facta olim ut supernaturalia habita fuisse, quæ forsan vires naturæ non prætergrediebantur. Sed ex hoc minime sequitur *nunquam* vera miracula patrata fuisse, vel ut talia agnosci non posse. (a) Etsi non omnes naturæ vires *speculative* cognoscimus, nec dicere valemus quousque earum efficacia sese extendere possit, *practice* dijudicamus quid *in determinatis circumstantiis* operari non possint. Videlicet, ad judicium ferendum de facto supernaturali *concreto*, non necesse est omnes novisse leges earumque efficaciam, sed sufficit ut, omnibus attentis circumstantiis personarum, locorum, temporis, etc., certo appareat nullam esse proportionem inter media adhibita effectusque productos [3]. Ita, v. g., quamvis ignoremus quousque se extendere possit ars medicinæ, certo tamen novimus non posse mortuum, jam quatriduo defunctum et fœtidum, subito et solo vocis imperio, e mortuis suscitari; vel leprosum solo contactu manus aut sono vocis statim curari, vel cæcum a nativitate, luto adhibito, illico illuminari : hæc enim et alia supra vires naturæ esse merito judicantur ab omnibus qui *communi sensui* valedicere nolunt.

(b) Si vires incognitæ, naturales tamen, in miraculo agerent, certe, ut supra notatum est, servaretur regularitas aliqua et proportio inter causam et affectum; quod minime invenitur.

(c) Tandem, ut optime scripsit *Dr. Le Bec* [4], vires incognitæ

---

[1] Quod **Le Bec,** *Preuves méd...*, p. XV, denominat : "absence du facteur temps". Cf. **Id.,** *Les forces naturelles et les guérisons miraculeuses*, in *Etudes*, 20 août 1922, p. 423-432.

[2] Sic jam **Spinoza** (Epist. 23) : "Rogare mihi liceat, an nos homunciones tantam naturæ cognitionem habeamus, ut determinare possimus, quousque ejus vis et potentia se extendit et quid ejus vim superat. Quod quia nemo sine arrogantia præsumere potest, liceat ergo absque jactantia miracula per causas naturales, quantum fieri potest, explicare, et quæ explicare non possumus, nec etiam demonstrare quod absurda sint, satius erit, judicium de eis suspendere, et religionem sola doctrinæ sapientia adstruere". Quam difficultatem optime solvit **G. Bertrin,** *Histoire critique des événements de Lourdes*, pp. 215-229.

[3] Cf. **de Tonquédec,** Art. *Miracle*, col. 555-556.

[4] "Les explications qui ont été fournies par les négateurs du miracle ne nous apportent aucune preuve de l'action des forces naturelles dans le miracle.

quæ miraculum operarentur, legum naturæ destructivæ essent cum ejus certissimis legibus contradicant; natura se ipsam destrueret : quod absurdum est.

272. (B) *Objiciunt* pariter multa phænomena tanquam miracula haberi quæ *imaginationi* aut *hypnotismo* tribui possunt. — (a) Maximam esse vim imaginationis, præsertim in mulieribus, Doctores catholici libenter concedunt, et fatentur morbos quosdam ab ea naturaliter oriri, vel e contra curari posse [1]; nec pariter ignorant somnambulismi, vel magnetismi aut hypnotismi miros effectus; sed simul, post *Benedictum XIV*, regulas tradunt quibus facta naturalia a veris miraculis distinguantur. Ita, v. g., morbi, qui ex nervis oriuntur, possunt quidem vi imaginationis curari; sed morbi qui ex alicujus *organi læsione* procedunt, nequeunt *statim* et modo *permanenti* solius phantasiæ ope expelli [2].

(b) Neque opponi possunt facta *hypnotica* [3] : ex his enim potius thesis nostra confirmatur; nam in hoc casu media adhibenda sunt ad finem intentum obtinendum, et quidem varia secundum varios

---

S'ils font appel à des forces connues, ils se heurtent à des impossibilités. S'ils invoquent des forces naturelles inconnues, ils sont obligés d'en arriver à admettre la destruction de la matière par elle-même, et... c'est illogique ". *Les preuves médicales des guérisons miraculeuses*, in *Revue de philosophie*, janv.-février 1922, p. 28.

[1] Ita v. g., **S. Thomas** ait (3, q. 13, a. 3, ad 3) : " Imaginationi, si fuerit fortis, naturaliter obedit corpus quantum ad aliqua, puta quantum ad casum de trabe in alto posita, quia imaginatio nata est esse principium motus localis... similiter etiam quantum ad alterationem quæ est secundum calorem et frigus, et alia consequentia; eo quod ex imaginatione consequenter natæ sunt consequi animæ passiones secundum quas movetur cor; et sic per commotionem spirituum totum corpus alteratur ". Cfr. *Quæst. disp.*, de Pot., q. 6, a. 3, ad 7; præsertim vero **Benedict. XIV**, *De servorum Dei Beatificatione*, lib. IV, p. I, cap. ult., n. 12 sq.

[2] **Dr. Bernheim**, *Hypnotisme, suggestion, psychothérapie*, Paris, 1903, 2ª ed., p. 337-342. Cf. **Benedict. XIV**, l. cit., 31. Alibi (l. IV, p. I, c. 8, n. 2) sequentes regulas tradit ut agnosci possit utrum sanatio sit miraculosa : " Ut sanatio a morbis et infirmitatibus inter miracula recenseatur, plura debent concurrere : primum est ut morbus sit gravis, et vel impossibilis vel curatu difficilis; secundum, ut morbus qui depellitur non sit in ultima parte status, ita ut non multo post declinare debeat : tertium, ut nulla fuerint adhibita medicamenta, vel, si fuerint adhibita, certum sit ea non profuisse; quartum, ut sanatio sit subita et momentanea; quintum, ut sanatio sit perfecta, non manca, aut concisa; sextum, ut nulla notatu digna evacuatio seu crisis præcedat temporibus debitis et cum causa; si enim ita accedat, tunc vere prodigiosa sanatio dicenda non erit, sed vel ex toto, vel ex parte naturalis : ultimum, ut sublatus morbus non redeat ". Cf. **Beaudeau**, *Analyse de l'ouvrage de Benoît XIV*, apud *Migne*, Theol. Curs. VIII,, p. 921 sq.; **Ribet**, *La Mystique divine*, vol. III, sect. III, c. 24, p. 487 sq.

[3] Cfr. **Bertrin**, *op. cit.*, p. 173-215.

morbos curandos; præterea, inspectis omnibus circumstantiis, quædam proportio apparet inter multa ex his factis mediaque adhibita, præsertim si comparentur cum iis quæ in naturali somnambulismi statu occurrunt; tandem media adhibita eodem modo in iisdem circumstantiis operantur; dum in miraculis vel nulla usurpantur media, vel nulla apparet proportio inter causam et effectus; aliunde eadem causa in eisdem etiam circumstantiis diversos omnino producit effectus, ad nutum illius qui miracula operatur [1].

(c) Tandem, quidquid de illis factis dici potest, nullus est medicus qui hypnotismo mortuos suscitarit, cæcis visum restituerit, surdos audire fecerit, quinque panibus quinque millia hominum satiaverit, etc. Quotiescumque igitur facta hujusmodi historice constabunt, ut præternaturalia haberi poterunt, *præsertim si non semel, sed iterum atque iterum occurrunt;* si enim in uno vel altero casu quis decipi possit, certo non ita facile in centenis casibus.

273. 3° **Miracula ut divina dignosci possunt.** Quod etiam constat sive *ex natura*, sive *ex circumstantiis* facti.

(A) *Ex ipsa natura operis :* sunt enim miracula, quæ ordinem naturæ ita excedunt, ut nonnisi soli Deo tribui possint : hujusmodi sunt *mortui resurrectio*, quæ, ex communi omnium sensu, perfici nequit nisi ab Eo qui potestatem habet in corpus et animam, et utrumque ita unire potest ut anima vim habeat informandi et vivificandi corpus; *prædictio futurorum contingentium*, necnon perfecta cognitio et *manifestatio secretorum cordis*, quia utraque supremum dominium requirit in substantias spirituales et liberas; *creatio* et *destructio materiæ; subita substantiæ in aliam mutatio*, quæ potentiam absolutam requirunt in res, quæ soli Deo competit. In his omnibus casibus Dei miraculosus interventus quamdam *certitudinem methaphysicam* importat.

(B) *Ex circumstantiis :* extra supradictos casus, causalitas divina in miraculo discernitur tantummodo ex circumstantiis. Sunt namque circumstantiæ quæ Dei interventum excludunt; sunt aliæ quæ Deum ut facti præternaturalis causam designant. Hic solummodo habebitur *certitudo*

[1] Cf. **Méric.**, *Le Merveilleux et la science*, l. III, c. 2, p. 393 sq.; **Guibert,** *L'Hypnotisme*, in periodico *Les Questions actuelles*, 16 sept. 1893, p. 248 sq.; **Lescœur,** *La Science et les faits surnaturels contemporains*, apud *Annales de Philos. chrét.*, 1896-97; **R. P. De La Barre,** *L'Ordre de la Nature et le Miracle*, Paris 1899.

moralis proprie dicta, major minorve secundum numerum circumstantiarum divinum interventum testantium.

Sedulo ergo attendendum est : (a) *Ad thaumaturgi personam moresque* [1] : si sit amens, vel improbus, si levis, inconstans, inquietus, impatiens, superbus, de propriis defectibus glorians, prodigia quæ facit divina non sunt, cum tali legato Deus uti non soleat ad veritatem et virtutem hominibus commendandam; si vero thaumaturgus vitæ sanctitate, zelo gloriæ Dei, modestia, humilitate et caritate polleat, Dei minister censeri potest. (b) *Ad modum* quo miracula fiunt : si in eis aliquid inhonesti, violenti, crudelis, vel incongrui deprehendatur; si media adhibita videantur blasphema, turpia, absolute ridicula (in quo tamen dijudicando, recte ait *Brugère* (n. 38) habenda est aliqua ratio temporum, locorum et personarum, quibus actio divina sese accommodare solet), non Auctori justitiæ et sanctitatis ascribi debent [2]. Si vero patrantur opera sub invocatione Dei, si media adhibita sunt sancta, si opus miraculosum bonitate fulget, certe Deus ipse ut auctor indicatur. (c) Præsertim vero ad *effectus operis* : si mira hujusmodi nisi ad curiositatem pascendam tendunt, si moraliter malam aut sanæ rationi oppositam doctrinam commendant, si ad turpia vel scurrilia provocant, si superbiæ et inobedientiæ favent, familiarumque pacem et concordiam perturbant, a Deo oriri nequeunt cujus opera bonos mores, virtutum praxim, puritatem et caritatem maxime fovent [3]. E contra si miracula peraguntur in favorem doctrinæ optimæ, imo naturæ vires et aspirationes superantis [4], si societatem ad Deum convertunt, si sanctitatem eximiam producunt, certe a Deo sancto proveniunt.

---

[1] Cf. **Bona,** *De discret. spirituum*, c. XI, n. 8; **Ribet,** *La mystique divine*, vol. III, p. 158 sq.

[2] Cfr. **S. Agobardus,** *Epist. ad Barthol.*, n. 1, apud *Migne*, P. L., CIV, p. 179; **Ribet,** l. c., p. 159 sq.

[3] Cf. *Bible de Vence*, Exod., Diss. sur les vrais et les faux miracles, vol. II, p. 40; **Ribet,** l. cit., p. 163 sq.; **J. H. Newman,** *Essays on Miracle*, I, sect. 3; **Gondal,** *Surnaturel*, l. c. p. 232 sq.

[4] Cf. **Pascal.** " Les miracles discernent la doctrine et la doctrine discerne les miracles " (Ed. Brunsvicg. n. 803), eo sensu quod vera miracula originem divinam doctrinæ moraliter bonæ commonstrent; doctrina autem naturaliter bona aut falsa suadet (vel prohibet) ut miraculum, ad ejus originem divinam probandam patratum, Deo attribuatur. Sic circulus vitiosus vitatur.

274. (a) Ex his omnibus dictis apparet quam irrationale et stultum sit ad causam ignotam recurrere, cum omnes circumstantiæ facti positive et clare Deum ut auctorem indicant. Ad causam ignotam appellare in hoc casu nihil aliud esset nisi malæ fidei signum [1].

(b) Clare etiam videtur, ex modo agnoscendi divinitatem miraculi, qui est modus imprimis moralis, miracula omnibus intelligentiis, etiam rudioribus [2], accomodata signa esse. Unum tantum requiritur : bona fides et rectitudo animi; cum enim miraculum sit factum divinum quoad causam, et tendat semper ad finem moraliter bonam, non percipitur nisi in mente aliqua connaturalitas existat cum natura religiosa miraculi. Qui minime de Deo curat nunquam eum in miraculo perspiciet, sed potius ad *subterfugia* recursum habebit [3].

275. **Scholion. De prodigiis diabolicis** [4]. Secundum fidem catholicam dæmones prodigia patrare valent. Certe tamen hæc prodigia a veris miraculis discerni possunt (quod ex prædictis evidens est), sive consideratione *naturæ operis*, sive consideratione *circumstantiarum*. Sunt opera quæ dæmon nullo modo operari potest, cum sit ens creatum; omnia autem facta minora *vere* præternaturalia, quæ Deum ex circumstantiis dedecent, dæmonum malitiæ attribui debent. Cavendum est tamen ne minus sedula præternaturalitatis facti consideratione, nimis creduli inveniamur.

Exinde solvi datur difficultas ab adversariis proposita, videlicet, haud raro miracula, juxta auctores sacros, a diabolis perfici. Licet enim Deus, teste Scriptura, permittat mirabilia a diabolo perfici, sive ad bonorum probationem, sive ad majorem suæ potestatis manifestationem, media tamen suppeditat ad auctorem horum prodigiorum detegendum. Ita, v. g., magi, qui in conspectu

---

[1] Cf **de Tonquédec**, Art. *Miracle*, col. 552. "Pourquoi préférer Dieu à l'inconnu? Parce que toutes les raisons *positives* sont pour Dieu, tandis qu'il n'y en a aucune en faveur de l'inconnu. J'ai par devers moi une explication pleinement satisfaisante... Pourquoi lui donner l'exclusive et me réfugier dans l'inconnu?"

[2] **De Poulpiquet**, *Le miracle et ses suppléances*, p. 212-213.

[3] Cf. **Joan.**, X, 26; XV, 24; **Luc.**, XVI, 31 et etiam, e contra, quod scribit **Dr. Le Dantec***, *L'Athéisme*, Paris, 1906, p. 70. "J'ai écrit jadis que si je voyais un miracle, je deviendrais croyant; je crains bien de m'être vanté! Si j'assistais à un phénomène qui parût en contradiction avec les lois naturelles que je connais le mieux..., je chercherais la ficelle cachée, le phénomène surajouté et inconnu qui a créé l'apparence du miracle, et si je ne trouvais pas, j'accuserais probablement l'imperfection de mes moyens de recherche". Cf. **de Poulpiquet**, *Le miracle et ses suppléances*, ch. IV, La finalité religieuse du miracle.

[4] Cf. **Gerson**, *De distinctione verarum visionum a falsis;* **Bona**, *De discretione spirituum;* **Ribet**, *La mystique divine*, vol. III, c. 8, p. 153 sq.

Pharaonis mira patraverant, non potuerunt tamen sciniphes e pulvere educere, sed, visis miraculis a Moyse factis, exclamare coacti sunt : Digitus Dei est hic [1]; sic etiam falsis prophetis qui Baal serviebant non permissum fuit miraculo decipere filios Israel [2]; item, sub fine mundi prodigia quidem erunt multa, sed Christus ea annuntiando vim præcipuam eis ademit, nec viri bonæ voluntatis seducentur nisi volentes [3].

§ IV. De vi demonstrativa miraculorum.

276. *Thesis.* **Miracula cum Dei omnipotentiam luculenter commonstrent, divinæ revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiæ accommodata; ita ut doctrina, in cujus confirmationem eduntur, certe ut a Deo revelata habenda sit.**

Philosophice certum est, *theologice de fide* [4].

(**A**) *Explicatio thesis* longa explanatione non eget : declaranda sunt tantum modo hæc verba : ita ut doctrina *in cujus confirmationem* eduntur miracula... Ut sit signum revelationis certissimum, requiritur *absolute* ut miraculum peragatur in confirmationem doctrinæ quæ ut revelata perhibetur : deficiente enim omni vinculo inter miraculum et doctrinam, miraculum esset quidem interventus extraordinarius Dei, non autem quasi *sigillum Dei doctrinæ appositum.*

Duplici modo aliquod miraculum fieri potest in confirmationem alicujus doctrinæ : (**a**) *directe*, si quis explicite aut æquivalenter asserit aliquod miraculum secuturum esse ad manifestandam veritatem talis doctrinæ; (**b**) *indirecte*, si quis, legatum divinum sese declarans, ad miracula a se antea patrata provocat.

277. (**B**) *Probatur thesis* sequenti *S. Thomæ* argumento [5] : " Est autem attendendum, quod nullum verum miraculum fit nisi virtute divina; et quod nunquam Deus est testis mendacii. Dico ergo quod, quandocumque miraculum fit in testimonium doctrinæ prædicatæ, necessarium est doctrinam

[1] Ex., VIII, 19. — [2] III *Reg.*, XVIII, 20-40.

[3] *Matt.*, XXIV, 22-28.

[4] Ex *Vaticano*, Sess. III, cap. III, **D. B.**, 1790, a quo prima pars thesis desumpta est. Cf. **D. B.**, 1813 et *jusjurandum contra modernistas*, **D. B.** 2145.

[5] *In Joann.*, cap. IX, lect. 3, 8.

illam esse veram... ". Secus enim Deus esset falsitatis testis, quod est impossibile.

Quod *comparatione* illustratur : si enim aliquod sigillum nonnisi a rege ipso scripturæ conscio apponi posset, rex, sigillum apponendo, vere diceret se omnia probare quæ in scriptura continentur. Porro talia sunt miracula vere divina; cum enim nonnisi a Deo perficiantur, et Deus aliunde sit perfecte conscius doctrinæ quæ miraculis sigillatur, luculenter ostendit per miracula in confirmationem doctrinæ peracta, se eam approbare suamque facere [1].

278. *Objicit E. Le Roy* [2] probationem revelationis per miracula esse *Deo indignam*. Comparat namque hunc processum modo agendi magistri, qui, ut discipulis veritatem propositionis geometricæ demonstret, coram eis jocaretur et præstigiosa ageret, ad eorum fiduciam captandam. — Quæ descriptio vere miraculi *deformatio* vocari potest. In exemplo enim allato, nulla proportio existit inter jocum magistri et veritatem intrinsecam propositionis demonstrandæ; adest autem vera proportio inter miraculum, quod Dei omnipotentiam manifestat, et miraculum in confirmationem doctrinæ peractum [3].

279. Scholion. De miraculis in falsis religionibus patratis [4]. Ad enervandam vim miraculorum a Christo ejusque discipulis peractorum, Rationalistæ congesserunt omnia quæ inveniri possunt miracula quæ sive in antiquitate, sive præsenti tempore peracta perhibentur [5]. Ita narratur apud Græcos Asclepium morbos sanasse [6]; Vespasianum et Hadrianum ægrotos subito curasse [7]; Apollonium Tyanensem vere thaumaturgum fuisse; apud Jansenistas vera miracula patrata fuisse (Miraculum de Sacra Spina,

[1] **Lugo,** *de Fide*, disp. II, n. 25; **Suarez**, *de Mysteriis vitæ Christi*, disp. XXXI, sect. I, n. 7; **Mead***, op. cit., c. 4-6; **Gondal**, *Surnaturel*, l. II, c. 8, p. 269 sq.

[2] *Annales de philos. chrét.**, oct.-déc. 1906, p. 184-185.

[3] " L'on va de Dieu à Dieu, on conclut de Dieu manifesté par une œuvre surnaturelle à Dieu auteur d'une révélation ". (**De Tonquédec**, Art. *Miracle*, in *D. A.*, col. 541.)

[4] Cf. **de Bonniot,** *Le miracle et ses contrefaçons*, 5ª ed., Retaux, 1895.

[5] Sic **S. Reinach***, *Orpheus*, p. 566. A Lourdes " un grand nombre de guérisons miraculeuses furent constatées au sortir de la piscine. On en constatait aussi, il y a vingt siècles, au sortir des dortoirs d'Esculape à Epidaure et à Cos ".

[6] Cf. **Mangenot,** *Les miracles d'Esculape*, in *R. C. F.*, 15 août-1-15 sept. 1917; **Daremberg et Saglio**, *Dictionn. des antiquités gréco-romaines*, Art. *Æsculapius, medicus, incubation;* Art. *Asklepios* in Encyclopediis **Hauck** et **Pauli-Wissowa.**

[7] **Tacit.**, Histor. l. IV, n. 81; **Sueton.**, in Vespas., n. 7; **Spartian.**, *Hist. August.*, in Hadriano, n. 25.

vel ad tumulum diaconi Pâris)[1]; in Ecclesiis schismaticis et hæreticis vere thaumaturgos inveniri[2]; tandem in India etiam nostris temporibus multa perfici prodigia.

Hic non possumus hæc omnia facta critice expendere, sed solum *methodum* exponere qua singula investigari valeant[3].

(a) Quidquid dicatur de variis factis quæ allegantur, inconcussum manet certitudine metaphysica Deum miraculo errorem confirmare non posse.

(b) Sedulo inquirendum est num facta hujusmodi sint *historice vera*. Multa tali inquisitione eliminantur. Sic miracula Apollonii, nisi longe postea et præter methodum historicam relata sunt[4]. Ita etiam quæ de Asclepii miraculis narrantur, difficile determinari possunt, cum documenta in multis casibus valore historico destituantur[5]. Ita etiam in casu *Vespasiani*, Tacitus ipse non affirmat curationem cæci miraculosam esse; imo refert Imperatorem, a quo miraculum petebatur, "primo inridere, adspernari", sed "vocibus adulantium in spem induci", cuncta suæ fortunæ patere ratum; et addit plebem Alexandrinam, quæ huic miraculo aderat, esse superstitionibus deditam. Ex ipsa igitur narratione de veritate hujus facti merito dubitatur.

(c) Expendere oportet utrum facta sint *præternaturalia* annon. In miraculis Asclepio adscriptis multa verisimiliter scientiæ medicinali sacerdotum tribui debent[6]. Prodigia in tumulo diaconi Pâris patrata, sæpe comitabantur violentæ convulsiones, actusque inhonesti, qui nervorum excitationem manifestant[7].

(d) Deus aliquando, per ministros, falsam profitentes doctrinam, signa operari potest, non quidem ut falsam approbet propositionem (quod absurdum esset), sed ad bonum aliquod promovendum; nam, ut ait *S. Thomas*[8], a malis qui falsam doctrinam enuntiant

---

[1] Cf. **Petitot**, *Pascal, sa vie religieuse et son apologie du christianisme*, Paris, 1911; **Mgr. Waffelaert**, Art. *Convulsionnaires* in *D. A.*

[2] Cf. **Jean de Cronstadt***, *Ma Vie en Jésus Christ*, Paris, 1902; **de Grandmaison**, *Le Sadhu Sundar Singh et le problème de la sainteté hors de l'Eglise catholique*, *R. S. R.*, janv.-avril 1922, p. 1-29; **P. Iswolski***, *Un saint russe au 19^e s.* ap. *Les Lettres*, oct. 1921; **Id.**, *La crise russe et l'Eglise*, ap. *Correspondant*, 10 août 1921, p. 413-443.

[3] Cf. **Campbell**, *Dissert. on miracles*, part. II, sect. 4; **Gondal**, *Miracle*, p. 166-172.

[4] **Duchesne***, *Histoire ancienne de l'Eglise*, I, p. 363-364.

[5] **Mangenot**, l. c.; **Allo**, *Les miracles de l'Evangile devant la critique contemporaine (Etudes religieuses*, n. 31), p. 25-30.

[6] Cf. **Hugueny**, *Critique et catholique*, I, p. 281 seq.

[7] Cf. *D. A.*, Art. *Convulsionnaires*.

[8] 2^a 2^æ, q. 178, a. 2, ad 2; Cf. *quæst. disp.*, *De Potentia*, q. 6, a. 5, ad 5, ubi agitur de *Vestali* quæ, ut fama refert, ad virginitatem probandam aquam in vase fracto portavit, quin effunderetur. "Non est remotum quin sit in

nunquam fiunt vera miracula ad confirmationem suæ doctrinæ, quamvis quandoque fieri possint, " ad commendationem nominis Christi, quod invocant et in virtute Sacramentorum, quæ exhibent ". Sic Deus vera miracula facere potuisset per manus *P. Joannis de Cronstadt*, presbyteri schismatici, ad præsentiam Christi in Eucharistia confirmandam; vel per *Sadhu Sundhar Singh* aut monachum *Seraphinum de Sarov*, ut Indios et Ruthenos a paganismo vel a superstitionibus ad Christum revocaret. Nulla tamen in hoc casu *relatio directa* existere debet inter miraculum et partem proprie erroneam doctrinæ a thaumaturgo professæ [1].

(e) Si tandem historice constant prodigia, vere præternaturalia, in confirmatione erroris certe patrata, adscribi debent *dæmoniis*, qui aliqua potentia præternaturali fruuntur et libenter, cum sint patres mendacii et homicidæ [2], ea utuntur ad animas perdendas. Ex supra dictis (n. 275) hæc prodigia facile ut diabolica recognoscentur.

Art. III. De prophetia [3].

Post Christum et Apostolos, qui sæpe ad *Scripturas* appellaverunt, apologetæ omnes prophetiam velut argumentum credibilitatis maximum habuerunt. Quod etiam *Vaticanum* confirmavit [4]. De prophetia, sicut de miraculo, expendi debet notio, possibilitas, discernibilitas, vis probativa.

280. 1° **Notio prophetiæ.** Prophetia (προφητεία) *etymologice* venit a græco πρό-φημι præ-dicere, vel dicere pro aliquo. Propheta (προφήτης), apud Græcos, erat qui sive loco dei loquebatur, sive futuros eventus prædicebat [5]. Sumitur hic verbum prophetia in sensu *prædictionis*.

Quoad rem, definiri potest : *Certa prædictio futuri eventus, qui naturaliter prævideri nequit.*

Dicitur : *certa*, ut sic distinguatur a mera *conjectura*, qua futuri eventus cum aliqua probabilitate a peritis prævideri

commendationem castitatis quod Deus verus per suos angelos bonos hujusmodi miraculum... fecisset; quia, si quæ bona in gentibus fuerunt, a Deo fuerunt ".

[1] *Indirecte* forsan testes miraculi in schismate talibus miraculis confirmabuntur, sed sine propriæ salutis periculo cum in bona fide versentur. Quod agnoscit, **de Grandmaison**, l. c., p. 21. — [2] **Joann.**, VIII, 44.

[3] **Garrigou-Lagrange**, *De Revelat.*, l. I, c. XX; **de Grandmaison**, Art. *Jésus-Christ*, in *D. A.*, col. 1409-1412.

[4] **D. B.**, 1790, vide supra, n. 240.

[5] Idem apud Hebræos, ut infra notabitur, n. 305.

possunt; *prædictio futuri eventus*, ut sic distinguatur a cognitione et manifestatione occultorum, quæ futura non sunt, proindeque a revelatione quæ circa res occultas versatur, non autem semper circa res futuras; vaticinium supponit quidem revelationem, sed non omnis revelatio vaticinium continet; *qui naturaliter prævideri nequit*, nam si eventus, etiam futurus, in causa certo cognosci possit, ut lunæ vel solis eclipsis, non est prophetia, sed naturalis prævisio; vaticinia autem versantur circa futura, quæ pendent a causa libera et nonnisi a Deo cum certitudine cognosci valent.

Notiones falsæ traditæ sunt : 1) a *Spinoza*[1], secundum quem divinatio futuri eventus a prophetis ostendit solummodo eos præditos esse *potentia vividius imaginandi*, qua facta futura determinata præsentiebant (Spinoza enim libertatem negat); 2) a *protestantibus liberalibus* et *modernistis*, secundum quos prophetæ tantummodo fidem et sensum religiosum puriorem et vividiorem habebant[2].

281. 2° **Possibilitas prophetiæ.** Ii soli logice eam negare possunt qui personalis Dei existentiam rejiciunt. *Deus* enim *omnia, etiam futura contingentia novit :* (**a**) quia *æternus* est : "æternitas autem tota simul existens ambit totum tempus. Unde omnia quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes, ut quidem dicunt, sed quia ejus intuitus fertur super omnia, prout sunt in sua præsentialitate... et tamen sunt futura contingentia suis causis proximis comparata"[3]; (**b**) quia omnium rerum *principium* est, etiam actuum liberorum (quamquam non unice ab eo dependeant); (**c**) quia *perfectus* est, omnipotens et omnisciens. Aliunde eventus ab Ipso prævisos hominibus manifestare potest, ut dictum est ubi de possibilitate revelationis.

---

[1] *Tract. theologico-politicus*, c. I-II.

[2] " Les voyants hébreux n'ont pas eu plus que les Sibylles ou que le devin Tirésias, le don miraculeux de lire dans l'avenir. La supériorité de leur inspiration est ailleurs. Elle est toute entière dans une idée de Dieu plus pure, dans un idéal de justice plus élevé, dans une religion essentiellement morale, dans leur foi indéfectible au triomphe de la loi et de la volonté sainte et miséricordieuse de l'Eternel". **A. Sabatier,** *Esquisse...*, p. 94.

[3] **S. Th.,** I, q. 14, a. 13. Cf. **de Grandmaison,** Art. *Jésus-Christ* in *D. A.*, col. 1411.

282. 3° **Discernibilitas prophetiæ.** Difficile sæpe, non vero impossibile est vera vaticinia ab humanis conjecturis *discernere*. Si enim futuri eventus, non propinqui nec necessarii, sed *remoti* et *liberi*, non dubitanter vel æquivoce, sed *certo* et *determinate* annuntientur, præsertim vero si sint simul *multi* et *implicati*, merito concludi potest eum qui talia prædicit, vere esse prophetam a Deo inspiratum, quando eventus eo modo quo prædicti fuerant revera contingunt; licet enim homines aliquando conjecturaliter aliquod factum simplex annuntiare possint, quod per accidens evenit, non tamen cum adjunctis quæ descripsimus; nam quæ per accidens fiunt, raro fiunt; itaque si multi eventus hujusmodi, aut etiam minuta adjuncta unius eventus prædicuntur, moraliter impossibile est ut facta temerariæ prædictioni adamussim respondeant.

Maxima autem prophetia est prædictio miraculi, quod a Dei libera actione unice dependet.

283. 4° **Vis probativa prophetiæ** ex eo concluditur quod est miraculum ordinis intellectualis, Deo soli attribuendum, cum solus, utpote æternaliter omnibus præsens, futura contingentia cognoscat. Quando ergo in confirmationem doctrinæ, sive directe sive indirecte, futura vere annuntiantur, exinde sequitur Deum hanc doctrinam approbare.

284. Conclusio totius tractatus. Probavimus necessitatem absolutam religionis pro quocumque homine; possibilitatem, convenientiam, imo moralem necessitatem revelationis ad finem nostrum attingendum; signis studuimus quibus divina revelatio certe dignosci potest. His igitur positis, quisque debet et potest veram Dei Revelationem *quærere* et *invenire*, si Deus revera nobis locutus est : quod ex jam dictis valde probabile est. Remanet ut hoc divinum Verbum per prophetas, per Christum, per Ecclesiam annuntiatum audiamus.

TRACTATUS II

DE CHRISTO, LEGATO DIVINO

SEU

DE RELIGIONE CHRISTIANA

Scopus et Divisio tractatus.

285. 1° Demonstratis, in præcedenti tractatu, Religionis revelatæ possibilitate, necessitate morali atque obligatione, probaturi sumus in reliquis partibus Apologeticæ religionem christianam esse hanc Revelationem divinam, nobis necessariam et obligatoriam. Ut in Prolegomenis ad Apologeticam dictum est, hic primum statuemus *Jesum Christum verum Dei legatum* fuisse, id est, a Deo missum ad docendos homines veram religionem revelatam. In hac demonstratione concordant non solum catholici, sed et schismatici sive orientales sive occidentales, necnon et protestantium sectæ quæ aliquam retinuerunt fidem positivam.

De missione Christi inquirere, non solum ad credentes, sed etiam ad omnes, qui recta mente veritatem quærunt, pertinet. Fatentibus enim et christianismi adversariis, hæc religio ita inter ceteras eminet sive doctrina, sive effectibus in ordine morali, sive asseclarum numero [1] et auctoritate

[1] De numero asseclarum diversorum religionum non omnino concordant periti, licet substantialiter serventur eædem proportiones. Juxta **A. Schobel** *, apud *Droysen, Handatlas* 1886, p. 291, numerantur in toto orbe terrarum : *Christiani* 442,351,000; *Mahumetani* 186,356,000; *Pagani* 92,182,340; *Budhistæ* 447,969,780; *Brahmanistæ* 187,947,450.

Secundum **O. Werner,** *Orbis terrarum catholicus*, Friburgi Brisgoviæ, 1890, p. 4, numerus orbis nostri incolarum, 1,400,000,000 superat; e quibus 445,000,000 sunt *Christiani;* 210,000,000 *Mahumetani;* 448,000,000 *Budhistæ Confuciani ac Shamani;* 188,000,000 *Brahmanistæ; Pagani* 120,000,000; *Judæi* 6,500,000.

Juxta **V. Groffier,** *Planisphère des Religions*, 1883, computantur *Christiani* 419,710,000; *Judæi* 6,890,000; *Mahumetani* 200,000,000; *Brahmanistæ* 163,000,000; *Budhistæ* puri 7,000,000; *Budhistæ et Confuciani* 380,000,000; *Budhistæ et Shamani* 35,900,000; *Pagani* 228,500,000.

ut, si quædam sit revelatio, ultro in Christianismo quærenda sit.

286. 2° Legatio Christi *historice* præsertim demonstranda est; ideoque *ordinem sequemur chronologicum.* Paucis prænotatis de documentis Veteris et præcipue Novi Testamenti, ostendemus missionem Christi miraculose *præparatam* esse; deinde ejus legationem divinam *probabimus argumento* tam *interno*, i. e., ex excellentia ejus doctrinæ, quam *historico*, agendo nempe de persona et testimonio Christi, de ejus miraculis, vaticiniis necnon a mortuis resurrectione; *confirmationem quæremus* tam in historia primæva christianæ religionis quam in comparatione cum aliis religionibus.

Cum revelatio christiana revelatione primæva et revelatione mosaïca præparata fuerit, veteres auctores et aliqui inter recentes (v. g., *Ottiger*) successive de triplici statu revelationis disseruerunt. Quia vero hæc methodus perlonga esset, nec aliunde ad demonstrationem necessaria, cum plerisque auctoribus, inquisitionem nostram ad Revelationem Christi coarctamus, pauca tamen in capite primo de primæva et judaïca revelatione dicturi.

PRÆNOTANDA { de libris Veteris et Novi Testamenti.

CAP. I. Legatio Christi divinitus *præparata* { prædicatione. / prædictionibus prophetarum.

CAP. II. Legatio Christi *suadetur intrinsece* { Ex ejus doctrinæ excellentia, quæ divinam originem denotat.

CAP. III. Legatio Christi *probatur extrinsece* seu *historice* { Ex ejus persona et testimonio. / Ex ejus miraculis et vaticiniis. / Ex ejus resurrectione.

Secundum **P. Krose**, in *Stimmen aus Maria-Laach*, jul. aug.-1903, recensentur : *Christiani* 549,000,000; *Confuciani* 235,000,000; *Brahmanistæ* 210,000,000; *Budhistæ* 120,000,000; *Mahumetani* 202,000,000; *Judæi* 11,000,000.

A nonnullis computantur *Budhistæ* 500,000,000; sed in hac computatione miscentur simul Brahmanistæ, Confuciani et Budhistæ.

Notandum est christianismum toto orbe terrarum diffusum esse, cum cæteræ religiones tantummodo in uno vel altero continente reperiuntur : est ergo aliquid omnibus hominibus obvium.

CAP. IV. Legatio Christi *roboratur* christianismi primævi historia, { nempe ejus mirabili propagatione et martyrum constantia.

CAP. V. Legatio Christi *confirmatur* comparatione { cum Budhismo. cum Islamismo.

Conclusio totius tractatus : Christus ut legatus divinus agnoscendus et sequendus est, ejusque doctrina amplectenda.

PRÆNOTANDA

DE LIBRIS VETERIS ET NOVI TESTAMENTI

Ad demonstrationem historicam ineundam, documentis uti oportebit. Demonstratio divinæ Christi missionis nititur in libris Veteris et præsertim Novi Testamenti. Quamquam proprie quæstiones hujusmodi ad studium Scripturæ sacræ pertinent, pauca tamen de eis adnotare brevissime debemus [1], in quantum ad Apologeticam requiritur.

§ I. De libris Veteris Testamenti [2].

287. Libri quibus in demonstratione utemur sunt *Pentateuchus, libri Regum* et *scripta prophetarum.*

Auctores catholici admittunt omnes authentiam mosaïcam substantialem *Pentateuchi*, ad normam decisionis Commissionis pontificiæ de Re biblica [3]. Inde sequitur historicus valor hujus libri.

Critici acatholici plerique rejiciunt quidem authentiam Pentateuchi, falsoque contendunt hunc librum ex variis documentis componi, a sæculo X° ad sæc. VI^um^ ante Christum collectis; sed Moysi tribuunt fragmenta quæ probant principalem religionis judaicæ partem Moysis ministerio traditam esse. Quod

---

[1] Qui amplioribus explicationibus indiget, videat probatos auctores, v. g., **Pelt, Höpfl, Jacquier, Cornely,** etc.

[2] *Commentaria* librorum tam veteris quam novi testamenti multa a catholicis edita sunt, v. g., **Calmet, Fillion, Crampon, Cursus Scripturæ sacræ** a Patribus S. J., **Etudes bibliques,** etc. Nonnisi recentiora, et etiam hæc parce, citabimus.

[3] **D. B.,** 1997-2000. Cf. **P. Höpfl,** Art. *Pentateuque,* in *D. A.* De valore decisionum *commissionis de re biblica* pro catholicis, vide infra in *Tr. de Ecclesia,* n. 845 seq. Has decisiones non dogmatice hic citamus, sed ut magis appareat quid catholici sentire debeant.

quidem plane sufficit ad scopum nostrum apologeticum, ut mox dicemus [1].

Valor historicus *librorum Regum* non solum a catholicis, sed etiam a multis rationalistis agnoscitur.

Tandem authentia substantialis *librorum Jeremiæ*, *Ezechielis* et præcipuorum *minorum Prophetarum*, sicut et *primæ partis Isaiæ* (cap. I — XXXIX) citra controversiam est [2]. Catholici, ad normam decisionis *Commissionis de Re biblica* [3], et *secundam partem libri Isaiæ*, prophetæ ipsi recte attribuunt; sed in his capitibus vates "Judæos in exilio babylonico lugentes veluti inter ipsos vivens alloquitur et solatur" [4].

§ II. De libris Novi Testamenti.

I. De Actibus Apostolorum et Epistolis.

288. Secundum catholicos, *Actus Apostolorum* circa 63-64 editi sunt, et auctorem habent Lucam, Pauli discipulum et comitem. Quod etiam ab *A. Harnack* et aliis acatholicis admittitur. Maximus proinde est valor historicus hujus libri. Rationalistæ fatentur saltem ante finem I^{i} sæculi hunc librum fuisse scriptum, ejusque valorem historicum substantialem admittunt [5].

Epistolæ Pauli [6], I^{a} ad Thessalonicenses, ad Galatas, Romanos, Corinthios, Philippenses, Colossenses et ad Philemonem ut authenticæ ab ipsis criticis alicujus nominis agnoscuntur. Authentia cæterarum epistolarum a catholicis et etiam ab aliquibus acatholicis recognoscitur [7]. Rationalistæ saltem ante finem I^{i} sæculi eas compositas esse concedunt, vel saltem ante annum 125 quoad epistolas Pastorales. *Chronologice*, Epistolæ S. Pauli scriptæ sunt : duæ ad *Thessalonicenses* circa 50-53; duæ ad *Corinthios* circa 55-58; ad *Romanos* et ad *Galatas*, 56-58; ad *Philippenses*, ad *Ephesios*, ad *Colossenses* et ad *Philemonem*, 61-63; *Pastorales* epistolæ ad *Timotheum* et *Titum*, 65-67.

---

[1] E. g. **Ex.** XX, 22 — XXIII, 33; XXIV, 10-27. — Notandum est ea etiam quæ in libris, secundum criticos recentioribus, v. g., in Deuteronomio, continentur, mera inventa non esse, sed radicem in Moysis prædicatione habere, ut etiam critici fatentur.

[2] Cf. imprimis *Cursum Scripturæ Sacræ* a **P. P. Soc. Jesu** editum; vel etiam **Condamin**, *Le livre d'Isaïe*, Paris, 1905; **Id.**, *Le livre de Jérémie*, Paris, 1920; **Van Hoonacker**, *Les douze petits prophètes*, Paris, 1908.

[3] **D. B.** 2115-2119. — [4] **D. B.**, 2117.

[5] Cf. **D. B.**, 2166-2171, **Coppieters**, Art. *Apôtres (Actes des)*, in *D. A.*

[6] Cf. **Prat**, *La théologie de S. Paul*, I, 5^{e} éd., Paris, 1920; II, 6^{e} éd. 1923; **Lagrange**, *Epître aux Romains*, Paris, 1916; **Id.**, *Epître aux Galates*, Paris, 1918; **Lemonnyer**, *Epîtres de S. Paul*, 2 vol., Paris, 1913.

[7] Cf. *Decisio comm. bibl.*, de Epistolis pastoralibus, **D. B.**, 2172-2175.

Epistola ad Hebræos, secundum catholicos paulina est sicut cæteræ epistolæ [1], et eodem fere tempore scripta, ut fatentur etiam acatholici. *Epistolæ catholicæ* certe e tempore apostolico ortæ sunt, i. e., inter annum 50 et 100 scriptæ.

II. De Evangeliis [2].

289. Tria præcipua expenduntur scilicet *authentia*, *integritas*, necnon *valor historicus* evangeliorum.

(A) Authentia. *Catholici auctores* admittunt Evangelia synoptica ante annum 63 composita esse, et quidem, ordine quem exhibet Canon Scripturarum (Matth., Marc., Luc.), eorumque auctores esse apostolum Matthæum, Marcum, Petri discipulum et Lucam, qui etiam *Actus* conscripsit. Matthæus aramaïco sermone usus est; versio græca primi evangelii, quæ sola superest, substantialiter cum originali codice concordat; Marcus et Lucas græce opus suum exararunt. Evangelistæ sive traditionibus oralibus, sive scriptis nobis ignotis, sive etiam evangeliis quæ jam conscripta erant, plus minusve uti potuerunt [3]. Quartum Evangelium in fine primi sæculi compositum, merito Joanni Apostolo attribuitur [4].

Quæ catholicorum sententiæ tenendæ sunt, quia solide probantur. Nam : (a) fulciuntur testimonio unanimi Patrum secundi sæculi, ut ex sequenti tabella apparet. (b) Confirmantur et citationibus Evangeliorum per dua prima sæcula, et sedula librorum evangelistarum inquisitione.

Inter *acatholicos criticos* major existit discrepantia opinionum. Sanior tamen pars, traditioni ecclesiasticæ magis ac magis proxima, authentiæ Marci et Lucæ favet [5], Synoptica Evangelia scripta esse asserit inter annos 55-85, quar-

[1] Ad normam decisionis *Commiss. de re bibl.*, **D. B.**, 2176-2178.

[2] Præter probatos auctores, vide, e. g., **Lepin**, Art. *Evangiles*, in *D. A.* (Aliquæ conclusiones aptandæ essent decisionibus recentibus Comm. de re biblica.)

[3] Cf. *Decisiones comm. de re biblica*, **D. B.**, 2148-2165.

[4] Cf. **D. B.**, 2110-2112.

[5] Identitatem substantialem Matthæi græci et Matthæi aramaïci negant generaliter.

tum Evangelium ad annum circiter 100 refert, idque discipulo Joannis attribuit.

Quoad dependentiam unius libri ab alio, generalior inter acatholicos hypothesis admittit *duos fontes primitivos*, Matthæum aramaïcum scilicet et Marcum, a quibus Matthæus græcus et Lucas plus minusve dependent.

Tabella testimoniorum de Evangeliorum authentia [1].

AUCTORES	TESTIMONIA DE EVANGELIIS
S. Irenæus (135?-203?). (Ex Asia, vixit in Gallia, Romam venit).	Matth. Marc. Luc. Joann.
Fragmentum Muratorianum. (Romæ, circa 170-200).	Testatur de : Luc. Joann. Matth. Marc. : testimonium periit.
Tertullianus (160?-250?) (Ex Africa, Romæ notus).	Matth. Marc. Luc. Joann.
Clemens Alexandrinus. (Ægyptius, scripsit circa 190-203).	Testatur de : Marc. Joann. Alludit ad : Matth. Luc.
Theophilus Antiochenus (circa 180-185).	}
Acta Joannis (160-180).	} Joann.
Gnostici (Incipiunt 125-140).	}
S. Justinus (100?-167?) (Palestinensis, Romam venit).	Loquitur de " libris memorialibus apostolorum ".
S. Papias (scripsit circa 125-150). (Ex Asia, Joannis et primorum prædicatorum discipulus).	Matth. Marc. prob. Joann.
Scripta primi sæculi.	Evangelia citantur, quin de eorum auctoribus agatur.

De multorum scriptorum profanorum authentia majora vel talia testimonia non existunt. Sic *Commentaria* Cæsaris (101-44 ante

[1] Vide textus apud exegetas, vel apud **Kirch**, *Enchiridion...*

Christ.) nonnisi a Plutarcho (45-125 circ. post Christum) et Suetonio (circ. 69-141 post Christ.) attestantur, et tamen nemo de eorum origine dubitat. Servetur eadem moderatio quoad Evangelia.

290. (B) **Integritas** substantialis Evangeliorum minime impugnatur : fulcitur enim manuscriptorum et citationum concordi testimonio. Aliquot fragmenta in dubium revocantur, de quibus, in quantum opus erit, in decursu tractatus agemus [1].

291. (C) **Historicus valor** [2]. (a) *De Evangelistarum sinceritate*, apud scientiæ biblicæ peritos cujusque opinionis jam non dubitatur [3].

(b) *De historico valore proprie dicto* evangeliorum minime dubitandum est. Etenim : 1) Ab auctoribus scripta sunt, qui certe eventus cognoscebant; 2) et quidem tempore tam brevi post eventus narratos, ut memoria de verbis et factis Christi adhuc viva maneret. 3) Descriptiones locorum et morum populi, necnon modus loquendi, in quo multi aramaïsmi inveniuntur, confirmationem validam afferunt. Quod etiam de Joanne valet. 4) In quatuor Evangeliis narrantur etiam quæ Apostolis et discipulis minus favent, v. g., increpationes Christi ad ipsos : falsarius hæc non excogitasset. 5) Indoles Christi tam perfecte describitur et tam sincere, ut idealisatio per fidem omnino excludatur. 6) Lucas diligenter inquisitionem de factis incepit antequam tertium evangelium scriberet [4]. Verisimiliter ex evangeliis Marci et Matthæi haud pauca hausit : eorum ergo valorem historicum recognoverat [5].

Admittendum est tamen unumquemque Evangelistarum eventus et sermones Christi retulisse eo modo qui propriæ indoli et præsertim fini intento maxime conveniebat. Sic *Matthæus* Hebræis

---

[1] Vide *Editiones criticas* textus : **Tischendorf***, **Nestle***, **von Soden***, **Vogels**, etc.

[2] In apologetica agitur solummodo de humana auctoritate Evangeliorum; auctoritas divina, dogmatica, ad theologiam proprie dictam spectat.

[3] " Leur sincérité n'est plus mise en doute, et ce serait temps perdu que de la défendre... C'est l'honneur de la critique actuelle de n'en point douter. Il est donc constant qu'ils n'ont rien écrit qu'ils n'aient cru vrai. On ne peut pas supposer qu'ils aient raconté un trait de la vie de Jésus sans y croire, ni qu'ils aient mis dans sa bouche un enseignement, simplement parce qu'ils voulaient s'adresser à l'Eglise sous le couvert de son autorité ". (**Lagrange, O. P.**, *Jésus et la Critique des Evangiles*, in *Bulletin eccl. Toulouse*, janv. 1904, p. 18, 21.)

[4] *Luc.*, I, 1-2. — [5] Cf. **Harnack***, *L'essence...*, p. 34-35.

demonstrare intendit *missionem messianicam* Jesu a Judæis injuste repulsam et *Ecclesiæ institutionem; Marcus* Romanis scribit Evangelium *Jesu Christi Filii Dei; Lucas* Theophilo, nobili græco, historice ostendit etiam gentiles per *Christum salvatorem* ad Dei regnum vocatos esse; *Joannes*, qui ultimus omnium Evangelium edidit, cum jam fides crevisset et lucidius intelligeretur, altiorem Christi doctrinam, et miracula profundiorem significationem habentia sedulo refert quibus *gloria Verbi*, *caro facti*, omnibus effulgeat [1].

292. *Rationalistæ* ipsi historicitatem, præsertim Synopticorum, in multis admittunt. Libenter valorem historicum absolutum agnoscerent, si miracula abessent quæ *a priori* omnino rejiciunt [2].

---

[1] Hæc est ratio propter quam Joannes a ceteris magis differt; attamen, non solum in narrationibus, sed etiam in sermonibus, multæ similitudines inter ipsum cæterosque inveniuntur.

Scopum Matthæi sic determinat **P. Lagrange**, (*Ev. selon S. Math.* p. XXIX) : "Le grand fait historique mis en lumière, c'est que Jésus, condamné par les Juifs comme faux Messie et usurpateur blasphématoire du titre de Fils de Dieu, s'était cependant révélé à Israël comme son Messie, continuant le plan divin dans la ligne de la révélation, et autorisé par des œuvres divines. Les chefs d'Israël et le peuple même l'ayant rejeté, ils s'étaient privés d'une révélation plus haute, accordée par une grâce divine aux petits et surtout à Pierre, ce qui impliquait leur réprobation comme peuple de Dieu et leur châtiment. Jésus néanmoins avait fait l'œuvre de son Père en organisant d'avance une église, en dehors du judaïsme, et ouverte à toutes les nations". — De Marco scribit (*Ev. selon S. Marc*, 1re éd., p. CLI) : "Son but, autant qu'on peut en juger, n'était ni dogmatique à la façon de S. Paul, ni directement apologétique, ni strictement historique au sens classique. Il a voulu conserver la mémoire de l'Evangile de Jésus-Christ, Fils de Dieu, sans s'astreindre à un ordre purement chronologique". — De Luca vero (*Ev. selon S. Luc*, p. XLIII) : "Le troisième évangile pourrait aussi bien se résumer dans ce mot : Jésus-Christ est le Sauveur des hommes". — De Joanne tandem **Calmes**, (*l'Evangile selon S. Jean*, p. 61) testatur : "L'évangéliste s'efforce avant tout d'éclairer et de compléter la foi de son entourage, en enseignant la préexistence du Christ comme Verbe de Dieu, sa génération éternelle, son rôle de médiateur entre le Père céleste et les hommes, la nature de la révélation chrétienne, ses développements successifs, grâce à l'intervention du Paraclet, qui a pour mission de continuer et d'achever dans l'âme des fidèles l'œuvre commencée par Jésus".

[2] Cf. **A. Loisy**, *Les Evangiles synoptiques*, 1907, t. I, p. 82-83 : "Nonobstant la place assez large qu'il convient de faire au travail de la pensée traditionnelle et de la rédaction évangélique, les trois premiers Evangiles représentent fidèlement la substance de l'enseignement donné par Jésus. — Plus délicate est l'appréciation des récits. La plupart des critiques admettent l'historicité des récits communs aux trois synoptiques, sauf à rationaliser plus ou moins certains miracles, par exemple la résurrection de la fille de Jaïre... Quant aux récits de l'enfance, la plupart des critiques leur contestent toute valeur historique et y voient un produit de la tradition".

Ad ea removenda varia excogitaverunt systemata, quorum præcipua recensere et breviter confutare decet [1].

293. (a) *Naturalismum* propugnavit *G. Paulus* (1761-1851), qui genuinitatem *Synopticorum* licet admittens, omnia tamen miracula quæ in eis narrantur, secundum leges naturæ facta esse demonstrare conatur. Distinguit inter factum ipsum relatum, cujus realitatem admittit et judicium quod de eo fert Evangelista, ejus scilicet supernaturalitatem, quam prorsus rejicit. Criticorum est, inquit, ad litteralem sermonem reducere has Orientalium exaggerationes, quæ miracula dicuntur; sic, v. g., Jesus non multiplicavit panes, sed paucos quos habebat distribuit, et hoc exemplo incitati alii qui escas habebant, eas cum iis qui non habebant, diviserunt [2]! Quo in tentamine tam infelix fuit, ut hodie omnium, etiam Rationalistarum, risu excipiatur.

294. (b) *Mythismum* advocavit *F. D. Strauss* [3] (1808-1874) : deridet quidem naturalem G. Pauli explicationem, libenterque agnoscit facta in Evangeliis relata supernaturalia esse, sed callide eorum realitatem negat, quin tamen scriptorum veracitatem impugnet. Narrationes evangelicæ nihil aliud sunt quam *mythi*, seu fabulæ, seu aliis verbis *incarnationes* messianicarum idearum quæ apud Judæos tunc temporis vigebant. Christus, ab Evangelistis exhibitus, est pure *idealis*, quamvis realiter vixerit homo Jesus, de quo tamen pauca cognoscimus. Cum autem illi popularis imaginationis fœtus non potuerint subito efformari, nec pro veritate accipi, viventibus adhuc factorum testibus, necessario admittendum est evangelicas narrationes non a Jesu contemporaneis scriptas esse, sed per 150 circiter annos oralem tantum viguisse traditionem, multis commentis successive adornatam, et demum scriptam sub ementitis Apostolorum nominibus, ut major eis veneratio conciliaretur. — Illud systema, communiter hodie rejicitur a Rationalistis; supponit enim Evangelia etiam synoptica nonnisi mediante sæculo secundo scripta fuisse : quod historicæ evidentiæ contrarium esse omnes hodierni fatentur.

295. (c) *F. Ch. Baur* (1792-1860), scholæ *Tubingensis* auctor, quæstionem de origine Evangeliorum, quam Strauss non attigerat, solvere tentavit proponendo *systema tendentiarum*. Hegelianis imbutus principiis, putavit necessario invenienda esse in christianismi origine duo elementa contradictoria, *thesim* et *antithesim*

---

[1] Cf. **C. Fillion**, *Les étapes du rationalisme*, in *R. C. F.*, t. LVIII, avril-juin 1909 etc., vel in opere sub eodem titulo, 1911; **J. M. Lagrange**, *Le sens du christianisme d'après l'exégèse allemande*, 1918; **Pinard de la Boullaye**, *L'étude comparée des Religions*, Paris, 1922.

[2] *Exegetisches Handbuch*, II, 212, ed. 1830. — [3] *Leben Jesu.*

ex quibus *synthesis* quædam tandem orta est. Hujus primitivæ contradictionis signum invenisse censet in Petri et Pauli dissensione[1]. Licet hæc discussio esset de re mere disciplinari, Baur exinde concludit doctrinam Petri, quæ Judaismo affinis erat, omnino oppositam fuisse doctrinæ Pauli, qui universalem christianismum prædicabat. Tres igitur phases in historia fundationis christianismi distinguit, primam, in qua floret *Petrinismus*, a Petro et Jacobo advocatus, seu systema parum a Judaismo differens; *secundam*, in qua *Paulinismus* contra Petrinismum propugnat universalitatem novæ religionis; *tertiam*, in qua, contra communem hostem, nempe Gnosticismum, discipuli Petri et Pauli, antiquis dissensionibus sepositis, amico fœdere junguntur et oppositas doctrinas conciliare nituntur. Ex his *a priori* principiis dijudicatur Evangeliorum antiquitas. Ita priora sunt Evangelia Matthæi et Lucæ, quorum prius Petrinismo favet, posterius autem Paulinismo; posteriora autem sunt Marci et Joannis, quæ sunt tentamina conciliationis inter duo extrema, seu synthesis. — Quod systema, in multis tamen mutatum, propugnarunt : *Ed. Zeller*, *A. Ritschl*, *A. Hilgenfeld*, *Keim*, *Volkmar*, *Holsten*, *Pfleiderer*. Hodie tamen communiter rejicitur, quia infirmo innititur fundamento, cum dissensio inter Petrum et Paulum de re omnino accessoria fuerit; — factisque historicis opponitur, cum hodie constet tria Synoptica Evangelia ante finem primi sæculi scripta fuisse nec in essentialibus differre.

296. (d) Hodie viget *criticismus*, seu systema eorum qui historicæ criticæ inniti contendunt. Omne supernaturale *a priori* explicite aut implicite rejicientes, generatim tanquam spurias aut saltem fide parum dignas respuunt sacrorum librorum partes quæ facta miraculosa referunt : ita, v. g., duo priora *Lucæ* capita tanquam *legendaria* habentur, quippe quæ virginalem conceptionem et nativitatem Christi narrent. — Pariter, cum divinitatem Christi admittere nolint, contendunt doctrinam christianam a primis discipulis *idealisationis processu* immutatam fuisse, et ultimos Evangeliorum *conscriptores* non tam mentem ipsius Christi expressisse quam fidem christianorum circa finem primi sæculi : ita explicatur quomodo Christus, qui homo erat et nunquam se esse Deum affirmavit, paulatim, crescente discipulorum *enthusiasmo*, ut filius Dei, Patri æqualis, agnitus fuerit.

Libenter hypothesim complent quidam rationalistæ, dum supponunt *mythos græcos*, præsertim religiones mysteria colentes, quæ circa ætatem apostolicam florebant, multum hanc idealisationem adjuvasse. Quæ methodus a *R. Reitzenstein* aliosque in Germania incepta, etiam ab *A. Loisy* hodie propugnatur in Gallia.

[1] *Galat.* II, 14.

297. Nos autem contendimus hunc idealisationis processum *parum verisimilem* esse, imo et *factis contrarium.*

(A) *Parum verisimilis est.* Constat : (a) ex convenientia eorum quæ minutim Synoptici referunt de statu physico, politico, morali et religioso Judæorum, cum iis quæ, ex aliis fontibus, de iisdem rebus certo novimus : quod eo magis mirum est quod, an. 70, eversio civitatis Jerusalem maximam perturbationem in omnem Judæam induxit. Ex hac fideli descriptione jam legitime infertur Evangelistas non minus accurate facta et dicta Christi retulisse. (b) Ex *comparatione* Synopticorum cum *Apocryphis :* dum enim in his narrantur stupenda et ridicula prodigia, quæ *deformationem* sat evidenter denotant, in nostris Evangeliis nihil nisi grave, ac Deo dignum refertur.

(c) Ex impossibilitate morali *assignandi tempus* quo hæc *idealisatio* facta est. Num ab ipsis Evangelistis? Minime; nam fidem coævorum depingere non intendunt, sed ea referre quæ Christus vere egit aut dixit, ex prævis testimoniis aut documentis, ut constat ex declaratione Lucæ [1]. — Num a *primis documentorum conscriptoribus?* Id fieri nequivit; tunc enim adhuc superstites erant Christi coævi, oculati testes factorum, auditores Magistri : nonne hi contra veritatis adulterationem reclamassent? Insuper, attenta brevitate temporis inter mortem Christi et scriptionem Evangelionem, idealisatio, quæ generaliter longum requirit spatium, difficillime fieri potuisset.

298. (B) *Immo factis contraria.* (a) Si, ut rationalistæ contendunt, Evangelia, idealisationis processu, ideas sui temporis describere voluissent, clare et explicite divinitatem Christi et vim satisfactoriam ejus mortis exposuissent : tempore enim quo, juxta rationalistas, scripta sunt, an. 60-90, jam communitas christiana hæc dogmata credebat; immo multo antea Paulus, in suis Epistolis, eadem prædicaverat. Atqui Synoptici nonnisi obscure et obiter divinitatem Christi ejusque mortis vim satisfactoriam innuunt, immo, juxta adversarios, nullo modo asserunt. Illum exhibent præsertim ut hominem, ab humanis infirmitatibus, a dolore, anxietate, tristitia et quadam despondentia non immunem [2]. Ergo non fidem christianam describunt qualis suo tempore vigebat, sed, histori-

[1] *Luc.*, I, 1-3.

[2] Id sane animadvertit **A. Jülicher** *, *op. cit.*, p. 204 : " Le Messie qui, dans sa veillée au jardin de Gethsémani, avait l'âme triste jusqu'à la mort, et néanmoins obtint par la prière la force d'aller jusqu'au bout, malgré l'aveuglement de ses disciples, la malice de ses ennemis, et l'agonie d'une mort horrible, ce Messie ne fut pas la création de l'imagination idéalisante d'une classe de croyants : on aurait employé de tout autres couleurs ".

corum more, verba et gesta Christi referunt qualia testimoniis fide dignis nota erant [1].

(b) Multa alia, ut jam dictum est, exponunt Evangelistæ quæ excludunt idealisationis processum. Ita discipulorum mentem circa Messiam ejusque regnum temporale, horum ambitionem, præsumptionem et ignaviam, inobedientiam et incredulitatem sincere et graphice describunt. Si in his omnibus *idealisationem* sedulo vitarunt, cur non in aliis?

(c) Influxus autem religionum orientalium aut græcarum, tam brevi tempore, et in mentes paganismo absolute abhorrentes, impossibilis dicendus est. Cf. quæ infra dicentur n. 384 et seq.

Nisi igitur aperte factis contradicere velimus, concludendum est Evangeliorum historicitatem solido inniti fundamento. Jure igitur meritoque his tanquam documentis historicis uti valemus, præsertim si non unum aut alterum textum solummodo allegamus, sed plura testimonia in unum et idem probandum concordantia.

CAPUT I.

LEGATIO DIVINA CHRISTI EX EJUS PRÆPARATIONE PROBATUR [2].

299. Status quæstionis. (A) Secundum doctrinam catholicam Deus primis humani generis parentibus *Revelationem primævam* commisit, ut et ipsi posteros docerent non tantum religionis naturalis præcipua dogmata et præcepta,

---

[1] Quod quidem argumentum magis perspicuum est quando de *Luca* agitur; ipse enim non tantum *Evangelium*, sed *Actus Apostolorum* scripsit; jamvero inter sermones Christi et sermones Apostolorum quos refert, magnum est discrimen : prior *breviter*, in *parabolis*, posteriores *fusius* et per modum *commentarii* loquuntur. Undenam tale discrimen, nisi ex eo quod scriptor accurate et objective hæc omnia refert, non autem propriam aut coævorum mentem exprimit?

[2] **J. Touzard**, in *R. P. A.*, t. VI, pp. 906-933; t. VII, p. 81-116; 731-750; in *R. C. F.*, t. LVI, p. 513-548; (reproductum in collect. *Science et Religion*, n. 599 "*Comment utiliser l'argument prophétique*"); **Id.**, art. *Peuple Juif*, in *D. A; La Religion d'Israël*, in *Bricout, II;* **Hugueny**, *Crit. et cathol.*, I, c. II; **Alb. Valensin**, *Jésus Christ et l'étude comparée des religions*, 4e Conf.; **J. Nickel**, *La religion d'Israël*, in *Christus;* **A. Condamin**, *La mission surnaturelle des prophètes d'Israël*, *Etudes*, t. 118. (1909) p. 5-32; **Id.**, *Le livre d'Isaïe; le livre de Jérémie;* **Id.**, Art. *Prophétisme israélite*, in *D. A.;* **E. Mangenot**, ap. **Vigouroux**, *Dict. de la Bible*, t. V, p. 705-747.; **Garrigou-Lagrange**, *De Revelat.*, l. II, cap. XII et XIII; **Ed. König***, *Geschichte der Alttestamentlichen Religion*, Gütersloh. 1912; **E. Tobac**, *Les Prophètes*

sed etiam veritates ad ordinem supernaturalem spectantes [1]. Cum hæc Revelatio paulatim obnubilata esset post peccatum originale, Deus populum sibi elegit, qui viam pararet Messiæ, quo lapsus humani generis repararetur. Ad hunc finem assequendum, vocavit *Abraham* (circa 2000 annos ante Christum), eumque eduxit de Ur Chaldæorum ubi idololatria vigebat. Abrahæ ejusque posteris se Deus ut omnipotens, *El-Schaddaï*, manifestavit, eisque, ut signum fœderis inter se et illos, circumcisionem imposuit [2]; hæc revelatio *patriarchalis* vocatur *revelatio.*

Sæculo XV° vel XIII° ante Christum, sese Deus iterum manifestavit [3], clarius et perfectius, *Moysi* scilicet, qui verus populi Israël conditor censendus est. *Revelatio mosaïca* duratura erat usque ad Christum, revelationi christianæ mirifice viam parando. Ad hunc scopum per undecim sæcula, Deus *prophetas* suscitavit, qui gradatim radios divinæ lucis populo electo manifestarent, *prædicando* religionem magis ac magis spiritualem, et *prædicendo* perfectam et universalem religionem, a *Messia* instituendam. Postquam autem hoc duplici modo intellectus humanus ad plenam veritatis manifestationem dispositus, Messias, *Christus Jesus*, jam a sæculis præparatus ac promissus, in terris apparuit, ut thesaurum doctrinæ revelatæ confirmaret, evolveret ac perficeret, eumque ad omnes populos extenderet.

Jamvero hic habemus singularem Providentiæ interven-

---

d'Israël, t. I, 1919; **Hengstenberg***, *Christologie des alten Test.*, anglice *Christology*, 2ª ed., 1854; **Delitzsch***, *Messianische Weissagungen*, anglice *Messianic prophecies*, tr. by *Curtiss.*, 1891; **Knabenbauer**, Comment. in Prophetas : **R. Cornely**, *Introd. specialis in didacticos et propheticos V. T. libros*, Paris, 1887, p. 267-305; **Card. Meignan**, *Les Prophètes d'Israel;* **Id.**, *Le Messie depuis Salomon jusqu'à Daniel*, 1893; **Monsabré**, *Introd. au Dogme*, 11-20e Confér.; **Briggs***, *Messianic Prophecy*, N. York, 1891; **Payne Smith***, *Prophecy a preparation for Christ*, Bampton Lect. for 1869; **Gloag***, *Messianic Prophecies*, 1879; **Green***, *Moses and the Prophets*, New York, 1883; **F. H. Woods***, *The Hope of Israel*, a review of the argument from Prophecy, 1896; *Dublin review*, 1895, p. 322-332; **J. B. Pelt**, *Histoire de l'Anc. Testament*, 3e éd., Paris, 1903, t. II, p. 138 sq.; **E. Laur**, *Die prophetennamen des alten Testamentes*, Fribourg, 1903; **A. B. Davidson***, *Old Test. Prophecy*, Edinburg, 1903; **Abbé de Broglie**, *Questions bibliques*, 1897, p. 244-380, Les Prophètes; **Schanz**, *Christian Apology*, vol. II, c. XI, p. 358; **A. Van Hoonacker**, *Les douze petits prophètes*, Paris, 1908.

[1] *Gen.*, II. — [2] *Gen.*, XII, XV, XVII. — [3] *Ex.*, III, XIX seq.

tum, qui per multa sæcula sese extendens, firmissimum præbet argumentum divinæ Christi missionis : demonstrat siquidem Messiam esse non solum unum e divinis nuntiis, sed etiam *primarium* ac *principalem legatum*, ejusque doctrinam esse ultimum *complementum* ac veluti *apicem* omnium revelationum quæ præcesserunt.

300. Unde scopus hujus capitis est demonstrare Christi divinam legationem a *prophetis* præparatam et prædictam esse; quare pauca de prophetis prænotare oportet.

301. (B) **Prævia de prophetis.** (a) *Hebraice* tribus nominibus designabantur antiqui prophetæ, nempe *rô'éh, hôzéh, nâbi'*. Duo priora idem sonant ac *videns;* ideoque divinus propheta ille est qui *secreta Dei vidit* [1] eaque manifestare potest; *nâbi'*. autem, (interpres), juxta usum loquendi biblicum, designat *Dei interpretem* seu *Dei legatum* [2] qui divinitus *impellitur* ut hominibus divina placita exponat.

(b) *Vera notio. Ex usu loquendi biblico* [3], propheta est *Dei interpres, ab Eoque impulsus, ut divina placita sibi revelata circa res præteritas, præsentes aut futuras ceteris hominibus manifestet.* Ad eum proinde spectat non solum *futura* annuntiare, sed etiam *divinas volitiones* quæcumque sint.

Prophetia igitur *revelationem proprie dictam* supponit, id est supernaturalem alicujus veritatis manifestationem (supra, n. 183), cum *missione* eamdem aliis *communicandi*. Differt proinde ab *inspiratione*, qua scriptor movetur et juvatur ad recte aliis transmittenda quæ sive naturaliter sive supernaturaliter novit : hæc igitur non necessario revelationem supponit. Sæpe tamen utraque consociatur : primum fit *revelatio* prophetæ, ut mentem divinam cognoscat; postea vero subsequitur *inspiratio*, qua movetur ad scribendum pro aliis quidquid per revelationem didicerit.

(C) *Divisio.* Inter prophetas, alii præsertim *factis*, scilicet interventu in vita publica et miraculis, ut Elias et Elisæus; alii vero *scriptis*, quales fuere Amos, Isaias, Jeremias, regnum Dei promoverunt.

[1] *1 Reg.*, IX, 9, 11, 18; *2 Reg.*, XXIV, 11; *Amos*, VII, 14.
[2] *Exod.*, VII, 1, 2; *Jerem.*, I, 4-5.
[3] Et etiam etymologice, ut supra notatum est n. 284.

302. *Thesis :* **Prophetarum prædicatio et prædictiones divinam Christi legationem præparaverunt et vere demonstrant.**

Cum prophetæ fuerint simul *prædicatores* et *prædicentes*, de eorum *prædicatione* et *vaticiniis* successive dicemus. In utroque enim casu *Dei supernaturalis interventus* haud obscure apparet, ideoque thesim demonstrat.

Art. I. De prædicatione prophetarum.

§ I. Factum propheticæ prædicationis exponitur.

303. Generale proponitur argumentum. Per undecim sæcula, prophetæ viam paraverunt christianæ religioni indesinenter prædicando religionem magis et magis spiritualem. (**a**) Doctrinam annuntiaverunt, quæ, etsi non omnibus numeris absoluta, multo perfectior erat ceteris doctrinis tunc temporis ubique terrarum vigentibus. Ita *monotheismum* invicte prædicaverunt, (ab initio quidem, quamvis magis perspicue successu temporum) firmiter asserentes unum esse Deum, supremum omnium Dominum, ab omnibus exclusive colendum, ita ut ceteri dii tanquam nihilum sint coram Eo; eumdem esse non solum omnipotentem, omniscium, sed etiam justum ac bonum; immo aliquando et quasi obiter innuunt eum esse Patrem misericordia plenum, qui libenter pœnitentibus parcat et bonis multiplicia impertiatur beneficia. Hic igitur non solum externis operibus et sacrificiis, sed etiam intimo corde colendus est. — Cum autem Deus sit omnium hominum dominus et pater, eos ut fratres justitia, æquitate et bonitate prosequi debemus; immo pauperes ac miserabiles speciali amore et cura fovere.

(**b**) Intellexerunt tamen prophetæ hanc *idealem perfectionem* neque inter Judæos, neque *a fortiori* inter ceteras gentes in praxim adduci; immo præviderunt eamdem nunquam in Judæa religione adimplendam fore. Quapropter augurati sunt perfectionem religionis formam per *Messiam* instituendam fore, cujus ope justitia, pax et caritas per totum orbem terrarum spargeretur.

304. Evolvitur argumentum. Quod ut melius intelligatur, breviter exponere juvat quæ de his singuli prophetæ prædica-

verint. Dicemus : 1° de prophetis qui *factis* præsertim cultum Dei promoverunt; 2° de iis qui *verbis* et *scriptis* idem præstiterunt.

1° De prophetis qui factis prædicaverunt.

305. (A) Primus inter hos, *Moyses*, liberator et legislator Israelis, indesinenter prædicavit unum esse Deum, *Yahweh* [1] nomine, qui olim apparuit Abraham, Isaac et Jacob, et nunc vult esse liberator et dominus populi Israelitici [2]; Deum fortem, æmulatorem et zelotem, qui non patiatur alienos deos a sua plebe coli; Deum sanctum, cujus nomen ipsum in vanum assumi non debeat; Deum moralibus attributis ita præditum ut nullus deus ei comparari possit; Deum justum iniquitates stricte punientem; Deum bonum, facientem misericordiam his qui diligunt eum et ejus præcepta custodiunt [3]. Hic igitur non solum adorandus et timendus, sed etiam amandus, et quidem ex toto corde et ex tota anima [4]. — Quia vero Deus est omnium hominum Dominus, *proximum diligere* oportet, etiam advenam; speciali autem misericordia digni sunt pupilli et viduæ [5]. — Omnes justitiam et *sanctitatem* colere debent, ut ita imitentur, in quantum fieri potest, divinam sanctitatem [6].

Hæ fuerunt leges præcipuæ quibus tanquam fundamento gens hebraica a Moyse constituta fuit.

306. (B) Mox tamen Israelitæ [7], Chananæorum sensuali cultu allecti, Baal et Astarte simul cum Yahweh colere cœperunt, et vitiis indulgere huic cultui inhærentibus; proptereaque variis calamitatibus castigati sunt. Sed, *Judicum* et prophetissæ *Debboræ* interventu, ad Dominum reversi sunt [8]. Cum vero plures tribus, inter se divisæ, a vero cultu discedere non dubitassent, Deus suscitavit prophetam *Samuel*, cujus ope Israel, dimissis Baalim et Astaroth,

---

[1] *Yahweh* etymologice significat : *qui est* aut *qui alios ad existentiam vocat*, qui esse facit. — [2] *Exod.*, III, 3-15; VI, 2-8.

[3] *Exod.*, XX, 1-7; cfr. *Deut.*, X, 17-19, ubi *Yahweh* ita describitur : " Dominus Deus vester, ipse est Deus deorum, et Dominus dominantium, Deus magnus et potens, et terribilis, qui personam non accipit, nec munera; facit judicium pupillo et viduæ, amat peregrinum, et dat ei victum atque vestitum ".

[4] " Quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, et in tota anima tua? " (*Deut.*, X, 12).

[5] *Exod.*, XXII, 21-24; XXIII, 4-6.

[6] " Sancti estote, quia et ego sanctus sum, Dominus Deus vester. " *Levit.*, XIX, 2.

[7] Cf. **L. Desnoyers**, *Histoire du peuple hébreu des Juges à la captivité*, t. I, La période des Juges, præcipue p. 229-345.

[8] Legatur præsertim carmen Debboræ (*Jud.*, V, 1-32), ubi Yahweh magnifice laudatur tanquam Deus Israel.

ad Deum reductus est; hic enim religionem mosaicam instauravit, eamque tanquam fundamentum novi regni Israelitici posuit [1].

307. (C) Regnantibus *Saul*, *David* (certe regnabat anno 1000) *et Salomon*, cultus divinus secundum ritus præfixos magis regulariter celebratus est; et, ædificato templo Jerusalem, Judæi efficaciùs ab idololatria aversi sunt. Inter prophetas hujus temporis eminet *Nathan*, qui regem David, adulterum et homicidam, nomine Dei corripere non metuit, et ad pœnitentiam adduxit [2]. Hac severa regis correptione justitia et æquitas erga parvulos eloquenter inculcabatur.

308. (D) Attamen, *post schisma Israeliticùm* (circa 933), religiosus cultus mox corruptus est. In regno *Israel*, vitulis aureis Yahweh repræsentari cœptus est, superstitiones pravæ, necromancia, aliaque hujusmodi cultum deturpaverunt. Quare Deus suscitavit prophetas, præsertim *Eliam* et *Elisæum* (IX° sæculo), qui verum cultum restituerent populumque averterent a cultu Baal, dira minitando si populus Deum relinqueret. Prior, in monte Carmeli, prophetas Baal devicit, miraculo patrato ad ostendendum omni populo solum Yahweh esse Deum Abraham et Isaac et Israel, eumque solum adorandum esse [3]. Justitiam pariter promovit, firmiter increpando Achab et Jezabel, qui Naboth injuste occiderant, ut ejus vineam suam facerent [4]. — Posterior magistri opus prædicatione et miraculis etiam complevit [5].

In regno *Judæ*, jam ultimis Salomonis annis, quædam relaxatio populum pervadere cœperat, quæ in annos invaluit; alieni cultus tolerati sunt, et altaria in altis locis erecta.

2° De prophetis qui scriptis prædicaverunt.

Inter prophetas qui *verbis* et *scriptis* antecessorum doctrinam ampliaverunt, et perfectiorem unius Dei cultum promoverunt, necnon justitiam et misericordiam præsertim erga pauperes, — quidam pro regno *Israel*, alii pro regno *Judæ* prophetaverunt.

309. (A) **Pro regno Israel.** (a) *Amos*, pastor Thecue ortus [6], (an. 804-779) primus inter prophetas qui scripta reliquerint, purum monotheismum, quem a patribus acceperat, prædicavit, et præsertim *perfectam Dei justitiam* [7]. Totus est in docendo non sufficere cultum Dei mere externum et ritualem, — sed requiri internam religionem, qua lex divina sedulo custodiatur,

---

[1] *1 Reg.*, VII, 2-15; XII, 6-24. — [2] *2 Reg.*, XII, 1-14.

[3] *3 Reg.*, XVIII, 20-40. — [4] *3 Reg.*, XXI, 1-29. — [5] *4 Reg.*, II-VIII.

[6] Probabilius agitur de Thecue in Judæa; nil enim prohibet quin Judæus pro regno Israel prophetaverit.

[7] **J. Touzard,** *Le livre d'Amos*, Paris, Bloud, 1909, Introd., p. LVI-LXXXI.

æquitas et misericordia erga omnes, præsertim pauperes, foveatur [1]. Prædicit itaque gentes alienas castigandas esse, non quod verum Deum ignorent, sed quod legem moralem sibi notam violaverint [2]; Israelitas autem severius etiam puniendos, quia, etsi verum Deum ejusque mandata cognoscant, ea tamen minime servaverint [3]. — Annuntiat tamen modo utique generali tempora felicissima, in quibus suscitabitur tabernaculum David, et, schismate suppresso, Israel Judæ iterum unietur sub sceptro davidico; ita instaurabitur domus Israel in pace et justitia [4].

(b) *Osee* (789-706), sicut Amos, peccata Israel vivide describit, "mendacium et homicidium et furtum et adulterium" [5], idololatriam quæ fornicationi comparatur, scelera sacerdotum et principum [6]; ideoque istorum criminum castigationem prænuntiat ut *imminentem*, præsertim vero exsilium. Sed modo magis perspicuo instaurationem populi electi, ejusque causam, scilicet *amorem Dei*, declarat : Yahweh, qui puerum Israel diligere non cessavit, misericordia motus, populum suum, immo *sponsam suam* in funiculis Adam, in vinculis caritatis iterum ad se trahet [7], et Israel germinabit sicut lilium, et erit quasi oliva gloria ejus [8].

Regnum Israel anno 722 finem accepit.

310. (B) In regno **Juda,** præcipui prophetæ fuerunt Isaias, Michæas, Jeremias, Sophonias, Habacuc, Ezechiel, Aggæus, Zaccarias et Malachias.

(a) *Isaias*, qui sub quatuor regibus Ozias, Joatham, Achaz et Ezechias prophetavit (755-712), eadem fere in regno Juda reprobat ac Amos in regno Israel. Multi enim Dominum dereliquerant, multo plures cultum mere externum Ei reddebant [9]. Deus autem, quem Propheta exhibet ut *sanctissimum, supremumque Dominum omnia transcendentem* [10], puritatem cordis, justitiam, misericordiam erga pauperes requirit, veramque pœnitentiam, qua mediante peccatorum veniam libenter concedet [11]. Si vero injusti-

[1] *Am.*, V, 4-27. — [2] *Am.*, I, 11-15.

[3] *Am.*, II, 4-8; III-VI. Ita præludit Paulo qui in cap. I-II *ad Rom.*, eamdem doctrinam lucidius exponit. — [4] *Am.*, IX, 11-15.

[5] *Osee*, IV, 2. — [6] *Osee*, IV, 11-19; V, 1-15. — [7] *Osee*, XI, 1-4.

[8] *Osee*, XIV, 5-7. Apud eum tamen de persona Messiæ nulla fit mentio sensu saltem litterali.

[9] "Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum". (*Isai.*, I, 4).

[10] *Isa.*, VI, et alibi passim, ubi plusquam sexagies Deus vocatur *sanctus Israel.*

[11] "Lavamini, mundi estote; auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis; quiescite agere perverse, discite benefacere; quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam. Et venite, et arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur". (*Isa.*, I, 16-18).

tiam foverint, pupillos et viduas oppresserint, dirissimis pœnis castigabuntur [1]. Prænuntiat tamen conversionem *residui Israel* [2] : pauci quidem convertentur, sed hi erunt gens sancta, et Jerusalem iterum fiet centrum veri cultus; ad quod fluent omnes gentes, ibique verum Deum colent, ejusque cultum per universum orbem terrarum spargent [3].

Tunc Israel non æmulabitur Judam, et Judas non pugnabit contra Israel : sub uno rege commilitabunt, et pacifice gentes ad verum Dei cultum trahent. Omnes cantabunt Domino quia magnifice fecit [4]. In hac priori parte præclara de Messia prædicuntur quæ infra exponemus.

In parte altera, a capite XL, Propheta, non coævos suos, sed Judæos, in exilio babylonico lugentes alloquens, quasi inter ipsos viveret, magis perspicue liberationem Israel prænuntiat, religiosamque instaurationem, quam promovebit *servus Domini* [5] : hic Israelem gentesque salvabit [6], non solum doctrina et exemplis, sed etiam dolores nostros ipse portando : " Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus " [7]. Ita Jerusalem, quondam sterilis et repudiata, iterum fit uxor dilecta et fecunda [8]. Ipsis advenis salus offertur : si adhærent Domino et colunt eum, et ipsi in montem sanctum adducentur, eorumque victimæ Deo placebunt [9].

311. (b) *Michææ* doctrina, qui eodem tempore vivebat, valde affinis est Isaiæ prædicationi. Iisdem principiis innixus circa Dei justitiam cultumque internum Ei reddendum, quamvis ea minus diserte exponens, vitia procerum, præsertim *injustitiam et duritiam erga pauperes*, severe reprehendit [10]; simulque humiliationes et vastationem Sion clare prædicit [11]. Attamen non minus perspicue annuntiat conversionem et exaltationem *reliquiarum Israel*, glorificationem novæ Jerusalem, ad quam confluent omnes populi [12]; immo nativitatem Messiæ in Bethlehem ejusque regnum pacificum et gloriosum [13].

312. (c) *Jeremias* (639-586) cujus tempore inventus est *liber Fœderis* seu *Deuteronomium* (circiter 622), ea vitia præcipue carpit

[1] *Isa.*, III, 1-26. — [2] *Isa.*, IV, 2-6; X, 20-23; XXVIII, 5-6.
[3] *Isa.*, II, 2-4; X, 20-26. — [4] *Isa.*, II, XI et XII.
[5] *Isa.*, XL-XLII. — [6] *Isa.*, XLIII-XLIV, 1-5. — [7] *Isa.*, LIII, 5.
[8] *Isa.*, XLIV. — [9] *Isa.*, XLVI. — [10] *Mich.*, II, 1-11; VI, 1-8.
[11] *Mich.*, III, 1-12. Notentur præsertim ultima verba : " Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa silvarum ".
[12] *Mich.*, II, 12-13; IV, 1-13; V, 7-9.
[13] *Mich.*, V, 2-9.

quæ *fœderi* contraria erant. Præterea, cum testis fuerit ultimorum regni Judæ dierum, magis perspicue ineluctabilem ruinam Judæorum prædicit, et quidem ut *proximam* et cum minutis circumstantiis, propter multa flagitia filiorum Israel : "Et percutiam habitatores civitatis hujus, homines et bestiæ pestilentia magna morientur... Dabo Sedeciam, regem Juda, et servos ejus et populum ejus, et qui derelicti sunt in civitate hac a peste et gladio et fame, in manu Nabuchodonosor, regis Babylonis..."[1]. Nec minus clare prænuntiat regni Judaici et decem tribuum instaurationem, fœdusque novum inter Deum et Israel ineundum, propter infinitam Dei misericordiam : "Et in caritate perpetua dilexi te; ideo attraxi te miserans. Rursumque ædificabo te, et ædificaberis virgo Israel"[2]. Sed magis perspicue quam antecessores intelligit et declarat religionem esse non solum sociale fœdus inter Yahweh et Israel, sed etiam *intimam unionem inter Deum et animam cujusque credentis*, ita ut, etiam rupto fœdere sociali, intima hæc unio perseveret. Quod quidem propria experientia edoctus haud obscure perspicit : nam, inter calamitatum vicissitudines quibus tota natio opprimitur, ipse manet amico fœdere Deo unitus. Quare docet etiam peccatum esse aliquid *cuique proprium*, nec a patrum culpis pendere, et nationem non esse peccatricem nisi quia quisque peccavit et dereliquit *fontem aquæ vivæ;* pœnitentia igitur cuique propria esse debet. Exinde etiam via aperitur *universaliori* religioni : hæc enim intima cum Deo unio, in qua religio sita est, non solum Judæis, sed etiam alienigenis competere potest.

313. (d) *Sophonias*, Jeremiæ coævus (circiter 665), hujus prophetæ necnon Isaiæ prophetias confirmans, proximas calamitates et restitutionem Israel prædicit, et in eo præsertim immoratur quod Deus veniam libenter concedit iis qui sunt mansueti et humiles corde[3]. — *Habacuc* qui regnante Manasse, circa 640, floruit, specialiori modo Dei providentiam in gentibus castigandis describit[4].

Regnum Juda, per obsidionem Jerosolymæ annis 598 et 586, finem accepit.

314. (C) **Per exilium.** *Ezechiel* (592-570), inter prophetas *captivitatis* maximus, in terra Chaldæorum, secus flumen Chobar, prope Babylonem, captivos Judæos in fide et spe confirmandi munus accepit. Sicut ceteri prophetæ, calamitates Judæorum tanquam flagitiorum *per multa sæcula coacervatorum* castigationem ostendit. Sed magis perspicue etiam quam Jeremias affirmat peccata esse *cuique propria*, ideoque cuique imputanda, nec justum

[1] *Jerem.*, XXI, 6-7; cfr. II-VI; VIII-IX; XIV-XVI, etc.
[2] *Jerem.*, XXXI, 3-4; integre legantur cap. XXX-XXXIII.
[3] *Sophon.*, II, 3; III, 11. — [4] *Hab.* II, 4-20.

puniri pro impio; peccatorem pœnitentiam agentem salvari, justum vero qui a justitia sese averterit, merito castigari; salutem proinde non tam populis quam individuis præberi [1]. Quia vero Deus benigne pœnitentibus parcet, miserebitur filiis Sion. Symbolo visionis ossium reviviscentium prædicitur resurrectio Israel, et symbolo duorum lignorum adumbratur unio regnorum Israel et Juda sub uno rege [2]. Spiritus Dei corda replebit omnia, mundabitque [3]. Nova instituetur theocratia, novum ædificabitur templum, cujus minuta traditur descriptio, et majestas Domini hoc templum ingrédietur. Novi regni fundamentum erit justitia, necnon antiquarum legum traditionumque custodia.

315. (D) **Finita captivitate** (ab anno 538), tres præsertim prophetæ, *Aggæus*, *Zacharias* et *Malachias* divini cultus instaurationem promoverunt. Duo priores (circa 520) toti sunt in gente judaica in pristinum statum restituenda, atque indesinenter populum revocant ad religionem quam antiqui prophetæ prædicaverant: iis enim persuasum est futurum regnum messianicum cum Judæorum nationali instauratione connecti. Quare cultum internum, obedientiam utpote meliorem quam victimæ sint aut jejunium, justitiam, veritatem, mansuetudinem et misericordiam sæpe commendant. Jerusalem erit centrum veri cultus, et omnes qui reliqui fuerint de universis gentibus, ascendent ab anno in annum ut adorent Regem Dominum exercituum [4].

Malachias autem (circa 432), Esdræ et Nehemiæ coævus, nova peccata denuntians, præsertim sacerdotum qui imperfectas offerunt victimas, et Israelitarum qui matrimonium ineunt cum alienigenis, aliaque vitia moralia [5]; simulque prævidens antiquam legem imparem esse ad ista vitia emendanda, novum rerum ordinem prædicit, novum sacrificium, Messiæ ejusque præcursoris adventum, simulque conversionem partis gentis Judaicæ [6].

316. Etiam deficientibus prophetis, Deus populo auxilium misit, ut conservaretur et cresceret revelatio olim patribus et Moysi facta. *Principes* suscitavit per quos natio judaïca intacta maneret, nempe, post Esdram et Nehemiam, Machabæos (II° sæc.). *Libri*

[1] *Ezech.*, XVIII, ubi hæc, inter alia, notentur (4, 20, 21): "Ecce omnes animæ meæ sunt; ut anima patris, ita et anima filii mea est: anima quæ peccaverit, ipsa morietur... Filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii... Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis... et fecerit judicium et justitiam, vita vivet et non morietur". — Integrum legatur caput.

[2] *Ezech.*, XXXVII. — [3] *Ezech.*, XXVI, 16-38.

[4] *Agg.*, II, 7-10, 12-20; *Zach.*, I, 3-6; VII, 4-14; VIII, 7-23; X; XI, 4-11; XIII, 1-6; XIV, 16-20.

[5] *Mal.*, I, 6-14; II, 1-16. — [6] *Mal.*, III, 1-17.

sacri, speciatim sapientiales, non defuerunt, quibus *Lex* ut norma vitæ consideraretur, et quibus doctrina de *Sapientia divina* traderetur, quæ mentes ad Revelationem Verbi Dei duceret [1].

317. *Conclusio.* Ita, per undecim sæcula, Prophetæ fidem in unum Deum, infinitum, omnipotentem, justum et misericordem, providum et remuneratorem, cultumque vere religiosum, non solum externum, sed etiam *in spiritu et veritate*, simulque justitiam erga omnes, misericordiam erga pauperes et morum puritatem prædicare non destiterunt populo Israelitico, quippe qui, utpote a Deo singulariter electus, ad majorem sanctitatem colendam adstringeretur [2]. Id præstiterunt non obstantibus pravis propensionibus populi Judaici et sæpe procerum et sacerdotum malis exemplis; et quidem tempore quo finitimæ gentes polytheismo et idololatriæ necnon pessimis vitiis indulgebant. Neque omnino incassum laboraverunt. Monotheismus, etsi intus et foris sæpe impugnatus, tandem inter Judæos et Israelitas omnino prævaluit; et cultus unius Dei, quamvis aliquando non satis internus et purus, multo sanctior fuit quam apud ceteras gentes. Morum pariter honestas, justitia et commiseratio, etsi multis vitiis deturpatæ, præsertim

[1] Cf. **J. Lebreton**, *Les origines du dogme de la Trinité*, 4e éd., 1919, p. 110-119; **Hackspill**, *Etude sur le milieu religieux et intellectuel contemporain du nouveau Testament*, *R. B.*, 1901, p. 200-215.

[2] Quod egregie exponit **J. Touzard**, *L'argument prophétique.* in *R. P. A.*, t. VI, p. 917 : "Au point de vue moral : cet idéal de justice intègre dont les prophètes ont été les infatigables prédicateurs; ces réclamations incessantes en faveur des pauvres, à une époque où, pour le commun des hommes, ils comptaient si peu; ces sentiments d'humanité qui proscrivent jusqu'aux cruautés trop souvent regardées alors comme inséparables de la guerre; cette délicatesse qui bannit de la vie intime tout asservissement aux passions grossières, et mille autres revendications semblables. Si nous passons sur le terrain de la vie religieuse, quelle merveilleuse conception du Dieu unique infiniment puissant et maître souverain, mais aussi idéal et principe de toute perfection morale, de toute justice, de toute charité, de toute bonté! Quelle vue sublime de son action dans le monde, de la sagesse avec laquelle il gouverne tout, de la force avec laquelle il sait réaliser tous ses desseins. Et puis, quand il s'agit des rapports de ce Dieu avec le seul peuple qui l'honore ici-bas, le prophète délimite, avec une justesse consommée, le terrain sur lequel Israël peut se prévaloir de ses privilèges : il proclame, avec une vigueur sans pareille, qu'en aucune façon ces faveurs divines ne le dispensent de l'observation des lois fondamentales de la conscience humaine; bien plus, il déclare qu'elles lui créent une obligation plus pressante de réaliser en lui-même l'idéal que Dieu a révélé à l'humanité tout entière".

legali formalismo et quadam duritia cordis, nunquam a terra Israel exsulatæ sunt. Et ita via parabatur perfectiori rerum ordini.

Quem novum ordinem nunquam intermiserunt annuntiare prophetæ, præsertim a temporibus Isaiæ, tanquam complementum et summum apicem antiquæ religionis; ordinem, inquam, magis spiritualem et universalem, in quo genuinus Dei cultus necnon justitia et caritas per totum orbem spargerentur.

§ II. Præfatorum factorum explicatio.

318. 1° **Falsæ explicationes.** *Rationalistæ* et *Protestantes liberales* admittunt quidem prophetas fuisse viros ingenio, sapientia et virtute eximios, qui monotheismum et quamdam morum honestatem apud Israelitas promoverint; autumant vero in eorum prædicatione aut agendi ratione nil supernaturale inveniri. Vates enim apud omnes populos reperiuntur; si Judaici vates præ ceteris extolluntur, id sane tribuendum est peculiari indoli Semitarum inter quos vixerunt atque proprio eorum ingenio : gradatim, propriis viribus, ex ipso conscientiæ testimonio, intellexerunt unum esse Deum, cui cultus in spiritu et veritate reddi debeat [1].

Contra quos statuere intendimus facta non explicari nisi speciali Dei interventu, huncque interventum argumentum esse Christi legationis.

319. 2° **Supernaturalitas factorum.** Naturales vires aut leges psychologicæ impares sunt ad Prophetarum prædicationem explicandam absque revelatione. Etenim :

(**A**) Etsi prophetæ ideas habuerint Semitarum inter quos vivebant, præsertim vero Judæorum, dici nequit eorum prædicationem nihil aliud esse nisi *manifestationem mentis cœvorum*. 1) Haud raro enim doctrinam prædicant *omnino contrariam* concivium præjudiciis, proptereaque persecutiones patiuntur. Ita Amasias, sacerdos Bethel, omnibus

[1] Ita, inter alios, **Kuenen** *, *Hist. critique des livres de l'Anc. Test.*, trad. franç., Paris, 1879, t. II, p. 1-52; **Robertson Smith** *, *The prophets of Israël*, Edinburgh, 1882; **Cornill** *, *Der israelitische Prophetismus*, 1894; **B. Stade** *, *Biblische Theologie des Alten Testaments*, Tubingue, 1905, t. I, pp. 124-126, 131-132, 204-212; **Darmesteter** *, *Les prophètes d'Israel*, Paris, 1895; **J. Réville** *, *Le prophétisme hébreu*, Paris, 1906; **A. Loisy** *, *La religion d'Israël*, 2ª ed., Paris, 1908; **A. Sabatier** *, *Esquisse...*, p. 159.

viribus conatur Amos expellere a terra Israel, quia hujus doctrina populo displicet [1]. Isaias, cujus verba nec a rege nec a populo accipiuntur, per aliquod tempus tacere debet, paucisque tantum discipulis legem exponere [2]. Jeremias percutitur et in nervum mittitur, jubente Phassur sacerdote, quia ejus prophetiæ Judæis non placebant [3]. Uno verbo, prophetæ, nedum suam doctrinam a concivibus mutuentur, toti sunt in contradicendis et corrigendis eorum præjudiciis ac vitiis. 2) Insuper cultum Dei non solum externum et mere ritualem, sed *internum* advocant, justitiam, caritatem, cordis puritatem, eo ipso tempore quo plerique Judæi aut ad idololatriam aut ad cultum mere externum propensi erant. 3) Pariter Israel et Judæ destructionem, Judæorumque longum exsilium annuntiant tempore quo hujusmodi comminationes deridebantur. 4) Immo præcipuum discrimen *inter veros falsosque* prophetas in eo situm est quod hi ea annuntiarent quæ regibus populoque placerent; teste Jeremia, "visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini" [4]. Nec mirum : qui proprio nomine docent, sæpissime nihil aliud quærunt nisi *placentia* dicere [5].

320. (B) Neque dici potest prophetas suam doctrinam *e vatibus et legislatoribus finitimarum gentium deprompsisse.* Non diffitemur enim apud Gentiles haud pauca inveniri vestigia veritatis, immo quasdam veritates minus essentiales disertius propositas fuisse a paucis ethnicis sapientibus quam a Prophetis : neque negamus nonnullas gentes in rebus

[1] *Am.*, VII, 10-17. — [2] *Isa.*, VIII, 15-16. — [3] *Jerem.*, XX, 1-6.

[4] *Jerem.*, XXIII, 16. — De conflictu inter veros falsosque prophetas, cfr. *III Reg.*, XXII, 5-28; *Isa.*, XXVIII, 7; *Mich.*, II, 11; *Jerem.*, V, 13, 14; VIII, 10; XIV, 13-18; XXIII, 9-32; *Ezech.* XIII, 1-16, etc.; quæ loca recenset **Mangenot**, l. c., p. 724-726.

[5] Quod animadvertit **A. Sabatier***, *Esquisse*, p. 155 : "La race en Israël, comme en Moab, chez les Philistins ou les Edomites, eut ses interprètes et ses prophètes. Mais ceux-là ne furent point les prophètes de la conscience. Ils flattaient le peuple, ils ne l'élevaient pas. Ils se sont trouvés n'être que de faux prophètes. Les autres, les témoins du Dieu juste et saint, n'ont amené l'ancien hébraïsme à la conscience de sa vocation religieuse, que par une lutte séculaire et douloureuse contre l'idolâtrie et l'immoralité héréditaire". Quare **Card. Meignan** recte opus suum de prophetis his verbis designat "*Quatre siècles de lutte contre l'idolâtrie*".

temporalibus magis excultas fuisse quam Judæos. Sed si comparatio instituitur modo generali inter paganorum et prophetarum doctrinam, inter *idealem perfectionem* indesinenter a Prophetis propositam, et *leges ethicas* a sapientissimis Gentilibus, v. g., a rege Hammourabi, conditas, nemo est, etiam Rationalistarum, qui non agnoscat multo sane altiorem et nobiliorem esse Prophetarum quam ceterorum sapientiam [1]. Ergo, si inter Judæos, qui minus exculti erant quam Assyrii, Ægyptii, Persæ, etc., codex invenitur morum tam perfectus et fides in veritates tam altas et nobiles, nonne id speciali divinæ Providentiæ interventui tribuendum est? — Ceteroquin, ut æquum feratur judicium, comparatio institui deberet inter Judæos et finitimos populos minus excultos, nempe Chananæos, Ammonitas, Moabitas et Damascenos; quo casu multo evidentius appareret Israeliticæ doctrinæ transcendentia.

Objicitur aliquando *monotheismum* per aliquot tempus saltem *in religione ægyptiaca* et græcos *philosophos floruisse*. — Sed hujusmodi facta cum monotheismo judaico comparari nequeunt. Nunquam, apud Ægyptios, monotheismus purus, proprie dictus viguit [2]; apud Græcos autem monotheismus nonnisi a paucis philosophis fuit acceptus et nunquam ut religio proprie dicta, sed ut quid religioni paganæ superadditum. Ita, ut Plato refert, Socrates, antequam moreretur, Asclepio gallum mactavit [3].

321. (**C**) Vera igitur solutio ea est quam tradunt ipsi prophetæ : aperte et explicite, et quidem non semel, sed sæpe, asserunt se non suam doctrinam, sed doctrinam *divinitus revelatam* exponere.

Ita *Amos*, qui pastor erat, neque propheta neque fllius prophetæ, speciali vocatione ad hoc munus vocatus est modo irresistibili : " Et tulit me Dominus cum sequerer gregem, et dixit Dominus ad me : vade, propheta ad populum meum Israel... Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit? " [4] — *Isaias* pariter a Deo

---

[1] Ita, ut de aliis taceamus, secundum codicem Hammourabi, toleratur prostitutio in ipsis templis. Cfr. **P. Dhorme**, O. P., *La loi morale dans la religion assyro-babylonienne*, in *R. B. A.*, 15 août 1900, p. 735.

[2] " Si haut que s'élève la conception égyptienne de la divinité, elle reste emprisonnée dans le polythéisme ". (**Valensin**, *l. c.*, p. 140) Cf. **Touzard**, Art. *Peuple juif*, col. 1609-1610.

[3] **Touzard**, Art. *Peuple Juif*, *D. A.* col. 1610-1611.

[4] *Am.*, VII, 15; III, 8.

mittitur, ejusque labia calculo mundantur ignito, ut divinam veritatem annuntiare valeat [1]; Spiritus Domini super eum, ita ut sit Dei interpres. — *Jeremias*, jam ab utero vocatus [2], aperte declarat os suum a Domino tactum fuisse suaque verba esse verba Dei : "Et misit Dominus manum suam, et tetigit os meum, et dixit Dominus ad me : "Ecce dedi verba mea in ore tuo" [3]. — Nec aliter *Ezechiel*, super quem manus et spiritus Domini, cui Deus ipse loquitur, et qui in spiritu Domini prophetizat [4]. — Et ita de ceteris.

Atqui testimonium tam unanime et sæpe repetitum virorum qui, non solum verbis, sed exemplis, justitiam et veritatem animis inculcant, et qui aliunde, nedum hallucinationis signa præbuerint, sapienter de rebus tum religiosis tum politicis disseruerunt, — tanquam omnino fide dignum, juxta ipsius criticæ leges, haberi debet.

Nec dicas, cum *W. James*, prophetas proprios conceptus e subconscientia ortos tanquam vocem ipsius numinis interpretatos esse [5]. Nam hæc explicatio aperte aliquibus factis contradicit nempe : (**a**) Aliquando vox Dei propriis prophetæ ideis contradicit. (Sic de Nathan [6], de Isaïa [7], de Jeremia [8]). (**b**) Sunt prophetæ qui primum vocationi suæ restiterunt, et nonnisi inviti munus propheticum acceperunt, ut Amos [9] et Jeremias [10]. (**c**) Explicite prophetæ affirmant, se veram a Deo accepisse revelationem quæ falsis prophetis denegata fuit : habebant igitur criterium certum ut vocem Domini agnoscerent; sæpe affirmationem suam signis et vaticiniis confirmant [11]. (**d**) Prophetia subito cessavit, circa finem V^i^ sæculi; si fuisset phænomenon naturale, certe perseverasset, cum eventus exteriores non defuerint, qui vatum mentes excitare potuissent. Atqui nunquam auctores librorum sapientialium, neque auctores Psalmorum hujus temporis, ad inspirationem propheticam appellant.

---

[1] *Isa.*, VI, 6-10. — [2] *Jerem.*, I, 5. — [3] *Jerem.*, I, 9; cfr. I, 7-8.

[4] *Ezech.*, I, 3; III, 22; XXXIII, 22; XXXVII, 1; XL, 1.

[5] Ita **Loisy** *, *La rel. d'Israël*, p. 172, de prophetis scriptoribus : "Ce sont toujours des visionnaires, qui prennent pour des révélations de Yahvé les idées qui se lèvent dans leur esprit".

[6] *II Reg.*, VII. — [7] *IV Reg.*, XX, 1-5. — [8] *Jer.*, XLII, 7.

[9] *Am.*, III, 8; VII, 14-15. — [10] *Jer.*, XX, 7-9.

[11] *Jer.*, XIV, 13-16; XXIII, 9-40; Cf. **Condamin,** in *Etudes*, t. 118, p. 28-30.

322. (**D**) Prophetarum inspiratio ex eo tandem elucet, quod Prophetæ, dum, alii aliorum inscii, varios regni messianici characteres seorsim ac veluti membratim depingunt, *in unum eumdemque finem conspirant;* quod quidem explicari nequit nisi Deus ipse eorum mentem et scripta direxerit.

Interventus ergo supernaturalis Dei invicte probatur.

323. 3° **Vis probativa factorum quoad Christi legationem.** Religio judaica, per prophetas paulatim prædicata, *imperfecta* tamen remanebat et quasi *fragmentaria; complementum* ergo postulabat. Prophetæ ipsi sentiebant et sciebant nonnisi temporibus messianicis Religionem a Deo revelatam, suam adepturam esse perfectionem. — Complementum autem suum religio prophetica perfectum invenit in doctrina christiana, et quidem in ea sola. Sic (**a**) *paterna Dei misericordia*, quæ aliquando a Prophetis prædicabatur, multum sane temperabatur timore divinæ justitiæ, dum in christiana religione amor est plenitudo legis, et fideles Deum invocant tanquam patrem amantissimum [1]; (**b**) *caritas*, quæ ad inimicos generatim non sese extendebat [2], jam fit universalis et præcipit ut *diligamus inimicos* et *benefaciamus his qui oderunt nos* [3]; (**c**) *patientia in adversis*, ejusque mirabilis *fecunditas* ad sanctificandos homines æternamque retributionem merendam quam nonnisi obiter Prophetæ docuerant, a Christo et a Paulo ita extollitur ut fiat unum e fundamentis christianæ religionis [4]; (**d**) *universalitas* veræ religionis, quam Prophetæ nonnisi obscure innuerant, tanquam propria nota christianismi aperte prædicatur [5]. — Jamvero hæc innovatio non progressiva, sed repentina, luculenter demonstrat eumdem Deum qui multifarie multisque modis patribus olim loquebatur per prophetas, novissime locutum nobis esse per Christum [6], qui legem non solvit, sed adimplevit.

---

[1] *Galat.*, IV, 6; *Rom.*, VIII, 35-39.
[2] *Jer.*, XI, 20-33; XII, 1-4; XX, 11-13.
[3] *Matt.*, V, 43-44.
[4] *Matt.*, V, 5, 10, 11; *Rom.*, VIII, 17, 18; *II Cor.*, IV, 17, etc.
[5] *Matt.*, XXVIII, 19.
[6] *Heb.*, I, 1.

Art. II. De prophetiis quæ legationem Christi annuntiant [1].

324. Status quæstionis. Prophetæ non solum veritates revelatas prædicaverunt, sed etiam futuros eventus prædixerunt. Inter hæc vaticinia, alia referuntur ad ipsos *Judæos et finitimas gentes*, alia autem ad *regnum messianicum*.

(A) De prioribus pauca tantum adnotamus. Certum est quosdam eventus, humanæ sapientiæ impervios, clare fuisse *ante factum* a prophetis annuntiatos, aliquando *præter* aut *contra* humanas conjecturas. Ita, tempore quo florebat Israel nemoque ejus ruinam prævidere poterat, Amos clare prædicit regnum Israel mox destruendum fore ejusque cives in exsilium mittendos [2]. Pariter Isaias destructionem Damasci et Samariæ annuntiat tempore quo hæc duo regna amico fœdere conjuncta Judæam invadere volebant; necnon ipsius regni Judæi ab Assyriis eo præcise instanti quo Achaz fœdus cum eisdem Assyriis inire quærebat [3]. Ita etiam, cum Judæi in exsilium missi jam de instauratione Jerusalem desperarent, Ezechiel resurrectionem populi Israel certo annuntiabat, et Isaias Cyrum Judæorum salvatorem fore prædicebat [4]. — Ex quibus, multisque aliis quæ hic referre supervacuum foret, jam concludere licet prophetas a Deo quasdam saltem revelationes accepisse.

325. (B) Hic autem proprie de *messianicis vaticiniis* agendum est. Inter hæc, alia sensu *litterali*, alia sensu *typico* seu *spirituali* Messiæ applicantur [5]. Jamvero, si, inter Christianos, typicus sensus rite intellectus tanquam veritatis

---

[1] Cf., præter auctores jam citatos, **P. Lagrange,** *Le messianisme dans les Psaumes*, *R. B.*, 1905, p. 39-57, 188-202; *Notes sur les prophéties messianiques des derniers prophètes*, *R. B.*, 1906.

[2] *Amos*, IV, 2-3; V, 27; VII, 7-17. — [3] *Isa.*, VII-IX.

[4] *Ezech.*, XXXVII, 1-14; *Isa.*, XLI, 25-29; XLIV, 24-28; XLV, 1-8. — Contendunt quidem Rationalistæ locum ubi Cyrus designatur non esse prioris Isaiæ, sed posterioris cujusdam prophetæ qui circa finem exsilii vixerit. Quod confutatum vide ap. **Vigouroux,** *D. B.*, t. III, 966-976. Sed ipsi Rationalistæ fateri coguntur posteriorem Isaiam instaurationem Israel, Cyri ope, ante eventum prædixisse.

[5] Sensus *litteralis* seu *historicus* ille est quem verba immediate exprimunt, seu quem auctor, omnibus sedulo perpensis, exprimere voluit. Sensus *typicus* ille est qui non immediate a littera suggeritur, sed solum mediantibus personis aut rebus quæ alias res significant. Ita David et Salomon, qui sensu litterali duos reges Juda designant, *typice* Messiam, cujus erant figura, significant.

argumentum adhiberi potest [1], non ita in re *apologetica*, quando arguimus contra Rationalistas, nisi forte in aliquo casu particulari quando historice demontratur typicum sensum ante eventum fuisse communiter agnitum. Proinde, quo firmius sit argumentum e messianicis prophetiis contra Rationalistas desumptum, expedit ut iis utamur quæ tantummodo *sensu litterali* Christo applicantur. Excluduntur ergo non solum textus qui nonnisi sensu *accommodaticio* [2], sed etiam, saltem generatim, ii qui tantummodo sensu *typico* ad Messiam spectant. — Pariter, si quæ vaticinia sint implexa et obscura, ea prætermittere expedit in re apologetica, ne argumentum his difficultatibus enervetur [3].

Quibus positis, breviter exponemus prædictiones prophetarum, earumque impletionem.

§ I. Prophetiarum expositio.

326. Nonnisi *præcipua* vaticinia referemus, ea nempe quæ bonæ fidei Rationalista rejicere nequeat. Jamvero hæc ad duo capita referuntur : 1° *regnum Dei universale et spirituale ;* 2° *principem hujus regni* seu Messiam.

1° **Vaticinia de regno Dei, seu de universali propagatione monotheismi.** (A) Omnes prophetæ perspicue et certa cum fiducia prædixerunt *monotheismum* quem ipsi prædicabant, apud *omnes gentes prævaliturum esse*, et Deum Abraham, Deum Jacob, Deum Israel tandem aliquando *regnaturum super universam faciem terræ.* Addunt insuper *per Israelem* tale regnum constituendum et propagandum fore. Jerusalem erit centrum veri cultus, ad quod fluent

[1] Et merito quidem ; non enim sine divino interventu factum est ut quædam personæ et res alias personas aut res significarent. Quare, in Evangeliis et Apostolorum Epistolis, multa Christo applicantur quæ de eo nonnisi *typice* scripta fuerant. Ita, ap. *Matt.*, II, 15, 18.

[2] Sensus *accommodatus* seu *accommodaticius* non est verus Scripturæ sensus, ab auctore intentus, sed sensus diversus qui alicui textui adscribitur, propter quamdam analogiam aut consonantiam cum sensu litterali. Ita *Isa.*, LIII, 8 : "*Generationem ejus quis enarrabit*", quod nonnulli de æterna generatione Verbi intelligunt ; *Habac.*, III, 2 : "*In medio duorum animalium innotesceris*", quod Christi nativitati accommodatur.

[3] Ita prophetia *Daniel*, etsi messianica, tot diversis modis intellecta fuit, ut nonnisi post longas disputationes argumentum certum ex ea deduci possit. Cf. **Corluy,** *Spicilegium biblicum*, I, p. 474-514.

omnes gentes, ut legi Domini sese subjiciant; de Sion exibit lex nova quam omnes populi amplectentur; et Jahweh judicabit gentes in æquitate et pace [1]. Immo sacrificium mundum offeretur Deo in universo orbe [2].

Directe poterat quidem Deus ad se trahere gentes [3]; sed elegit Israel ut hic esset lux gentium et novi fœderis propagator [4]. Quare aliquando etiam invitos apostolos mittit ad prædicandam gentibus pœnitentiam et salutem [5].

327. (B) *Naturam* hujus regni pariter describunt. Regnum Dei non consistit in relatione mere externa cum Deo, sed in intima unione, cujus fundamentum sit *amor mutuus*, misericors quidem ex parte Dei, sed pœnitens ex parte peccatoris. Ita Deus exhibetur ut pater qui dilexit Israel, et in vinculis caritatis eum sit attracturus [6], quærens eum et vocans ad conversionem cordis [7]. Israel autem sese avertere debet a via iniquitatis, pœnitentiam agere et ad Deum toto corde redire [8]. Tunc Dominus, populo parcens, eorum maculas absterget, infirmitates sanabit, dabit eis cor novum, mittetque super eos spiritum suum, cujus ope hæc innovatio intimior ac durabilior fiet; et habitabit cum eis, eosque implebit benedictionibus, precibus benignam aurem præbens et in adversis solatium afferens [9]. — A tempore Jeremiæ, hæc unio non est amplius unio inter Deum et populum in genere, sed inter Deum et *cujusque fidelis ani-*

[1] "Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles; et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent: Venite et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob; et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. Et judicabit gentes, et arguet populos multos; et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces. Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium". *Isa.*, II, 2-4; cfr. XVIII, 7; XIX, 23-25; XXIII, 15-18.

[2] *Mal.* I, 11.

[3] *Isa.*, XLI, 18-25. — Cfr. *Mich.*, IV, 4.

[4] "Ego Dominus vocavi te in justitia, et apprehendi manum tuam, et servavi te; et dedi te *in fœdus populi, in lucem gentium*, ut aperires oculos cæcorum". (*Isa.*, XLII, 6-7).

[5] Quod luculenter apparet in libro *Jonæ*.

[6] *Osee*, XI, 1-14; *Isa.*, XXX, 18.

[7] *Osee*, XIV, 2-3. — [8] *Osee*, II, 7; XIV, 3-5.

[9] *Isa.*, IV, 4-6; XXX, 19-22; *Ezech.*, XI, 19-20; XXXVI, 25-27; *Osee*, II, 14-15, XIV, 3-5.

nam, quæ metaphora sponsalium describitur : " Et sponsabo te mihi in sempiternum; et sponsabo te mihi in justitia et judicio, et in misericordia et in miserationibus "[1].

328. 2° **Vaticinia de principe hujus regni seu de Messia.** Supremus hujus regni Princeps est utique Deus ipse[2]; suscitabit tamen pastorem et ducem qui pascat gregem suum, et vices Dei gerat in terris[3]. Jamvero hujus mediatoris, qui *messias* vocatur, *origo*, *dotes* et *munera* a Prophetis describuntur, necnon *modus* quo ejus opus peragetur.

(**A**) *Circa originem Messiæ.* Omnes prophetæ uno ore annuntiant eum e familia David oriundum esse[4]. Speciatim *Michæas* ejus antiquissimam originem, et ipsum *locum* ejus *nativitatis* his verbis designat : " Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda : ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis "[5]. Evidenter hic agitur de magno principe nascituro in Bethlehem Juda, civitate David. Antiqui autem Judæi, qui tempore Christi vivebant, ex hoc loco sine ulla hæsitatione collegerunt Messiam in Bethlehem nasciturum, ut patet ex eorum responso ad Herodem[6]. Nativitas ejus miraculosa a prophetis jam prædicitur[7].

329. (**B**) *Circa ejus dotes.* (**a**) Hic vocabitur *filius Dei*[8], prout vocari solebant reges; cum autem sit rex modo excellentiori, ita et filius Dei erit eminentiori modo quam ceteri reges; immo et ipse *Deus fortis*[9] appellabitur. (**b**) Super eum autem modo superexcellenti requiescet Spi-

---

[1] *Osee*, II, 19.

[2] *Amos*, IX, 8-15; *Isa.*, II, 1-4; IV, 2-6; etc.

[3] *Ezech.*, XXXIV, 23-24; *Isa.*, LV, 3-4.

[4] *Amos*, IX, 11-12; *Os.*, III, 5; *Isa.*, XI, 1; *Jerem.*, XXIII, 5; XXXIII, 14-18; *Ezech.*, XXXIV, 23-24.

[5] *Mich.*, V, 2-3. — Quidam hæc verba *a diebus æternitatis* intelligunt de præexistentia Messiæ apud Deum; *hebraice* autem hic loquendi modus non proprie significat *ab æterno*, sed *a diebus antiquis*.

[6] *Matth.*, II, 1-6.

[7] *Is.*, VII, 14; *Mich.*, V, 1-5. Cf. **Condamin,** *Le livre d'Isaïe*, p. 71-72; **Van Hoonacker,** *La prophétie relative à la naissance d'Immanu-El*, *R. B.*, 1904; **Lagrange,** *La Vierge et Emmanuel*, *R. B.*, 1898.

[8] *Ps.* II, 7. — [9] *Isa.*, IX, 5.

ritus Domini, " Spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis " [1].

330. (**C**) *Circa ejus munera.* (**a**) Messias erit *judex* populi sui, qui judicabit in justitia et æquitate : " Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet; sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ; et percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus " [2]. (**b**) *Rex* erit *spiritualis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis :* " Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis; et factus est principatus super humerum ejus; et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, *Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Multiplicabitur ejus imperium, et *pacis* non erit finis " [3].

(**c**) Hujusmodi regnum *cuique* erit *animæ proprium* et *internum; ideoque* lex nova in cordibus, non in lapideis tabulis, scripta : " Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum " [4]. *Non erit* igitur *mere nationale,* sed ad justos omnium gentium sese extendet [5].

(**d**) *Impugnabitur* quidem regnum Messiæ, sed, Deo juvante, non destruetur sed *in æternum stabit :* " Quare fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus... Qui habitat in cælis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos " [6]. — Tandem, post varia certamina, ultimam victoriam reportabit Messias et, confracto orbe terrarum, omnes populos *judicabit,* justosque gloria et honore coronabit [7].

---

[1] *Isa.*, IX, 2. — [2] *Isa.*, XI, 3-5. — [3] *Isa.*, IX, 6-7; cf. II, 3-4.
[4] *Jerem.*, XXXI, 33.
[5] Vide textus supra allegatos de universali regno Dei, n. 326.
[6] *Ps.*, II, 1-4.
[7] *Isa.*, XXIV-XXVIII. — Hæc pars prophetiarum, quæ dicitur *eschatologica,* multum ampliatur in libris *apocryphis,* præsertim in *libro Henoch;* cfr. **Fr. Martin**, *Le livre d'Henoch,* Paris, Letouzey, 1906; **Lagrange**, *Le Messianisme,* p. 37-115.

331. (**D**) *Modus autem quo Messias suum opus peraget,* in *altera parte Isaiæ* describitur [1]. Ibi, sicut in ceteris prophetiis, prædicitur quidem gloriosus exitus, sed via qua perget ad victoriam consequendam est *via crucis.*

Prænuntiatur enim Messias tanquam *servus Domini,* qui populum suum salvabit non conterendo hostes, sed *humili obedientia, passione* et *morte ignominiosa.*

Passiones hujus servi Dei ejusque mirabiles effectus *Isaias* tam vivide describit, ut hic locus merito vocatus fuerit *passio Jesu Christi secundum Isaiam.* (**a**) Primum *humiliationes* ejus narrantur : " Non est species ei, neque decor; et vidimus eum, et non erat aspectus... despectum, et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem; et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum " [2]. (**b**) Deinde ejus *dolores,* et *causa* eorum, scilicet satisfactio vicaria pro hominibus : " Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit; et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus " [3]. (**c**) Postea ejus *mors* et *sepultura :* " Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum " [4]. (**d**) Tandem ejus *triumphus* et *conversio* multorum : " Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur. In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit " [5].

---

[1] *Isa.,* XLII, 1-4; XLIX, 1-6; L, 1-9; LII, 13-15, et LIII. — Rationalistæ hanc Isaiæ partem ignoto auctori sæculi sexti ante Christum adscribunt : quod etsi argumenti causa concederetur, etiam tum verum maneret prophetiam longe ante eventum editam fuisse. Cf. **Condamin,** *Le livre d'Isaïe,* p. 296 seq., 318 seq; **Reinke,** *Exegesis critica in Isaia cap. 52-53; The fifty-third ch. of Isaiah according to the jewish interpreters,* by **Neubauer, Driver, Pusey,** 2 vol. 1876-77; **Knabenbauer,** *Comment. in Isa.* in h. l.; **Corluy,** *Spicilegium biblicum,* vol. II, p. 84 sq.

[2] *Isa.,* LIII, 2-3; cfr. L, 5-6. — [3] Ibid., 4-6.

Ibid., 7. — [5] Ibid., 10-11.

332. Antiqui rabbini diversimode hæc oracula interpretati sunt, sive de populo Israël, sive de individuo qualicumque, sive de Messia [1]. Hodierni Judæi et Rationalistæ varias fingunt hypotheses ad interpretandum hoc caput de aliquo pio viro V. Test., vel de populo judaico, aut de meliore ejus parte, aut de prophetarum collectione. Quædam ex iis notis conveniunt quidem sanctiori Judæorum parti, quatenus typice Messiam figuranti.

Sed, (a) nulli, sive individuo sive collegio, omnes istæ notæ *simul* conveniunt, cum omnes plus minusve peccaverint, et pro suis non pro aliorum peccatis puniti fuerint, nec ullus pro tota gente passus fuerit, concivesque suos passione sua liberaverit; agitur ergo de persona quæ post prophetam ventura est, individua, perfecte sancta; (b) sensus messianicus probatur triumpho servi Jahweh et collatione Spiritus Domini super eum quiescentis (quæ sunt dotes Messiæ juxta *Isaiam*, XI); (c) textus allegati conferendi sunt cum verbis *Danielis*, IX, 26, et *Zachariæ*, XII, 10, ubi de cæde personæ sacræ agitur [2]; atqui in his locis de temporibus messianicis sermo habetur; nonne igitur prophetia Isaiæ ad eadem tempora referri debet? Quapropter N. Testamenti scriptores pluribus in locis, et universalis christiana Traditio præfata capita de Messia intellexerunt [3].

Ex hoc capite intelligi datur quomodo hæc duo concilientur, nempe Messiam futurum esse regem *potentissimum* et simul omni *passionum* et *humiliationum* generi subjectum; hic enim, in quantum peccata nostra in se suscipit et seipsum ut victimam offert pro eis expiandis, multa mala tolerabit; sed hæc ipsa via est qua perveniet ad gloriam et ad Gentium conversionem, ut ipse rem exposuit: "Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam [4]."

Servi Domini patientiam describunt etiam Psalmi 21 et 68, ubi Messias suos dolores vivide his verbis exponit: "Ego autem sum vermis et non homo; opprobrium hominum et abjectio plebis. Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis et moverunt caput... Foderunt manus meas et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea... Diviserunt sibi vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem [5]... Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto" [6].

---

[1] **P. Lagrange**, *Le Messianisme*, p. 236-251.

[2] Textus, juxta *S. Cyrillum Hieros.* et criticos, legi debet: "Et aspicient in me; quem confixerunt, plangent eum..."; cfr. **Van Hoonacker** in h. loc.; **P. Condamin**, in *R. S. R.*, 1910, p. 52-56.

[3] *Luc.*, XXII, 37; *Marc.*, XV, 28; *Joan.*, XII, 37-38; *Matt.*, VIII, 17; XX, 28; *Act.*, VIII, 28-35; *I Petr.*, II, 22-26 etc.

[4] *Luc.*, XXIV, 26. — [5] *Ps.* XXI, 7-8, 17, 18. — [6] *Ps.* LXVIII, 22.

§ II. Prophetiarum in Christo adimpletio.

333. I. **Exponuntur facta.** 1° Vaticinium *de universali Dei regno per Christum fuisse perfecte impletum* omnes fateri debent. Monotheismus enim inter excultas gentes omnino prævaluit et hodie adhuc floret; nec monotheismus qualiscumque, sed monotheismus qualis a Prophetis prædicatus fuerat [1] : Deus, quem hodie colimus, est Deus Abraham, Deus Jacob et Israel, Deus omnium Creator et Dominus, justus quidem remunerator, sed Pater misericordia plenus, pœnitentibus parcere semper paratus. Cujus cognitio, etsi ratione attingi valet, reapse per Christum et Apostolos, e Judæa stirpe ortos, in universum orbem terrarum propagata fuit, sicut Prophetæ annuntiaverant. — Pariter nonnisi in christiana religione perfecte impleta fuit hæc *intima unio inter Deum et animam* a Prophetis prædicta. Tunc enim regnum Dei advenit, spirituale simul et universale; Judæi ad fidem christianam conversi, et Gentiles ab idolorum cultu sese avertentes, pœnitentiam egerunt, Spiritus Sancti effusionem acceperunt, Deum tanquam Patrem pie coluerunt, fraternam caritatem erga alios, dilectionem inimicorum, sobrietatem, honestatem, justitiam, morumque puritatem, ut infra ostendemus, n. 485 sq.

334. 2° *Vaticinia de Principe regni messianici in Christo impleta fuisse* nemo est qui negare possit. (**A**) Tempore quo maxime fervebat messianica exspectatio, vir apparuit nomine Jesu, qui, e *familia David* ortus, in *Bethlehem Juda* natus est, *de Virgine.*

(**B**) Hic tanquam *Filius Dei*, et quidem modo excellentiori quam Reges et Prophetæ, non solum a discipulis sed etiam a multis Judæis agnitus est, ut infra exponemus, cap. III. — Super eum *requievit Spiritus Domini*, et quidem ita eminenter ut populi sapientiam ejus mirarentur : "Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ eorum et Pharisæi" [2].

---

[1] Ut recte animadvertit **Abbé de Broglie**, *Monothéisme, Hénothéisme, Polythéisme*, Paris, Bloud (Sc. et Rel.), p. 17, monotheismus sex notas includit, "unité exclusive; transcendance par rapport à d'autres êtres; spiritualité; réalité vivante; perfection absolue; puissance créatrice". — [2] *Matt.*, VII, 29.

335. (**C**) *Messiæ munera* exercet : (**a**) *Judex spiritualis æquitatem* et *justitiam* non solum verbis, sed etiam exemplis docuit, pauperes et oppressos sublevans, misericors erga omnes, pœnitentibus peccatoribus et inimicis benigne veniam concedens, omniumque virtutum præbens exemplum, ut infra probabimus, n. 388. seq.

(**b**) *Regnum* quidem *temporale* sibi oblatum rejecit [1], sed regnum *spirituale* instituit [2]; (**c**) regnum *internum*, in quod nonnisi per fidem, sui abnegationem, amorem Dei et proximi quis ingredi valeat [3]; regnum *universale*, non solis Israelitis sed omnibus Gentibus apertum [4]; regnum *pacificum*, non vi et armis, sed prædicatione verbi, virtutum praxi, præsertimque fraterna caritate propagandum [5].

(**d**) Hujusmodi regnum sæpe a potentibus terræ *impugnatum est*, multisque persecutionibus usque in hodiernam diem obnoxium manet; sed, divino fretum auxilio, patientia, mansuetudine et longanimitate omnes hostes superat, atque invictum manet.

336. (**D**) Populum suum *salvavit* non terreno triumpho, sed *humiliationibus* ac *tormentis* patienter toleratis. Ab uno e discipulis proditus, vere vulneratus est propter iniquitates nostras et attritus propter scelera nostra; capite damnatus etsi innocens, sicut ovis ad occisionem ductus est, et in cruce inter duos latrones crucifixus. Deus autem "exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium et infernorum" [6]. Revera a mortuis redivivus, omnia traxit ad seipsum, congregans omnes gentes, et a mari usque ad mare regnans tanquam Rex et Propheta.

337. II. **Vis demonstrativa factorum.** (**A**) Impossibile erat humanis rationibus *monotheismi victoriam* prævidere cum omnibus circumstantiis superius expositis. Quis enim unquam prævidere potuisset paucos Judæos, viribus et animo fractos, ab hoste potenti in exsilium missos, tempo-

[1] *Joan.*, VI, 15. — [2] *Joan.*, XVIII, 36.
[3] *Matt.*, X, 37-39; XXII, 37-40; *Marc.*, VIII, 34-35; *Luc.*, XIV, 26-27.
[4] *Matt.*, XXVIII, 19; *Marc.*, XVI, 15.
[5] *Joan.*, XIII, 35. — [6] *Philip.*, II, 9-10.

ralibus negotiis et voluptatibus sæpe allectos, fautores fore mirabilis innovationis quæ tempore Christi et Apostolorum reapse locum habuit?

338. (B) Dici pariter nequit quæ de *Messia* dicta sunt *humana sagacitate* prævisa esse. Tempore enim quo annuntiata fuerunt, quis unquam sine divino lumine ea prævidere potuisset? Non enim modo obscuro et incerto, sed *perspicue*, aliquando cum *minutis circumstantiis*, et absque ullo errandi formidine, declarantur. Multa ex eis quæ prædicta sunt, exspectationibus et desideriis Judæorum omnino contraria erant, præsertim vaticinium de Messiæ passionibus, de conversione Gentilium eorumque ingressu in regnum Dei. Jamvero hæc omnia, quæ a tot incertis eventibus, immo et a libera voluntate hominum pendebant, prævidere et prænuntiare quinque saltem sæculis ante eventum, vires intellectuales hominis certe superat [1].

339. (C) Hic igitur habemus prophetias proprie dictas Deo soli tribuendas, ad quem semper appellant prophetæ. Ita Deus ipse testimonium reddit divinæ legationi Christi, tot divinis annuntiando vaticiniis eum venturum esse in nomine Domini ad perfectam in terris instaurandam revelationem.

340. Solvuntur difficultates. Contendunt Rationalistæ prophetias messianicas minime impletas fuisse : *felicitatem* enim *temporalem* et *regni Israelitici restitutionem* annuntiabant [2]; jamvero, neutrum evenit.

341. *Resp.* In vaticiniis duo sunt sedulo distinguenda : (a) *præcipuum* et *spirituale* elementum, nempe *moralem et religiosam instaurationem*, quæ ab omnibus prophetis successive

[1] Animadverti etiam potest cum quibusdam Apologetis hæc fortuito non fuisse prædicta et fortuito impleta. Ut enim, cum *Pesch*, (n. 245), rem computatione mathematica probabilitatum illustremus, supponamus viginti eventus fortuito prædici, et probabilitatem contra quemlibet eventum esse 10 contra 1; jam in duobus eventibus simul sumptis erit 100 contra 1, in tribus 1000 contra 1, in viginti 100.000.000.000.000.000.000 contra 1; id est probabilitas est moraliter nulla. Jamvero de Christo plusquam viginti facta aut factorum circumstantiæ, clare prædicta et impleta sunt; ergo nulla est moralis probabilitas eorum adimpletionem fortuitam esse, præsertim si animadvertitur hic agi de re ad salutem spectante, circa quam divina Providentia sedulo nos ab errore tuetur.

[2] *Am.*, IX; 8-15; *Os.*, II, 15, 18, 21-23; *Isa.*, XI, 10-16, etc.

exponitur [1], (b) *secundarium* et *materiale* elementum, videlicet *temporalem prosperitatem Israeli promissam*, quo libentius hic ad opus divinum concurreret. Et sane decebat ut spiritualis triumphus religionis sub figuris menti Judæorum accommodatis depingeretur; immo, quia populus Israel ad hanc instaurationem concurrere debebat, ejus triumphus non poterat non describi. Hoc autem elementum fuisse *secundarium* constat tum ex eo quod in quibusdam vaticiniis, v. g., ubi de servo Domini agitur, penitus desit, — tum ex eo quod aliter et aliter secundum diversos prophetas describitur, — tum ex eo quod manifeste, saltem aliquando, descriptiones materiales poeticæ sunt [2], — tandem ex eo quod ab aliis etiam prophetis excluditur, v. g., quando regnum Dei annuntiatur *universale*, ideoque a civitate Jerusalem aliquando separandum.

Quibus positis, vaticinia messianica in suo præcipuo et *spirituali* elemento *adamussim impleta sunt, et modo quidem supereminente*. Nunquam enim ausi essent Judæi cogitare de Deo ipso homine facto, de tot et tantis gratiis per Redemptionem in Gentes effusis.

Valde inutilis apparet promissionum materialium adimpletio, quando conspicitur quanta gloria accreverit populo israelitico per regnum spirituale Christi in universam terram diffusum.

Hoc intellexerunt Apostoli [3]; hoc perceperunt Judæi et Gentiles bonæ voluntatis, gloriam Dei quærentes potius quam suam. Hæc autem percipere non poterant Pharisæi, Scribæ, aliique, etiam docti, quia *carnales* erant, velamen habentes in oculis suis, diligentes magis tenebras quam lucem [4].

---

[1] *Os.*, II, 14, 15, 17, 19, 20; XIV, 2, 3, 5; *Isa.*, II, 1-4; IV, 2-6; IX, 1, 5, 6; XI, 1-9, etc.

[2] V. g., *Is.* XI, 6-9.

[3] "Quand les apôtres ont vu Jésus prêchant, mourant, ressuscitant, ils ont estimé devant ce don de Dieu, suprême, inespéré, ineffable, que tout ce qu'Israël avait rêvé pâlissait comme une espérance charnelle, étroite, peu digne de Dieu. Ayant vécu avec le Fils de Dieu, ils jugèrent qu'un roi glorieux eût fait auprès de lui petite figure. L'immense effusion de grâce dont ils étaient les instruments leur parut une œuvre divine qui rendait superflus les agrandissements territoriaux d'Israël. Pouvait-on reprocher à Dieu de n'avoir pas tenu sa promesse envers son peuple, quand c'était à lui qu'il confiait d'appeler tous les peuples au véritable salut?" (**J. M. Lagrange**, *Pascal et les prophéties messianiques*, *R. B.*, 1906, p. 550.)

[4] "C'est qu'il faut, pour juger en ces matières, avoir un certain sentiment de ce que Dieu est pour nous et de ce que nous devons être envers lui; il faut pénétrer en quelque façon dans ses pensées ou du moins souhaiter de les connaître pour en inspirer sa vie. Sans un certain sentiment religieux, — quelle que soit la part qu'y prend la grâce — il est inutile d'aborder l'exégèse des prophéties; on n'y trouvera pas de lumières". (*Ib.*, p. 559.)

342. **Conclusio capitis.** Prophetæ igitur a Deo missi sunt ut viam Messiæ pararent. Quod quidem dupliciter præstiterunt : 1) *monotheismum* iterum atque iterum inculcando et cultum divinum promovendo non solum externum, sed etiam in *spiritu et veritate*, ut jam supra probavimus; 2) *veras prædictiones* enuntiando sive de universali *regno Dei* sive de *principe* hujus regni seu de venturo Messia.

Porro quidquid spirituale erat in prophetiis jam impletum est in Christo, ac quotidie impletur in christiana religione. Christus, a prophetis præparatus et prædictus, doctrinas in Vetere Testamento quasi in germine contentas ampliavit et perfecit, simulque vaticinia a Prophetis per plura sæcula edita adimplevit; ideoque *divinus* est *Legatus*, *primarius* ac *principalis*, cujus doctrinam Deus suo interventu approbavit.

Hic autem interventus lucidius apparet ex eo quod *multi* Prophetæ *simul* ad prædictionem futuri messianici regni concurrerunt, et picturam venturi Messiæ successive delineaverunt, quin sæpe unus scire potuerit quod alter describserat; atqui id fieri non potuit nisi omnes ab uno supremo et intelligente artifice directi fuerint, nempe a Deo qui ab initio mundi omnia ordinavit ad Christum.

Christus itaque est vere *legatus* a Deo missus, ejusque religio est vere divina.

CAPUT II.

DIVINA CHRISTI LEGATIO EX EJUS DOCTRINA SUADETUR.

343. **Scopus capitis.** Legatione divina Christi jam *indirecte* probata per prophetias, quæ eam præparant et annuntiant, *directam* demonstrationem incipimus. Principalis quidem probatio ex *historia* desumitur : sed huic *via paratur* argumento *interno*, ex ipsa Christi doctrina desumpto.

Alii quidem auctores aliter procedunt et hanc excellentiam exponunt ubi de mirabili Ecclesiæ vita agunt [1]; alii autem primum

---

[1] Cf. **P. Garrigou-Lagrange**, *De Revelatione*, l. II, sect. II; **G. Brunhes**, *Christianisme et catholicisme*, l. II, ch. III.

de persona Christi loquuntur posteaque de excellentia ejus doctrinæ. Quia vero putamus multos coævos historicam investigationem instituere nolle, nisi prius intelligant doctrinam Christi, nedum repugnet, nobilissimis aspirationibus hominis respondere, argumentum internum prius proponimus : remotis enim præjudiciis quæ in mentibus multorum existunt, melius apprehendetur vis argumentorum quæ ex historia desumuntur [1].

Animadvertimus tamen hoc argumentum *per se* solum nonnisi *magnam probabilitatem* afferre.

344. Vis ejus *persuasiva* ex iis fluit quæ jam exposuimus n. 243-244. Doctrina siquidem quæ non solum non contradicit rationi aut bonis moribus, sed ita in suis dogmatibus et præceptis excellens et transcendens apparet, ut naturali evolutione rationis humanæ explicari nequeat, merito habetur, saltem valde probabiliter, tanquam *miraculum ordinis moralis et intellectualis* soli Deo tribuendum.

Ut logice procedamus, duo ostendemus : 1° Christum vere *doctrinam aliquam docuisse;* 2° hanc doctrinam tam *excellentem* esse ut *soli Deo* tribuenda sit.

Art. I. Christus doctrinam prædicavit [2].

345. Status quæstionis. *Protestantes liberales* et *Modernistæ* contendunt nihil Christum proprie docuisse, sed solum *vivendi formam* nobis reliquisse [3]; dogma autem christianum paulatim, per interpretationem factorum religiosorum formatum esse. Hæc opinio concordat cum eorum falsa de Revelatione et de Jesu Messia opinione (supra, nn. 187, 196; infra, n. 409). Contra quos sit sequens

Thesis : **Christus vere doctrinam proprie dictam docuit,** *id est,* **summam veritatum dogmaticarum et**

[1] Ita methodum sequimur quam *Pascal* proponit, n. 64, nota.

[2] **S. Harent**, *S. J.*, *Expérience et foi*, *Etudes*, 1908, t. 115, p. 170-174; **de Grandmaison**, *Le développement du dogme chrétien*, 3e Partie, § I, La notion du dépôt révélé, in *R. P. A.*, 1908, t. VI, p. 414-418; **L. Vénard**, *L'Eglise enseignante : La règle de foi d'après le Nouveau Testament*, *R. C. F.*, 1909, t. 60, p. 387-405; 1910, t. 61, p. 5-17.

[3] " Jesus Christus hat Keine neue Lehre gebracht, sondern er hat ein heiliges Leben mit Gott und vo Gott in seiner Person vorgestellt... " **Harnack** *, Dogmengeschichte, 2a ed., I, p. 39. Cf. **A. Sabatier** *, *Esquisse...*, p. 193; *Decretum* " *Lamentabili* ", prop. 59, **D. B.**, 2059.

moralium ab omnibus credendam. *Historice certum est, theologice de fide.* [1]

Non asserimus quidem Christum apostolos docuisse *symbolum proprie dictum*, methodice et logico ordine omnes complectens christianas veritates : doctrinam enim suam modo *concreto, practico* et *successivo*, prout se dabat occasio, discipulis suis proposuit, sæpe sub forma factorum et parabolarum menti auditorum magis accommodata. Attamen, quando simul conferuntur varia Domini verba, invenitur *corpus doctrinæ* quod sequentibus sæculis Ecclesia, sive ad confutandas hæreses, sive ad lucidius exponendas veritates, modo *synthetico* et sub forma *symbolorum* aut *definitionum* ordinavit atque proposuit.

346. Probatur. (**A**) Ex evangeliis *synopticis* constat Christum in memoriam revocasse dogmata et præcipua præcepta olim a Moyse et Prophetis proposita, ea quæ *Judæis* et *proselytis* exponebantur, præsertim : *unicitatem Dei*, ab omnibus amandi, et adorandi, ejus præcipua attributa, cultum non solum externum sed et internum ei reddendum; et insuper proposuisse doctrinam de Deo, omnium et singulorum Patre et de filiali erga eum amore, de Deo trino, nempe Patre et Filio et Spiritu Sancto, de fraterna caritate erga omnes etiam gentiles et inimicos; de novissimis, de animæ immortalitate æternaque retributione bonis et malis largienda. Cf. n. 349.

Quapropter populus judaicus, qui scribas et magistros vocabat *rabbi*, quia doctrinam transmittebant, eodem nomine vocant Christum [2]. A judæis tamen magistris differt eo quod docet "*sicut potestatem habens*" [3].

Tanquam magister, *doctrinam habet*, quam Legi opponit [4], aut potius falsis interpretationibus Pharisæorum et Sadducæorum [5]. Doctrinam suam prædicat, imponitque sub

[1] Constat ex textibus mox allegandis, necnon e variis Symbolis et Conciliis quæ Christi doctrinam definierunt. Cfr. Decret. *Lamentabili*, D. B., 2022, 2027, 2031, 2038 et præsertim 2059.

[2] *Matt.*, VIII, 19; XII, 38, etc.; X, 24-25; XXIII, 8-10.

[3] *Matt.*, VII, 29; *Marc.*, I, 22; *Luc.*, IV, 32.

[4] *Matt.*, V. "Et ego dico vobis..."

[5] *Matt.*, XVI, 12.

damnationis pœna [1]. Doctrina hujusmodi est secretum, quod a Patre solum *revelatur* [2]. Hanc apostolis annuntiandam tradit [3].

Sic Christus apparet ut nuntius doctrinæ, in nomine Dei allatæ, ad salutem necessariæ : uno verbo, Christus doctrinam proprie dictam, i. e., dogma a Deo revelatum et hominibus impositum, docuit.

347. (**B**) *Ex Evangelio S. Joannis* multo magis apparet hæc conclusio. Ibi enim Jesus exhibetur ut *Lux mundi* [4], ut *Veritas* ipsa [5], et docens quæ videt et apud Patrem didicit [6], et quidem in *nomine Patris* [7]. Spiritus Sanctus suggeret discipulis quidquid a Christo audierint [8]. Credere autem verbo Christi *absolute necessarium* est ad vitam percipiendam æternam [9].

In quarto ergo evangelio, ut ipsi fatentur rationalistæ, fides est adhæsio intellectualis in aliquam veritatem, a Deo venientem et a Christo, ejus legato, manifestatam [10].

348. (**C**) *Ex Actibus Apostolorum et Epistolis* constat quomodo auditores Christi verba ejus intellexerint. Doctrina christiana hic apparet velut *corpus dogmaticum*, quod acceptum, sine ulla mutatione tradere oportet [11], quod contra impugnantes defendendum est [12]. Specialiter in *Epistolis Pastoralibus*, Paulus doctrinam quam in nomine Christi prædicat, crescentibus jam erroribus, ut *depositum* designat sedulo custodiendum [13]. Idem in cæteris epistolis apostolorum [14].

---

[1] *Luc.*, IX, 26. — [2] *Marc.*, IV, 11; *Matt.*, XI, 27; *Luc.*, X, 21.

[3] *Luc.*, X, 16; *Matt.*, XXVIII, 19-20; *Marc.*, XVI, 15-16; *Luc.*, XXIV, 44.

[4] VIII, 12; IX, 5; XII, 35, 36, 46.

[5] XIV, 6. — [6] III, 13; VIII, 40.

[7] VII, 16; XIV, 24; VIII, 29; XII, 49-50; XIV, 10.

[8] XIV, 26; XVI, 12-14.

[9] VIII, 24; V, 24; VI, 40-47; XVII, 3; XII, 48.

[10] Sic **Loisy***, *Le quatrième évangile*, p. 111. " La foi johannique est une connaissance, même une connaissance parfaite, qui est fondée sur un témoignage divin ".

[11] *Gal.*, I, 8, 9; *Rom.*, XVI, 17; *Eph.*, IV, 14; *Col.*, II, 6-8.

[12] *Act.*, XX, 30, 31.

[13] I *Tim.*, I, 3; IV, 6, 16; VI, 3, 4, 20; *Tit.*, III, 9, 10; I, 9, 14; II, 1; II *Tim.*, I, 13, 14; II, 8, 14; III, 14 etc.

[14] *Jud.*, 3; I *Joann.*, II, 20-29; IV, 2, 6; II *Joann.*, 9-12; *Apoc.*, II, 14, 15, 20.

Omnia ergo Novi Testamenti documenta luculenter ostendunt Christum vere corpus doctrinæ docuisse.

349. Corollarium. Doctrina christiano-catholica est substantialiter doctrina Christi ipsius[1]. Non intendimus hic demonstrare singula dogmata quæ hodie Ecclesia docet a Christo enuntiata esse : hæc enim probatio ad theologiam proprie dictam pertinet. Sed solummodo pro præcipuis dogmatibus catholicis paucos allegamus textus ex quibus *prima facie* appareat doctrinam christianam, cujus excellentiam ostendimus in articulo sequenti, vere esse doctrinam Christi.

Christus enim docuit : 1) Deum unum, creatorem omnium, providentem, Patrem hominum, supremum judicem[2]; 2) suam cum Patre æqualitatem[3]; 3) divinitatem Spiritus Sancti[4]; 4) Redemptionem hominis per Christum[5]; 5) gratiam habitualem, quæ describitur ut inhabitatio intima Dei in cordibus[6]; 6) necessitatem simul et efficaciam orationis[7]; 7) existentiam Sacramentorum, specialiter Baptismi[8], Eucharistiæ et Ordinis[9], Pœnitentiæ[10]; 8) necessitatem virtutum, bonorum operum et abnegationis ad salutem consequendam[11]; 9) existentiam consiliorum evangelicorum[12]; 10) institutionem Ecclesiæ ad fidem Christi conservandam[13]; 11) vitam æternam pro justis, inextinguibilem infernum pro peccatoribus[14], consummationem sæculi[15] et resurrectionem mortuorum[16].

Aliis verbis docuit summam veritatum quæ ab Ecclesia catholica proponuntur. — Quod ex tota expositione theologiæ lucidius apparebit.

---

[1] *Cf.* **Garrigou-Lagrange**, *De revelatione*, l. II, c. IV.

[2] *Marc.*, XII, 29, 32; XIII, 19; *Matt.*, VI, 26, 30, 32; XX, 23 etc.

[3] *Matt.*, XI, 27; *Luc.*, X, 22; *Matt.* XVI, 17; XXVI, 6, 4; *Joann.*, V, 19-28; VIII, 42-58; XIV, 10; XVII, 21.

[4] *Matt.*, X, 19-20; *Luc.*, XII, 12; *Matt.* XXVIII, 19; *Luc.*, XXIV, 49; *Joan.*, XIV, 16, 17, 26; XV, 26; XVI, 13-15.

[5] *Matt.*, XX, 28; *Marc.* X, 45; *Joan.*, X, 10-18; III, 16; XII, 24-33.

[6] *Joan.*, XIV, 23

[7] *Luc.*, XVIII, 1; *Matt.*, XXI, 22; XVIII, 19-20.

[8] *Matt.*, XXVIII, 19; *Joan.*, III, 3-5.

[9] *Luc.*, XXII, 19-20; *Joan.*, VI, 50-55; *I Cor.*, XI, 23-25.

[10] *Joan.*, XX, 22-23; *Matt.*, XVIII, 18.

[11] *Matt.*, V, 48; VII, 21; X, 32; XVI, 24-26. Imprimis autem *charitas* jubetur : *Joan.*, XIII, 34; XV, 12-17.

[12] *Matt.*, XIX, 12, 21, 29.

[13] Cf. *Tract. de Ecclesia*, cap. II.

[14] *Matt.*, XXV, 46; XIII, 43; XXV, 34; *Joan.*, XVII, 24. — *Matt.*, XXV, 46; XIII, 42, 50; *Marc.*, IX, 44-45.

[15] *Matt.*, XXIV, 23-31; *Marc.*, XIII, 21-27; *Luc.*, XXI- 25-27.

[16] *Joan.*, VI, 52-59; V, 29.

Objiciunt aliquando Protestantes fidem, quam Apostoli a primis catechumenis postulabant [1], quam ipse Christus exigebat [2], nihil aliud fuisse nisi adhæsionem personæ Jesu. Non attendunt autem id quod infra probabitur, nempe maximam inter dogmata christiana esse cohæsionem, et omnia dogmata a Christo tradita in adhæsione suæ personæ inclusa esse : credere enim in Christum est eo ipso credere in omnia quæ proposuit dogmata et præcepta [3].

Art. II. De Excellentia doctrinæ christianæ [4]

350. Doctrinam christianam exponemus qualis in Ecclesia catholica proponitur, quia, ut nuper demonstratum est, doctrina catholica substantialiter est doctrina Christi, et quia doctrinæ catholicæ et non alius originem divinam ultimo vindicare volumus. Protestantes siquidem hodierni vix de aliqua doctrina certa inter se consentiunt; et increduli quos ad fidem adducere conamur, optime norunt veram Christi doctrinam nonnisi in Ecclesia catholica quærendam esse.

Argumentum generale sic exponi potest [5] : doctrina christiano-catholica *in se* spectata non solum nihil absurdi aut noxii præ se fert, sed etiam legitimis altiorum facultatum aspirationibus et exigentiis apprime respondet; atqui doctrina religiosa tam excellens, attenta humani ingenii infirmitate necnon divina Providentia, suprahumana seu supernaturalis merito dicitur. Ergo doctrina christiano-catholica merito dicitur supernaturalis.

---

[1] *Act.*, II, 38; VIII, 37. — [2] *Matt.*, IX, 28; *Luc.*, VII, 47-50.

[3] " Croire au Christ., c'est... tout à la fois croire à sa mission et à sa filiation divines, accepter son enseignement sur Dieu, sur l'homme, sur les conditions du salut, se confier enfin à ses promesses de vie glorieuse, à la vertu rédemptrice de sa mort et à l'action présente de son Esprit dans les fidèles justifiés ". **Vénard**, *R. C. F.* t. 61, p. 12.

[4] **Garrigou-Lagrange**, *De revelatione*, l. II, c. VIII; **de Poulpiquet**, *L'objet intégral de l'apologétique*, 2e partie, Apologétique interne. p. 285-465; **Valsecchi**, op. cit., lib. II, c. VIII-XII; **Lacordaire**, Confér., 14-37; **Brugère**, n. 48 sq.; **Knoll**, *Institut. theol. dogmaticæ gener.*, § 123-126; **David**, *de Ecclesia Christi*, n. 20 sq.; **Monsabré**, *Carême*, 1890; **Abbé de Broglie**, *Histoire des Religions*, ch. X, p. 326 sq.; **Ottiger**, p. 607; **A. Eymieu**, *Deux arguments pour le catholicisme*, Paris, 1923; **Abbé de Tourville**, *Lumière et vie*, Paris, 1924.

[5] Syllogismo hic et alibi utimur ut statim discipuli vim percipiant argumenti; in concionibus autem non expedit sub syllogistica forma arguere, sed melius est vivide nobilissimas hominis aspirationes describere, simulque ostendere quomodo doctrina catholica cum eisdem conveniat : conclusio veluti sponte sua facile ex hac expositione eruetur.

Hoc argumentum est velut complementum sive argumenti psychologici de necessitate alicujus religionis, sive argumenti de necessitate alicujus revelationis. Probat scilicet, si recte intelligitur, christianismum esse illam religionem, illam revelationem ad quam, quamquam obscure, et inefficaciter et indebite, tendit mens humana nobilissimis aspirationibus aperta.

In duplici thesi ostendemus doctrinam catholicam esse *excellentem* et *supernaturalem.*

§ I. Exponitur doctrinæ christiano-catholicæ excellentia.

351. *Thesis :* **Christiano-catholica doctrina omnino est excellens, seu altiorum hominis falcultatum aspirationibus apprime respondet.**

Declaratur. Jam diximus (n. 149) homini inesse nobilissimas aspirationes, scilicet ad verum detegendum, ad bonum honestum faciendum : quæ quidem omnino legitimæ sunt, quia ex ipsa natura rationali hominis oriuntur, et eo vividius percipiuntur quo quisque magis secundum rationem rectam vivere nititur. De his solis hic agitur, non de inordinatis aspirationibus mentis nostræ quæ nonnisi perversam naturam ostendunt. Affirmamus has legitimas aspirationes naturæ humanæ apprime satiari doctrina christiana, non negatis tamen difficultatibus quæ ex mysteriis et præceptis eruuntur.

352. Probatur per partes.

I. **Doctrina christiano-catholica legitimis intellectus humani aspirationibus optime respondet.** Etenim *intellectus humanus anxius quærit doctrinam :*

1) *completam*, de origine mundi, de existentia et natura Entis supremi, de hominis origine et natura, de fine ultimo et de mediis ad illud attingendum necessariis;

2) *nulli certæ veritati adversam*, etiam in ordine scientifico, quia veritas veritati contradicere nequit;

3) *harmonice unam*, i. e., cujus partes inter se coordinentur;

4) *omnium ingenio accommodatam*, quia omnes rationis usum habentes, religionem profiteri tenentur.

Atqui *doctrina christiano-catholica his aspirationibus intellectus humani respondet.* Præbet enim doctrinam :

353. 1° **completam;** omnia enim problemata solvit quæ menti occurrunt circa *primam* omnium *causam*, *originem mundi*, *naturam* et *ultimum hominis finem.* **A**) Docet siquidem *Supremam omnium causam esse Deum*, unum, verum ac vivum, "*creatorem* cæli et terræ, omnipotentem, æternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum" [1]; a mundo re et essentia distinctum, in se et ex se beatissimum; sicque confirmat et dilucidius exponit ea quæ de unitate divinæ naturæ recta ratio tradit. Sed insuper aliud dogma docet, *trinitatem personarum*, quod, licet rationi impervium, rationabiliter tamen exponit quomodo Deus *ad intra vivat*, et ad beatitudinem sibi sufficiat.

354. **B**) *Originem mundi*, ejusque *finem* necnon *media*, quibus ad finem dirigitur, non minus dilucide exponit : mundus siquidem, *a Deo* creatus, *ad Deum* tendit, per *divinam Providentiam.*

"Hic solus verus Deus, bonitate sua et omnipotenti virtute, non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona quæ creaturis impertitur, liberrimo consilio, simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit naturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. Universa vero quæ condidit Deus, providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter" [2].

Hisce paucis lineis plura manifestantur quam sapientissimi philosophi unquam invenire potuerant, cum nullus sit ante Christum qui certo docuerit *creationis dogma*, quod hodie tamen ut philosophiæ spiritualistæ fundamentum habetur; quis pariter ante eum tam apte descripserat *paternam Dei providentiam?* [3]

---

[1] Ita **Vaticanum** Concilium (sess. III, cap. I, **D. B.**, 1782-1784), doctrinam christianam de Deo exponens, prout accipitur non solum a Catholicis, sed etiam ab omnibus qui christiano nomine gloriantur.

[2] **Vaticanum,** l. cit.

[3] Cfr. *Matth.*, VI, 25-34.

355. **C**) *Origo et natura hominis* pariter apposite describuntur, simulque ejus *aspirationes* satiantur. (**a**) Omnes siquidem ex communi parente, a Deo creato, originem accepimus, et corpore simul et anima constituimur; anima nostra spiritualis, libera et immortalis est; in se quidem diversos, imo contrarios motus experitur, ex una parte quidem ascensiones ad quidquid boni, veri et pulchri est, ex altera autem ad malum vehementes propensiones. (**b**) Fide autem scimus hominem non fuisse primitus in hoc miserabili statu conditum, sed ad Dei imaginem et similitudinem creatum, divinæ consortem fuisse naturæ; a quo tamen nobiliori statu propria culpa excidit; et ita melius explicatur *origo mali* et hujus vitæ miseriarum. (**c**) Ne autem in desperationem veniamus, Filius Dei homo factus est, ut nos a servitute peccati redimeret, mediaque nobis præberet quibus peccata nostra expiare, vitam honestam piamque ducere, imo et deiformem, sicque finem nostrum attingere valeamus. Ita apparet quomodo justitia cum misericordia conciliata fuerit, quomodo peccatores de delictis suis vere pœnitentes, et cum Christo satisfacientes, per Ipsum justificari valeant. (**d**) Iterum cor hominis Deo uniri appetit; quod quidem desiderium optime per Incarnationem completur; ibi enim Deus nobis fit propior, imo unus ex nostris, in medio nostri manet per Eucharistiam, ita ut illi tanquam fratri et amico dilecto uniri valeamus [1], ejusque divinæ vitæ consortes fieri.

356. **D**) *Finis noster ultimus* est assimilatio quædam cum Deo : "*similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*" [2]; et ita explicatur illa in infinitum tendentia quam in nobis experimur. (**a**) Vita justorum in *æterna Dei possessione* consistit, dum mali, qui obstinate sese a Deo averterunt, *ab Eo æternaliter separati* manebunt. Quæ quidem præmiorum et pœnarum æternitas malos merito conturbat, et justos etiam servat timoratos, sed simul hos fiducia in Deum pacatos in spem erigit æternæ illius beatitudinis ad quam ardenter suspiramus, et simul societatis pacem et ordinem efficaciter promovet. (**b**) Quod additur de *corporis*

[1] Quod egregie exponit **Brugère**, p. 116-117. — [2] *I Joan.*, III, 2.

resurrectione, si recte intelligatur, rectæ rationi non contradicit, sed potius apte congruit, cum æquum sit ut corpus, quod bonorum operum aliquo modo particeps fuit, suam mercedem pariter obtineat. (c) Via tandem ad Deum tendendi est Christus ipse, qui sua doctrina intellectum illuminat, suis exemplis ad perfectiora nos trahit, suaque gratia virtutum praxim faciliorem reddit. Nil igitur ignoramus eorum quæ nostri scire interest [1].

357. 2° **Nulli certæ veritati adversam.** Supra notavimus nullum esse philosophum, extra christianam religionem, qui in pessimos errores non inciderit; Christianismo autem nullus error ascribi potuit : æternitatem materiæ, dualismum, polytheismum, pantheismum, fatalismum aliosque errores sedulo respuit. Si quæ autem absurda nonnunquam ei imputantur, id oritur ex falsa ejus dogmatum interpretatione, ut in decursu hujus operis fusius declarabitur.

Sic impugnatur *Trinitas*, quasi Deus trinus et unus *sub eodem respectu* prædicaretur, dum revera dicitur unus quidem ratione naturæ, et trinus sub altero respectu, scil. personarum. *Peccatum originale* quasi actus voluntarius peccati existimatur, dum nihil aliud est nisi habituale peccatum a posteris Adæ non commissum sed contractum, quo privantur non bonis naturalibus sed supernaturalibus et indebitis. *Incarnatio* exhibetur ut mixtio et confusio divinæ et humanæ naturæ, dum revera est solum unio utriusque, inconfusæ simul et impermixtæ, in una eademque persona; *Redemptio* exponitur quasi per eam homo, absque cordis mutatione veraque pœnitentia, justificaretur, dum e contra cum Christo pati et pœnitentiam agere debemus, si cum eo glorificari velimus. Et sic de ceteris, ita ut cum *Vaticano* dicere valeamus : " Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiæ intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur " [2].

---

[1] Quod ipsi Rationalistæ haud raro confiteri non dubitarunt; ita **Jouffroy***, qui *catechismum* extollit super omnes libros atque candide fatetur omnes quæstiones de origine ac fine humani generis, necnon de mediis ad finem attingendum necessariis, de quibus ipse dubitans disputaverat, in illo opusculo luculenter esse solutas. Integer legatur locus in *Mélanges Philosophiques, Du Problème de la destinée humaine*, 1830, p. 330. Cf. **Guizot***, *Méditations*, vol. I, med. 2.

[2] *Vaticanum*, sess. III, cap. 4 de Fide et ratione, **D. B.**, 1795-1800. Quod libenter agnoverunt nonnulli rationalistæ, v. g., **W. H. Mallock***, *Is life worth living*, New York, 1879, c. XI, ubi agnoscit in religione christiana inve-

358. 3° **Harmonice unam.** In religione christiana maxima elucet unitas; siquidem (**a**) omnia dogmata ita inter se connectuntur ut unum ex altero fluat, nec unum negari possit quin alia labefactentur. Ita *SS. Trinitas* exhibetur ut *fons divinæ vitæ; Incarnatio* est *medium* quo hæc eadem vita hominibus communicatur; *gratia* nihil aliud est nisi *vita deiformis* qualis in homine, mediante Christo, existit; *sacramenta* sunt canales quibus vita divina in animas fluit; *gloria* tandem est vita divina in nobis consummata. (**b**) Præterea omnia dogmata in Christo Redemptore recapitulantur; Redemptio enim supponit *SS. Trinitatis* mysterium : *Pater* siquidem ita dilexit mundum ut *Filium* suum unigenitum daret, ad homines redimendos; Filius autem, opere suo peracto, *Spiritum Sanctum* misit, cujus virtute cuique Fidelium merita Christi applicantur; importat etiam *originale peccatum*, ad quod reparandum intenditur, proindeque elevationem hominis ad statum supernaturalem. Ex Redemptione autem cetera dogmata fluunt : *justificatio*, qua redemptionis fructus peccatori applicantur; *sacramenta*, quibus gratiæ, quas Christus meruit, dispensantur; *glorificatio* tum corporis tum animæ, ad quam ultimo tendit redemptio. (**c**) Imo ipsa *præcepta*, quæ infra exponemus, *ex dogmatibus logice fluunt :* omnia enim ad amorem Dei proximique reducuntur; atqui uterque amor ex contemplatione infinitæ perfectionis quæ in SS. Trinitate elucet, necnon beneficiorum quæ per Redemptionem nobis contulit sponte sua nascitur [1]. Ergo doctrina christiana maxima gaudet unitate; quod quidem eo magis mirandum est quod nullum sit philosophicum systema sibi in omnibus plane consistens.

359. 4° **Omnium ingenio accommodatam.** Religio siquidem Christi sua *profunditate philosophis*, sua *simplici-*

---

niri non solum illas veritates quas humana ratio detegere potest, sed multas alias, nec aliunde difficiliora mysteria in ea reperiri quam in deismo, sed potius majorem certitudinem. Idem fere invenies apud **Romanes***, *Thougts on Religion*, p. 157 sq. ubi additur hoc esse unum ex validissimis argumentis quibus divinitas religionis christianæ demonstrari possit.

[1] Frustra igitur nonnulli Rationalistæ ethicam christianam absque dogmatibus accipere vellent; domus sine fundamento, tectum sine parietibus stare nequit. Cf. **H. Perreyve,** *Œuvres posthumes, Etudes histor.*, Paris, 1876, p. 437 sq.

tate rudibus apprime accommodatur : (**a**) Tam *profunda* est ut inexhaustam subministret materiam doctorum investigationibus : videlicet jam a novemdecim sæculis, Patres et Theologi mysteria Trinitatis, Incarnationis, gratiæ aliaque scrutati sunt, novosque aspectus in his invenerunt, et ex comparatione tum dogmatum inter se, tum veritatum fidei cum rationis principiis, multas deduxerunt conclusiones quæ theologiæ campum multum extenderunt; nullus est tamen qui penitus ea intellexerit. Nec mirum : nam altissimas quæstiones attingit, præsertim relationes inter finitum et Infinitum, inter hominem et Deum.

(**b**) Aliunde tam *simplex* est ut in fidei symbolo paucis verbis dilucide exponi possit, ita ut pueri et rudes, qui catechismo tantisper studuerint, præcipuis quæstionibus de existentia et natura Dei, de origine mundi, de natura, origine et fine hominis, clarum certumque responsum afferre valeant [1]. Nec mirum; nam religio christiana non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in auctoritate Dei innititur : "Et factum est, cum consummasset Jesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina ejus : erat enim docens eos sicut *potestatem habens*, et non sicut Scribæ eorum et Pharisæi" [2].

Hinc cum indocti, tum docti ad religionem nostram confluunt, priores quia necessitatem alicujus auctoritatis in rebus moralibus libenter agnoscunt, posteriores quia de Christo prædicari potest quod *F. Baco* relate ad Deum dixit, "scientiam, videlicet, obiter libatam ab eo abducere, totaliter exhaustam ad eum reducere".

360. II. **Doctrina christiano-catholica legitimis voluntatis aspirationibus respondet** [3].

Etenim *voluntas requirit* et quidem legitime :

1) *Regulam agendi tutam et completam*, quia homo bonum

[1] "Et hoc etiam patet, teste **S. Thoma** (*Exposit. Symboli*, art. I), quia nullus Philosophorum ante adventum Christi, cum toto conatu suo, potuit tantum scire de Deo, et de necessariis ad vitam æternam, quantum post adventum Christi scit una vetula per fidem".

[2] *Matt.*, VII, 28 sq.; *Marc.*, XII, 29; *Luc.*, X, 27; *Rom.*, XIII, 8 sq.

[3] Cfr. **C. A. Row** *, *The moral teaching of the N. Test. viewed as evidential to its historical truth*, London, 1888.

non potest implere nisi prius illud cognoscat : singula sua *officia* quisque cognoscere desiderat, simul et tutam *obligationis normam.*

2) *Sanctionem sufficientem* qua ad bonum trahatur et a malo amoveatur.

3) *Stimulos efficaces* ad legem servandam et eo efficaciores quo lex difficilior est.

4) *Solatium in ærumnis* vitæ præsentis.

361. Atqui *doctrina christiano-catholica has legitimas voluntatis aspirationes implet.* Nam præbet :

1° *Regulam agendi tutam et completam.* Ethica tria complectitur : officia erga *Deum, proximum, seipsum*; porro hæc omnia docet Christianismus, et quidem modo perfecto tanquam *ex amore Dei* fluentia. Siquidem interrogatus a legis doctore quale esset mandatum magnum in lege, respondit Jesus [1] : " Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic : diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa Lex pendet et Prophetæ ". Jamvero hodie, etiam post novemdecim sæcula, nullum perfectius, aut simplicius inventum est ethicæ fundamentum, ut libenter agnoscunt quicumque Dei existentiam propugnant. Ex hoc enim principio sponte manant omnia officia : —

362. (a) *Erga Deum;* nam si Deus ut Pater optimus super omnia diligitur, prout jubet religio christiana, tunc libenter agnoscitur ejus supremum dominium, honorificatur cultu non frigido, ut apud rationalistas, nec libidinis incentivo, ut apud paganos, sed culto puro et ferventi, qui ad imitationem divinarum perfectionum tendat, juxta illud : " Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cælestis perfectus est " [2]; inde etiam nascitur pietas erga Deum, timor non servilis sed filialis, obedientia, devotio qua propria abdicamus ad gloriam ejus promovendam [3]. Per hunc amorem in Deum transformamur eique similes efficimur.

---

[1] *Matt.*, XXII, 35 sq. — [2] *Matt.*, V, 48.

[3] Ille amor Dei, ut supra notavimus, vix Paganis notus fuit, et, licet jam Judæis manifestatus, nonnisi per Incarnationem plene effloruit : siquidem sub Antiqua Lege, Deus præsertim tanquam magnus et terribilis adorabatur, dum sub N. Lege præcipue tanquam amabilis exhibetur. Nec mirum; nam per mysterium Incarnationis " benignitas et humanitas apparuit salvatoris nostri

363. (b) *Erga proximum;* dilectio enim proximi quæ, apud paganos, ad paucos familiares restringebatur, apud Christianos, ad omnes extenditur, sine ulla distinctione Græci et Barbari, Judæi et Gentilis, servi et liberi, quia omnes sunt æque filii Dei et fratres Christi [1], pretioso ejus sanguine redempti, et ad eumdem finem supernaturalem destinati. Exinde manarunt extraneorum ipsorumque inimicorum dilectio; — pauperum, orphanorum, viduarum, senum aliorumque hujusmodi cura; — *in familia* uxoris et liberorum justa emancipatio, sine detrimento paternæ auctoritatis, ac servitutis progressiva exstinctio; — in *societate* auctoritas civilis sacratior simul et humanior facta, justitia et libertas promota, jura et officia opificum et dominorum majori benignitate et reverentia temperata [2]; — *jus gentium* sive in pace sive in bello perfectius agnitum, ceteraque beneficia quæ ex caritate fraterna paulatim nata sunt.

364. (c) *Erga seipsum;* christiana enim religio hominem regeneratum docet propriam dignitatem agnoscere, eumque monet ut, divinæ consors factus naturæ, nolit in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Hinc præcipit ut, ad vitandum peccatum, passiones per *temperantiam* moderemur, licita etiam nonnunquam subtrahentes ut contra illicita firmiores evadamus; ut corpus et animam tanquam Dei templum revereamur; hortatur ut colantur virtutes quæ Christianis propriæ sunt, humilitas sine pusillanimitate, obedientia sine servilitate, castitas perfecta, mortificatio passionum et vitiorum, ut sic Christianus totum se consecrare possit Dei proximique servitio [3].

365. 2° *Sanctionem sufficientem,* cum ex una parte justis promittantur in hac vita, etiam inter tribulationes multas, conscientiæ pax et gaudium, et in altera præmia æterna, juxta illud : " Et omnis qui reliquerit domum vel fratres..

Dei " (*Tit.*, III, 4), ita ut ejus amore ad amorem provocemur. Cfr. **H. E. Manning**, *The Glories of the Sacred Heart*, New York, 1881, p. 61.

[1] Quod fatetur auctor ceteroquin rationalista **Seeley** *, *Ecce homo*, Boston, 1866, p. II, c. 14, p. 180; cf. **Fisher** *, *The Grounds of theistic and christian belief*, New York, 1885, c. 15, p. 379, sq. — Nec dicatur cum nonnullis Rationalistis Christianismum non curare de temporalibus hominis necessitatibus, sed vacuum esse spiritualismum (*North American Review*, April, 1895, p. 436); respondet enim rationalista **Seeley** *, (*Ecce Homo*, c. 17, p. 208), ex amore Christi fluere amorem proximi, unumque ex divinis præceptis esse eleemosynas aliaque beneficia pauperibus largiri, ita ut in ultimo judicio ii sint salvandi qui, propter Christum, fratribus benefecerint, reprobandi autem qui hoc officium neglexerint (*Matth.*, XXV, 34-46).

[2] De quo cfr. **Leo XIII**, Encycl. *Rerum novarum*, 16 mai 1891.

[3] Quod eloquenter exponit **Lacordaire**, *Confér.*, 21-24.

centuplum accipiet et vitam æternam possidebit"[1]; et ex altera parte malis parentur æterna supplicia.

Nec dicatur exinde christianas virtutes esse opus *mercenarium*, quippe quæ *propter* præmium colantur. Præmium enim nobis promissum est *amor Dei* perfectior : jamvero qui aliam mercedem non quærit nisi Deum per totam æternitatem amatum, jam incipit proprium commodum abdicare, et seipsum ultimo totum Deo tradit.

366. 3° *Stimulos efficaces.* Duo præsertim ad hoc concurrunt : perfectum *exemplar* et *auxilium* internum :

(**a**) *Perfectum* virtutis *exemplar* est ipse Christus, qui, cum sit simul Deus et homo, *vitæ deiformis* perfectissimum nobis præbet exemplum. Ipse enim cœpit facere et docere, et, fatentibus adversariis, humanæ perfectionis fastigium ita attigit ut omnium qui unquam vixerunt sapientium sit facile princeps[2]. Merito igitur discipulis dicere potuit : "Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis"[3]; exemplis enim suis efficacius quam verbis nos ad virtutem trahit.

Christi vestigia sectantes multi quoque *sancti*, unusquisque secundum suum proprium modum, exempla nobis vitæ christianæ reliquerunt, et pro nobis apud Deum intercessores esse non desinunt.

(**b**) *Nec deest auxilium* quo lex impleri possit; nam gratia Deus nos adjuvat, ut quæ supra vires nostras sunt, facere valeamus, et si natura infirmi sumus, præsto est gratia, qua roboratis cum Paulo fidenter dicere licet : "Omnia possum in eo qui me confortat"[4]. — Ad hoc non attendunt qui dicunt virtutes christianas nimis difficiles esse, et non nisi a paucis coli posse[5] : fatemur quidem non omnes eodem

[1] *Matth.*, XIX, 29.

[2] Hoc fatetur ipse *Renan*, licet non in omnibus sibi constans, *Vie de Jésus*, c. 28, circa fin. Cfr. **W. E. Channing** *, *Sermon on the Character of Christ's Works*, Boston, 1875, p. 302 sq. — Quas Christi virtutes infra delineabimus, n. 389 et seq. — [3] *Joan.*, XIII, 15. — [4] *Philip.*, IV, 13.

[5] Insulse igitur scripsit **I. Zangwill** *, (*N. American Reviev*, april 1895, p. 435) christianam religionem paucis quidem prodesse quos sanctos efficit, sed multis nocere, eos hypocritas reddendo. Qui enim in communitate christiana vixerit, aliquos inveniet qui vere sancti sint et heroicos actus haud raro perficiant, multos qui vere honestam vitam ducant, paucissimos tandem qui sint hypocritæ.

gradu sanctitatem attingere, sed nemo est qui, divino fretus auxilio, vitam honestam et vere christianam ducere non valeat.

367. 4° *Consolationem in ærumnis.* Vix ratio sola concipere valet cur Deus, cujus Bonitas est infinita, permittat hominem quem diligit, tot et tantis malis esse obnoxium; fide vero novimus *miserias hujus vitæ* pœnam esse peccati, probationis exercitium, virtutis et præmii incrementum, viamque tutissimam ad æternam beatitudinem; hinc gloriamur in tribulationibus nostris, scientes quod, si cum Christo patimur, cum Illo quoque glorificabimur, si ab amicis parentibusque ad tempus separamur, cum eisdem in cælo perpetuo commorabimur [1].

Item, *peccatori* pœnitenti et confesso certitudinem veniæ præbet, dum reliquæ religiones peccatorem sibi ipsi relinquunt.

368. III. **Religio christiano-catholica etiam legitimis naturæ sensibilis hominis aspirationibus respondet.**

Siquidem indiget homo, corpore et anima consistens :

1) *ut e rebus sensibilibus et exterioribus ad divina ducatur;*

2) *ut etiam exercitium suæ corporalis activitatis excitetur et sanctificetur.*

Atqui *christiano-catholica religio his propensionibus satisfacit.*

369. 1° *Necessitati auxilii sensibilis* fit satis imprimis *exteriori cultus exercitio*, et præcipue Eucharistiæ sacrificio, quo renovatur quotidie *in altari sacrificium* crucis, quo certe nihil excellentius; ritus autem quo perficitur, preces, cæremoniæ, cantus, conciones et alia hujusmodi quæ ejus celebrationem comitantur pios sensus excitant, qui non parum ad veram pietatem conferunt : eo enim tendunt ut in corda nostra diffundant religiosum Christi spiritum. Idem dic de

[1] Quod eloquenter exponit **Bougaud,** *Le Christianisme et les temps présents*, Paris, 1875, vol. I, c. 11-13. — Id pariter constat ex testimonio eorum qui ad religionem catholicam convertuntur; exempla invenies ap. **Baunard,** *La Foi et ses victoires*, 7ª ed., 1902; **Jœrgensen,** *Le néant et la vie*, 1898; **Coppée,** *La bonne souffrance.*

sacramentorum administratione, necnon de *festis* quæ sibi miro ordine succedunt et varia religionis mysteria modo sensibili repræsentant [1].

370. 2° Sed insuper religio christiana *activitatis* humanæ exercitium sanctificat, inculcando *laboris legem* omnibus impositam : "*in sudore vultus tui vesceris pane*"; scientias et artes fovendo, quibus gloria Dei et hominis bonum promoventur; commercium et industriam tuendo, quibus miserorum necessitates sublevari possunt, christiana caritas disseminari, religio propagari [2]. Ita ipse *materialis* progressus ad *spiritualem* profectum non parum confert, dummodo spiritu Christiano, non autem pagano, promoveatur. Uno verbo quidquid veri est, quidquid honesti, quidquid boni, quidquid jucundi et utilis, promovet ac protegit [3], utpote ad Supremæ omnium Causæ gloriam conducens.

371. Conclusio. Religio igitur christiano-catholica, etsi mysteria in se complectatur, nonnullaque problemata nonnisi obscure solvat, in omnibus tamen *essentialibus* quæ *finem ultimum* spectant, nostris legitimis aspirationibus respondet, et ad *rectam vitæ nostræ ordinationem* plane sufficit.

N. B. (a) Quod quidem argumentum firmari posset, *historice* describendo mirabiles *effectus* quos hæc doctrina produxit quoad individui, familiæ et societatis instaurationem. Sed de hoc alibi dicemus, ubi de christianismi propagatione et de Ecclesiæ sanctitate.

(b) In *praxi*, specialiter in concionibus, perutile erit demonstrationem aliquibus exemplis illustrare sive ex conversionibus per

---

[1] Cf. **Châteaubriand,** *Génie du christianisme*, anglice redditum *The Genius of Christianity*, p. IV, lib. I; **Dom Guéranger,** *L'Année liturgique*, anglice redditum *Liturgical Year;* **A. Vigourel,** *La vie chrétienne par la liturgie.* Paris, 1909; — Ecclesia quædam festa et quosdam ritus a paganis deprompsit, sed ea transformavit, *novum spiritum* eis infundendo, ut erudite ostendit **F. Cabrol,** *Les origines liturgiques*, Paris, Letouzey, 1906, p. 46-69; et *R. P. A.*, t. III, 1906, p. 209-223, 278-287.

[2] Cf. **Ch. Périn,** *De la richesse dans les sociétés chrétiennes;* **L. Desgrand,** *De l'influence des religions sur le développement économique des peuples*, Paris, 1884, c. VI.

[3] "De cetero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate". (*Philip.* IV, 8.) Quæ verba optime declarat **C. A. Row** *, *Moral teaching*, ch. VIII.

argumentum internum patratis, sive ex scriptis auctorum christianorum, qui vividius pulchritudinem fidei catholicæ senserunt [1].

(c) Argumentum pro acatholicis valet; sed multo lucidius credentibus apparet, sicut ecclesia, vitreis fenestris illustrata, magis ab intus quam a foris fulget [2].

§ II. Doctrinæ christiano-catholicæ supernaturalitas.

372. *Thesis :* **Doctrina christiano-catholica, quæ tam apprime respondet aspirationibus altiorum facultatum nostrarum, non solum bona et transcendens est, sed merito supernaturalis, ideoque divinitus revelata dicenda est.**

Hæc propositio non apodictice quidem sed valde probabiliter probatur.

373. **Probatur thesis** *per partes.* I. *Doctrina christiano-catholica bona et transcendens est.* Ex dictis, supra n. 210 seq., homines nunquam potuerunt summam veritatum invenire quæ ad rectam vitæ institutionem sufficeret; *a fortiori* non potuerunt invenire doctrinam religiosam quæ omnibus legitimis aspirationibus naturæ rationalis quam perfecte satisfaceret. *Solus christianismus* aspirationibus animæ humanæ plene satisfacit. Ideoque non solum bonus est, sed *transcendit* cetera systemata philosophica et religiosa, iisque merito præferendus est.

374. II. *Doctrina christiano-catholica supernaturalis dicenda est.* Transcendentia doctrinæ christianæ explicationem postulat. *Atqui omnis naturalis explicatio excluditur.*

---

[1] Exempla dantur a **P. de Poulpiquet,** *l. c.*, p. 343-407, 452-454. Cf. etiam, quoad problema salutis, **A. d'Alès,** *Lumen vitæ*, 1916. Textus Patrum, ad hanc apologeticam exponendam, vide in **J. Martin,** *L'apologétique traditionnelle*, 1905.

[2] Cf. **de Tonquédec,** in *Etudes*, 20 mai 1920, p. 433. " Quand on a vécu dans le catholicisme — j'entends d'une vie consciente et réfléchie — , on lui découvre de tous côtés tant de racines, une telle multitude de tenants et d'aboutissants dans le monde et dans l'âme, on a fait si fréquemment l'expérience de sa valeur, on a vu ses rayons illuminer tant d'horizons et éclairer tant de domaines obscurs, que décidément il devient dans l'esprit l'objet central, la clef de voûte qui fait tenir l'édifice entier; et l'on est sûr que, si on l'ôtait, tout croulerait à l'instant, que si *cela* n'était pas vrai, rien ne le serait ".

Ex argumento enim de necessitate alicujus revelationis apparuit impossibilitas moralis pro humano genere propriis viribus ad summam veritatum religiosarum perveniendi (n. 213 seq.)

Nec dicatur merum hominem præclaro ingenio præditum potuisse forsan talem doctrinam invenire. Nam, experientia teste, præclarum ingenium, nisi circumstantiæ loci, temporis et educationis faveant, vix ultra mediocritatem assurgit; porro Jesus Nazarenus, qui religionem christiano-catholicam prædicavit, nunquam in scholis scientiæ studio vacavit, nec in circumstantiis vixit ejus intellectuali educationi faventibus. Remanet igitur ut *ad divinam revelationem recurramus.*

Data enim hypothesi divinæ revelationis, illud singulare factum facile explicatur. Mirum siquidem non est Eum qui humanam mentem condidit, eique nobilissimas aspirationes supra expositas indidit, *potuisse* ac *voluisse*, per specialem interventum, hominibus revelare religionem quæ his aspirationibus satisfaciat, et media præbeat aptissima ad finem ultimum attingendum [1]. — Rejecta autem hac hypothesi, explicari nequit factum supra dictum. Fundatores enim christianismi non fuerunt eruditi philosophi, in scholis Atheniensium aut Romanorum, vel Scribarum et Doctorum educati, sed viri simplices scientiarum naturalium ignari : Christus, per triginta annos in ignoto Galilææ vico conversatus, ut faber et fabri filius habebatur [2]; ejus autem apostoli Galilæi erant piscatores, qui doctrinam Magistri vix intelligebant; excepto Paulo, qui apud Pharisæos educatus, fatetur tamen se non ab istis, sed a Christo didicisse omnia quæ docebat [3]. Quomodo igitur factum est ut qui nihil didicerant nisi Judaismum, invenire et feliciter prædicare

[1] " Le dogme s'ajuste à la nature, non seulement dans ses exigences simples, régulières, raisonnables, faciles à définir et à prévoir, mais dans les plus inattendues, là où elle devient un peu folle. Une pierre peut combler un trou, et une pierre s'ajuster à un creux par accident. Mais une clef et une serrure sont deux choses complexes et si une clef va bien dans une serrure, c'est qu'elle est la bonne ". (**de Tonquédec** in *Etudes*, 20 mai 1920, p. 422. Citat apologetam anglicum **Chesterton**). Idem ergo operarius et seram et clavem, alteram ad alteram destinatam, confecit.

[2] *Joan.*, VII, 5; *Matt.*, XIII, 55. — [3] *Galat.*, I, 11.

potuerint doctrinam religiosam, simplicem simul et sublimem, omnium temporum et gentium ingenio accommodatam, excultissimis philosophis ignotam, nisi *divinitus illuminati* fuerint?

375. Confutantur systemata rationalistarum. Ad enervandam vim præfati argumenti, rationalistæ contendunt christianismum partim a Judæis doctoribus [1], partim a Græcis latinisve philosophis fuisse mutuatum [2], aut ex *syncretismo* tunc florente [3]. Quod admitti nequit.

376. 1° Religio christiana a judæis Doctoribus mutuata non fuit. Fatemur equidem christianam revelationem ultimum esse *complementum* mosaicæ revelationis, ideoque eadem fundamentalia dogmata, præsertim *monotheismum* ac providentiam in utraque reperiri; sed inter doctrinam a Christo prædicatam et judæorum legisperitorum placita, tot et tanta sunt discrimina, ut illa minime potuerit ab his naturaliter evolvi, sine novo ac speciali Dei interventu.

a) Imprimis mosaica religio *nunquam universalis* fuit, sed uni judaico populo propria, ideoque ritus omnino speciales, multiplices ac minutos complectebatur, quibus arcebantur Gentiles. Hinc Petrus Gentilibus prædicare non consensit nisi ex speciali revelatione, et Judæi non parum scandalizati sunt, cum primum audierunt Cornelium centurionem cum domo sua baptizatum fuisse [4]. Christianismus vero est religio *universalis*, omnium gentium et temporum necessitatibus accomodata : " Prædicate Evangelium omni creaturæ " [5]; ideoque abolevit multiplices illos ritus qui Gentilium conversionem impedire potuissent.

b) Tempore Christi, Judæi exspectabant Messiam *temporalem*, qui regnum Israel restitueret Gentilesque imperio suo subderet [6]; Dominus vero venit tanquam rex *spiritualis*, mansuetus et humilis, et omnium servum se fecit, regnumque spirituale stabilivit, in quo nulla est distinctio Judæi et Gentilis [7].

377. c) Ad *dogmata* quod spectat, Trinitas, Incarnatio secundæ personæ, Redemptio per crucem, justificatio per fidem et bona

[1] Ita **Salvador***, *Jésus et sa doctrine*, 1838.

[2] **E. Havet***, *Le Christianisme et ses origines*, Paris, 1872-1884.

[3] Sic **R. Reitzenstein***, in Germania; in Gallia præsertim **A. Loisy***, *La Religion*, Paris 1917. *Les mystères païens et le mystère chrétien*, Paris, 1919.

[4] *Act.*, X, XI, 1-18. — [5] *Marc.*, XVI, 15.

[6] Cf. **C. Fouard**, *Vie de N. S. Jésus-Christ*, l. I, c. I; **Schürer***, *Geschichte des jud. Volkes*, II, 4ª ed. 1907, p. 579-651; **Lagrange**, *Le messianisme chez les Juifs*. — [7] *Matt.*, XXI, 5; XX, 18; *Joan.*, XVIII, 36.

opera, quæ sunt fundamenta religionis christianæ, aliena erant a mentibus coævorum Christi, aut nonnisi modo confuso a quibusdam percipiebantur tanquam obscure adumbrata in Vet. Testamento.

378. d) Quoad *ethicam :* 1) *Pharisæi* et *Scribæ* doctrinam mosaicam *humanis traditionibus*, vanis superstitionibus, falsis interpretationibus et erroribus non paucis corruperant : cæci et cæcorum duces, minutissima servabant ritualia, et aliunde gravia justitiæ et caritatis præcepta violabant; superbi et vanæ gloriæ amatores, publice jejunabant atque decimas solvebant; sed alios aspernabantur et comedebant domos viduarum [1]. Quos proinde Christus variis in locis redarguit, nedum ab eis doctrinam suam mutuaverit : "Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? "; "Dico enim vobis, quia, nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum " [2], quod aliunde luculenter constat ex totô sermone in monte, ubi iterum atque iterum eorumdem corruptelas, superbiam et hypocrisim reprobat. — *Sadducæi* autem, pharisaicas superstitiones rejiciendo, sensualismo indulgebant, et immortalitatem animæ, spirituum existentiam atque corporum resurrectionem negabant. Quos pluries Christus reprehendit, præsertim resurrectionem carnis contra istos demonstrans [3].

2) Iterum *virtutes* Pharisæorum aliorumque ducum plebis sæpe sæpius *externæ* erant, et regulæ morum quas tradebant ad hypocrisim fovendam tendebant, dum ethica christiana *internam* cordis mutationem requirit et hypocrisim ut pessimum damnat vitium : "Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis... Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis et in vicis, ut honorificentur ab hominibus... Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus... Tu autem, cum oraveris intra in cubiculum tuum, et, clauso ostio, ora Patrem tuum in absconditо " [4]. Hæc et alia multa discrimina certe probant Christi doctrinam non fuisse ex judæis Doctoribus desumptam, aut evolutam.

---

[1] *Matt.*, III, 7; IX, 11; XV, 3 et XXIII ex integro; *Luc.*, XX, 46-47 et alibi passim. Cfr. **Ugolini**, *Thesaurus antiquitatum sacrarum*, Venetiis 1744, vol. III, p. 110 sq.; vol. XII, p. 36 sq.; vol. XXI, p. 229 sq.; **Schürer**, *op. cit.*, § 28; **C. A. Row***, *Christian Evidences*, London, 1888, lect. III, p. 137-139; **Cohen***, *Les Pharisiens*, Paris, 1877; **Wellhausen***, *Die Pharisäer und Sadducäer*, 1874; **Vigouroux**, *Dict. de la Bible*, t. V, 206.

[2] *Matt.*, XV, 3; V, 20.

[3] *Matt.*, XXII, 23-33. — De *Sadducæis* cfr. **Montet***, *Essai sur les origines des partis sadducéen et pharisien*, Paris, Fischbacher, 1883, **Schürer**, *op. cit.*; **Hastings**, *Dict. of the Bible*, t. IV, p. 349; *Dict. of Christ*, t. II, p. 351.

[4] *Matth.*, VI, 1-6 et alibi passim; totus legatur sermo Christi in monte, qui,

379. Quod intelligentes nonnulli adversarii contenderunt Christum ab *Essenis* suam accepisse doctrinam[1]; sed immerito. Esseni erant quidem una e tribus sectis apud Judæos vigentibus tempore Christi, et morum puritate facile Pharisæos superabant, sed tum doctrinis tum præsertim vitæ genere immoderatam singularitatem fovebant. Quamvis in unum Deum crederent, solem tanquam Dei symbolum colebant, eique preces offerebant; *materiam* ut *malam* et mali principium habebant; exinde corporum resurrectionem negabant, putantes unionem animæ cum corpore esse contra naturam, ideoque corpus immoderate despiciebant, ac matrimonium respuebant. Ad praxim quod attinet, mosaicis legalibus observantiis de sabbato, ablutionibus aliisque hujusmodi strictius etiam quam ipsi Pharisæi adhærebant, et a se Gentiles arcebant[2]. Jamvero nemo non videt quantum hæc omnia *Christi doctrinæ adversentur et ab ejus spiritu sint aliena*[3]. Immerito igitur religio christiana, quæ cæremoniales observantias abrogavit, ac omne discrimen inter Judæos et Gentiles, ut quædam Essenismi evolutio naturalis traditur.

380. 2° **Insuper nec fuit ex græcis latinisve scriptoribus hujus temporis mutuata.** Non diffitemur equidem apud paganos philosophos reperiri placita et præcepta, quæ christianis doctrinis similia sunt : ratio enim humana, licet infirma, quasdam veritates ordinis moralis invenire potest, et aliunde quædam primævæ revelationis vestigia a Gentilibus servari potuerunt. Sed tot sunt discrimina inter religionem Christi et coævorum philosophorum placita, ut moraliter impossibile sit, sine speciali Dei interventu, illam ab his evolutam fuisse.

---

juxta adversarios, genuinam Christi doctrinam continet, et comparetur cum ineptis fabulis quæ in Talmude reperiuntur; v. g. in libro integro *Betsa*, serio inquiritur utrum comedere liceat ova quæ gallina sabbato peperit. Cfr. **Fouard**, *op. cit.*, l. I, c. 1, angl. translat. vol. I, p. 12, not. 1. Cf. **Schürer**, *op. cit.*, § 28; **Edersheim** *, *Life and Times of Jesus*, 8ª ed. 1896, vol. I, p. 103 sq.; **Stapfer**, *La Palestine au temps de J. C.*, 5ª ed., Introd., anglice *Palestine at the time of J. C.*, London, 1877.

[1] Ita, v. g., **Grätz***, *Gesch. der Juden*, vol. III, p. 217; *anglice* redditum, London, 1891-92.

[2] Cfr. **Ugolini**, *Thesaurus*, vol. XXII, Trihæresium etc.; **Lightfoot***, **Colossians**, London, 1897, p. 347-417; **Schürer***, l. c., II, p. 651-680; **Stapfer***, *L'Essénisme et le Christianisme primitif*, **Lichtenberger***, *Encyclop.*, t. IV, p. 551; **Hastings***, *Dictionary of the Bible*, vol. I, 1898, p. 767; **Ermoni**, *L'Essénisme*, *Rev. des Quest. hist.*, jan. 1906.

[3] Quod diserte asserit **A. Harnack***, *Das Wesen des Christenthums*, *gallice* redditum *L'essence du Christianisme*, 1907, p. 24-27.

A) Ut supra probavimus, nullus est philosophus qui summam religiosarum veritatum completam, tutam, et absque erroris admixtione docuerit; quod quidem probari potest, quoad tempora Christi, ex operibus *Ciceronis* et *Senecæ*, quorum prior Christum præcessit, posterior subsecutus est. (a) Ambo siquidem, licet aliquod Supremum Numen agnoscerent, de ejus natura dubitarunt, et Seneca in pantheismum deflectere visus est; ambo materiæ æternitatem et fati existentiam, cui etiam Numen subdebatur, agnoverunt; ambo Providentiam negarunt, proindeque orationis necessitatem; uterque pariter de animæ immortalitate plus minusve dubitavit; neuter Trinitatem vel Redemptionem suspicatus est. Uno verbo præcipua dogmata, quæ in Evangelio clare et absque dubio ut fundamenta christianæ religionis exhibentur, ab operibus horum philosophorum prorsus exulant [1]. (b) Maxima pariter differentia est inter ethicam christianam et Stoicorum præcepta, tum *in se*, tum præsertim ratione *motivorum* quæ proponuntur. Ethica enim christiana tota fundatur in *amore Dei et proximi* propter Deum; dum Stoici, qui de existentia Supremi Numinis a mundo distincti dubitabant, nihil sibi proponebant, etiam cum aliis benefacerent, nisi propriam felicitatem. Apud eos *superbia* virtus erat; sapiens, inquit *Seneca* [2], "cum diis ex pari vivit"; imo ipsis superior est [3]: "Est aliquid quo sapiens antecedat Deum: ille beneficio naturæ non timet, suo sapiens"; "hinc non Deo, sed sibi fidit, nec precibus Deum fatigat, sed per proprias vires virtutem et felicitatem attingit" [4]. — Eleemosyna quidem facienda est, sed tranquilla mente et sereno vultu, nam miseris compati non licet. "Misericordia vitium est animorum, nimis miseriæ

[1] Pauca hic testimonia subjicimus, quo res clarior evadat. Circa finem lib. II *Academic.*, n. 48, **Cicero**, qui more *Academicorum* de omnibus philosophis quæstionibus nihil certi asserendum esse putabat, approbat Catulum hæc dicentem: "Ad patris revolvor sententiam, quam quidem ille Carneadeam esse dicebat, ut percipi nihil putem posse; assensurum autem non percepto, id est, opinaturum sapientem existimem, sed ita, ut intelligat se opinari, sciatque nihil esse quod comprehendi et percipi possit". Ex quo sequitur Ciceroni de rebus philosophicis nil certum fuisse: quantum distat a Christo qui docebat tanquam auctoritatem habens! — Hinc alibi in tribus libris *de Natura deorum* philosophorum opiniones recitat de natura divina, et concludit nil certi hac de re cognosci posse: "Profecto eos ipsos, qui se aliquid certi habere arbitrantur, addubitare coget doctissimorum hominum de maxima re tanta dissensio" (lib. I, 6). De *immortalitate animæ* anceps manet (*Tuscul.*, lib. I. 49). Eam negat **Seneca** in libro *de consolatione ad Marciam* (n. 19): "Mors omnium dolorum et solutio est et finis: ultra quam mala nostra exeunt, quæ non in illam tranquillitatem in qua antequam nasceremur jacuimus reponit". Cf. **Boissier**, *La Religion romaine*, vol. II, l. II, c. 3-4; **Laforêt**, *Histoire de la Philosophie, Philos. ancienne*, Bruxelles, 1867, vol. II, l. IV, p. 257 sq., 310 sq.

[2] Ep. 59, 14. — [3] Ep. 53, 12. — [4] Ep. 31.

faventium"[1]. Quantum igitur hæc a doctrina Christi differant nemo est qui non videat. Religio igitur christiana a græca latinave philosophia mutuata non fuit.

B) Insuper philosophi de veritate *populo prædicanda* parum solliciti fuerunt, imo se ad hoc opus impares esse multoties agnoverunt, aperte dicentes sapientiam non omnium, sed paucorum esse; quare methodo docendi utuntur subtiliori, solis eruditis accommodata. Ita Cicero[2] : "Est enim philosophia paucis contenta judicibus, multitudinem consulto ipsa fugiens, eique suspecta et invisa". Nihil in eorum scriptis invenitur de peccatorum emendatione, quia nullum remedium ad vitia corrigenda efficax noverant; nulla spes eis inerat mores plebis mutandi, sed ipsis sufficiebat paucos discipulos ad virtutem erudire; revera stoicæ virtutes, quæ passionum non solum moderationem sed exstinctionem requirunt, paucis admodum conveniunt[3].

Christus vero pauperes evangelizavit, forma prorsus *populari*, comparationum et parabolarum ope sublimes veritates illustrando, de peccatoribus numquam desperavit sed eos ad meliorem vitam præceptis, exemplis, gratia efficaciter vocavit; misit Apostolos ad prædicandum Evangelium omni creaturæ, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, sicque totum reformavit orbem[4].

381. 3° Neque explicari potest syncretismo seu synthesi mysteriorum orientalium et hellenisticæ sapientiæ tunc florente[5].

A) Exponitur syncretismus. Hæc enim ultima a rationa-

[1] *De Clement.*, II, 6, 2. — Cfr. **Boissier**, l. cit., p. 82 sq.

[2] *Tuscul.*, lib. II, n. 4. Eamdem fuisse poetarum mentem patet ex his *Horatii* verbis : "*Odi profanum vulgus et arceo*".

[3] De comparatione inter Stoicorum doctrinam et christianam religionem, cf. **A. Chollet**, *La morale stoïcienne en face de la morale chrétienne.*

[4] Si quæris veram mixtionem judaismi cum philosophia græca, invenies eam apud **Philonem Alexandrinum**, vel **Gnosticos** : eorum doctrinam inspiciendo intelliges quantum a tali commixtione differat christianismus!

[5] **B. Allo**, *L'Évangile en face du syncrétisme*, 1920; **Mangenot**, in *R. P. A.* t. 16, p. 176; *R. C. F.*, t. 74, p. 5-32, 257-289; t. 75, p. 129-161; **L. de Grandmaison**, *Les mystères païens et le mystère chrétien*, in *Etudes* 5 déc. 1922; **L. Vénard**, *Le christianisme et les religions à mystères*, in *R. C. F.*, 1-15 sept. et 1-15 oct. 1920; *Christus*, 3ª ed., p. 513-534; **Lagrange**, *Mélanges d'hist. rel.*, ch. III (cf. *Correspondant*, 25 juillet 1920); *Le sens du christianisme*, p. 269-305; præsertim artic. in *R. B.*, 1919, p. 157-217; 419-480; 1920, p. 420-446; **Jacquier**, Art. *Mystères* in *D. A.*, brevius *Ami du Clergé*, 14 avril 1921, p. 177-187; **Th. Mainage**, *Les mystères païens et le christianisme*, in *Correspondant*, 10 avril 1923, p. 52-75; **P. Prat**, Art. *Paul (saint) et le paulinisme*, in *D. A.*, col. 1644-1652.

listis excogitata est hypothesis, ut sine recursu ad causam supernaturalem christianismum explicare valeant[1]. Tempore Christi quædam religiones orientales, ex antiquis magicis ritibus ortæ, totum romanum orbem invaserant (Cultus *Osiridis* et *Isidis*, ex Ægypto; cultus *Mithræ*, ex Perside; cultus *Attidis* et *Cybelæ*, ex Phrygia; cultus *Adonidis*, ex Syria; cultus *Dionysi* et *mysteria Eleusina*, ex Græcia). Mysteriis repræsentabant vitam, mortem et reviviscentiam deorum quos colebant, adeptisque suis promittebant felicitatem in hac et in futura vita, dummodo his mysteriis interfuissent.

Quibus expositis, contendunt *Reitzenstein*, *Loisy*[2], aliique, Christum, de fine mundi proximo conscium, nonnisi vagam christianismi formam docuisse, sed Paulum ejus doctrinam expolivisse et ampliavisse has orientales religiones cum doctrina Christi consociando : prædicavit nempe apostolus mortem Christi et resurrectionem ejus (quæ tamen historice, aiunt, non probatur) causam et symbolum fuisse nostræ salutis, quatenus omnes qui in eum credunt, sive Judæi sive Græci, vi hujus mortis immortali beatitudine gaudebunt; huic autem morti nos assimilari ritibus magicis et gratiæ productivis, baptismo et eucharistica cœna; quæ quidem omnia mutuantur e variis orientalibus mysteriis, saltem quoad substantiam.

382. B) Syncretismus confutatur. a) Fatemur equidem S. Paulum non omnino orientales religiones ignoravisse, quæ notæ erant sive Tarsi, ejus patriæ, sive in civitatibus in quibus Evangelium prædicabat. Sed ex ejus epistolis clare apparet quantum istis religionibus infensus fuerit, ob suam judaicam educationem, necnon ob suam ingentem erga Christum crucifixum amorem, quem solum ut magistrum agnoscebat[3]. Criticorum ergo hypothesis *moraliter impossibilis est.*

383. b) Si aliquot verba adhibuerit iis affinia quibus orientales sectæ utebantur, (πνεῦμα, γνῶσις), quo melius a paganis intelligeretur, doctrinam nonnisi a Christo, Prophetis et Apostolis didicit, ut ipse clare declarat[4].

[1] Aperte fatetur **Sal. Reinach** (citatum apud *R. B.*, 1 avril 1922, p. 312) : " A cette religion de mystères obscurs se rattache le christianisme; alors même que nous n'aurions aucun indice pour rendre cette hypothèse vraisemblable, il faudrait y recourir pour établir, en dehors de toute intervention transcendante, la continuité des faits religieux ".

[2] Præsertim in : *Les mystères païens et le mystère chrétien.*

[3] Cf. *I Cor.* X, 20; II Cor. VI, 15. — [4] Cf. *Gal.* I, 11-12, 15-19; II, 1-3.

Revera doctrinam de Christo Salvatore omnium jam Isaias annuntiaverat, Jesus ipse prædicaverat, non solum apud Joannem, sed etiam apud Synopticos evangelistas; idem dic de Baptismo et de Eucharistia, ut in *Theologia dogmatica* demonstratur. Minime igitur suam doctrinam quærere indigebat extra fontes revelationis : hypothesis criticorum prorsus *inutilis et falsa est.*

384. c) Insuper, si colligantur quæ christianismo et orientalibus mysteriis ut communia ab adversariis adscribuntur, ad quatuor reducuntur : ex utraque parte *universalismus* quidam advocatur, simul admiscendo doctrinas et ritus diversarum religionum; *personalis* et *individua* sanctitas excolitur; hæc autem mediante *salvatore* obtinetur, qui sua morte discipulos a malis liberat; *ritus*, aliquo valore sacro præditi, cultorem divinitati incorporant.

Jamvero *similitudines inter syncretismum* et *christianismum sunt mere apparentes, discrimina autem essentialia :*

1) Christianismus enim est universalis eo sensu quod omnes accipit qui sua dogmata, præcepta et ritus, *integre* et *exclusive* admittunt, sed omnino rejicit eos qui christiana mysteria cum aliis miscere volunt, ita ut tanquam *intolerans* appareat; et ita essentialiter differt a syncretismo qui nonnisi *initiatis* sua mysteria revelat, et præsertim suas doctrinas suosque ritus a diversis religionibus mutuatur, aliasque religiones non excludit. Quapropter christianismus ab imperio romano persecutionem passus est, dum cæteri cultus saltem tolerabantur.

2) Christianismus *personalem sanctitatem* advocat, sed *veram, interiorem*, ab omni superstitione immunem, virtutibus omnibus, etiam domesticis et socialibus, manifestandam; syncretismus autem puritatem externam et legalem, multis impudicitiis fœdatam, quærit ritibus magicis adipiscendam.

3) Christianismus *salvatorem* hominibus proponit, qui *animam a peccato*, mundi illecebris et diaboli tyrannide sua morte et resurrectione liberet; syncretismus vero liberatorem exspectat qui civitatem protegat eamque a malis temporalibus et hostibus incolumem servet, vel fidelibus suis

favet, sed absque morte redemptrice et resurrectione mediatoris proprie dicta.

4) Nusquam *ritus* invenies qui proprie loquendo Baptismo, fideles Christo incorporanti, vel Eucharistiæ, Christum ipsum ad manducandum præbenti, comparari queant[1].

Ambo igitur conceptus sunt non solum distincti, sed et *contradictorii :* quare christianismus, nedum a syncretismo ortus sit, ejus fundamentale principium semper impugnavit[2].

385. Conclusio. Constat igitur religionem christianam non fuisse naturaliter a judæis sectis, a græca philosophia, aut Syncretismo evolutam, sed vere *originalem* esse et ab ipso Christo conceptam. Si Christus *divinus legatus* sit, res

---

[1] In unico loco legitur aliquid christianismo æquiparandum, nempe de taurobolo : initiatus vocatur *in æternum renatus*. Hic autem textus, quarto post Christum sæculo adscriptus, nonne verisimilius ex christianismo mutuatus est? Cf. **P. Lagrange,** in *R. B.*, 1919, p. 465-466.

[2] Optime notat anonymus, qui **Philonoüs** subscribit, in *Nouvelle Journée*, 1 mai 1920, p. 461, *similitudines* esse mere *exteriores*, dum *descrimina* sunt *essentialia :* " Ici (dans les religions à mystères), le salut, c'est d'abord la délivrance de la mort, là (dans le christianisme), c'est d'abord la libération du péché. Pour le paganisme, l'immortalité consiste dans la continuation de la vie présente; pour la religion de Jésus, de S. Paul et de S. Jean, elle se définit comme la participation définitive à une vie divine moralement supérieure à la nôtre : il s'agit de se dépasser, de se transcender et non pas seulement de survivre. La passion — si passion il y a — d'un Osiris, d'un Attis, d'un Mithra, est une mort subie; celle de Jésus, la vraie, dont c'est un abus de langage de donner le nom à des fables de pure mythologie, est un sacrifice volontaire. Dans les rites des mystères l'initié meurt par anticipation à la vie périssable, si vraiment il pense à une mort mystique; dans le baptême, la néophyte meurt au péché. Dans la communion des sacrifices païens — si communion il y a, — les fidèles des dieux légendaires participent à une énergie vitale qui ne se distingue pas essentiellement des obscures *vertus* de la végétation ou de la génération que s'efforçait de capter la magie préhistorique; dans l'Eucharistie le chrétien doit s'unir d'abord à l'esprit du divin sacrifié et à ses sentiments d'abnégation, et ce n'est que par l'efficacité de cette participation première que le sacrement lui devient un gage d'immortalité bienheureuse. En un mot, utilitaires comme les vieux rites des tribus et des nations, les mystères font vivre ou survivre l'homme pour lui-même, le christianisme le fait vivre " à Dieu ".

Notare etiam potes *immensum discrimen* inter christianismum et syncretismum quoad *tempus* necessarium ad constitutionem harum religionum. Syncretismus per multa sæcula evolutus est, quin unquam efformaverit doctrinam harmonice unam. Christianismus, vix triginta annis post conditoris exitum, apparet ut doctrina firma, completa, una. Nonne et ex hac circumstantia probabiliter infertur doctrinam Christi non esse figmentum humanum?

de facili explicatur : videlicet christiana religio omnes alias *transcendit*, quia ejus auctor *suprahumano* lumine adjutus est; secus autem, incomprehensibile est mysterium; nam habetur effectus sine sufficienti causa. Ergo transcendentia christianæ doctrinæ neque syncretismo neque aliis systematibus explicari potest, sed est vere supernaturalis.

CAPUT III.

LEGATIO DIVINA CHRISTI HISTORICE EX EJUS VITA PROBATUR[1].

386. Cum Revelatio divina sit factum ordinis historici, præsertim probatur investigatione historica. Necesse est igitur ut præcipua expendamus facta quæ historia refert de vita legati in nomine Dei loquentis.

Jamvero de Christo tria consideranda occurrunt, nempe ejus persona et testimonium, ejus miracula et vaticinia, ejus ex mortuis resurrectio.

Art. I. De persona[2] et testimonio Christi.

387. Scopus articuli. Quando historice inquiritur de alicujus religionis divina origine, primum de ipsa *persona* et *testimonio* præconis investigatio fieri debet. Revelatio enim quæ a peccatore vel impostore prædicaretur merito tanquam valde suspecta aut falsa haberetur. Ex adverso sanctitas præconis, præcipue si sit tam excellens ut miraculum ordinis moralis appareat, divinam religionis quam prædicat originem satis aperte demonstrat, dummodo nexus esse videatur inter doctrinam et sanctitatem præconis. — Aliunde testimonium quod propheta de se ipso reddit, maximi ponderis est, cum nemo certius quam ipse scire valeat *quis sit* et *a quo* veniat.

---

[1] Cf. **L. de Grandmaison**, art. *Jésus-Christ*, in *D. A.*; **Id**, *Jésus dans l'histoire*, in *Documentation catholique*, 3 nov. 1923.

[2] Vox persona hic *non sumitur sensu philosophico* vel *theologico* (theologice enim persona Christi est Verbum Dei incarnatum), *sed sensu vulgari*, quatenus designat Jesum Nazarenum qualis apparuit coævis suis, præsertim quoad *indolem* et *sanctitatem*.

§ I. De persona Christi [1].

388. Status quæstionis. Nemo est sane qui neget *mirabilem morum instaurationem* a tempore Christi per orbem terrarum diffusam esse : nova veluti nascitur ætas, novum lumen mentibus effulget, nova atque nobilior vita homines intime penetrat. Christus igitur indubitanter apparet ut *centrum* mundi, ita ut tempora jam numerentur tanquam *ante* et *post* Christum elapsa.

De intima vero Christi natura aliter alii sentiunt. **a**) Alii eum habent ut hominem eximium, ordinis socialis instauratorem, alii ut virum piissimum vel etiam ut prophetam. **b**) Sunt tamen qui eum odio et contemptu prosequantur. **c**) Ecclesia autem catholica, una cum variis ecclesiis orientalibus et Protestantibus *orthodoxis* dictis, cum Simone Petro, agnoscunt Jesum esse *Christum, Filium Dei vivi* [2].

De divinitate Christi hic non agimus, cum ejus demonstratio ad scopum nostrum non spectet, sed tantum de ejus *divina legatione*, eamque primum probamus ex excellentia ejus personæ, ejus indolis.

389. *Thesis :* **Christi indoles et sanctitas ita supereminent ut tanquam miraculum ordinis moralis haberi debeant et signum ejus divinæ legationis.**

Ad quod probandum : 1° *describemus indolem* Christi; 2° exinde *conclusiones* deducemus de ejus supernaturali legatione.

390. 1° **Describitur indoles Christi.** Apud omnes Evangelistas, etiam apud Joannem, qui de ejus divinitate tam præclare disserit, Jesus Christus tanquam *perfectus homo* describitur. Quidquid boni in homine invenitur Ipse

---

[1] **Pascal**, *Pensées*, art. XII; **Lacordaire**, *Confér.*, 37e; **Bougaud**, *Le Christian. et les temps prés.*, vol. II, 3e part., ch. 4; **L. Picard**, *La Transcendance de Jésus-Christ*, Paris, Plon, 1905, t. I, p. 383-555; **W. Channing** *, *Character of Christ* (Works; Boston, 1875); **Robinson** *, *Studies in the Character of Christ*, 1900; **T. B. Kilpatrick** *, *Character of Christ*, in *Hastings Dict. of Christ*, t. I, 1906, p. 281-297; **L. de Grandmaison**, in *D. A.*, art. *Jésus-Christ*, col. 1361-1404; **Schwalm**, *Le Christ d'après S. Thomas*, 4a ed., 1910; **Jacquier** et **Bourchany**, *La résurrection de J. C.*, etc., 8e Conf., 1910; **Abbé de Tourville**, *Lumière et vie*, p. 72-91. — [2] *Matth.*, XVI, 16.

eminenter et plene possidet [1]; imo infirmitates nostras induere non dedignatus est, excepto tamen peccato [2].

A) **Quoad dotes intellectus,** coætaneis suis ante omnia tanquam *magister* seu *rabbi* apparet, in quo elucent :

a) *Mira mentis acuitas et rectitudo judicii.* Ita Scribis et Pharisæis, qui adducunt mulierem adulteram, ut possent eum nimiæ severitatis aut violatæ legis insimulare, acute respondet [3] : "Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat". — Pharisæis et Herodianis quærentibus utrum necne liceret censum dare Cæsari, Jesus ab eis petit denarium, in quo inscripta erat imago Cæsaris, et ait : "Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo" [4]. — Confundit Sadducæos contra resurrectionem arguentes [5], aut legis doctores de maximo mandato interrogantes [6]. Quare notat Evangelista [7] : "Et nemo poterat ei respondere verbum; neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare".

b) *Tanta sapientia* ut eam mirati sint doctores in templo, quando annos duodecim natus ascendit Jerosolymam [8], necnon turbæ quæ eum postea publice docentem audierunt [9], imo et satellites missi ut eum caperent [10].

c) Doctrinæ simul *sublimitas* et *simplicitas; sublimitas :* nam hodie etiam doctissimi Evangelia scrutantur ad mentem Christi penitus investigandam, ibique solutionem inveniunt omnium problematum circa Deum, hominem, vitam futuram; nemo non miratur ethicam a Domino prædicatam, præsertim in sermone montano; *simplicitas :* altissimas enim veritates modo concreto et populari exponit, eas parabolis, comparationibus et allegoriis ita illustrando ut simplices et indocti in eis lumen et solatium simul inveniant [11].

---

[1] **Christus**, 3ª ed., p. 993; **L. de Grandmaison**, Art. *Jésus-Christ*, n. 203.
[2] *Heb.*, IV, 15. — [3] *Joann.*, VIII, 7. — [4] *Matt.*, XXII, 15-21.
[5] *Matt.*, XXII, 23-32. — [6] *Matt.*, XXII, 34-40.
[7] *Matt.*, XXII, 46.
[8] "Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus". (*Luc.*, II, 47).
[9] *Matt.*, VII, 29; *Marc.*, I, 22; *Luc.*, IV, 32.
[10] *Joan.*, VII, 46 : "Nunquam sic locutus est homo sicut hic homo".
[11] Cf. **Harnack** *, *L'essence du christianisme*, p. 49-52.

(**d**) *Auctoritas* conjuncta *cum mansuetudine et humilitate. Auctoritas*, quæ etiam conscientiis imperat, quam turbæ optime agnoscunt [1]; hæc autem præcipue oritur ex *spiritu mansuetudinis* et *humilitatis* qui totum pervadit Evangelium; etsi enim perfectam sui abnegationem postulet, id non aspere, sed *suaviter* requirit : " Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris : jugum enim meum suave est et onus meum leve [2].

Hæc autem omnia, *simul conjuncta*, apud nullum invenies hominum.

391. (**B**) **Immunis a peccato** ita fuit ut infensissimis inimicis fidenter dicere potuerit, nemine contradicente [3] : " Quis ex vobis arguet me de peccato? " — Immo immunis fuit ab illis *defectibus*, quos apud viros eximiæ sanctitatis reperire est, ita ut nihil unquam quod eum de *culpis propriis* pœnitere posset habuerit. Quod factum in historia unicum est; piissimi enim, etiam inter religionum fundatores, se reos aliquando fuisse quarumdam imperfectionum ac culparum libenter fassi sunt [4]. Christus autem, etsi perfecte humilis, nullius peccati fuit conscius. — Neque ejus intimiores discipuli ullam in eo labem detexerunt : " Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus [5]... Qui non noverat peccatum [6]... Et peccatum in eo non est [7]... Tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato " [8].

392. (**C**) Si ad **virtutes positivas** Christi transis, imprimis elucet ejus *caritas erga homines*. Quæ quidem caritas : 1) *universalis* fuit, neminem excludens, neque Gentiles neque Samaritanos, sed ad omnes sese protendens,

---

[1] *Marc.*, I, 22.

[2] *Matt.*, XI, 29-30. — Quod intellexit *rationalista* **P. Janet** *, *Histoire de la Philosophie Morale*, 1860, t. I, p. 212 : " Je répète que ce qu'il y a de nouveau dans la morale chrétienne, c'est l'accent : c'est par là que les paroles du Christ pénétraient jusqu'au plus profond de ces âmes grossières, et les renouvelaient; il savait parler aux misérables, soit par le corps soit par l'âme, il avait des paroles exquises, rafraîchissantes, consolatrices "...

[3] *Joann.*, VIII, 46.

[4] **Abbé de Broglie**, *Problèmes et conclusions...*, p. 334-340.

[5] *1 Petr.*, II, 22. — [6] *2 Cor.*, V, 21. — [7] *1 Joan.*, III, 5. — [8] *Hebr.*, IV, 15.

utpote filios ejusdem cælestis Patris, speciatim pusillos, pauperes, infirmos, peccatores et inimicos; sic Judam proditorem amicum vocavit, pro persecutoribus in cruce oravit [1]; super civitatem ingratam flevit [2]; 2) *operativa* et *efficax :* transiit siquidem benefaciendo, infirmos sanando, mortuos suscitando, afflictos sanando, oppressos a diabolo curando, peccatoribus veniam concedendo, omnes etiam pauperes evangelizando; et, quod majus est, non solum pro amicis sed etiam pro inimicis vitam suam offerendo : "Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis... Quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est" [3]; 3) *constans et invicta :* "Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos" [4]; amorem enim ejus neque ingratus neque infensus hominum animus minuere potuerunt, sed omnibus etiam persecutoribus copiam sanctificationis præbuit, et pro omnibus vitam suam tradidit ut omnes faceret salvos; 4) *Nec tamen vitiis favit;* nam quando de gloria Dei, de veris Patris consiliis, de salute et sanctitate animarum agitur, sive discipulos, sive Pharisæos aut alios maxima libertate increpat [5].

393. (**D**) **Erga seipsum,** perfectam *sui abnegationem* coluit, voluptates, divitias honoresque contemnendo, sincerum et humilem in omnibus sese exhibendo. 1°) Imprimis perfecta *sinceritate* præditus apparet : discipulis hanc virtutem commendat [6] : "Sit autem sermo vester : est, est; non, non"; ipse tam sincere loquitur ut propter hoc multi discipuli eum relinquant [7]; sincere agit cum discipulis quorum vitia reprehendit [8], sincere agit cum multitudine, secreta eorum motiva detegens et manifestans, aperteque docens amorem crucis suique abnegationem esse fundamentum suæ religionis [9]; sincere agit cum inimicis et persecutoribus,

[1] *Matth.*, XI, 28; XIX, 14; XXIII, 37; XXVI, 50; *Luc.*, V, 32; VII, 37-49; XV, 4; XXIII, 34; *Joan.*, VIII, 10-11; XI, 36; XIII, 23, 32 etc.
[2] *Matt.*, XXIII, 37; *Luc.*, XIII, 34.
[3] *Joan.*, XV, 13; *Rom.*, V, 8-9.
[4] *Joan.*, XIII, 1. — [5] *Marc.*, VIII, 33; XI, 15-17.
[6] *Matt.*, V, 37. — [7] *Joan.*, VI, 67.
[8] *Marc.*, VIII, 33; XVI, 14; *Luc.*, IX, 55; XXIV, 25.
[9] *Joan.*, VI, 26; *Luc.*, XIV, 26; *Matt.*, XIX, 29.

quorum pravitatem aperte denuntiat [1]; ita ut ipsa die qua mortuus est merito dicere potuerit : " Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum ut testimonium perhibeam veritati " [2]. 2) Insuper genuina *humilitate* præfulget : per triginta annos in obscuritate manet parentibus obœdiens [3], Cæsaris legibus sese subdit [4], prohibet ne miracula sua divulgentur [5], gloriam propriam non quærit sed gloriam Patris [6], fugit quando multitudo regem vult eum proclamare, et merito discipulis dicere potest : " Discite a me quia mitis sum et humilis corde " [7]. Nec tamen ei deest *magnanimitas* suique ipsius recta existimatio; ita, v. g., injuste percussus a ministro Pontificis, gravi animo respondet : " Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me cædis? " [8].

Tam eximius *complexus virtutum* harmonice conjunctarum, dum homines solum una vel altera virtute eminent, transcendentiam Christi invicte demonstrat.

394. (**E**) Nec minus eminent Christi **pietas et religio erga Deum,** quem ut *Patrem* filiali prosequitur amore. (**a**) Suiipsius immemor, nil *quærit* nisi *gloriam Patris :* " In his quæ Patris mei sunt oportet me esse... Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus... Ego autem non quæro gloriam meam... sed honorifico Patrem... Ego quæ placita sunt ei facio semper " [9]. Quod quidem toto decursu vitæ ita perfecte complevit, ut pridie quam pateretur, antequam hortum olivarum ingrederetur, merito dicere potuerit : " Ego te clarificavi super terram : opus consummavi, quod dedisti mihi ut facerem " [10]. Revera obediens fuit usque ad mortem, mortem autem crucis [11], vitamque libere sacrificando Deum perfectissime glorificavit.

(**b**) Ad Patrem sese vertit *in oratione,* præsertim in sollemnioribus vitæ suæ circumstantiis, in baptismo, ante apostolorum electionem, in confessione Petri, in transfigu-

[1] *Matth.*, XI, 20; XXIII, 1-36. — [2] *Joan.*, XVIII, 37.
[3] *Luc.*, II, 49, 51. — [4] *Matt.*, XVII, 24-26. — [5] *Matt.*, IX, 30.
[6] *Joan.*, VIII, 49-50. — [7] *Matt.*, XI, 29. — [8] *Joan.*, XVIII, 23.
[9] *Luc.*, II, 49; *Joan.*, IV, 34; VIII, 29, 49, 50.
[10] *Joan.*, XVII, 4. — [11] *Philipp.*, II, 8.

ratione, in agonia et ante mortem [1]. Per integras noctes Deum precatur. Textus evangelici nobis aliqua specimina dominicæ orationis exhibent : " Pater noster... [2], Confiteor tibi... [3], Pater, clarifica... [4], Abba, Pater... " [5], etc. *Nunquam* in his orationibus apparent *timor*, verecundia, qui etiam purissimos homines, dum Deum deprecantur, afficit. *Jesus Deum* in oratione *non quærit extra se*, sicut etiam religiosissimi inter terrigenas, sed *Ipsum possidet :* Deus specialissimo modo Christi Pater est [6].

In his eminenti modo *Christus humanum genus transgreditur.*

395. 2° **Conclusiones.** (a) Sive mentis dotibus, sive religione, sive virtutibus, *Christus* inter homines cunctos *eminet;* maximaque harmonia et æqualitas, ut jam supra notavimus, inter virtutes quas Dominus coluit, apparent. 1) Inter præclaros viros qui, variis temporibus et locis apparuerunt, alii una, alii altera virtute præcelluerunt ; Jesus vero in omnibus et singulis ita eminet, ut difficile admodum sit dicere quænam in eo præstantissima fuerit. " Ipse est justus sine duritia, benignus sine debilitate, mitis sine timiditate, humilis sine sui abjectione, modestus sine affectatione, indignans sine iracundia. Christus Jesus est perfectissimum exemplar sanctitatis, in quo pura ac simplex virtus sine ullo nævo ac defectu, in summo gradu " [7].

2) Insuper ejus perfectio ita *omnium conditioni accommodatur*, ut semper et ubique imitatores habuerit. Imo in ejus vita non solum exemplar, sed etiam *incitamentum* ad colendam virtutem invenimus : multi enim, amore erga Christum flagrantes, vi quadam interna et irresistibili ad eum imitandum trahuntur [8].

---

[1] *Luc.*, III, 21; VI, 12; IX, 18, 28; XXII, 42; XXIII, 34-46.

[2] *Matt.*, VI, 9 seq. — [3] *Matt.*, XI, 25 seq. — [4] *Joann.*, XVII.

[5] ἀββᾶ ὁ πατήρ. *Marc.*, XIV, 36. Cf. *Rom.*, VIII, 15, *Gal.* IV, 6. Hæc oratio verba ipsius Jesu tradunt. Vide **Lagrange**, in hos locos.

[6] **Schwetz**, *Theologia fundamentalis*, § 107. — Cfr. **L. Picard**, *op. cit.*, p. 541-545.

[7] Art. *Jésus-Christ*, col. 1377-1378.

[8] Quod fatetur rationalista **Lecky***, *History of European morals*, 3ª ed., 1891, p. 8-9 : " It was reserved for Christianity to present to the world an ideal character, which through all the changes of eighteen centuries has inspired the

Hæc omnia, indubitanter, *miraculum ordinis moralis* constituunt.

(**b**) *Explicatio hujus facti* a Christo ipso datur, ut magis ex sequenti articulo patebit : tam sublimis et tam simplex est doctrina Christi, tam auctoritative et tam mansuete loquitur, tam fidenter Deum per orationem adit Jesus, quia *a Deo missus est*, et, quæ *a Deo audivit*, hæc et refert [1].

(**c**) Adest ergo *nexus* inter eminentiam Christi et doctrinam quam annuntiavit. Merito ergo eminentia et sanctitas Christi velut sigillum ipsius divinæ missionis habentur.

§ II. De testimonio Christi [2].

396. Cum alii testimonium Christi de sua divina legatione negaverint, aliique falsam de hoc testimonio interpretationem dederint, successive declarationes Christi *exponemus* et *interpretabimur.*

I. Exponitur testimonium Christi de sua divina legatione.

397. *Thesis.* **Christus sæpissime declaravit, tum implicite et æquivalenter, tum explicite et sollemniter se esse Dei legatum, Messiam a prophetis prænuntiatum a Deo specialiter missum ad docendos homines veram religionem.** *Historice certum est, theologice de fide* [3].

---

hearts of men with an impassioned love; has shown itself capable of acting on all ages, nations, temperaments, and conditions; has been not only the highest pattern of virtue but the strongest incentive to its practice". Ita etiam **Seeley***, *Ecce homo*, etc. — Cfr. **J. Bourchany**, *op. cit.*, 8e Conf., p. 271-310. **P. de Grandmaison** in Art. *Jésus-Christ* col. 1514-1534 hoc factum exemplis illustrat, illudque recte " testimonium Spiritus Sancti ", legationi Christi datum, appellat : complet quippe testimonium quod " Filius " de se ipso verbo et opere reddidit, testimoniumque " Patris " per resurrectionem a mortuis præbitum. — [1] *Joann.*, V, 30; VII, 16-18; *Luc.*, X, 16.

[2] **M. Lepin**, *Jésus Messie et Fils de Dieu*, 4e éd., 1910, p. 78-218; **Brugère**, n. 74 sq.; **Pesch**, n. 141 sq.; **Ottiger**, p. 629 sq.; **J. Young***, *The Christ of History*, London, ed. 7a, p. 41 sq.; **C. A. Row***, *Christian Evidences*, London, 1888, lect. II; **P. de Grandmaison**, Art. *Jésus-Christ* in *D. A.*, col. 1337-1361, **P. Hilarin Felder**, *Jesus Christus*, t. I, Das Bewusstsein Jesu.

[3] Ex textibus Scripturæ mox afferendis. Cf. *Decretum* " *Lamentabili* ", prop. 28 : " Jesus, cum ministerium suum exercebat, non in eum finem loquebatur ut doceret se esse Messiam, neque ejus miracula spectabant ut id demonstrarent ". **D. B.**, 2028.

1° **Thesis declaratur.** *Messias* (hebraïce : hammaschichah, a verbo maschach, ungere) idem significat ac Christus [1], i. e. unctus, qui unctionem accepit. Primitive hoc vocabulum designabat, apud Hebræos, eos qui unctionem aliquam religiosam acceperant, sicut reges, sacerdotes. Postea tamen exclusive vox Messias designavit ducem regni, quod Deus in fine temporum instaurare intendebat, ut jam supra dictum est, n. 326 et seq.

Dotes Messiæ diversimode in Scripturis indicantur. Erit simul *sacerdos* [2], *rex* [3], *propheta* [4]; Dei donis spiritualibus replebitur [5]; regnum Dei in terris condet [6], justitiam et veritatem populum electum cunctasque gentes docebit, mundumque a peccatis eripiet [7]. *Tempore Christi Messias votis omnium expectabatur*, ut facile ex lectione primorum capitum Evangeliorum [8] apparet, et ex innumeris libris apocryphis I^i et II^i ante Christum sæculorum [9]. Multi tamen falsum de Messia excogitaverant conceptum dum præcipue ejus in hostes Dei temporales triumphos intendebant ejusque muneris religiosi obliviscebantur [10].

His dictis, *Christus* sese Messiam declaravit, si affirmavit se eum esse quem prophetæ expectaverant et nuntiaverant, qui populum Israël et gentes ipsas veritatem et sanctitatem docturus erat, qui regnum Dei definitivum in terris conditurus erat [11]. Atqui res ita se habet.

398. 2° **Probatur thesis.** In declarationibus Christi, quæ historice ex Evangeliis eruuntur, *quatuor stadia chronologice* distinguemus : initium vitæ publicæ, ultimum annum vitæ publicæ, tempus passionis, tempus post resurrectionem peractum.

---

[1] Cf. *Joann.*, I, 41; IV, 25. — [2] *Ps.* CIX. — [3] *Ps.* II, LXXI.

[4] *Deut.* XVIII, 15. Cf. *Joann.*, I, 21; VI, 14; VII, 40.

[5] *Is.*, XI. — [6] *Dan.*, VII, 13-14.

[7] *Joël*, II, 23. *Ps.* LXXI. *Is.*, de "Servo Jahveh". — [8] E. g., *Luc.*, I-III.

[9] Cf. specialiter *Pss. Salomonis* XVII et XVIII quos invenies in *D. A.* Art. *Jésus Christ*, col. 1329-1330. Cf. **M. J. Lagrange**, *Le messianisme chez les Juifs*, 1909.

[10] Quod clare apparet etiam ex aliquibus evangelicis locis, v. g., *Joann.*, VI, 14-15; *Luc.*, XXIV, 21; *Act.*, I, 6, et clarius ex multis seditionibus judæorum tempore Christi.

[11] Cf. infra *Tract. de Ecclesia*, cap. II, art. I, ubi specialiter de regno Dei, a Christo nuntiato, agetur.

399. (**A**) *Initio vitæ publicæ*, Christus auditorum mentes præparat, docendo Messiam a Deo missum esse non quidem ad temporales triumphos reportandos, sed ad regnum Dei spirituale veramque religionem instauranda. Declarationes messianicæ præcipue apparent ex Christi *ratione agendi*, ex *æquivalentibus verbis;* interdum tamen, apud intimos discipulos, *explicite se tanquam Messiam profitendo.*

(**a**) *Agit* tanquam Dei *Legatus* seu *Messias*, seu tanquam novi Regni *prædicator, magister, legislator* et *thaumaturgus.*

1) *Prædicat* regnum Dei prope esse, ideoque pœnitentiam agendam esse : "Quoniam impletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei : pœnitemini, et credite Evangelio" [1]. Hoc autem esse messianicum regnum a Judæis exspectatum etiam adversarii fatentur. Revera docet in vicis, plateis et synagogis tanquam *potestatem habens* [2].

2) *Magister*, vocat et instruit discipulos, ut et ipsi regnum Dei prædicent; ex his duodecim eligit, quos et apostolos nominat; eis confert potestatem spiritus immundos ejiciendi et infirmos curandi; postea illos mittit prædicare regnum Dei [3].

3) *Legislator*, divina auctoritate præditus, antiquam legem a falsis rabbinorum interpretationibus expurgat, eamque *proprio nomine* complet et perficit, pluries dicens in sermone montano : "Dictum est antiquis... *Ego autem dico vobis*" [4], ita ut mirarentur turbæ super doctrina ejus.

4) *Thaumaturgus*, multa miracula patrat ad suam divinam missionem confirmandam, ut in articulo sequenti ostendemus.

400. (**b**) *Æquivalentibus verbis* idem declarat, quando asserit se esse *Dominum sabbati, Eum qui venturus est*, et super quem requiescit Spiritus Domini.

1) Affirmat se esse *dominum sabbati* [5], ideoque sibi competere potestatem plus quam humanam; se esse plus quam Jonas et Salomon [6], plus quam David [7], ideoque se esse magnum prophetam, Messiam exspectatum.

2) Rem magis aperte, quamvis implicite, declarat discipulis Joannis Baptistæ, qui, cum misisset duos de discipulis suis, ad

---

[1] *Marc.*, I, 15; cfr. *Matt.*, IV, 17.
[2] *Matt.*, VII, 29; *Marc.*, I, 22; *Luc.*, IV, 32.
[3] *Matt.*, IV, 18-22; X, 1-8; *Marc.*, I, 16-20; III, 13-19; VI, 7; *Luc.*, V, 1-12; VI, 12-16; IX, 1-2.
[4] *Matth.*, V, 21-22; 27-29; 31-32; 36-38; 43-44; *Luc.*, VI, 20-36.
[5] *Marc.*, II, 28; *Matt.*, XII, 8.
[6] *Matt.*, XII, 41-42. — [7] *Marc.*, XII, 35-37.

quærendum num ille esset *qui venturus erat*, respondens Jesus ait illis : "Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur" [1]. Porro hæc verba nihil aliud sunt nisi peractio vaticinii Isaiæ [2], quod a Judæis de Messia intelligebatur, ita ut sensus sit : ex operibus meis colligere potestis me esse vere Messiam.

3) Pariter, in synagoga Nazareth, postquam legerat verba Isaiæ de futuro Messia : "Spiritus Domini super me" [3], etc., cœpit dicere ad illos [4] : "Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris", ita innuens se esse Messiam; et, cum populus non crederet, quia putabant eum esse filium Joseph, fabri filium, ait Jesus : "Amen dico vobis quia nemo propheta acceptus est in patria sua."

401. (c) Apud *Joannem* vero, qui Christo familior intimiorque erat, *lucidiores* inveniuntur declarationes : ibi enim Jesus diserte affirmat se esse *Filium Dei unigenitum*, *Messiam*, *a Patre missum*, cui competunt omnia jura messianica.

1) Quando prima vice Jerusalem venit, sermonem habuit cum Nicodemo, uno e principibus Judæorum, qui, propter miracula quæ patraverat, crediderat in Eum, et aperte declaravit se de cælo descendisse, esse Filium Dei unigenitum, in quem credere debent omnes qui vitam æternam habere volunt : "Nemo ascendit in cælum, nisi qui *descendit de cælo*, Filius hominis *quia est in cælo*... Sic enim Deus dilexit mundum, ut *Filium suum unigenitum* daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam... Qui credit in eum non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei" [5]. Hic evidenter Christus docuit se esse *saltem* divinum legatum.

2) Nec aliter ad Samaritanam mulierem locutus est; cum enim hæc dixisset : "Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus; cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia"; respondit ei Jesus : "Ego sum, qui loquor tecum", sic plane docens se esse Messiam, a Judæis et Samaritanis exspectatum, specialemque Dei legatum [6].

3) Post curatum paralyticum ad probaticam piscinam in Jerusalem, die sabbati, accusatus quasi violaret sabbatum, respondit sibi jus esse operandi in illa die sicut Patri licet; deinde sibi vindicavit omnia jura quæ Messiæ competebant, videlicet potestatem ea omnia faciendi quæ Pater ipse operatur, potestatem mortuos suscitandi et omnes homines judicandi; simulque pluries affirmavit se a

[1] *Matth.*, XI, 4-5; *Luc.*, VII, 22-23. — [2] *Isa.*, XXXV, 5. — [3] *Isa.*, LXI, 1-2.
[4] *Luc.*, IV, 21-25; cfr. *Matt.*, XIII, 54-57; *Marc.*, VI, 1-4.
[5] *Joan.*, III, 13-18. — [6] *Joan.*, IV.

Patre missum fuisse [1]; et fidem in suam divinam missionem esse unam e conditionibus ad æternam salutem [2] : "Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei qui *misit me*, habet vitam æternam".

Sane ex his omnibus jam inferre licebat Christum esse vere Messiam.

402. (B) *Ultimo autem vitæ suæ anno*, tempore quo jam mentes præparatæ erant, et quo mors jam urgebat, *explicite* suam divinam missionem non solum *discipulis*, sed etiam *populo* annuntiat, aperteque ut Messias *agit*.

(a) *Discipulis* primum sese ut *Messiam præbet Christus*. Ab eis siquidem quæsierat : "Quem dicunt homines esse Filium hominis?" posteaque addidit, quasi accuratius responsum exspectans : "Vos autem quem me esse dicitis?"; respondens autem Simon Petrus dixit : "Tu es Christus Filius Dei vivi", græce ὁ χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Ζῶντος; quæ verba saltem significant Jesum esse vere Messiam Prophetamque diu exspectatum; jamvero Christus ipse hanc declarationem approbavit, dicens eam non a carne et sanguine, id est a ratione, sed a Patre cælesti fuisse inspiratam [3]; ergo diserte confessus est se esse Messiam.

403. (b) *Populo* postea *dignitatem suam manifestat*. Cum esset in Jerusalem, mediante festo Tabernaculorum, ascendit Jesus in templum, et docebat, et, cum mirarentur Judæi, respondit eis [4] : "Mea doctrina non est mea, sed ejus *qui misit me*... Et me scitis, et unde sim scitis, et *a me ipso non veni*, sed est verus *qui misit me*, quem vos nescitis. Ego scio eum, quia ab ipso sum, et *ipse me misit*". — Sequenti autem die clarius declaravit se a *Patre* missum fuisse : "Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me, *qui misit me Pater*"; "Ego enim *ex Deo processi*, et *veni*, neque enim a meipso veni, sed *ille me misit*" [5]. Legantur duo illa capita Joannis, septimum scilicet et octavum, et luculenter constabit Christum non potuisse disertius suam divinam missionem affirmare. — Nec obscure suam mentem manifestavit, dum a Judæis interrogatus [6] : "Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam", respondit : "Loquor vobis, et non creditis; opera (miracula) quæ ego facio in *nomine Patris* mei, hæc *testimonium perhibent de me*... Ego et Pater *unum* sumus... Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei

[1] *Joan.*, V, 19-46. — [2] *Joan.*, V, 24.
[3] *Matth.*, XVI, 13-19; cfr. *Marc.*, VIII, 27-29; *Luc.*, IX, 1820. De authentia textus *Matt.*, vide infra *Tract. de Ecclesia*, cap. II, art. III.
[4] *Joan.*, VII, 14-29. — [5] *Joan.*, VIII, 18, 42. — [6] *Joan.*, X, 24-39.

factus est, et non potest solvi Scriptura; quem Pater sanctificavit, et *misit in mundum*, vos dicitis quia : blasphemas; qui dixi : Filius Dei sum "... Quæ quidem verba certe probant saltem *divinam Christi missionem* ab ipso clare coram populo fuisse prædicatam.

404. (c) *Aperte* ut Messias *agit;* ingressus est enim in Jerusalem, sedens super pullum asinæ [1], clamantibus pueris : *Hosanna filio David;* et murmurantibus Pharisæis respondit ita impleri Scripturas; sequentibus diebus templum purificat venditores ejiciendo, et in templo docet sicut Messias, prout aperte declarat magistratibus interrogantibus in qua potestate hæc ageret [2].

405. (C) *Tempore passionis suæ*, quando Christus coram *Synedrio* et *Pilato* comparuit, non minus aperte locutus est.

(a) *Coram Synedrio :* cum enim nullum testimonium inveniri posset quo condemnaretur, Princeps sacerdotum surgens ait illi : " Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es *Christus Filius Dei";* dicit illi Jesus : " Tu dixisti; verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cæli " [3]. Porro his verbis Christus significabat saltem se esse *Messiam*, tum quia verba *Christus* (ὁ χριστός) et *Filius Dei* in singulari numero hanc certe significationem præ se ferunt, tum quia sibi vindicat jus sedendi ad dexteram Patris et homines judicandi [4]; præterea propter hanc declarationem, reus mortis judicatus est; porro ineptum fuisset tanquam reum mortis condemnare eum qui Filium Dei *adoptivum* sensu ordinario sese dixisset; ergo Judæi intellexerunt Christum seipsum declaravisse Filium Dei saltem sensu *messianico;* aliunde Christus hanc interpretationem confirmavit libenter mortem accipiendo, sicque proprio sanguine testimonium sigillavit; ergo aperte coram magistratibus suam divinam missionem declaravit.

(b) Coram *Pilato*, Christus confessus est se esse *regem Judæorum* [5]; quæ appellatio certo messianica erat.

406. (D) Tandem, *post resurrectionem suam*, discipulis de divina ipsius missione dubitantibus apparet, ut eos in fide confirmet.

Ita duobus discipulis qui, ipsa die qua surrexit, ibant in castellum nomine Emmaus et mortem ejus lamentabantur, dixit : " O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt

[1] *Zach.*, IX, 9. — [2] *Matt.*, XXI, 1-27.

[3] *Matt.*, XXVI, 62-66; cfr. *Marc.*, XIV, 60-64. Textus *Marci*, in græco, formam aramaicam retinuit.

[4] Cfr. *Ps.* CIX; *Dan.*, VII, 13. — [5] *Matth.*, XXVII, 11.

prophetæ! Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Moyse et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de *ipso* erant"[1]. Sic enim affirmat se *Messiam* esse cujus passionem et mortem prophetæ annuntiaverant. — Similiter undecim apostolis congregatis dixit: "Sicut misit me Pater, et ego mitto vos"[2]; ergo missus fuerat a Patre, et quidem cum munere apostolos instituendi qui evangelium per totum orbem prædicarent.

407. Conclusio. (a) Clare ergo *Christus* ut *Messiam* se esse declaravit, prophetias impleturum et definitivum regnum Dei inchoaturum, uno verbo ut verum Dei legatum ad homines missum.

(b) *Aliquis progressus* in declarationibus Christi apparet: non eo quidem sensu quod initio ignarus et incertus sit de sua missione quam postea didicerit aut credere incœperit; sed quatenus tanquam magister sapientissimus, æque patiens et peritus, gradatim doctrinam tradiderit quæ plerisque Judæis repugnabat. Quia hi exspectabant Messiam temporalem, qui regnum Israeliticum instauraret, opportunum duxit eorum mentes sensim disponere ad regnum suum spirituale recipiendum.

(c) *Valor historicus* hujus testimonii minime negari potest; nam facta et declarationes Christi de sua legatione ita cum integra narratione connectuntur, ut, illis sublatis, tota Evangelii tela descissa maneret, prout constat ex multis locis quæ allegavimus; qui igitur Evangeliorum genuinitatem quoad substantiam admittunt, sine aperta contradictione testimonium Christi de divina sua legatione rejicere nequeunt[3]. Insuper certum est *Apostolos*, jam ab initio suæ prædicationis in Jerusalem, diserte affirmasse Christum esse Messiam: "Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia et Dominum eum et *Christum* (id est *messiam*, secundum modum loquendi Judæorum) fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis[4].

---

[1] *Luc.*, XXIV, 13-53.

[2] *Joan.*, XX, 21; cfr. *Matt.*, XXVIII, 18-20; *Marc.*, XVI, 15-18.

[3] Ita **Harnack***, *Essence du christianisme*, p. 160-161; **J. Weiss***, *Die Predigt Jesu vom Reiche Gottes*, 2ª Ed. 1900. p. 64. **Stevens***, *The Teaching of Jesus*, 1902, p. 90.

[4] *Act.* II, 36; cfr. *Act.* III, 13-26; IV, 10-12; XIII, 27, etc.

Jamvero, si Christus ante mortem diserte suam messianitatem non declarasset, quomodo apostoli, ejus morte perterriti et scandalizati occisum Dominum (et, juxta rationalistas, non vere resuscitatum), tam audacter coram Judæis et magistratibus proclamassent ut verum Messiam, gaudentes contumeliam, flagella, carcerem et necem pro veritate pati? [1]

408. Solvuntur difficultates. Ut jam supra innuimus, testimonium Christi impugnaverunt rationalistæ, modernistæ et protestantes liberales, sive illud negando, sive illud attenuando.

(**A**) Alii, post *Wellhausen*, dicunt : Christus non affirmavit se esse Messiam; sed declarationes hujusmodi, quæ in Evangeliis referuntur, ipsi adscripti sunt a discipulis, qui, post ejus mortem, crediderunt eum resurrexisse, ideoque esse Messiam a Prophetis annuntiatum [2].

Hæc opinio, quæ etiam a plerisque rationalistis repellitur, fundamento caret [3] et totum Evangelium inintelligibile reddit.

409. (**B**) Alii, *Eschatologistæ* dicti, cum *J. Weiss* et *A. Loisy*, fatentur Christum, circa finem vitæ, credidisse et docuisse se esse Messiam, seu potius fore regem regni *eschatologici* proxime futuri; quod reapse non advenit. Igitur ipse erravit; discipuli autem frustra *parousiam* exspectantes, Ecclesiam constituerunt [4].

Quæ opinio falso innititur conceptui de regno Dei a Jesu prædicato : hoc enim regnum, ut infra demonstrabitur, in *Tract. de Ecclesia*, cap. II, art. I; non est *mere eschatologicum*, id est non consistit tantum in adventu glorioso Messiæ novissimis temporibus venturo, sed est etiam regnum progressivum et per sæcula duratu-

---

[1] *Act.*, V, 41.

[2] Ita **Wellhausen***, *Israelitische und Jüdische Geschichte*, 7ª Ed., p. 358-359; **Schmidt***, in *Encycl. biblica* (Cheyne) voce, *Son of Man* § 46; **Wrede***, *Das Messiageheimnis;* **Martineau***, *Seat of authority in religion*, pp. 577-585.

[3] Christus sæpissime vetuit quidem ne ejus proclamaretur messianitas, non quia de dignitate sua dubitabat, sed quia gradatim tantum ut Messias agnosci volebat, ne plebs falsam de eo concipiens ideam, seditionem iniret, sicque totum Dei consilium ad nihilum reduceretur.

[4] **J. Weiss***, *Die Predigt Jesu vom Reiche Gottes;* **A. Loisy,** qui rem ita declarat : "Jésus ne s'est avoué Messie, même devant ses disciples, qu'à une période assez avancée de son ministère, et il a évité de se donner comme tel en public pendant toute la durée de sa prédication galiléenne; en allant à Jérusalem, il avait l'intention de se déclarer Christ, ou l'espérance d'être déclaré tel par la manifestation du royaume céleste; du moins est-ce en qualité de Messie, et en s'avouant tel, qu'il a été comdamné à mort par Pilate, sur la dénonciation du sanhédrin... Comme roi messianique, Jésus sera vicaire de Dieu; tant qu'il prêche l'avènement du royaume, il n'est pas encore entré dans sa fonction providentielle". (**A. Loisy***, *Les Evangiles Synoptiques*, 1907, t. I, pp. 192, 242).

rum. Hoc videlicet regnum cum ipso Christo initium sumens, per ejus prædicationem jam aliquod incrementum suscepit, et nonnisi post multa sæcula consummationem accepturum erat. Dominus ergo Jesus, jam ab initio Messias erat et hujus missionis conscius, ut ex apertis ejus declarationibus patet, nn. 400, 402, 405, etsi ejus *gloriosum* regnum, suæ resurrectionis tempore et prædicatione Evangelii inchoatum, nonnisi fine mundi erat complendum, quando Christus cum gloria venturus est judicare vivos et mortuos.

410. (C) Protestantes *liberales* tandem agnoscunt Jesum sese prædicavisse ut messiam, sed contendunt ideam messianicam non esse nisi formam *exteriorem* et *accidentalem* suæ conscientiæ quam a coævis suis mutuavit; *essentialem* vero partem ejus evangelii nihil aliud esse nisi vividam conscientiam filialis suæ cum Deo Patre relationis [1].

Hæc autem distinctio inter partem *accidentalem*, et *essentialem* evangelii Christi est prorsus arbitraria, solidoque caret fundamento. Id enim essentiale est non quod ut tale *fingimus*, sed quod *Christus clare affirmavit, pro quo mortuus est*, quod præcipuum in Evangelio locum tenet [2]. Jamvero talis certe apparet idea messianica ipsa, quæ ceteroquin non excludit sed potius includit ideam relationis filialis ad Deum.

II. Interpretatio testimonii Christi.

411. *Thesis :* **Spectatis Christi ingenio et indole, testimonium quod de sua divina missione reddidit, verum est; ideoque Christus divinus est legatus.**

412. Probatio thesis. Omnes hodie fatentur Christum *non fuisse deceptorem*, proindeque ipsi persuasum fuisse se divinum esse legatum, missum ad docendos homines veram religionem.

Reliquum est ut ostendatur *nec Jesum fuisse deceptum.*

Christus, ab initio usque ad finem vitæ suæ publicæ, credidit et affirmavit se *a Patre missum fuisse, ad docendos homines doctrinam saluti necessariam*, ut constat ex thesi

[1] Ita **A. Sabatier***, *Esquisse...* pp. 184, 229, 344-345; **A. Harnack***, *L'essence du christianisme*, p. 157-158.

[2] Recte de hoc notat **Loisy***, *L'Evangile et l'Eglise*, 4ª Ed., p. IX. "Ce qui a été essentiel à l'Evangile de Jésus est ce qui tient la première place, et la plus considérable, dans son enseignement authentique, les idées pour lesquelles il a lutté et pour lesquelles il est mort, non celle-là seulement que l'on croit encore vivante aujourd'hui ".

præcedente; immo hanc *divinam missionem* tanquam *dogma præcipuum* proclamavit, quod credere necesse est sub pœna æternæ damnationis [1]. Si deceptus est, hæc esset deceptio *maximi momenti, veraque hallucinatio*, et quidem non transitoria, sed *fere perpetua*. Quando enim Deus intus veritatem alicui manifestat, argumentis internis aut externis eum certiorem reddit de sui sermonis genuinitate; hæc autem signa facile percipiuntur ab homine *sanæ mentis* et *rectæ voluntatis :* deceptio oriri nequit nisi ex statu quodam *pathologico* mentis aut voluntatis.

Inspecta autem Christi indole (n. 389 seq.) nulla in eo apparet morbida dispositio; nullus passionis cæcus impetus. Sed e contra mira animi tranquillitate summaque moderatione, etiam quando ab adversariis incitatus fuit, omnia peregit; nihil exaggerans, sed verba sua ponderans, ita ut in eis etiam inimici nihil reprehendere potuerint, sed eum tanquam virum sapientem ac prudentem, perfecte sui compotem agnoverint atque in omnibus rerum difficultatibus ea simplicitate loquentem quæ immoderatum enthusiasmum excludit [2].

Ergo neque amens, neque hallucinatus fuit, nec ergo deceptus, sed vere est Messias a Judæis exspectatus, divinusque legatus, cujus doctrinam reverenter et obedienter accipere debemus [3].

---

[1] *Joan.*, III, 18; V, 24; VI, 47; *Matt.*, X, 32; *Marc.*, VIII, 38; XVI, 16; *Luc.*, XII, 8; IX, 26 etc.

[2] Quod eloquenter declarat **W. E. Channing***, op. cit., 396 : " The charge of an extravagant, self-deluding enthusiasm is the last to be fastened on Jesus. Where can we find the traces of it in his history? Do we detect them in the calm authority of his precepts; in the mild, practical and beneficent spirit of his religion; in the unlabored simplicity of the language with which he unfolds his high powers, and the sublime truths of religion; or in the good sense, the knowledge of human nature, which he always discovers in his estimate and treatment of the different classes of men with whom he acted? "

[3] Quam Christi *transcendentiam* ita agnoscit **E. Stapfer***, *Jésus-Christ pendant son ministère*, 1896, p. 351 : " En présence d'un tel être, d'un être qui a eu une telle grandeur morale et une telle compassion, qui a possédé une conviction aussi absolue, qui a eu des exigences aussi inouïes, qui a montré un dévouement aussi entier, et qui a joui d'une vie en Dieu et par Dieu si profonde, si intense, si évidemment certaine, le mot de Thomas n'est pas trop fort, et il s'échappe de nos cœurs et de nos lèvres : nous jetons devant Jésus ce cri d'obéissance et d'adoration : Mon Seigneur et mon Dieu "!

413. Rationalistarum explicatio[1]. Rationalistæ conscientiam Christi messianicam quadam *progressiva evolutione* explicare conantur : primum Jesus vividam habuit conscientiam suæ cum Deo intimæ unionis, et sensit se esse filium Dei; deinde paulatim se verum esse messiam a prophetis nuntiatum credidit. Hanc autem persuasionem acquisivit sive prædicationem Joannis Baptistæ audiendo, sive baptismum in Jordane accipiendo, sive postea.

Quæ quidem explicatio, quomodocumque proponatur, admitti nequit. (**a**) Nam si Christus non est vere messias, *graviter deceptus* est de *propria sua natura et missione;* quod admitti nequit nisi amens fuerit. (**b**) Nihil omnino probat allegatam evolutionem conscientiæ Christi : a primo enim instanti vitæ publicæ se tanquam messiam habuit et proclamavit[2], etsi paulatim tantum ejus discipuli huic affirmationi plenum assensum præbuerint[3]. Baptismus Christo conscientiam suæ dignitatis messianicæ non dedit, sed hanc dignitatem aliis manifestavit.[4] Multo ante baptismum, Jesus conscius erat hujus dignitatis, ut constat ex his verbis ad matrem suam : "Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?"[5]; quod non pauci rationalistæ fatentur.[6]

Remanet ergo ut Christum ut verum Dei legatum agnoscamus.

Conclusio totius articuli. Sive indolem Christi, sive ejus de seipso testimonium inspiciamus, vere ut Dei legatus appareret, tanquam Messias a Prophetis prænuntiatus. Jure ergo doctrinam ejus ut veram et divinitus revelatam accipiemus. Ex dotibus enim quæ in Christo fulgent certo constat eum neque deceptorem neque deceptum fuisse, sed virum suprahumanum omni fide dignum. Atqui iterum atque iterum,

---

[1] De diversis criticorum systematibus cf. **M. Lepin**, *Jésus Messie...*, 4e éd., 1910, p. 154 sq.

[2] Quod plane agnoscunt multi Liberales, quales sunt **G. Dalman***, *Die Worte Jesu*, p. 234; et **P. Wernle***, *Die Anfänge unserer Religion*, 1901, p. 27-33, asserit nullibi in Evangeliis Christum ancipitem apparere de sua divina missione, sed ab initio de ea certiorem fuisse; nova quidem de modo suam implendi missionem decursu vitæ didicisse, non autem de ipsa missione; eum ab initio et per totam vitam, interiori quodam impulsu sensisse se non solum a Deo missum, sed etiam actum esse.

[3] "Le seul développement qu'on puisse constater dans les Evangiles, c'est la croissance, dans l'âme des disciples, de leur foi en leur Maître, nullement celui de la foi du Maître en sa mission". (**L. de Grandmaison**, l. c., col. 1376.) *Merito itaque in decreto Lamentabili*, prop. 35 damnata est : "Christus non semper habuit conscientiam suæ dignitatis messianicæ". **D. B.**, 2035.

[4] Cf. **M. J. Lagrange**, *Evangile selon S. Marc*, 1a ed., p. 10-11.

[5] *Luc.*, II, 49.

[6] **Loisy***, *Les évangiles synoptiques*, I, p. 382-383. Loisy tamen valorem historicum narrationis Lucæ negat, sed valde gratuito.

privatim et publice, se divinum esse legatum clare affirmavit. Ergo vere Dei legatus est ejusque doctrinam libenter accipiemus.

Art. II. De miraculis et vaticiniis Christi.

414. Scopus articuli. Teste *Vaticano* [1], miracula et vaticinia sunt divinæ revelationis signa certissima : divinitus enim confirmant assertiones ejus qui declaravit se Dei vices gerere. De miraculis ergo physicis Christi, deque vaticiniis ab ipso probatis, agere maxime interest, ad probandam divinam Christi legationem.

Thesis : **Christus, ad suam divinam missionem probandam, multa historica et divina miracula patravit, multaque edidit vaticinia.** *Historice certum est* (ex mox dicendis), *theologice de fide* [2].

§ I. De miraculis Christi [3].

415. Status quæstionis. Præter miracula a Deo in gratiam Christi patrata, ut sunt Angelorum apparitio pastoribus, stellæ apparitio Magis, testimonium ipsi redditum occasione baptismi et transfigurationis, atque signa quæ ejus mortem comitata sunt, Christus ipse multa fecit miracula ad divinitatem suæ missionis confirmandam. Plus quam quadraginta in Evangeliis *speciatim* referuntur, multoque plura modo generali recensentur [4].

---

[1] **D. B.** 1790. — [2] Ex textibus inspiratis et magisterio ordinario Ecclesiæ. Cf. Decret. *Lamentabili*, prop. 28, **D. B.**, 2028.

[3] **De Grandmaison,** Art. *Jésus-Christ*, in *D. A.*, col. 1446-1472; **S. Thom.**, 3ª, q. 43 sq.; **Suarez,** in 3 part. S. Th., disp. XXXI; **Perrone,** n. 243 sq.; **Card. de La Luzerne,** *Dissert. sur la Religion*, diss. II, p. 2ª; **Frayssinous,** *Défense du Christianisme*, Des miracles évangéliques; **Lacordaire,** 38ᵉ Conférence; **Monsabré,** *Introd. au Dogme*, 28-29ᵉ et 36ᵉ Conférence; **Brugère,** n. 75 sq.; **Lambrecht,** p. 384 sq.; **Newman,** *Essays on Miracles*, p. 70 sq.; **Schanz,** *A Christian Apology*, vol. II, c. 18, p. 560 sq.; **G. Campbell***, *A dissertation on Miracles*, p. II; **C. A. Row***, *Evidences of Christianity*, lect. II; **Picard,** *Chrétien ou Agnostique*, p. II, ch. I; **A. B. Bruce***, *The miraculous element in the Gospels*, New York, 1897, p. 79 sq.; **Fonck,** *Die Wunder des Herrn in Evangelium exegetisch*, Innsbruck, 1903; **Brassac***, *Man. Biblique*, t. III, n. 250-274; **L. Fillion,** *Les miracles de N. S. Jésus-Christ;* **J. Bourchany,** *op. cit.*, p. 127-269.

[4] Secundum **de Grandmaison,** l. c., col. 1448, 41 numerantur miracula aut series miraculorum, quorum 24 apud Matt., 22 apud Marc., 24 apud Luc. et

416. 1° Juxta *S. Thomam* (3, q. 44), Christus, ad ostendendum omnem creaturam sibi esse subjectam, in *omnibus creaturarum generibus* miracula patravit : (**A**) circa *spirituales substantias*, dæmones expellendo; septem præsertim commemorantur miracula hujusmodi; videlicet in synagoga Capharnaum dæmonium exire jubetur; alibi dæmonium ejicitur quo homo surdus et mutus factus fuerat; in regione Gerasenorum duo dæmoniaci liberantur, et dæmones ejecti in porcos abire jubentur; postea mutus dæmoniacus curatur; filia mulieris Chananææ a dæmone liberatur, itemque lunaticus et mulier quæ habebat spiritum infirmitatis [1]. Sed insuper hæc et similia in Evangeliis legimus : "Obtulerunt ei multos dæmonia habentes et ejiciebat spiritus verbo" [2]. — Angeli autem in deserto Christo ministrant, et unus ex eis eum in horto Gethsemani confortat [3].

417. (**B**) Circa *cælestia corpora*, quando videlicet stella in ejus nativitate apparuit, vel quando tenebræ factæ sunt in ejus morte [4].

(**C**) Circa *homines*, quosdam resuscitando, alios curando. (**a**) Tres *mortuos suscitavit :* filium viduæ Naim, filiam archisynagogi Jairi, atque Lazarum jam quatuor diebus sepultum [5]. (**b**) Quindecim *curationes* perfecit, videlicet leprosi, S. Petri socrus, paralytici ad probaticam piscinam, alius paralytici, servi centurionis, manus aridæ, filii cujusdam reguli, mulieris quæ fluxum sanguinis patiebatur, duorum cæcorum, surdi-muti, cæci apud Bethsaidam, hydropici, decem leprosorum, cæcorum apud Jericho, cæci nati [6]. Præterea multo plures alios sanavit, ut ex his similibusque verbis colligi potest : "Et multitudo copiosa plebis ab omni Judæa et Jerusalem et maritima et Tyri et Sidonis, qui venerant, ut audirent eum et sanarentur a languoribus suis" [7].

418. (**D**) Circa *creaturas irrationales*, v. g., quando Cana, in Galilæa, aquam in vinum mutavit, tempestatem subito sedavit solo vocis imperio, super aquas ambulavit, Petrum in mari ambulantem

---

9 apud Joan., narrantur; quorum 6 a duobus Evangeliis referuntur, 16 a tribus, 17 ab uno.

[1] *Marc.*, I, 23-27; *Matt.*, XII, 22-45; *Matt.*, VIII, 28-35; IX, 32-33; XV, 21-28; XVII, 14-20; *Luc.*, XIII, 11-13.

[2] *Matt.*, VIII, 16; *Luc.*, VI, 17-18.

[3] *Matt.*, IV, 11; *Luc.*, XXII, 43. — [4] *Matt.*, II, 2; *Luc.*, XXIII, 44.

[5] *Matt.*, IX, 18-26; *Luc.*, VII, 11-17; *Joan.*, XI, 1-45.

[6] *Matt.*, VIII, 1-4; VIII, 14-15; *Joan.*, V, 1-15; *Matt.*, IX, 1-7; VIII, 5-13; XII, 9-13; *Joan.*, IV, 46-54; *Matt.*, IX, 20-22; IX, 27-31; *Marc.*, VII, 32-37; VIII, 22-26; *Luc.*, XIV, 2-6; XVII, 12-19; *Matt.* XX, 29-34; *Joan.*, IX, 1 sq.

[7] *Luc.*, VI, 17-18; *Matt.*, IV, 23; VIII, 16.

sustentavit, et paucis panibus piscibusque ingentem multitudinem nutrivit [1].

419. 2° Immo Christus *Apostolis suis potestatem miracula patrandi contulit*, sive quando septuaginta duos discipulos ad oves quæ perierant domus Israel, sive quando duodecim in universum orbem misit [2], eis potestatem tradens miracula faciendi, et quidem majora quam ipse fecerat [3]. Quam quidem potestatem feliciter exercuerunt; nam, post primam missionem, reversi sunt septuaginta duo cum gaudio dicentes : "Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo" [4]. Apostoli autem, post Pentecosten, multos pariter curarunt : "Multa quoque prodigia et signa per Apostolos in Jerusalem fiebant... Multa in plebe per manus Apostolorum fiebant signa et prodigia; ita ut in plateas ejicerent infirmos, et ponerent in lectulis et grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis" [5].

420. Sicut in declarationibus messianicis, ita etiam per miracula *Christus sese nonnisi progressive manifestavit.* Ne forte turbæ seditiones excitarent, sæpe vetuit ne fama prodigiorum diffunderetur; aliunde recusavit signum de cælo patrare, non ex impotentia quidem [6], sed quia volebat miracula sua esse testimonia de seipso et de sua bonitate, non autem falsam de Messia ideam confirmare.

421. Quibus positis, divinitas missionis Christi dupliciter demonstrari potest, vel ex miraculis *singillatim* sumptis, vel ex eisdem *collective* spectatis. Posteriorem methodum ut *breviorem* simul et *efficaciorem* amplectimur. Nam etiamsi semel aut bis accidere potuisset ut Evangelistæ, vel testes e quibus facta miraculosa didicerunt, aliquam facti *circumstantiam* omisissent, unde facti natura paulisper mutaretur; aut circa *supernaturalitatem* facti decepti fuissent; aut circa ejus *cum revelatione connexionem;* — at certe non centies, non semper id accidisse vir *prudens* admittet [7].

Quo melius vis argumenti perspiciatur, sic arguimus : ut miracula evangelica divinam Christi missionem probent, tria requiruntur et sufficiunt : 1° ut *historice* certa sint; 2° vere

[1] *Joan.*, II, 1 sq.; *Matt.*, VIII, 23-27; XIV, 26-31; *Joan.*, VI, 19-21; *Matt.*, XIV, 15 sq.; XV, 32. — [2] *Luc.*, X, 9; *Matt.*, X, 8; *Marc.*, XVI, 17.
[3] *Joan.*, XIV, 12. — [4] *Luc.*, X, 17.
[5] *Act.*, II, 43; V, 12; IX, 34-40; XIX, 11-12; XX, 9-12.
[6] Cf. *Matt.*, IV, 3; XXVI, 53.
[7] Quod argumentum optime evolvit Brugère, l. c., p. 206-210.

supernaturalia divinaque; 3° in *confirmationem missionis* Christi patrata. Atqui hæc tria constant.

I. Miracula Christi historice certa sunt.

422. Probatur. Christi miracula historice certa esse jam colligi potest ex dictis ubi de Evangeliorum *historica* auctoritate. Ibi enim probatum est sacros scriptores ea quæ narrant, optime cognovisse, quippe qui ea vel viderint vel ex testibus oculatis didicerint, et aliunde ea honestate, simplicitate et veracitate fulgeant, quæ in testibus desiderantur. Cum vero nonnulli sint Rationalistæ, qui, dum pleraque facta Evangelica admittunt, miracula tamen rejiciant, aliquot contra illos argumenta subjungere opportunum erit, quæ desumuntur ex *intima connexione miraculorum cum aliis factis*, et ostendunt illa sine his logice negari non posse.

423. 1° Imprimis testes qui ea referunt *iidem* sunt ac illi qui alia facta narrant, proindeque *æqualiter fide digni :* cur enim in his omni fide, in istis nulla fide digni? — Nec dicatur miracula non tam facile dignosci ac cetera eventa; nam, eo ipso quod *extraordinaria* sunt, majorem excitant attentionem et dilucidius investigantur. — Aliunde præcipua Christi miracula non solum sensibilia, sed etiam *publica* erant, non in vico aut angulo sed in civitatibus et plateis, nonnunquam in ipsa civitate Jerusalem patrata [1], coram maxima populi multitudine, immo haud raro coram inimicis, coram Scribis et Pharisæis, qui nihil intentatum reliquerunt ad eorum existentiam denegandam. — *Nec omnes testes erant plebeii :* quidam scientia et auctoritate inter Judæos pollebant, ut Nicodemus, Jairus, Centurio, Zachæus, Lazarus, Scribæ et Pharisæi, Sacerdotes et Sanhedritæ [2].

424. 2° Præterea de nonnullis miraculis *juridica* instituta est inquisitio ab ipsis inimicis Christi [3].

---

[1] *Joan.*, II, 23; V, 1-16; IX, 1-34; XI, 47.

[2] *Joan.*, III, 1-2; *Marc.*, V, 22-43; *Matt.*, VIII, 5-13; *Joan.*, XI, 45-47.

[3] *Joan.*, V, 10-16; IX, 1-34. Miraculum cæci nati (*Joan.*, IX) et Pharisæorum hac de re investigationem non minus lepide quam solide exponit **F. Vigouroux**, *Les Livres Saints et la Critique Rationaliste*, Paris, 1886, Introduction, vol. I, p. 82 sq.

Sumamus in exemplum *curationem cæci nati.* (**a**) Statim ac miraculum patratum fuit, *vicini* qui cæcum antea noverant, diligenter inquirunt a quo et quomodo sanatus fuerit. (**b**) Postea eum adducunt ad *Pharisæos*, qui triplicem hac de re investigationem instituunt; primum quidem *eum qui cæcus fuerat* interrogant, eumque variis modis ad miraculum negandum invitant, sed frustra; postea *parentes ejus* vocant, et ab eis quærunt num hic sit filius eorum, num vere cæcus fuerit et quomodo nunc videat; nec satis, *iterum vocant eum qui cæcus fuerat*, eumque urgent ut det gloriam Deo verumque dicat; *captiosas* insuper proponunt quæstiones, ut eum in verbis capiant; sed, cum ille primam narrationem confirmaret, eorumque fallacias eluderet, nihil aliud facere potuerunt nisi ei maledicere. Quid tandem plura desiderantur? Numquid scientifica Academia magis accurate rem investigare potuisset?

425. 3° Sed insuper facta miraculosa cum tela evangelicæ narrationis ita *contexta* sunt, ut negari non possint nisi simul *tota Christi historia rejiciatur.* (**a**) Ita, v. g., strenua fides Apostolorum in ejus divinam missionem non explicatur nisi ex miraculis quorum testes fuerunt; ita, post miraculum Canæ, crediderunt in eum discipuli ejus [1]; post sedatam tempestatem, intra se dicunt : "Quis, putas, est iste, quia et ventus et mare obediunt ei? [2]. Nicodemus ipse credidit propter signa quæ viderat [3]. (**b**) Amotis miraculis, jam non explicatur turbæ zelus ad Christi prædicationem audiendam [4], nec odium quo Jesum Scribæ et Pharisæi prosequebantur [5]. (**c**) Tota prædicatio Domini, cunctæque ejus controversiæ ad miracula ab eo patrata appellant [6]. (**d**) Denique, nisi Jesus ipse donum miracula patrandi habuisset, quomodo illud apostolis conferre ausus esset? [7]

Uno verbo, vita Domini ejusque passio et mors, sublatis miraculis, inexplicabilia essent ænigmata [8].

---

[1] *Joan.*, II, 11. — [2] *Marc.*, IV, 40. — [3] *Joan.*, III, 2.

[4] *Marc.*, I, 32-38; *Joan.*, II, 23. — [5] *Marc.*, VI, 14-16; *Joan.*, XI, 47-48.

[6] *Marc.*, III, 1-6; *Joan.*, X, 22-39. — [7] *Matt.*, X, 1-4; *Marc.*, VI, 7.

[8] Quod fatentur nonnulli rationalistæ, ut **Seeley***, *Ecce homo*, p. 51 : "In Christi consiliis miracula tam magnum locum obtinent, ut theoria quæ discipulorum imaginationi aut recentiori ætati ea in totum tribuat, Evangeliorum fidem non ex parte, sed omnino destruat, et Christum virum commentitium, uti Herculem, efficiat. Si character in Evangeliis expressus, in primariis circumstantiis verus et historicus est, ipsa quidem fide digna sunt; et si ita est, ipse Jesus miraculorum fidejussor est. In hoc casu eorumdem miraculorum veritas ab

426. 4° Tandem ad miracula Christi ut ad *notissima* facta fidenter provocant tum Apostoli tum Patres. Ita v. g., *Petrus* Judæos alloquitur : " Jesum Nazarenum virum approbatum a Deo in vobis, *virtutibus* et *prodigiis* et *signis* quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut et *vos scitis...* [1] " Item *Quadratus*, Apologeta ex Asia ortus, ad Adrianum Imperatorem, circa initium secundi sæculi, apologiam scripsit, in qua ad miracula Christi provocat ad probandam hujus missionis divinitatem [2]. Jamvero Apostoli eorumque successores tam confidenter ad illa miracula appellare non potuissent, nisi certa et extra controversiam fuissent. Revera Judæi sive Christo coævi, sive posteriores, qui in *Talmude* scripserunt, aut pagani scriptores, ut *Celsus* [3], mira Christi opera non negarunt, sed magicis artibus pariter tribuerunt. Jamvero si miracula Christi essent solummodo pia discipulorum inventa, nonne eorum coævi, præsertim religionis Christianæ hostes, illud aperte declaravissent? [4] Ergo historice negari non possunt hujusmodi miracula.

---

opinione quam de Christi veracitate homines habent, maxime pendet, et hæc opinio in tota Christi vita recte cognita fundari debet ". Cfr. **Holtzmann***, *Die synoptichen Evangelien*, p. 509.

[1] *Act.* II, 22; *Rom.* XV, 19; I *Cor.* XV, 13-21 etc.; *Act.* X, 37-39.

[2] " Servatoris nostri opera semper conspicua erant, quippe quæ vera essent : ii scil. qui morbis liberati aut qui ex morte ad vitam revocati fuerant. Qui quidem non solum dum sanabantur, aut dum ad vitam revocabantur, conspecti sunt ab omnibus, sed secuto deinceps tempore. Nec solum quamdiu in terris moratus est Servator noster, verum etiam post ejus discessum diu superstites fuerunt, adeo ut nonnulli eorum etiam nostra usque tempora pervenerint ". Apud **Eusebium**, *Hist. Eccl.*, l. IV, c. 3 (*P. G.*, XX, 307). **R.** 109.

[3] Apud **Origenem**, *Adv. Celsum*, I, 68; **R.** 517.

[4] Hic prætermittere non possumus celeberrimum **Jos. Flavii** testimonium (*Antiquit.*, l. XVIII, c. 3, n. 3; **K.** 7) : " Fuit autem hoc tempore Jesus vir sapiens, si tamen virum illum oportet dicere. Erat enim mirabilium operum effector, magister hominum, qui vera libenter amplectuntur. Et plurimos quidem ex Judæis, plurimos ex Gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus. Cumque eum a primoribus gentis suæ accusatum Pilatus ad crucem damnasset, ab eo diligendo non abstinuerunt qui primum cœperant, nam post tertium diem redivivus ipsis apparuit, cum divini vates hæc aliaque quam plurima admiranda de eo prædixissent ". Nec tamen hoc testimonio insistimus, nam a sæc. XVI° ejus genuinitas in dubium a nonnullis revocata est, licet a multis adhuc propugnetur, cum in omnibus manuscriptis reperiatur; juxta alios, locus non est spurius, sed aliquo modo adulteratus : ita, v. g., Josephus non scripsit " hic *erat* Christus ", sed " hic *dicebatur* Christus ". Nostrum non est litem dirimere.

427. Confirmatur demonstratio : (A) *Comparatione* horum miraculorum *cum iis quæ in evangeliis apocryphis referuntur*[1]. In evangeliis canonicis nihil nisi grave, sanctum, eximia persona Christi dignum; in apocryphis opera narrata ad id tantum tendunt ut admirationem excitent : unde mirabilia narrantur qualia in omnibus fabulis leguntur, plus minusve ridicula et Deo prorsus indigna.

428. (B) *Rationalistarum falsis explicationibus.* Hodierni rationalistæ non omnia prorsus evangelica miracula indiscriminatim rejiciunt[2], sed inter *majora* et *minora* distinguunt : priora *a priori* rejiciunt, eaque explicare nituntur processu quodam *idealisationis progressivæ* qui in secunda aut tertia generatione christiana locum habuit; *posteriora*, qualia sunt sanationes a quibusdam morbis retinent, sed naturaliter explicare conantur[3].

Hæc autem distinctio omni historico caret fundamento. (a) Si majora miracula *idealisationis processu* orta essent, in recentioribus evangeliis tantum invenirentur : atqui relata inveniuntur in antiquioribus evangeliis, v. g., multiplicatio panum, deambulatio Christi supra mare[4]. (b) Explicationes autem quas hodierni etiam critici ad miracula explicanda tradunt, vividam quidem imaginationem ostendunt, sed omni historica probabilitate destituuntur, et falso nituntur fundamento, nempe omne *supernaturale* prorsus eliminandum esse[5].

Nonne magis scientificum est retinere miraculosa facta ab omnibus Evangelistis relata, ceteroquin fide dignis, eorumque naturam mature expendere?

II. Miracula Christi vere supernaturalia et divina sunt.

429. 1° **Miracula Christi vires naturales superant.** Hodierni Rationalistæ sat libenter concedunt facta hujus-

---

Recenter **A. Tricot** authentiam textus defendere conatus est, *Le témoignage de Josèphe sur Jésus*, in *R. A.*, 15 avril, 1 mai 1922 (p. 73-85, 138-152).

[1] Cf. **Ch. Michel et P. Peeters,** *Evangiles apocryphes*, I, Paris, 1911; Art. *Apocryphes* in *D. A.*, **(M. Lepin).**

[2] **Harnack***, *Essence du christianisme*, p. 37-43.

[3] Ita **W. Heitmüller**, ap. *L. de Grandmaison*, l. c., col. 1451 : " Non seulement nous pouvons, mais nous devons traiter avec défiance tout ce qui porte le caractère de miracles extraordinaires, et nous ne devons admettre dans le domaine du possible que ceux des éléments merveilleux dans lesquels la confiance personnelle (du malade) pouvait jouer un rôle. Cfr. **Harnack***, *op. cit.*, p. 42. — [4] *Matt.*, XIV, 13-36; *Marc.*, VI, 31-56.

[5] Explicationes quas tradit *A. Loisy* exponit **Lepin**, *Les idées de M. Loisy*, Paris, 1908, p. 185-195.

modi vere coævorum mirationem movisse, et ab ipsis ut miracula habita fuisse, sed contendunt eadem naturalia esse, nec ut præternaturalia agnita fuisse nisi propter naturalium legum ignorantiam, et innatam propensionem tunc temporis vigentem tanquam miraculosum habendi quidquid eorum scientiam superabat [1]. In hoc tamen errant, ut ex sequentibus patebit :

(**A**) Coævi enim Christi, sicut et hodierni Orientales, *nimis credulí dici nequeunt;* natura enim sua nimis diffidentes sunt nec facile admittunt mirabilia quæ narrantur [2]. Unde valde pauca prodigia referuntur, v. g., apud *Flavium Josephum.*

(**B**) Etsi forsan tempore Christi homines proni fuissent ad miracula facile admittenda, *Pharisæi* aliique multi, qui *Domino infensissimi* erant, nullum non moverunt lapidem ut ejus auctoritatem infirmarent, probarentque prodigia ab ipso patrata minime miraculosa esse. Nonne odium aciem oculorum et intellectus acuit, ad detegendas fraudes, si quæ essent, in ratione agendi adversarii? Si igitur infensissimi hostes opera hujusmodi ut præternaturalia habuerunt, talia fuisse admodum probabile est.

430. (**C**) Præterea, si coævi decepti sunt circa horum operum supernaturalem characterem, facta ipsa recte videre et referre tamen potuerunt, nostraque refert ea expendere, et dijudicare num, inspectis tum *natura* eorum, tum *modo* quo peracta sunt, vere præternaturalia sint. (**a**) Jamvero etsi de nonnullis factis dubitari posset utrum leges naturæ superent annon, certo certius *nonnulla sunt de quibus nullum sit rationabile dubium;* v. g., subita paralytici curatio, qui per triginta octo annos infirmus fuerat [3]; instantanea cæci nati sanatio, luto et sputo solum adhibitis [4]; leprosi solo tactu perfecta curatio; sanationes in distans solo verbo effectæ; a fortiori mortui resurrectio jam fœtidi, et alia hujusmodi quæ coram multis testibus peracta sunt, sine absurditate naturalia dici nequeunt.

[1] Ita auctor operis *Supernatural Religion*, vol. I, p. 98. Ita etiam **Harnack** *, *L'essence du christianisme*, p. 37-38.

[2] Cf. **Lagrange**, *Le sens du christianisme...*, p. 119.

[3] *Joan.*, V, 5-9. — [4] *Joan.*, IX, 6-7.

(b) Res evidentius etiam patebit, si attendatur *modus* quo patrata fuere : Christus enim inopinate, sine ulla præparatione, absque ullo remedio, quandoque etiam in distans [1], sæpe solo nutu aut verbo aut tactu, morbos incurabiles, vel saltem qui nonnisi post longum tempus curari valent, instantanee maximaque facilitate sanabat [2].

(c) Attendantur etiam *multitudo* et *varietas* operum mirabilium quæ fecit; *certitudo* qua ejus imperio statim respondit eventus; *stabilitas* effectuum quos produxit, quum ægroti ab eo curati longam postea vitam duxerint, ut ex citato Quadrati testimonio colligitur; nec ullum remanebit dubium; sed potius cum *Arnobio* dicere fas erit [3]. " Potestisne aliquem nobis designare, monstrare ex omnibus illis magis viris, qui unquam fuere per sæcula, consimile aliquid Christo millesima ex parte qui fecerit "?

431. 2° **Falsæ rationalistarum explicationes.** Cum ars medica nostris temporibus multum sane profecerit, nonnulli contenderunt facta miraculosa *mentali suggestione*, *hypnotismo*, *fidei* influxu in corpus vel *psychoterapia* explicanda esse [4]. Sed incassum. In multis enim differunt

[1] *Matt.*, VIII, 5-13.

[2] Quod etiam valeret de *sanatione possessorum a dæmone*, si, dato non concesso, admitteres cum rationalistis possessos tantummodo esse nervoso morbo afflictos (*des grands nerveux*). Si autem existentiam et actionem dæmonis admittis, evidens est sanationes possessorum esse miracula primi ordinis, signum non negandum adventus regni Dei per Christum. Cf. *Luc.*, XI, 21-22; *Joan.*, XII, 31-33; XVI, 11. Contra opinionem rationalistarum qui possessos ut ægros considerant, aperte militat narratio evangelica de sanatione possessi a Legione dæmonum (*Marc.*, V, 1-17) : simplex ægrotatio efugata gregem porcorum in mare non præcipitaret! — [3] **Arnobius**, *Adv. Gentes*, lib. I, c. 43.

[4] Ita, v. g., **Carpenter** *, *Contemporary Review*, Jan. 1876, ubi miracula explicare nititur per actionem mentis in corpus : animadvertit siquidem curationes, in Evangeliis relatas, *semper fidei* ascribi, ita ut Christus miracula non patraverit in patria sua, propter incredulitatem eorum. Ita etiam **Skepto** *, *L'hypnotisme et les religions*, ch. 3; **Binet et Ferret** *, *Le magnétisme animal*. Cf. etiam quæ infra de *Christian Science* dicturi sumus, in *appendicibus*. — Ad quorum confutationem cfr. **C. A. Row** *, *Christian Evidences*, p. 410 sq.; **De Bonniot**, *Le miracle et ses contrefaçons; Le miracle et les sciences médicales*, 1879; **Coconnier**, O. P., *L'hypnotisme franc*, Paris, 1897; **Méric**, *Le Merveilleux et la Science*, Paris, 1888. — Quoad vim suggestionis in genere, cfr. **Bernheim**, *Hypnotisme, Suggestion, Psychothérapie*, 2e édition, Paris, 1903; **Dr Grasset**, *L'hypnotisme et la suggestion*, Paris, 1904; *Le Psychisme inférieur*, Paris, 1906; *Introduction physiologique à l'étude de la Philosophie*, 1908.

hypnotica prodigia ab evangelicis miraculis : 1) hæc enim non limitantur ad *quædam* curationum genera, sed ad *omnia* sese extendunt; ita curantur non solum ii qui nervorum commotione turbantur, sed etiam leprosi, surdi-muti, cæci nati; imo mortui suscitantur; tempestas sedatur, panes multiplicantur aliaque phænomena producuntur, ad quæ hypnotismus, fatentibus adversariis, sese non extendit.

2) Præterea magnetismus et hynotismus *non repente* et subito, *nec sine adhibitis mediis*, miros effectus producunt; sed aliquod temporis intervallum variaque requirunt media, ut paulatim ac repetita suggestione ægri intimam ac certam persuasionem habeant de curatione obtinenda. Christus autem *instantanee sine adminiculis*, solo nutu aut tactu miracula perfecit.

3) Nec dicatur Ipsum semper fidem seu fiduciam postulasse, antequam ea patraret; in nonnullis enim casibus nullam exegit fiduciam [1]; aliquando eam expetivit non ab ipsis infirmis, sed ab iis qui eorum postulabant curationem [2]; quod quidem fecit, contextu inspecto, non quasi fiducia miraculi causa esset, sed ut melius divinitatem suæ missionis demonstraret. — Quandoque etiam miracula fecit *in distans*, ut in casu filii Chananææ mulieris, simplici actu voluntatis, absque ulla mentali suggestione [3].

4) Nec ejus miracula tribui possunt *ignotis naturæ viribus :* hæ enim vel *fortuito casu* Christo obediebant, vel quia *ipsi* erant *notæ;* prima hypothesis non solum improbabilis, sed et ridiculosa est, attentis numero et qualitate miraculorum; secunda autem supponeret Christum scientia vere *miraculosa* præditum esse.

Certum est igitur Christi miracula esse *præternaturalia.*

432. 3° **Divinitas miraculorum Christi.** Quod breviter perstringimus : tot enim circumstantiis ita evidenter digitus Dei in eis apparet ut nonnisi divinæ virtuti adscribi valeant. (a) *Persona Christi* omnibus virtutibus prædita, *doctrinaque ejus* omnino excellens, certe actionem Dei suggerunt.

[1] *Matt.*, XII, 22; *Luc.*, XVII, 12-14; VII, 2-10, 14; *Joan.*, IX, 6.
[2] V. g. quoad filiam mulieris Chananææ, *Matt.*, XV, 22-28.
[3] *Matt.*, VIII, 5-13; XV, 22-28.

(b) Inter ejus miracula recensentur *quædam opera*, quæ nonnisi Deo attribui possunt, sicut resurrectiones mortuorum, quasi-creationes materiæ, substantiarum mutationes subitæ, dæmoniorum ejectiones.

(c) Iterum si attendantur miraculorum *circumstantiæ*, nil nisi bonum, honestum, beneficum, Deo prorsus dignum in eis apparet; si attendantur *fructus*, optimi sane fuerunt, scilicet discipulorum emendatio, multorum Judæorum Gentiliumque conversio, vitiorum correctio, Romani Imperii reformatio. Jamvero "a fructibus eorum cognoscetis eos... non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere" [1]; ergo miracula Christi nonnisi a Deo esse possunt.

III. Miracula Christi in confirmationem divinæ ejus missionis peracta sunt.

433. Ex multis Evangelii locis colligitur.

(A) *Ipse enim ad opera, id est miracula sua sæpius provocat*, quando sive discipulos sive plebem vult convincere de divinitate suæ missionis. (a) Joannis Baptistæ discipulis sciscitantibus num esset Christus seu Messias, Jesus miracula coram eis patravit, et hisce verbis respondit, quibus Isaias usus fuerat ad describenda Messiæ tempora : "Euntes renuntiate Joanni, quæ audistis et vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt" [2]. Numquid apertius declarare poterat se esse Messiam ab Isaia prænuntiatum, et miracula a se patrata certissimam esse suæ divinæ legationis notam? Judæis inquirentibus num Ipse Christus esset, ait : "Loquor vobis et non creditis : opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me"; quod infra his verbis confirmat : "Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre" [3].

[1] *Matt.*, VII, 16-18.
[2] *Matt.*, XI, 4-5; *Luc.*, VII, 21.
[3] *Joan.*, X, 24, 37-38.

(b) Quin immo id in nonnullis casibus, antequam miracula perficeret, *magis explicite* etiam declaravit. Ita, v. g., Lazarum ad vitam revocaturus, elevatis sursum oculis, dixit : " Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis; sed propter populum qui circumstat, dixi, *ut credant quia tu me misisti* " [1]. Certo igitur miracula patravit directe in confirmationem divinæ suæ legationis.

(c) Tándem aliqua miracula patrata sunt tanquam *fidei messianicæ proœmium*, ut apparet in casu centurionis aliisque [2].

434. (B) *Nec aliter rem intellexerunt ejus discipuli.* Nicodemus, miraculis ejus visis, divinam ejus auctoritatem statim agnovit : " Scimus quia a Deo venisti magister : nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo " [3]. Discipuli, post et propter miraculum in Cana patratum, crediderunt in eum [4]; cæcus natus pariter in Jesum credidit postquam ab Eo sanatus est [5]. Hinc Joannes, circa finem Evangelii, declarat miracula Christi ideo relata fuisse, ut lectores in eum credant : " Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus " [6]. Apostoli divinitatem missionis Christi probant ex ejus miraculis, præsertim ex ejus resurrectione, ejusque transfiguratione, quando scilicet audita est vox Patris dicens : " Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui " [7].

435. Conclusio. Jamvero si Christus tot et tanta fecit miracula ad demonstrandum se esse Dei legatum, si miraculis hujusmodi tot viros ingenio et virtute præditos ad se traxit, fateri cogimur Deum ipsum ejus adstipulatorem fuisse, divinoque sigillo ejus opera doctrinamque obsignasse. Credere igitur debemus Jesum esse vere divinum legatum, nisi Dei existentiam ejusque providentiam negare velimus [8]. Merito proinde cum *Richardo a S. Vi-*

---

[1] *Joan.*, XI, 41-42. Cf. *Marc.*, II, 9-10.
[2] *Matt.*, VIII, 5-13; *Marc.* VII, 24-30; X, 46-52.
[3] *Joan.*, III, 2. — [4] *Joan.*, II, 11. — [5] *Joan.*, IX, 35-38.
[6] *Act.*, I, 22; II, 32-37; 1 *Cor.*, XV, 14-18 etc. — [7] *II Petr.*, 16-18.
[8] **De Grandmaison,** *l. c.*, col. 1471 : " Les miracles constituent le sceau divin en faveur de Jésus, sceau divin sur une vie qui, à tant de titres, appelle

ctore [1] concludere licet : " *Domine, si error est, a Teipso decepti sumus;* nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quæ nonnisi *per Te* fieri possunt ".

§ II. De vaticiniis Christi [2].

Duo hic probare intendimus : 1° Christum plura *vere prædixisse;* 2° ex his vaticiniis *divinam ejus missionem legitime inferri.*

436. I. Christus clare et minute multa prædixit futura contingentia, quæ adamussim adimpleta sunt. Christum *occulta cordium* novisse, necnon *futura*, e multis Evangelii locis eruitur [3]. Præcipua recensebimus inter ea quæ prædixit circa *seipsum*, suos *discipulos*, *Ecclesiæ fata*, necnon et *Judæos*. Quo melius res pateat, ex una parte vaticinium, ex altera ejus adimpletionem referemus.

1° Circa Christi passionem et resurrectionem.

437. Christus non semel tantum, sed *ter* saltem, *aperte* [4], cum *minutis circumstantiis*, passionem suam annuntiavit : post confessionem Petri [5], post curationem lunatici [6], — post parabolam de operariis in vineam missis [7]; et quidem tempore quo hæc omnia humano modo prævideri non poterant, ita ut prima vice Petrus Magistrum objurgaverit, dicens : " Absit a te, Domine; non erit tibi hoc. "

" Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et scribis et senioribus, et dam-

" Tenentes Jesum duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, ubi scribæ et

---

cette ratification suprême. Il paraît donc à la fois prudent et bon de croire en celui que recommandent de telles œuvres ".

[1] **Richardus a S. Vict.,** *de Trinit.*, l. I, 2, P. L., CXCVI, 891.

[2] **L. de Grandmaison,** Art. *Jésus-Christ* in *D. A.*, col. 1417-1446; **Lepin,** *Jésus Messie et Fils de Dieu*, 4ª ed. 1910, p. 372-422.

[3] *Matt.*, IX, 4; XI, 23; XII, 25; *Luc.*, V, 21-22; IX, 46, 47; XIII, 32-33, etc.

[4] Multoties, quanquam magis obscure, Christus passionem et resurrectionem suam prædixit : v. g., *Marc.* II, 18-20, ex quo infertur jam ab initio vitæ publicæ Christum exitum suum cognovisse; cf. *Marc.* XII, 1-12; X, 35-45; XIV, 6-9, 17-31; *Joan.*, 11-21.

[5] *Matt.*, XVI, 20-23; *Marc.*, VIII, 30-33; *Luc.*, IX, 21-22.

[6] *Matt.*, XVII, 21-22; *Marc.*, IX, 29-31; *Luc.*, IX, 44-45.

[7] *Matt.*, XX, 17-19; *Marc.*, X, 32-34; *Luc.*, XVIII, 31-34.

nabunt eum morte, et tradent eum Gentibus, et illudent ei, et conspuent eum, et flagellabunt eum, et interficient eum, et tertia die resurget " [1]. Apud Matthæum idem invenitur sed insuper *crucifixio* prædicitur [2]. — De resurrectione Christi fusius infra dicemus.

seniores convenerant... qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis... vinctum adduxerunt eum, et tradiderunt Pontio Pilato præsidi... Jesum flagellatum tradidit eis, ut crucifigerent... et exspuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus " [6].

2° Circa discipulos.

438. Inter ea quæ Christus de discipulis prædixit, hæc notentur : —

(a) *Discipulorum fuga* : " Omnes vos scandalum patiemini... in ista nocte : scriptum est : Percutiam pastorem et dispergentur oves gregis. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam " [3].

" Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt... Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam in montem, ubi constituerat illis Jesus... " [7].

(b) *Petri trina negatio* : " Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis " [4].

" Ille autem cœpit anathematizare et jurare : Quia nescio hominem istum, quem dicitis. Et statim gallus iterum cantavit " [8].

(c) *Judæ proditio* : " Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est... Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit : Numquid ego sum, Rabbi? Ait illi : Tu dixisti " [5].

" Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duodecim venit, et cum eo turba multa cum gladiis et fustibus... " [9].

---

[1] *Marc.*, X, 33. — [2] *Matt.*, XX, 17-19. — [3] *Matt.*, XXVI, 31.
[4] *Matt.*, XXVI, 34. — [5] *Matt.*, XXVI, 21-25.
[6] *Matt.*, XXVI, 57; *Marc.*, XIV, 64; *Matt.*, XXVII, 2, 26, 30.
[7] *Matt.*, XXVI, 56; XXVIII, 16.
[8] *Marc.*, XIV, 71. — [9] *Matt.*, XXVI, 47-49.

(**d**) *Apostolorum persecutiones :* " Tradent vos in conciliis et in synagogis suis flagellabunt vos; et ad præsides, et ad reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus... " [1].

" Et injecerunt in eos manus, et posuerunt eos in custodiam in crastinum... Et convocantes Apostolos, cæsis denuntiaverunt ne omnino loquerentur in nomine Jesu... " [4].

(**e**) *Petri mors et crucifixio :* " Cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget et ducet quo tu non vis " [2].

Petrus revera martyrium Romæ subiit, ibique, juxta antiquam traditionem, crucifixus est [5].

3° Circa Ecclesiæ fata.

439. Duo, inter alia, prædixit : *Spiritus Sancti effusionem*, et *mirabilem Ecclesiæ propagationem.*

(**a**) *Effusio Spiritus Sancti :* " Sed accipietis virtutem Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ " [3].

" Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus S. dabat eloqui illis " [6]. Exinde refertur Apostolos prædicasse in Judæa, Samaria, et in variis partibus orbis terræ.

(**b**) *Ecclesiæ propagatio in universam terram ejusque permanens diuturnitas :* " Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam... Euntes ergo docete omnes gentes... et ecce ego vobiscum sum

Revera in omnem terram exivit sonus eorum, Evangelium per universum orbem prædicatum est, ut infra probabimus, et, non obstantibus multorum impugnationibus, Ecclesia hodie etiam stat invicta.

Attamen, tempore quo

[1] *Matt.*, X, 17-18. — [2] *Joan.*, XXI, 18. — [3] *Act.*, I, 8.
[4] *Act.*, IV, 1-8; V, 40-41, etc.
[5] Cfr. *S. Clemens*, Ep. I, c. 5; **K.**, 10; *Irenæus*, Adv. hæres. III, 1; **K.**, 123, **R.**, 208; *Eusebius*, II. E., II, 25, cf. infra, ubi de primatu Rom. Pontificum. — [6] *Act.*, II, 4.

omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi"[1], etc.

Christus hæc annuntiabat, quis inter homines tam mirabilem propagationem prævidere potuisset?.

4° Circa Judæos, seu excidium Jerusalem.

440. Christus, qui jam pluries destructionem civitatis et templi Jerusalem subobscure annuntiaverat[2], eamdem diserte et cum minutis circumstantiis, paucis diebus ante mortem, prædixit.

"Consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pestilentiæ et fames, et terræmotus per loca... Et multi pseudo-prophetæ surgent et seducent multos. ...Cum ergo videritis abominationem desolationis... tunc qui in Judæa sunt fugiant ad montes"[3].

"Cum autem videritis abominationem desolationis stantem, ubi non debet, qui legit, intelligat : tunc qui in Judæa sunt, fugiant in montes[4].

"Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus... Et cadent in ore gladii, et

Hæc omnia circa annum 70 accidisse profani scriptores narrant. Mortuo enim Nerone, in variis provinciis rebelliones exarserunt; fames et pestes multos occiderunt[5], terræmotus fuerunt multis in locis[6]. In Judæa multi pseudoprophetæ surrexerunt, Teudas, Simon Magus, Judas Gaulonitides[7]. Judæi, his instigantibus, contra Romanos insurrexerunt; Vespasianus, cum ingenti exercitu, in Galilæam irrupit multosque Judæorum occidit; imperator deinde salutatus, Tito filio curam belli conficiendi demandavit. Christiani autem, vaticinii Salvatoris memores, et reve-

[1] *Matt.*, XVI, 18; XXVIII, 19-20. Cf. *Matt.*, XXI, 33-43; VIII, 10-12; XXIV, 14; *Joan.*, IV, 20-25 etc.

[2] *Joan.*, IV, 21-23; *Matt.*, XXI, 33-34; *Luc.*, XIII, 6-9; XIV, 16-24; XIX, 12-27, etc.

[3] *Matt.*, XXIV, 7, 11, 15-18.

[4] *Marc.*, XIII, 14.

[5] **Sueton.**, *Claudius*, 18; **Tacit.**, *Annal.*, XIV, 13.

[6] **Tacit.**, *Annal.*, XIV, 27; XV, 22; **Seneca**, *Ep.* 91.

[7] **Joseph**, *Antiquit.*, XX, 5, 1-2; *Bellum Judaicum*, II, 13, 5.

captivi ducentur in omnes gentes; et Jérusalem calcabitur a Gentibus, donec impleantur tempora nationum" [1]... "Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique. Et ad terram prosternent te, et filios qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ" [2].

"Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant" [3].

latione moniti, ex urbe migrarunt et in oppidum Pellam sese receperunt. Titus castra in monte Oliveti collocavit, urbem circumdedit vallo, et tandem vi expugnavit; injecto a milite igne templum conflagravit, totaque civitas ita destructa fuit ut solo æquaretur. Innumeri Judæi cæsi sunt, alii in captivitatem abducti, et per totum orbem dispersi. Quod totum factum est 37 circiter annis post mortem Christi, antequam proinde præteriret generatio [4].

441. II. **Vaticinia Christi ejus divinam missionem probant.** Etenim, (**A**) Ex supra expositis, omnes notas præ se ferunt divinarum prophetiarum : (**a**) annuntiant clare et certe, non ambigue et conjecturaliter, facta plene determinata, cum minutis adjunctis quæ humanam prævisionem superant; ita, v. g., quando agitur de morte sua, Christus prænuntiat non solum genus mortis, quam subiturus est, sed etiam circumstantias quæ eam præcedent, Judæ proditionem, quibus sit tradendus, a quibus condemnandus, injurias sibi inferendas, flagellationem, etc. (**b**) Facta hujusmodi contingentia erant, a libera plurium voluntate dependentia, proindeque soli Deo nota. Resurrectio Christi a sola Dei voluntate pendebat. (**c**) Nec casu impleta censeri possunt, nam multa sunt minutaque, et adamussim prædictioni responderunt. (**d**) Aliunde eventum præcesserunt, ut constat ex dictis de Evangeliorum auctoritate.

442. (**B**) Speciatim prophetia de excidio Jerusalem tam completa est, et tam perfecte impleta, ut Rationalistæ quidem contendant eam nonnisi post eventum scriptam

[1] *Luc.*, XXI, 20-24. — [2] *Luc.*, XIX, 43-44. — [3] *Matt.*, XXIV, 34.
[4] **Josephus**, *Bellum judaicum*, passim, speciatim l. IV-V.

fuisse. Sed immerito; nam : si hoc vaticinium post eventum editum fuisset, scriptores non simul miscuissent ea quæ ad destructionem civitatis et ad finem mundi spectant, sed ejus impletionem notavissent, prout facere solebant [1].

Ceteroquin tempore quo Dominus hanc destructionem minute prædixit, nemo eam prævidere poterat : tunc enim Judæi pacifice sub Imperio Romano vivebant.

Aliunde vaticinia ab eo edita cum religione quam prædicabat connectebantur, cum quædam ex illis hujus religionis facta describant, aliaque prolata fuerint ut discipulorum fidem confirmarent [2]; si igitur falsa sit ejus doctrina, Deus ipse hujus falsitatis patronum se exhibuit : *si error est, a Te decepti sumus.*

Quæ objiciuntur a Rationalistis et Modernistis de erroribus falso Domino adscriptis quoad tempus finis mundi, ejusque gloriosum adventum, solventur in *Tr. de Ecclesia*, ubi de Regno Dei, a Christo prædicato, dicemus.

Art. III. De resurrectione Christi [3].

443. Scopus articuli. Inter miracula Christi eminet ejus resurrectio, quæ ut præcipuum fidei nostræ fundamen-

[1] *Joan.*, XXI, 19; *Act.*, XI, 28. Quapropter rationalistæ aliqui admittunt hanc prophetiam vere a Christo prolatam fuisse; ita **B. Weiss** *, *Das Leben Jesu*, 1902, t. II, p. 439 : "Tout doute sur l'authenticité de cette déclaration prophétique doit être écarté... Si Marc a écrit après la ruine de Jérusalem, comment la prophétie qu'il relate ne contient-elle absolument rien qui reflète l'événement arrivé, car en réalité le temple a été détruit par le feu et non de main d'homme". Alia testimonia vide ap. **Lepin**, op. cit., p. 381-382.

[2] *Joan.*, XIII, 19; XIV, 29.

[3] **S. Thom.**, 3, q. 53; **Bossuet**, *Panégyrique de St André;* **Hettinger**, *Apologie*, vol. II, c. 15; **Perrone**, n. 249 sq.; **Brugère**, n. 72; **Lambrecht**, p. 401 sq.; **Schanz**, *A Christian Apology*, vol. II, c. 16; **Sherlock** *, *The trial of the witnesses of the Resurrection; gallice* redditum in *Migne, Démonst. évangél.*, t. VII, p. 527-592; **Bruce** *, *Apologetics*, l. III, c. 4, p. 383 sq.; **Row** *, *op. cit.*, lect. VII; **Milligan** *, *The resurrection of Our Lord*, 1881; **W. Sanday** *, in Hastings' Dict., t. II, 638-642; **Lesêtre**, *Jésus ressuscité*, in *Rev. du Cl. fr.*, t. LII, 1907, p. 241-262; **Mangenot**, La Résurrection de J.-C., in *Rev. prat. d'Apolog.*, t. VII, 1908, p. 161-177, 253-270 (vel in volumine : *La résurrection de Jésus*, 2e éd., 1910); **Ladeuze**, *La Résurrection du Christ*, Paris et Bruxelles, 1908; **C. Chauvin**, *Jésus-Christ est-il ressuscité?* Paris, Bloud, 1905; **James Orr** *, *The resurrection of Jesus*, London, 1908; **de Grandmaison**, Art. *Jésus-Christ*, in *D. A.*, col. 1472-1514; **Jacquier et Bourchany**, *Confér. apol.*, 1910, La Résurrection de Jésus-Christ, p. 3-125.

tum merito habetur : "Si autem Christus non resurrexit, aiebat Paulus, inanis est prædicatio nostra, inanis est fides vestra" [1]. Revera Christus ipse hoc signum elegerat tanquam sigillum miraculorum suorum et ineluctabile argumentum divinæ suæ missionis [2]. Apostoli veritatem suæ prædicationis hoc miraculo præcipue probant; Matthias eligitur ut sit resurrectionis testis [3]; hoc prædicat Petrus in primo sermone ad populum [4]; hoc et Paulus coram Atheniensibus in monte Martis [5]; ad hoc confirmandum, Apostoli miracula patrant [6]; et per undeviginti sæcula hæc fuit universalis christianorum fides. — Si verum est resurrectionis factum, firma fides nostra [7]; in hoc enim, cum sæpius fuerit a Christo prænuntiatum, habemus *adimpletionem prophetiæ* certo divinæ, seu miraculum in ordine *intellectuali;* et insuper miraculum *ordinis physici*, cum sit certo præter vires naturæ, ut omnes concedunt. Ergo, si historice est verum, ut nota vere decretoria christianæ revelationis haberi debet [8]. Sufficiet igitur veritatem hujus facti demonstrare : ad quod tria sunt probanda : 1° Christum *vere mortuum* esse, 2° Christum *in sepulcro sepultum esse*, 3° eumdem *vere surrexisse.*

§ I. Christus vere in cruce mortuus est.

444. Mors Christi ab initio prædicationis christianæ ut veritas inconcussa annuntiata est [9]. Christi obitum, a disci-

[1] *I Cor.*, XV, 14.

[2] "Generatio mala et adultera signum quærit et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus : sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus". (*Matt.*, XII, 39-40; cf. XVI, 4). — [3] *Act.*, I, 22.

[4] *Act.*, II, 24-32. — [5] *Act.*, XVII, 18-31. — [6] *Act.*, III, 15; IV, 10, 33.

[7] Rationalistæ ipsi hoc admittunt : ita *Strauss* fatetur necesse esse vel explicare quomodo Apostoli in resurrectionem Christi crediderint, vel suo systemati valedicere. Cf. **Bruce***, *Apologetics*, p. 384.

[8] Objicit **Le Roy*** (*Dogme et critique*, p. 246), Resurrectionem Christi non posse esse motivum credibilitatis, cum sit objectum fidei. — Resurrectio est sane objectum fidei et motivum credibilitatis, non tamen sub eodem respectu. *Motivum credibilitatis* est ut factum historicum et miraculosum; *objectum autem fidei* est quatenus *revelatum*, et insuper quia non solum credimus Christum surrexisse, sed per Resurrectionem Jesum constitutum esse Dominum cæli et terræ (*Matt.*, XXVIII, 18, *Phil.*, II, 11), ejus sacrificium a Deo pro nostra redemptione acceptum esse, nosque ipsos per baptismum, qui nos Christo redivivo configurat (*Rom.*, VI, 1-14), jus ad æternam gloriam recipere. (*Rom.*, VIII.)

[9] I *Thess.*, II, 15. Cf. Sermones Petri et Pauli in *Actibus Apostolorum*,

pulis, a centurione, a militibus, immo et a Judæis compertum esse, perclare Evangelia testantur; eum neque ipsi principes sacerdotum, neque postea infensissimi christiani nominis inimici negaverunt. Manet ergo factum historicum certissimum.

Initio tamen XIX[i] sæculi, *Salvador*, Judæus scriptor, et *Paulus*, Germanus rationalista, cum paucis aliis, asserere non dubitarunt Christum in cruce non fuisse mortuum, sed solum in *deliquium* incidisse, postea ad se reversum discipulis sese ostendisse, et tandem in ignoto quodam loco mortuum fuisse. Hæc autem theoria, hodie ab omnibus fere derelicta, sedulo inspectis Evangelistarum testimoniis, quæ fide digna esse probavimus, est *historice falsa*, ac involvit *physicam moralemque impossibilitatem.*

445. 1° Est *historice falsa.* Etenim : (**a**) Centurio, qui crucifixioni præsens erat, cum pluribus militibus, Joannes ac piæ mulieres, testes fuerunt eum *clamantem voce magna expirasse;* nec Pilatus corpus ejus sepeliri permisit, nisi postquam, accersito centurione, ab eo cognovit Christum jam mortuum esse[1]. (**b**) Ne ullum remaneret dubium, missi sunt milites qui crura crucifixorum frangerent; invenientes autem Jesum mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus ex illis "lancea latus ejus aperuit"[2]; tunc tantum corpus ejus traditum est Josepho ab Arimathæa et Nicodemo, qui illud linteis involventes cum aromatibus sepelierunt[3] : hi igitur, necnon sanctæ mulieres et mater Jesu pro certo habuerunt illum vere esse mortuum. (**c**) Judæi tandem, qui tam sedulo invigilaverant ut sententia mortis executioni mandaretur, sine dubio curare debuerunt ne Christus semivivus remaneret[4]. Contra tot testes oculatos, quorum intererat rem penitus investigare, parum valent *a priori* hypotheses paucorum rationalistarum, quibus placet factum, per undeviginti sæcula communiter admissum, in dubium revocare!

446. 2° Est *physice impossibilis.* (**a**) Christus enim, flagellatus et spinis coronatus, aliaque tormenta passus, ita viribus exhaustus fuit, ut ad locum supplicii crucem suam vix portare valeret; postea crucifixionis dolores subiit, et pluribus horis in cruce remansit,

---

doctrinam Pauli de morte mystica christiani ad exemplum mortis Christi in cruce, *Rom.*, VI, etc.

[1] *Marc.*, XV, 39, 44-45. — [2] *Joan.*, XIX, 31-34. — [3] *Joan.*, XIX, 39-40.

[4] Frustra igitur advérsarii appellant ad quædam facta ex quibus constat nonnullos crucifixos ad vitam rediisse; ait enim auctor minime suspectus, **E. Renan***, *Vie de Jésus*, c. XXVI, solidissimum argumentum mortis Christi esse *odium* Judæorum; cum enim mortem ejus tam vehementer appetiissent, nihil sane infectum reliquerunt ut de hac morte certiores essent.

donec tandem omnibus exspirasse visus fuerit. (b) Supponatur in Eo adhuc manere spiraculum vitæ, admodum probabile est Eum occisum fuisse lancea militis qui latus ejus aperuit[1]. (c) Si dicatur eum in tale deliquium incidisse, ut nec etiam ictu lanceæ ad se reversus fuerit, quomodo fieri potuit ut sindone involutus, et linteis ligatus, centum libris aromatum coopertus[2], positusque in monumento clauso, ad vitam redierit? Aut jam mortuus erat, aut hæc sufficiebant ad Eum suffocandum.

447. 3° Est etiam *moraliter impossibilis*. Nam Jesus seipsum exhibuit ut vere a mortuis suscitatum; ergo, si non mortuus, deceptor est, nisi admittatur ipsos Apostolos fuisse deceptores. Sed in hac hypothesi, quomodo explicari potest eosdem homines, qui, ante suppositam resurrectionem, tam tardi erant ad credendum, tam ignavi et timidi, post resurrectionem tam fortes et strenuos sese ostendisse? Unde tanta mutatio, si Magistrum suum viderunt vulneribus adhuc coopertum, paulatim ac difficile vires recuperantem, et vitam obscuram morte vulgari et ingloria finientem! Hoc impossibile esse fatentur plerique Rationalistæ[3].

§ II. Christus vere in sepulcro sepultus est.

448. Juxta Evangelistas, corpus Christi, post ejus mortem, honorifice sepultum est in monumento novo, de petra exciso; saxum magnum advolutum est ad ostium monumenti; lapis signatus est, et custodes appositi, ut sepulcrum custodirent. — Ad hæc testimonia firmanda, probamus 1) auctoritatem *Pauli*, sepulturam Christi *honorificam* describentis : verbum enim ἐτάφη quod adhibet, non de igno-

[1] Vox enim græca ἔνυξεν (aperuit) grave vulnus indicat; revera actio militis eo tendebat ut mortem Crucifixi certam faceret. Cfr. **S. Haughton** *, in *Speaker's Commentary* on I John, p. 349 sq., ubi explicatur quomodo sanguis et aqua ex aperto latere Christi fluere potuerint.

[2] *Joan.*, XIX, 39. Quo melius argumentum intelligatur, lege ea quæ scribuntur de ritu sepeliendi apud Judæos; cf. **Edersheim** *, *Jesus the Messiah*, London, 1890, c. 67, p. 427 sq.

[3] Ita v. g. **Strauss** *, *Das Leben Jesu für das Deutsche Volk*, candide declarat impossibile esse vividam fidem ac enthusiasmum Apostolorum explicare, si admittatur Christum semi-vivum ac debilem eis apparuisse : tali enim manifestatione imminuta fuisset admiratio quam antea de eo conceperant : " Impossibile est hominem semimortuum e sepulcro egressum, debilem ac infirma valetudine, medico, vittis, medicinis egentem et dolore corruentem, dedisse discipulis animi persuasionem se esse mortis sepulcrique dominatorem, Vitæ Principem : quæ tamen persuasio in eis apostolicum ministerium gerentibus altas radices egisse apparet ". Ita pariter **A. Réville** *, *Jésus de Nazareth*, t. II, p. 455 : " Cette théorie de Paulus qui eut son temps de vogue au siècle dernier... n'est qu'un tissu d'invraisemblances matérielles et morales ".

miniosa sed potius de honorifica aut saltem decente sepultura prædicatur [1]; insuper, in oratione ad Judæos Antiochiæ (Pisidiæ), asserit ejus corpus positum fuisse in *monumento* [2]; tandem spiritualem significationem sepulturæ declarando, supponit eamdem honorificam fuisse [3]; — 2) auctoritatem *Petri*, qui, in prima oratione ad Judæos, mortem et sepulturam Domini comparat cum morte et sepultura David quæ certo honorifica fuit, et Christo applicat verba Psalmistæ : *Neque caro ejus vidit corruptionem* [4].

449. Recenter *A. Loisy*, ad facilius negandam Christi resurrectionem, corpus Christi in fossam communem projectum fuisse, gratuito asserere non erubescebat [5]. Quod sane rejiciendum est; nam : (**a**) Testimoniis supradictis evidenter contradicit. (**b**) Jesus secundum legem romanam damnatus et morti traditus est. Atqui, fatentibus ipsis rationalistis, secundum hanc legem, Pilato licebat corpora eorum qui capite damnati fuerant amicis remittere ut sepelirentur [6]. (**c**) Etiamsi Christus secundum legem judaïcam damnatus esset, non sequeretur inde eum in fossam communem projectum esse; secundum enim *Talmudem*, capite damnati in cœmeteriis specialibus sepeliebantur, quisque suam habens sepulturam [7]; et aliquando, ut *Philo* testatur, corpora morte damnatorum amicis ipsorum tradi poterant ad sepeliendum [8].

§ III. Christus vere a mortuis surrexit.

450. Status quæstionis. *Rationalistæ* veritatem historicam resurrectionis Christi negant. Fatentur Apostolos resurrectionem ut fundamentum christianæ fidei prædicavisse; non contendunt Apostolos deceptores fuisse [9]; sed solum deceptos esse aliqua hallucinatione, quæ ex eorum fide messianica orta est [10]. Quorum opinionem mox disceptabimus.

---

[1] *I Cor.*, XV, 4. Cf. *Luc.*, XVI, 22; *Act.*, II, 49; *Matt.*, VIII, 21-22; XIV, 12; *Luc.*, IX, 59-60.

[2] *Act.*, XIII, 30. — [3] *Rom.*, VI, 4; *Colos.*, II, 12. — [4] *Act.*, II, 24-32.

[5] *Les évangiles synoptiques**, I, p. 223.

[6] Cf. *Dig.* XLVIII, 24 apud **Lagrange**, *Ev. selon S. Marc.*, 1ª Ed., p. 411. Raro admodum corpora condemnatorum petentibus denegabantur.

[7] Cf. **Hugueny**, *Critique et catholique*, I, p. 36.

[8] **Jacquier et Bourchany**, l. c., p. 33-34. Cf. *Act.*, VIII, 2.

[9] Id propugnaverat **Reimarus**, cum deistis XVIII[i] sæculi; sed alii rationalistæ istam hypothesim confutarunt, quia non explicat quomodo Apostoli, prius timidi et inconstantes, tanto zelo usque ad mortem fraudem propagaverint, — nec quomodo religio mendacio innixa mundum renovaverit.

[10] Sic in Gallia **Loisy**, in Germania, inter alios : **Meyer**, *Die Auferstehung*

Aliqui *protestantes* [1] putant Jesum *vere* Apostolis apparuisse, non quidem corporaliter, sed *spiritualiter* (quæ apparitio dicitur etiam *pneumatica*, a græco πνεῦμα) : etsi enim corporaliter non surrexit, ejus anima cum Deo unita discipulos confortare potuit, e cælo quoddam *telegramma* mittendo, aliove modo, eosque de sua immortalitate certiores faciendo. — Hæc opinio meræ phantasiæ tribuenda est.

Quorum systemati affinis est theoria ab *E. Le Roy* proposita [2], ubi docet Christum, etsi ejus corpus non fuerit *reanimatum* (quod impossibile esse declarat), aliquo vero sensu resurrexisse, quatenus post mortem agere non cessavit, imo in carne *propria* surrexisse : tempore enim mortis anima retinet quamdam materiam virtualem, cujus ope totum corpus reædificatur, licet modo subtiliori. Quod quidem, ait, concordat cum dogmate catholico; dogma enim resurrectionis significat nos posse cum Christo agere eodem modo ac cum coævo agimus. — Quod quidem concordat cum ejusdem dogmatis *pragmatico* conceptu, quem exponemus ac confutabimus in *Tr. de Fide*, et cum ejus philosophia *bergsonica*, non autem cum dogmate christiano, nec cum historica veritate [3].

Doctrina catholica sequenti thesi exprimitur.

451. *Thesis :* **Christus in propria carne, quamvis gloriosa, vere a mortuis surrexit.** *Historice certum, theologice de fide* [4].

Dicitur : *vere surrexit*, ut ita excludatur error eorum qui quocumque modo resurrectionem Christi negant; in *propria carne*, ad excludendum systema eorum qui dicunt eum tantummodo *spiritualiter* apparuisse; *quamvis gloriosa*, quia non diffitemur inter corpus Christi *passibile* et *gloriosum* haud pauca esse discrimina; juxta S. Paulum [5] : prius *corruptibile* est, posterius *incorruptibile;* prius *animale*, posterius *subtile;* prius *infirmum*, posterius *agile;* prius *ignobile*, posterius *gloriosum;* hæc autem discrimina modum sese habendi, *non identitatem* substantialem corporis mutant.

Quod demonstrabimus testimoniis *S. Pauli* et *Evangelistarum;* necnon *primæ traditionis.*

Christi, Tubingue, 1905, ubi theorias jam expositas a Strauss, Renan, A. Harnack et auctoribus operis *Supernatural Religion* magis scientifice proponit. — Quas theorias exponebat et confutabat **J. Mc Rory**, *Some theories of Our Lord's Resurrection*, in *The Irish Theolog. Quarterly*, april 1909, p. 201-215.

[1] **Keim***, *Jesu von Nazara*, t. III, p. 600 sq.; **Schenkel** *, *Charakterbild Jesu*, p. 231 sq. — [2] *Dogme et critique**, p. 155-257.

[3] **J. Lebreton** confutavit **E. Le Roy**, in *R. P. A.*, 1907, t. IV, p. 193-221.

[4] Ex Symbolis fidei, Scriptura necnon magisterio ordinario.

[5] *I Cor.*, XV, 42-44.

1° Testimonium S. Pauli.

452. (**A**) Frequenter Apostolus in epistolis resurrectionem commemorat : ad *Thessalonicenses* scribit Jesum suscitatum esse à mortuis [1]; ad *Galatas* et ad *Romanos* Deum Patrem suscitavisse Eum a mortuis [2]; ad *Ephesios*, eum non solum suscitatum esse a mortuis, sed ad dexteram Dei constitutum in cælis [3]. Alibi exponit mortem, sepulturam et resurrectionem Christi esse symbolum christianæ regenerationis, qua mortui peccato, et consepulti cum Christo, in novitate vitæ ambulemus [4]. Porro, in his omnibus locis, supponit hanc resurrectionem esse realem et corporalem, sicut ipsam mortem et sepulturam.

(**B**) Præcipuum tamen testimonium invenitur in capite XV *I^{ae} ad Corinthios* : " Tradidi enim vobis in primis quod et *accepi*. Quoniam Christus *mortuus est* pro peccatis nostris, secundum Scripturas; et quia *sepultus est*, et quia *resurrexit*, tertia die, secundum Scripturas [5], et quia *visus est* Cephæ, et post hoc undecim. Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt; deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus; novissime autem omnium tanquam abortivo, visus est et mihi [6] ".

453. (**a**) Hoc *testimonium præstantissimum* est. Scriptum est enim circa an. 53-57; ea repetit quæ Paulus ipse Corinthi antea nuntiaverat (probabiliter hieme anni 51-52); doctrinam enuntiat quam ipse acceperat, sive tempore conversionis suæ (uno aut duobus annis post Christi mortem) sive postea ab Apostolis, verisimiliter prima vice qua Jero-

---

[1] *I Thess.*, IV, 13-14.

[2] *Gal.*, I, 1; *Rom.*, I, 1-4; IV, 24; VIII, 10-11; XIV, 1-9.

[3] *Eph.*, I, 20. — [4] *Rom.*, VI, 2-11.

[5] Ex his verbis " *secundum Scripturas* ", quidam rationalistæ inferunt hic non agi de facto historico, sed de exspectatione quadam prophetica. Immerito autem; nam Paulus jam dixerat Christum mortuum esse *secundum Scripturas* : numquid exinde sequitur eum non esse vere mortuum? Si Paulus eodem modo de morte et resurrectione loquitur, nonne e contra logice sequitur resurrectionem esse tam realem quam mortem ipsam? Formula " *secundum Scripturas* " nihil est quam confirmatio apologetica facti enuntiati. — Cfr. **Mangenot**, l. c., p. 269-271.

[6] *I Cor.*, XV, 3-8.

solymis Petrum et Jacobum vidit, (id est quatuor aut quinque annis post Christi mortem); unde intelligi potest cur apparitiones Petro et Jacobo factas commemoret. Tale igitur testimonium omnino fide dignum est *propter* suam *antiquitatem* [1].

454. (b) *Quatuor facta* ab Apostolo sedulo referuntur : mors, sepultura, resurrectio et apparitiones Domini. Non refert quidem Paulus omnes quas noverat apparitiones, sed eas quæ Corinthiis maximam certitudinem afferre poterant, eas nempe quæ factæ erant Apostolis proprie dictis, primis Evangelii nuntiis et quingentis fratribus, quorum unus aut alter forsan Corinthum venerant, tandem sibi ipsi [2].

455. (c) Christus vere et *in propria carne* quamvis gloriosa a mortuis suscitatus affirmatur. Nam : 1) Teste Paulo, idem qui mortuus et sepultus est, — utique *secundum carnem*, — resurrexit et visus est pariter *secundum carnem*.

2) Hæc resurrectio proponitur ut exemplar nostræ resurrectionis; atqui, teste eodem Apostolo, *corpus* nostrum *corporaliter* resurget, etsi *transformatum* : id patet ex tota argumentatione S. Pauli in præfato capite, v. g., ex eo quod corpus nostrum comparatur *grano seminis*, quod in terram cadens prius moritur, postea vivificatur, ita tamen ut substantialiter *idem* maneat; *transformatur* tamen et fit incorruptibile et gloriosum, immo et *spiritale*, quatenus non est amplius *animale* seu animæ inferiori subditum, sed *spiritui* seu parti superiori animæ.

3) Suam visionem propriam, Paulus ut ultimam recenset : " novissime autem omnium visus est mihi "; quod sane verum non esset, si ageretur de visione mere spirituali, cum postea Christus spiritualiter apparuerit Ananiæ, Paulo ipsi, aliisque; hæc igitur fuit visio corporalis [3].

---

[1] Nota etiam fidem et prædicationem Pauli esse fidem et prædicationem aliorum apostolorum (*I Cor.*, XV, 11).

[2] Apparitio Petro facta, probabiliter eadem est ac ea quam *Lucas*, XXIV, 34 narrat, et apparitio undecim apostolis probabiliter concordat cum *Luc.*, XXIV, 36-46, *Joan.*, XX, 19-25 : ambæ ergo probabiliter Jerosolymæ occurrerunt.

[3] Cf. *II Cor.*, XII, 2 " sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio. " Quod agnoscit **A. Sabatier** *, *L'Apôtre Paul*, p. 50 : " Il faut qu'il y ait eu dans sa conscience une ligne de démarcation nettement tranchée entre ces appa-

4) Tandem, in duabus epistolis ad Corinthios, S. Paulus demonstrat se esse verum apostolum præcise quia *Christum vidit* [1] sicut ceteri Apostoli [2], et ab eo missionem suam accepit; atqui alii Apostoli Christum viderant corporaliter; ergo et Paulus eum vidit corporaliter [3].

456. Rationalistæ etiam agnoscunt apparitiones Apostolis et Paulo factas non mere intellectuales sed sensibiles fuisse [4]. Sed eas imaginationi tribuunt. Hæc hypothesis, in quantum Apostolos attinet, mox refelletur. Quoad Paulum, notare oportet nullum influxum fidei antecedenti aut subconscientiæ tribui posse, ad apparitionem in via ad Damascum explicandam; nam, ut Paulus ipse testatur, fides judaïca vivax et inconcussa in eo permansit, donec subito Christum viderit [5].

Testimonium ergo Pauli firmiter resurrectionem Domini probat; etiam deficientibus Evangeliis, fides in hoc mysterium solidum haberet fundamentum.

2° Testimonium evangeliorum.

457. Prænotanda de textibus evangelicis. Pauca primum de integritate textuum quibus utemur præmittere oportet.

(a) *Caput XXI evangelii S. Joannis* videtur post scriptionem Evangelii additum esse; attamen tam modus loquendi quam narratio demonstrant hoc caput ab eodem auctore ac reliqua capita scriptum fuisse. Insuper nunquam quartum evangelium sine hoc

---

ritions dont la série est close et les extases et visions qui durèrent durant tout l'âge apostolique". Cfr. **Chauvin,** *op. cit.*, p. 53.

[1] *I Cor.*, IX, 1. — Hinc etiam, quando Barnabas Paulum ad alios apostolos adducit, narrat eum *vidisse Dominum in via*, ut ita ostendat eum vere apostolum esse (*Act.*, IX, 27).

[2] *II Cor.*, XI, 5; XII, 11.

[3] Optime scribit **Mangenot**, l. c., p. 126 : "Jamais dans l'Eglise primitive on n'a pensé qu'une rencontre accidentelle avec Jésus ni qu'une vision, semblable à celle qu'eut Etienne mourant, pût donner droit au nom d'apôtre, choisi par le Seigneur. Aussi le verbe ἑόρακα, j'ai vu, ne peut sous la plume de Paul se rapporter à une simple vision pas plus qu'à une rencontre fortuite avec Jésus vivant, durant son ministère public. Il se réfère évidemment au fait historique de l'apparition de Jésus près de Damas et à une vision extérieure et sensible".

[4] Sic **Loisy***, *Les Evangiles synoptiques*, p. 743-744; *Les Actes des Apôtres*, 394-395.

[5] *Gal.*, I, 11-16; *I Tim.*, I, 13; *Act.*, IX, 1; cf. **Hugueny,** *Critique et catholique*, I, ch. V, La conversion de S. Paul; **Rose,** *Etudes sur la théologie de S. Paul*, I, *R. B.*, 1902, p. 320-346; **P. Prat,** Art. *Paul (saint) et le Paulinisme*, in *D. A.*, col. 1638-1644.

capite per orbem diffusum est. Denique notandum est rationalistas majorem valorem historicum huic capiti præ cæteris attribuere.

(b) *Finis evangelii S. Marci* XVI, 9-20, secundum criticos acatholicos authentia caret; nam in aliquibus manuscriptis deest *(Sinaitico, Vaticano)*, necnon in aliquibus versionibus (syriaca sinaitica, vetere latina qualis in *codice bobiensi* continetur, in aliquibus manuscriptis *versionis armenæ*); quidam codices alium finem præbent; aliqui Patres de authentia dubitaverunt *(Eusebius, S. Hieronymus*, probabiliter *Origenes)*; tandem, ut dicunt, stylus et scribendi modus valde diversi sunt ac in reliquo evangelio.

Concilium *Tridentinum* hujus loci inspirationem definivit; *Commissio pontificia de Re biblica*[1] declaravit rationes contra authentiam allatas, non esse sufficientes; et quidem recte, quia reliqui codices et Patres (quorum probabiliter *S. Justinus* et certe *S. Irenæus*) testimonium maximum authentiæ præbent. *Apologetice* res parum interest, cum locus, etiam si authentia careret, saltem, fatentibus criticis, a discipulo Domini conscriptus fuit, cujus auctoritas ab ecclesiis recognita erat.

458. Testimonii expositio. Quibus positis, duo argumenta præcipua ex Evangeliis desumuntur : *e vacuo sepulcro* et *ex apparitionibus.*

(A) *E vacuo sepulcro.* (a) Prima die post sabbatum, quando mulieres et discipuli venerunt ad sepulcrum, lapis revolutus fuerat a monumento, lintea jacebant, et angelus sedens super lapidem nuntiavit Christum surrexisse. Custodes perterriti rem principibus sacerdotum notam fecerunt; sed, accepta pecunia, et suggerentibus Synedritis, dixerunt discipulos nocte venisse et corpus Domini tulisse. Hanc fabellam pauci tantum crediderunt; Apostoli autem diserte prædicaverunt Christum surrexisse, quin unquam de violato sepulcro coram judicibus accusati fuerint.

459. (b) Si vero Christus vere in monumento sepultus est, prout in Evangeliis narratur, neque postea in eo inventus est, exinde haud parum firmatur Evangelistarum relatio de ejus corporali resurrectione. Nemo enim hodie admittit corpus Christi a petra per terræmotum scissa absorptum esse; tum enim cur non simul absorpta sunt linteamina et sudarium? — Nemo pariter tenet corpus a discipulis sublatum esse; quod quam ridiculum sit hoc Synedritorum inven-

[1] D. B., 2156.

tum jam *Augustinus* ostenderat [1]. "Vere tu ipse dormisti, qui scrutando talia defecisti. Si dormierunt, quid videre potuerunt? Si nihil viderunt, quomodo testes sunt?" Revera si res ita se habuisset, tum milites, qui sepulcrum custodiebant, tum discipuli qui corpus abstulerant, coram judicibus accusati fuissent, gravibusque pœnis mulctati. Jamvero Apostoli, qui tamen publice et coram ipsis Sanhedritis Domini resurrectionem indubitanter prædicabant, nunquam propterea damnati sunt tanquam sepulcri violatores. Ergo una manet explicatio, nempe vera Domini resurrectio, prout ab Apostolis refertur.

460. (B) *Ex apparitionibus Christi* [2] *:* (a) Non semel aut iterum Jesus redivivus apparuit, nec uni tantum aut alteri discipulo, neque in uno loco, sed *pluries*, et *multis*, et in *pluribus locis*. Undecim saltem numerari possunt apparitiones. Christus videlicet apparuit Mariæ Magdalenæ prope sepulcrum flenti [3]; mulieribus a sepulcro redeuntibus [4]; Simoni Petro [5]; duobus discipulis euntibus in Emmaus [6]; Apostolis omnibus, excepto Thoma, in cœnaculo simul coadunatis [7]; eisdem, præsente Thoma, quem jussit digitum in fixuram clavorum et manum in latus mittere; quinque Apostolis et duobus discipulis ad mare Tiberiadis [8]; undecim Apostolis qui abierant in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus [9]; plus quam quingentis fratribus simul [10]; Jacobo, fratri Domini [11]; tandem undecim Apostolis in Jerusalem, quibus præcepit ne discederent a civitate antequam Spiritum S. acciperent : postea eduxit eos in Bethaniam, et, videntibus eis, ascendit in cælum [12]. Præterea Paulo etiam apparuit prope Damascum, eumque repente convertit [13]. Nec obiter et brevi temporis momento sese

---

[1] **S. Augustus,** in Ps. 63, n. 15, *P. L.*, XXXVI, 768.

[2] Præter opera superius allegata, cf. **H. B. Swete***, *The Appearances of Our Lord after the Passion*, London, 1907.

[3] *Marc.*, XVI, 9; *Joan.*, XX, 11-18. — [4] *Matth.*, XXVII, 9-10.

[5] *Luc.*, XXIV, 34; *I Cor.*, XV, 5. — [6] *Luc.*, XXIV, 15-35.

[7] *Marc.*, XVI, 14; *Luc.*, XXIV, 36-43; *Joan.*, XX, 19-23; *I Cor.*, XV, 5.

[8] *Joan.*, XXI, 1-24. — [9] *Matt.*, XXVIII, 16 sq.

[10] *I Cor.*, XV, 6. — [11] *I Cor.*, XV, 7.

[12] *Marc.*, XVI, 19; *Luc.*, XXIV, 50-52.; *Act.*, I, 1-12.

[13] *Act.*, IX, 3 sq.; *I Cor.*, XV., 8.

manifestavit, sed cum Apostolis conversatus est, per quadraginta dies, eosque de regno Dei docuit : " Quibus et præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei " [1]. Potuerunt igitur Apostoli eum videre, tangere, cum eo sermonem habere, *nec proinde decepti sunt.*

461. (**b**) Præterea *testes* resurrectionis omnibus dotibus fulgent quæ ad moralem certitudinem desiderantur : erant siquidem homines simplices, honesti, Deum timentes, neque fraudibus neque hallucinationibus apti. — *Nec nimiæ credulitatis* accusari possunt; nam mulieres ad sepulcrum veniebant ut sepelirent ejus corpus cum aromatibus; apostoli, omni spe destituti, mulieribus, Domini resurrectionem nuntiantibus, *credere noluerunt*, sed verba earum sicut deliramentum eis visa sunt [2]. — Immo, quando Christus ipse apparuit, *non statim crediderunt*, sed conterriti putabant se spiritum videre, nec fidem ei præbuerunt nisi postquam *se palpandum* dederit, et partem piscis cum favo mellis comederit. — Thomas autem, qui tunc temporis absens erat, increduliorem se ostendit, et sodalibus, factum apparitionis narrantibus, respondit : " Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam " [3].

462. (**c**) Tandem ex omnibus circumstantiis relatis, apparitiones non mere spirituales sed *corporales* vere fuerunt; nam discipuli Dominum non solum vident, sed tangunt; cum eis loquitur et coram eis manducat Christus. Non potest ergo negari realitas apparitionum corporearum, nisi simul negetur apostolorum et evangelistarum sinceritas.

(**d**) Confirmatur hæc conclusio si narrationes Evangeliorum canonicorum cum apocrypho *Evangelio Petri* comparas : in primis nihil nisi simplex, Deo dignum; in hoc autem omnia amplificationem demonstrant [4].

Apparitiones ergo probant veritatem dominicæ resurrectionis.

---

[1] *Act.*, I, 3. — [2] *Luc.*, XXIV, 11. — [3] *Joann.*, XX, 25.
[4] **De Grandmaison,** *l. c.*, col. 1485-1486.

3° Testimonium primæ traditionis.

463. (**A**) *Resurrectio* Christi non semel, sed quasi quotidie, primis Ecclesiæ christianæ initiis, ab apostolis *prædicata* est, tanquam veritas inconcussa, non obstantibus persecutionibus, suppliciis et morte, quibus pro hac prædicatione afficiebantur [1]. Hoc autem explicari nequit nisi firmiter et objective persuasi essent se Christum vere vidisse redivivum [2].

464. (**B**) Quod quidem roboratur *ex mirabili mutatione per resurrectionem inducta.* (**a**) Antè resurrectionem Christi, Apostoli "sine litteris et idiotæ" [3], rerum divinarum satis ignari, temporale regnum adhuc exspectantes, in multis incerti, timidi, immo et ignavi, — post resurrectionem et Spiritus Sancti effusionem, etiam absente Magistro, in rebus divinis sapientes, in agendo impavidi, audaces, animo constantes apparent. Petrus qui, ab ancilla perterritus, dilectum Magistrum denegaverat, publice Evangelium et resurrectionem prædicat, et coram Synedritis strenue dicit : "Non enim possumus quæ vidimus et audivimus non loqui... [4]. Obedire oportet Deo magis quam hominibus" [5]. Pariter Apostoli, qui in horto Gethsemani a militibus fugerant, et, mortuo Christo, in cænaculo latebant, clausis januis, propter metum Judæorum, paulo post Christum crucifixum et a mortuis suscitatum annuntiant, non obstantibus minis, carceribus, verberibus, "gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati" [6]. — Quod non solum in Jerusalem et Palestina præstiterunt, sed etiam per totum orbem terrarum, et quidem usque ad sanguinis effusionem.

Aliunde fides, quam prædicaverunt, multos et optimos fructus protulit, mores instauravit, populos maxime excultos ad se traxit, barbaros expolivit, omnibus justitiæ et caritatis sensum inculcavit, ut ex mox dicendis constabit [7].

---

[1] *Act.*, II, 32; III, 15; IV, 10-33; V, 29-32; X, 39-41; XIII, 29-37; XVII, 3-31; XXVI, 23.

[2] Cf. **Pascal**. "Je ne crois que les histoires dont les témoins se feraient égorger." *(Ed. Brunsv.*, n. 593).

[3] *Act.*, IV, 13. — [4] *Act.*, IV, 20. — [5] *Act.*, V, 29. — [6] *Act.*, VI, 41.

[7] Quod libenter agnovit auctor ceteroquin theoriis rationalistarum nimium favens, **E. Le Roy**, op. cit., p. 224 : "Or la foi à la résurrection... a déterminé

465. (b) Porro id omne facile explicatur, si, ut ipsi narrant Evangelistæ, Christus redivivus corporaliter discipulis apparuit, eos in fide confirmavit, et Spiritu Sancto cooperante, omnibus virtutibus instruxit. Res autem prorsus intelligi nequit si negatur resurrectio Christi. Quomodo enim viri ignari, tardi ad credendum, pusillanimes, ignavi, — tam subito rerum divinarum periti, fide pleni, spe elati, strenui ad prædicandum Dominum crucifixum facti sunt, sine speciali Dei interventu?

Cum *ex fructibus* dignoscatur arbor, quis uberrimos justitiæ et caritatis fructus quos fides resurrectionem protulit, *hallucinationi* tribuat? — Si vero admittitur apparitio *mere spiritualis*, sed *realis*, jam habetur specialis Dei interventus ideoque *miraculum*, et ita probatur divinitas christianæ religionis; minime tamen explicatur quomodo, viventibus et permittentibus apostolis, visioni spirituali corporalis in narrationibus evangelicis substituta fuerit. Una igitur manet legitima explicatio, nempe corporalis resurrectio Christi.

Historice ergo constat Christum vere a mortuis resurrexisse, et ex hoc miraculo, quod ceteroquin tanquam signum suæ missionis prænuntiaverat, eum divinum esse legatum, ejusque religionem esse divinam.

466. Excutitur rationalistarum hypothesis. Postquam argumentum de Christi resurrectione exposuimus, expedit ad complendam demonstrationem, recentiorum Rationalistarum systemata declarare et confutare [1].

(A) Quomodo fides in resurrectionem Christi orta fuerit, ita explicant : Christo mortuo, apostoli in Galilæam fugerunt. *Fides* in Christum Messiam, per aliquot tempus obnubilata, mox revixit, *hallucinationes* induxit quæ tanquam veræ *apparitiones* habitæ sunt. Hæ autem fidem in *vitam Christi immortalem apud Deum* genuerunt, unde paulatim *fides in resurrectionem* proprie dictam exorta

---

une immense explosion de vie qui a depuis lors rempli l'histoire, surmontant tous les obstacles et survivant à toutes les critiques; elle a été le point de départ et le principe du plus grand progrès spirituel qu'ait accompli l'âme humaine; elle a accumulé dans une carrière prodigieuse les preuves les plus étonnantes de sa fécondité inexhaustible et durable. " Attamen, non sibi constans, dum fraudem et hallucinationem proprie dictam rejicit, admittit quod vocat " des *hallucinations vraies* ".

[1] Vide, e. g., **Loisy** *, *Les Evangiles synoptiques*, p. 222-224; *Jésus et la tradition évangélique*, p. 107-116.

est. *Idealisatio progressiva* apparitionibus galilæis (quæ solæ in antiquissimis documentis recensentur) ad *apparitiones hierosolymitanas* extensa est (quæ in documentis magis suspectis inveniuntur), et totam illam, miraculis et discrepantiis plenam historiam de sepulcro vacuo mox addidit [1].

467. (B) Hæc autem explicatio *omni fundamento caret;* non enim ex documentorum studio orta est, sed ex mera imaginativa hypothesi. Difficultatibus tamen a criticis allatis respondere expedit.

(a) Ubi agitur de *variis apparitionibus*, quædam *discrepantiæ* inveniuntur : *Matthæus* et *Marcus* supponere *videntur* Christum discipulis non apparuisse nisi in Galilæa [2]; *Lucas* et *Joannes* vero diserte asserunt eum discipulis visum fuisse in et sub Jerusalem. Exinde inferunt Rationalistæ hierosolymitanas apparitiones non esse historicas, sed a prima generatione christiana fuisse excogitatas ad facilius convincendos animos de resurrectione Christi.

Quam conclusionem non logice ex præmissis erui nemo non videt. Res enim multis aliis modis explicari valet. Ita supponi potest, quin vis textibus inferatur, duos priores Evangelistas, ob scopum specialem quem sibi præfixerant, noluisse hierosolymitanas apparitiones describere, sed solum *galilæas*, quæ frequentiores fuere et in quibus completa fuit apostolorum institutio; qua in hypothesi, verba angeli referunt easdem prænuntiantis, quo lucidius appareat nexus historicus inter sepulturam Christi ejusque in Galilæa apparitiones [3]. Sed, nedum hierosolymitanas visiones negent, duas mox referunt : *Matthæus* nempe describit quomodo Christus redivivus mulieribus e sepulcro fugientibus occurrat [4], et *Marcus* quomodo Mariæ Magdalenæ appareat [5].

468. (b) *Objiciunt* Rationalistæ *multas contradictiones* inveniri in narratione evangelica resurrectionis : dissentiunt enim sacri

[1] Cf. *Decretum* "*Lamentabili*". Prop. 36, 37. "Resurrectio Salvatoris non est proprie factum ordinis historici, sed factum ordinis mere supernaturalis, nec demonstratum, nec demonstrabile, quod conscientia christiana sensim ex aliis derivavit". **D. B.**, 2036. — "Fides in Resurrectionem Christi ab initio fuit non tam de facto ipso resurrectionis, quam de vita Christi immortali apud Deum". **D. B.**, 2037.

[2] Ita angelus dicit mulieribus sepulchro astantibus : "Euntes dicite discipulis ejus quia surrexit; et ecce præcedit vos in Galilæam; ibi eum videbitis". (*Matt.*, XXVIII, 7; cfr. *Marc.*, XVI, 7.)

[3] Quod recte exponit **Ladeuze**, op. cit., p. 43-47. — Aliæ etiam hypotheses fingi possunt, de quibus vide recentes Evangeliorum commentatores.

[4] *Matt.*, XXVIII, 9-10. — Quidam rationalistæ dicunt hos versus interpolatos esse; sed immerito, cum in antiquissimis manuscriptis A, C, D, et in optimis versionibus inveniantur.

[5] *Marc.*, XVI, 9-11. — Nota insuper apparitiones hierosolymitanas et a Paulo probabiliter affirmari (supra, n. 454, nota).

scriptores de apparitionibus Angelorum, de tempore quo mulieres ad sepulcrum venerunt etc. [1]; ergo nullam fidem merentur.

Respondeo has discrepantias *non esse circa factum ipsum* Resurrectionis, sed *circa quasdam accidentales circumstantias*, — variosque esse modos testimonia conciliandi, quos videre est apud commentatores. Nec mirum est quidquam perplexi remanere, nam non omnia factorum adjuncta narrantur, sed quædam solum, ex quibus difficile est integram texere narrationem. — Sed dato, non concesso, nonnullas esse contradictiones, nihil exinde deduci potest contra *certitudinem facti :* siquidem Evangelistæ sunt *unanimes* non solum circa substantiam, sed etiam circa præcipuas facti circumstantias; jamvero nemo sano præditus judicio, scriptoris auctoritatem rejicit, eo quod in circumstantiis minoris momenti erravit; neque judex omnino respuit testimonium testium qui, licet in pluribus adjunctis discrepent, circa facti substantiam omnino consentiunt : quotidie enim evenit ut majorem attentionem præbeamus iis factis quæ maximi sunt momenti, dum de minimis, de hora, de numero personarum parum curamus. Immo illæ discrepantiæ aliquo sensu majorem vim testimoniis præbent, quatenus ostendunt Evangelistas res narasse prout noverant, sine prævia conspiratione; si decipere voluissent, sedulo has contradictiones vitassent [2].

469. (c) Dici nequit apostolos et discipulos fuisse *hallucinatos.* Hallucinatio enim, si *mere est transitoria*, corrigitur statim ac nervorum et imaginationis excitatio cessat; in casu autem nostro, diu perseveravit, et apostoli usque ad mortem rati permanserunt se Dominum corporaliter vidisse; — si vero *diuturna*, est vera *dementia*, cujus nulla vestigia in apostolis apparent : nedum enim nervorum et mentis commotionem manifestent, sapientiæ et æqua-

[1] Cfr. *Matt.*, XXVIII, 1 et *Marc.*, XVI, 2; *Joan.*, XXI, 1; *Luc.*, XXIV, 4 et *Joan.*, XX, 12.

[2] Ita **Mead***, *Supernatural Religion*, p. 204 : "Ipsi (Evangelistæ) de magno resurrectionis negotio, de visibili et tangibili Jesu apparitione concordes sunt. Eum ante auroram primi diei hebdomadæ resurrexisse, Mariam Magdalenam visitatum sepulcrum primam ivisse, Jesum suis Apostolis simul conjunctis apparuisse conveniunt. Ipsius corpus post resurrectionem idem esse ac illud quod crucifixum fuerat, cui tamen character peculiaris et pene spiritualis tribuitur, conveniunt. Ipsi quoque conveniunt cum de discipulis veram ejus resurrectionem credentibus, et in Messiæ fidem confirmatis, loquuntur. Dissonantia ad circumstantias nullius fere momenti refertur, et etiamsi certas subesse contradictiones pateret, eæ narrationis fundamentum de Christi resurrectione nullo modo infirmare possent... Haud magna perspicacia opus est ut intelligamus quod si quatuor (resurrectionis) narrationes essent subtiliter concordes, absque vel minima differentia, hæc perfecta conspiratio uti suspecta haberetur, cum aut auctorum collusionem, aut unius scriptoris opus, qui narrationes simul concordes redderet, demonstraret".

nimitatis signa haud indubia præbent, et sane mundi conversio morumque reformatio dementibus adscribi nequeunt!

470. (d) Objici tandem posset multa esse in evangelica narratione quæ ostendere videntur *apparitiones* non reales, sed *solum apparentes fuisse*, aut saltem non physicas, sed intellectuales tantum; v. g., discipuli putant se "spiritum videre"; Maria Christum redivivum tangere nequit; corpus Christi non est ejusdem naturæ ac prius, cum cœnaculum intret januis clausis [1]; ergo.

Resp. Facile intelligitur quomodo discipuli credere potuerint se spiritum videre prima vice qua Jesus apparuit, ob novitatem, et, in eorum opinione, incredibilitatem facti. Sed simul Dominus negavit se esse merum spiritum, quia, inquit, spiritus carnem et ossa non habent; revera discipuli ejus *corpus* et *vulnera manibus contrectarunt*, et ita persuasum habuerunt corpus non esse phantasticum, sed reale et materiale. Si Maria Magdalena Jesum tangere non potuit, hoc est quia Dominus, propter rationes sibi notas, id permittere noluit; nam aliæ mulieres "accesserunt et tenuerunt pedes ejus", et Apostoli pedes et manus ejus tetigerunt [2]. Si autem Christus cœnaculum ingressus est januis clausis, subitoque evanuit ab oculis Apostolorum, aut etiam variis apparuit formis, hæc omnia quidem ostendunt corpus ejus, post resurrectionem, utpote glorificatum, dotibus gaudere specialibus, non autem ejus realitatem aut identitatem afficiunt.

471. Conclusio. Resurrectio ergo Domini factum certissimum manet : et hæc est quidem digna corona personæ tam eximiæ collata, dignus exitus vitæ Messiæ, tot et tantis signis illustris, digna inchoatio vitæ Christi in Ecclesia et in cordibus nostris!

Historia ergo inconcusse demonstratur Christum esse Dei legatum.

[1] *Luc.*, XXIV, 37; *Joan.*, XX, 17, 19, 26.
[2] *Matt.*, XXVIII, 9; *Luc.*, XXIV, 40, 43.

CAPUT IV.

LEGATIO DIVINA CHRISTI CORROBORATUR HISTORIA PRIMÆVI CHRISTIANISMI.

472. Scopus capitis. Christi morte fugaque discipulorum opus Domini, secundum humanam æstimationem, deletum videbatur; sed resurrectione Christi ejus religio novum augmentum suscepit. Jamvero Dominus hunc exitum præviderat : "Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert" [1]. Hoc jam Isaïas prædixerat [2] : "Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam". — Hæc autem mutatio, quæ nonnisi divina virtute explicari valet, vere est miraculum sive ordinis intellectualis (ut oraculorum Christi et prophetiarum adimpletio), sive ordinis moralis, in gratiam legationis divinæ Christi.

Quod quidem in duplici articulo, ex *propagatione christianismi et martyrum constantia* demonstrabimus.

Argumentum ex historia primæva Christianismi inchoat illam, quam in *Tr. de Ecclesia* aggrediemur, demonstrationem de Ecclesia, quatenus *per se ipsam signum est sucæ divinæ originis.* Cum *Vaticanum* hæc argumenta simul jungat [3], quidam auctores de propagatione fidei et martyribus agunt tantum ubi de dotibus Ecclesiæ [4]. Quia vero demonstrationem ad tria priora sæcula restringere intendimus [5], hanc ut confirmationem divinæ legationis Christi præbemus.

Art. I. De mira propagatione Christianismi [6].

473. Status quæstionis. *Rationalistæ* propagationem Christianismi per quatuor priora sæcula ut factum quidem

---

[1] *Joan.*, XII, 23-24. Cf. XIV, 12-14. — [2] *Is.*, LIII, 12. — [3] **D. B.**, 1794.

[4] V. g. **P. Garrigou-Lagrange,** *de Revelatione*, l. II, c. IX.

[5] **P. Allard** in articulo *Martyre*, in *D. A.* et **Brou** in Art. *Propagation de l'Evangile* demonstrationem usque ad hodierna tempora prosequuntur.

[6] **S. Thom.**, *C. Gent.*, l. I, c. 6; **Suarez,** *De fide*, disp. IV, sect. 3, n. 11; **Valsecchi**, op. cit., l. II, c. 14; **Perrone**, n. 369 sq.; **Lacordaire**, 29e *Confér.*; **A. de Broglie,** *L'Eglise et l'Empire Romain au IVe s.*, Discours prélim.; *Questions de Religion*, vol. II, p. 217 sq.; **P. Allard,** *Le Christianisme et*

mirum, sed naturaliter explicandum considerant. Contra quos statuemus hanc propagationem non posse sine speciali Dei auxilio explicari, ideoque miraculum esse ordinis moralis originem divinam fidei christianæ demonstrans. Deus enim, veritas ipsa, non posset speciali interventu diffundere religionem quæ falso se ab Ipso revelatam esse profiteretur.

Quo clarius vis argumenti perspiciatur, simul conjungemus probationem ex *propagatione* christianismi et *ex ejus efficacia ad mores instaurandos :* hæc enim intime connectuntur : ideo enim valet propagatio quia hominem et societatem instauravit.

Thesis : **Celerrima christianæ religionis per totum orbem terrarum propagatio, ejusque efficacia ad mores instaurandos, omnibus consideratis adjunctis, agnoscenda est ut miraculum ordinis moralis ejus divinitatem demonstrans.**

Ad thesim probandam, exponemus 1° ipsa *facta;* 2° horum *causam* et *explicationem;* exinde conclusio sponte orietur rem explicari non posse sine speciali Dei providentia et interventu, ideoque *divinam* esse Christi religionem.

§ I. Facta exponuntur.

Duo sunt : 1° ipsa *propagatio*, 2° *morum instauratio.*

474. I. Celerrima Christianismi propagatio. Hic pariter duo ostendemus : diffusionem christianismi miram fuisse non solum *numerice* et *geographice;* sed etiam *socialiter*, id est omnes pervasisse societatis ordines.

---

l'Empire Romain de Néron à Théodose, Paris, 1898; *Histoire des persécutions; La persécution de Dioclétien et le triomphe de l'Eglise; Dix leçons sur le Martyre*, 3e éd., 1907, p. 10-83; **Brugère**, n. 57; **Lambrecht**, p. 415 sq.; **Hurter**, n. 78 sq.; **Ottiger**, p. 850-877; **A. Brou**, Art. *Propagation de l'Evangile*, in *D. A.*; **Pesch**, n. 248 sq.; **M. Armellini**, *Lezioni di Archeologia Christiana*, Roma, 1897, p. I, c. 1, p. 5 sq.; **A. Harnack** *, *Die Mission und Ausbreitung des Christentums in den ersten drei Jahrunderten*, 3a ed., 1915; quod opus breviter contrahit et critice expendit **J. Rivière**, *La Propagation du Christianisme dans les trois premiers siècles*, Paris, Bloud, 1907, (*Science et Religion*, n. 454-455); cfr. **L. de Grandmaison**, *L'expansion du Christianisme d'après M. Harnack*, in *Etudes*, t. 96, 1903, p. 300-329, 451-476; **J. Moffat** *, in *Hibbert Journal*, april 1903, p. 579-590; **Hugueny**, *Critique et catholique*, I, ch. VI; **P. de Poulpiquet**, *L'objet intégral de l'Apologétique*, p. 121-147; **A. Brou**, Art. *Propagation de l'Evangile*, in *D. A.*

475. 1° **Diffusio numerica et geographica.** (A) Quoad *numerum* : (a) jam ex *Actibus Apostolorum*, eorumque Epistolis colligi potest *multos* fuisse conversos, et celerrimam fuisse christianæ religionis propagationem. Paulo post Pentecosten, prædicante Petro, primum tria, deinde quinque millia hominum ad fidem conversi sunt [1]; et quotidie "magis augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum" [2]. — Orta persecutione in civitate Jerusalem, fideles per Judæam et Samariam dispersi Evangelium prædicarunt [3]. Quidam etiam perambulaverunt usque Phœnicen, et Cyprum, et Antiochiam : in hac civitate multi crediderunt, "ita ut cognominarentur primum Antiochiæ discipuli, Christiani" [4]. — Postea autem Apostoli in varias regiones abierunt, citoque ecclesias in toto romano imperio, et etiam non paucas extra imperii limites fundaverunt. Hinc Petrus viginti circiter annis post Ascensionem (63-64), epistolam scribit "electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ et Bithyniæ" [5]; Paulus eodem fere tempore ad Romanos scribens aiebat : "Fides vestra annuntiatur in universo mundo" [6]; Joannes, circa finem primi sæculi, sub Domitiano, scribit septem ecclesiis quæ sunt in Asia Ephesi, Smyrnæ, Pergami, Thyatiræ, Sardis, Philadelphiæ et Laodiciæ [7]. Ergo, *viventibus adhuc Apostolis*, jam *multi* erant Christiani.

476. (b) *Post mortem Apostolorum*, numerum fidelium in immensum excrevisse testes sunt scriptores tum *christiani* tum *pagani*, etiamsi admittatur eos quandoque *oratorio modo* scripsisse.

1) Ita *S. Clemens* Papa ad Corinthios scribebat [8] : "Hisce viris (Apostolis) aggregata est multitudo ingens electorum qui multa martyria et tormenta sustinuerunt nobisque exempla facti sunt". — *S. Justinus*, qui tempore Antonini florebat, medio secundo sæculo, declarabat nullum esse genus hominum sive barbarorum, sive

[1] "Appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia... Multi autem... qui audierant verbum, crediderunt; et factus est numerus virorum quinque millia". (*Act.*, II, 41; IV, 4.)

[2] *Act.*, V, 14. — [3] *Act.*, VIII, 3-4. — [4] *Act.*, XI, 18-26. — [5] *I Petr.*, I, 1.

[6] *Rom.*, I, 8; cf. *Coloss.*, I, 6. — Ipse Puteolos veniens, ibi fratres (i. e. christianos) invenit et apud eos mansit (*Act.*, XXVIII, 14).

[7] *Apoc.* I, 11. Cf. VII, 9, ubi, ante thronum Agni multi ostenduntur credentes in Christum, ex omni tribu et populo. — [8] *I Ep.*, n. 6; R. 11; K. 11.

græcorum, sive etiam aliorum omnium quocumque appellentur nomine, inter quos non fiant preces, et gratiarum actiones Patri et Creatori omnium per nomen Jesu Christi crucifixi [1]. — Pariter *S. Irenæus* testatur eodem fere tempore ecclesias erectas esse in Germania, in Hispaniis, in Galliis, in Oriente, in Ægypto, in Lybia, et in Meditullio, id est Hierosolymæ et in Judæa [2]. — Initio tertii sæculi, *Tertullianus* sic eloquenter Christianismi describit propagationem : "Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum; sola vobis reliquimus templa" [3].

2) Testes sunt pariter *ethnici* scriptores : sic *Tacitus* [4], de Neronis persecutione scribens, ait ingentem Christianorum multitudinem capite plexos fuisse : "quæsitissimis pœnis adfecit quos, per flagitia invisos, vulgus *Christianos* adpellabat... Igitur primo correpti, qui fatebantur, deinde, indicio eorum, *multitudo ingens*, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis, convicti sunt". — Trajano imperatore *Plinius Junior*, Proprætor in Bithynia, innumeros ibi reperit Christianos, de quibus Imperatorem consulit quid sibi sit agendum : "Visa est enim mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. *Multi* enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam, vocantur in periculum et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque pagos superstitionis illius contagio pervagata est" [5]. — Nec aliter *Suetonius*, aliique profani auctores. Constat igitur christianam religionem, etiam ante Constantinum, celerrime non solum per urbes, sed etiam per vicos, et etiam inter Barbaros propagatam fuisse.

477. (c) Teste *Eusebio* [6], *initio quarti sæculi*, ecclesiæ christianæ florentissimæ apparent, templaque christiana nimis angusta ut turmas fidelium capiant.

---

[1] *Dialog. cum Tryphone*, n. 117, *P. G.*, t. VI, 749-750. **K.** 59.

[2] *Adv. Hæreses*, l. I, c. 10, n. 2, *P. G.*, t. VII, 553-554; cf. l. III, c. 3, n. 2, P. G., 848-849. **K.** 104-106.

[3] *Apologet.*, c. XXXVII, *P. L.*, t. I, 462, 463; **R.**, 279; **K.**, 178; cf. *Adversus Judæos*, c. VII. Hæc quidem dicta sunt aliquatenus *oratorio modo;* sed in libro *ad Scapulam* paganum Præfectum, (c. 5, *P. L.*, I, 704), ubi modo mere expositivo loquitur ad eum qui optime statum rerum noverat, declarat *pæne majorem partem civitatis* (i. e. Carthaginis) esse Christianam, maximamque futuram esse stragem, si Christiani *decimarentur*.

[4] *Annal.*, lib. XV, c. 44, **K.**, 34.

[5] **C. Plinii**, lib. X, Ep. 97; **K.**, 30. — Nonnulli rationalistæ hanc Epistolam non genuinam aut interpolatam esse dixerunt, quia testimonium exhibet suis theoriis contrarium; quod debile esse argumentum alii rationalistæ fatentur, ut **G. Boissier**, *La Fin du paganisme*, 2e éd., 1894, p. 383.

[6] *H. E.*, VIII, 1, 5; **K.**, 444.

Progressive ergo crevit christianorum numerus; sunt tamen tres periodi quibus major exstitit fidei diffusio : ætas apostolica, finis II^i sæculi, finis III^i sæculi.

478. (B) Quoad *geographicam* extensionem, hæc statui possunt secundum *Harnack :*

(a) *Circa annum 50* format collectivitas christiana veluti *ellipsim*, quæ in Jerusalem et Antiochia centra habet; *anno centesimo* centra ad Romam et Ephesum jam translata sunt [1]. Prout novimus, primo sæculo fides jam in 41 civitatibus et 13 insuper provinciis prædicata fuerat [2].

(b) *Secundo sæculo*, nomina 33 novarum civitatum et 7 novarum provinciarum innotescunt [3]. Evangelium jam cuncta littora Maris Mediterranei attigit, vallesque Nili, Rhodani et Rheni invasit.

(c) Circa *initium quarti sæculi :*

1) Provinciæ erant in quibus christiana *prævalebat* religio, *dimidiam fere* partem incolarum computans, nempe *Asia Minor*, (regio quæ hodie hoc nomine vocatur), pars meridionalis *Thraciæ*, *Cyprus*, *Armenia*, *Edessa* ejusque territorium.

2) Aliæ erant provinciæ in quibus *late* diffundebatur, ita ut magis floreret quam ceteræ religiones *singillatim* sumptæ : *Antiochia* et *Cœle-Syria*, *Ægyptus*, præsertim *Alexandria*, et *Thebaidis*, *Roma*, *Italia meridionalis* et *media*, *Africa proconsularis* et *Numidia*, *Hispania*, præcipuæ partes *Græciæ* et *meridionalis Gallia*.

3) Aliæ autem erant in quibus *minus* diffundebatur, et paucæ numero communitates institutæ fuerant : *Palæstina*, exceptis paucis civitatibus ubi christianismus dominabatur, *Phenicia*, *Arabia*, pars *Mesopotamiæ*, *Græca peninsula* cum regionibus prope *Danubium*, *Septentrionalis* et *Orientalis Italia*, *Mauritania* et *Tripolitana*.

4) Tandem aliæ erant in quibus nonnisi paucissimi recensebantur Christiani : *Philistia*, *Scythia*, *Persis*, *India*, littora *Maris Nigri*, pars *Occidentalis Italiæ*, pars media et septentrionalis Galliæ, *Belgium*, *Germania*, *Rhetia*, *Britannia* et *Norica* [4].

---

[1] **Harnack***, l. c., I. p. 82. — [2] *Ib.*, II, p. 88-92. — [3] *Ib.*, II, p. 92-93.

[4] **Harnack**, *op. cit.*, II, p. 351-352, ubi rem ita concludit : " L'impression qu'eurent les Pères du quatrième siècle, un Arnobe, un Eusèbe, un Augustin, que leur foi s'est de génération en génération, propagée avec une incompréhensible rapidité; cette impression est juste. Soixante-dix ans après la fondation de la première communauté chrétienne dans la syrienne Antioche, Pline s'exprime, sur la diffusion du christianisme dans la lointaine Bithynie, dans les termes les plus forts, et considère les autres cultes établis dans cette province comme déjà ruineux. Soixante-dix ans plus tard, la querelle de Pâques nous montre une fédération chrétienne d'églises, qui va de Lyon à Edesse, avec

Uno verbo, circa annum 313, christiana religio *virtualiter* victoriam retulerat, et notabilem partem orbis romani constituebat [1].

479. 2° **Diffusio socialis.** Christianismus omnes societatis ordines mox pervasit.

Multi sane *pauperes* Ecclesiam ingressi sunt, juxta antiquam prophetiam : " *Pauperes evangelizantur* ", ita ut Paulus ad *Corinthios* scribat [2] : " Quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles ". — Attamen, etiam inter primitivos christianos inveniuntur : — (a) *Divites* quidam, quales *Sergius Paulus* [3], *Dionysius Areopagita* [4], *mulieres nobiles* non paucæ [5], *Pomponia Græcina* [6], *Titus Flavius Clemens* ejusque familia, *Apollonius* martyr [7] ; *Annæi* et *Pomponii*, aliique clarissimi viri, ita ut Valeriani edictum (an. 258) speciatim contra ditiores christianos promulgatum fuerit, ut senatores et egregii viri et equites romani, dignitate amissa, etiam bonis spoliarentur [8] ; (b) *Aulici* quidam : S. Paulus loquitur de sanctis " qui de Cæsaris domo sunt " [9], de Aristobulo et Narcisso [10], qui in aula Claudii vivebant. Imperante Domitiano, florebat Flavius Clemens, cujus filii inter heredes Imperii recensebantur. Commodio regnante, multi christiani in aula erant, inter quos *Marcia*, cujus ope christiani multi, ad metalla damnati, liberati sunt. Imperator Antoninus lacte christiano educatus est, teste Tertulliano [11]. Tempore Valeriani, inter *Cæsarianos* haud pauci erant christiani [12].

480. (c) Inter christianos, non pauci *eruditione* aut *eloquentia* floruerunt : v. g., *Apollo* Alexandrinus, qui, tempore Pauli, Corinthiis prædicabat, Dionysius Areopagita; Justinus, Athenagoras,

---

Rome pour centre. Soixante-dix ans après, l'empereur Dèce déclare qu'il aimerait mieux souffrir à Rome un autre empereur qu'un évêque chrétien ; et il ne faudra plus attendre soixante-dix ans pour voir la croix arborée sur les enseignes romaines ".

[1] Confirmatur ex eo quod fere tertia pars *civitatum* orbis romani episcopos christianos habebat, circa annum 325. Exstant nempe circa 900 episcopi in Oriente, 8-900 in Occidente. (**Harnack***, *l. c.*, II, p. 342, n. 2).

[2] *I Cor.*, I, 26. — [3] *Act.*, XIII, 7-12. — [4] *Act.*, XVII, 34.

[5] *Act.*, XVII, 4, 12. — [6] **Tacitus,** *Annales*, XIII, 32; **K.**, 32.

[7] **Eusebius,** *Hist. eccles.*, V, XXI, 1.

[8] Ita **S. Cyprianus,** Ep. LXXX, 1, t. II, p. 839 ed. *Vindobonensis*, **K.**, 299.

[9] *Philip.*, IV, 22. — [10] *Rom.*, XVI, 11.

[11] *Ad Scapulam*, 4, *P. L.*, t. I, 703; **K.**, 217. Ibidem ait : " Sed et clarissimas feminas et clarissimos viros Severus sciens hujus sectæ esse, non modo non læsit, verum et testimonio exornavit, et populo furenti in nos palam restitit ".

[12] **S. Cyprianus,** ep. cit. — Quare **Harnack***, op. cit., II, p. 47, merito infert " que dès la première heure les chrétiens s'introduisirent à la cour, et qu'ils avaient fini à la longue, par en constituer une partie importante ".

Aristides, aliique apologetæ; Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Clemens Alexandrinus, Origenes totaque schola Alexandrina, ita ut *Arnobius* scribere potuerit [1] : "Tam magnis ingeniis præditi oratores, grammatici, rhetores, consulti juris ac medici, philosophiæ secreta rimantes, magisteria hæc expetunt, spretis quibus paulo ante fidebant".

(d) Inter *milites*, centuriones et tribunos invenire est etiam christianos; etsi enim quidam rigoristæ, ut *Tertullianus*, docuerint militiam cum spiritu evangelicæ mansuetudinis parum esse consentaneam, Ecclesia illos excessus vitavit. Reapse, sub Marco Aurelio, legio *fulminata* multos numerabat Christianos [2], et ex ea assumpti sunt quadraginta martyres qui Sebastæ pro fide occisi sunt. Initio Diocletianæ persecutionis, posteaque sub Licinio imperatore, multi christiani milites interempti sunt [3].

481. (e) Tandem *mulieres* haud paucæ fidem amplexæ sunt et propagaverunt. Jam in *Epistolis S. Pauli* et *Act. Apostolorum* quædam recensentur, inter quas nobilis Priscilla, Aquilæ uxor [4]. Ex eis seligebantur virgines, viduæ et diaconissæ, quæ certa munera in ecclesiis exercebant. Scholas Justini et Origenis quædam mulieres frequentabant. Aliæ in aula imperatorum erant, aut uxores illustrium virorum, quales fuere *Domitilla*, *Marcia*, *Julia Mammæa*, *Severa*, Philippi uxor; necnon uxor et filia Diocletiani, uxor præfecti Romæ, regnante Maxentio [5]. Multæ sanguine suo fidem signaverunt. Hæc denique fuit copia puellarum et matronarum, quæ christianam religionem amplexæ fuerant, ut speciali decreto nobilibus mulieribus, quæ suæ conditionis viros invenire non potuerant, permissum fuerit cum servis matrimonium contrahere.

482. Ex his omnibus aliisque permultis factis luculenter constat christianam religionem, per tria priora sæcula, (a) *celerrime* in toto Imperio romano diffusam esse, immo et inter Barbaras gentes, — (b) et quidem non in uno aut altero civium cœtu, sed *in omnibus ordinibus* : et ita multum differt a *mithriacismo*, qui in paucis tantum Imperii regionibus, et fere exclusive inter milites eorumque ope sparsus

[1] *Adv. Gentes*, l. II, 5, *P. L.*, 816. Cfr. **Greppo,** *Mémoires relatifs à l'hist. ecclés. des premiers siècles;* les chrétiens de la maison de Néron; **D. Guéranger,** *op. cit.*

[2] **Tertullien.** *Apologet.*, V, 8, **K.**, 177; **Eus.**, *H. E.*, V, 5, 1-6; **K.**, 432-433.

[3] *Eusebius*, *H. E.*, V, 5; VI, 5, 41; VII, 1, 15 (**K.**, 441-442); VIII, 4; X, 18.

[4] *Act.*, XVIII, 2, 26; *I Cor.*, VII, 12; XI, 5; *Rom.*, XVI, 1, 3, 6, 7, 12, 15.

[5] **Euseb.**, VI, 21, 36; VIII, 1; **K.**, 444, 445.

est [1]; — (C) *celerius* ac quæque ex religionibus orientalibus qui eo tempore mundum invaserant [2].

Ubique vero *mores mirabiliter instauravit.*

483. II. **Christiana religio individuum, familiam et societatem mirabiliter instauravit** [3].

1° Religio christiana *hominem privatum* instauravit, ejus *intellectum* ab erroribus, ejusque *voluntatem* a pessima corruptione liberando.

(A) Tempore quo Christus doctrinam suam prædicavit, universum orbem, paucis exceptis philosophis, polytheismo et idololatriæ deditum esse ex testimonio paganorum luculenter constat.

Philosophi quidem ut *Cicero*, in libris *de Natura deorum*, et *de divinatione*, et *Seneca*, in *Epistolis*, istam ignobilem deorum turbam, eorumque vitia irrident, sed ipsi colebant quod reprehendebant, propter leges civiles moresque hominum, rati impossibile esse plebis superstitiones emendare. Insuper Græcorum et Ægyptiorum numina tunc temporis Romæ colebantur, veteremque Romanorum religionem plus minusve corruperant [4].

Christiana autem religio *omnibus*, etiam *rudibus*, pauperibus, imo et servis prædicata fuit. Dominus siquidem "videns turbas, misertus est eis, quia erant vexati, et jacentes sicut oves non habentes pastorem"; tunc misit discipulos suos non solum ad oves quæ perierant domus Israel, sed ad omnes Gentes. Revera in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum [5].

---

[1] Quod erudite ostendit **A. Harnack***, *op. cit.*; cf. **F. Cumont**, *Les mystères de Mithra*, Bruxelles, 1902. — [2] **Harnack***, l. c., II, p. 334-341.

[3] **Schwetz,** *Theolog. fundament.*, § 133; **Jungmann,** n. 282 sq.; **Fouard,** *St Pierre*, 1901, ch. XV-XVIII; **G. Boissier,** *La Religion Romaine*, vol, I, p. 42 sq.; **Storrs***, *The divine origin of Christianity indicated by its historical effects*, New York, 1884, p. 37 sq.; **Mommsen***, *History of Rome*, transl. by Dickson, Lond., 1867, vol. IV, p. 560; *gallice* redditum cura Cagnat et Toutain; **L. Lallemand,** *Histoire de la Charité*, t. I, 1902, ch. III-VIII; ubi paganas miserias describit et t. II, ubi exponit quomodo caritas christiana eisdem subvenerit; **Emile Chénon,** *Le rôle social de l'Eglise*, Paris, 1920; **Paul Allard,** *Les Esclaves chrétiens*, Paris, 1900; **Id.,** Art. *Esclaves* in *D. A.*; **Taudière,** Art. *Famille*, in *D. A*; **L. Prunel.,** Art. *Pauvres*, in *D. A.* (Les Pauvres et l'Eglise).

[4] Cfr. **Lucan.,** I, 565; **Seneca,** *de Beat. Vita*, 27; **Lactant.,** *Instit.* I, 21; **Lecky,** *History of European morals*, New York, 1884, vol. I, p. 319 sq.

[5] *Matt.*, IX, 36; X, 6; XXVIII, 19; *Ps.* XVIII, 5.

Docuerunt sublimes illas veritates, quas supra breviter recensuimus, n. 353-359 : unitatem Dei, ejus paternam providentiam, animæ immortalitatem, generis humani per Christum redemptionem etc., ita ut quæ ipsis antea philosophis ignota erant, ea mox indocti etiam clare cognoverint.

484. (B) Nec minus mira est mutatio quæ *in moribus* contigit. Historia enim constat Romanos, post deletam Carthaginem Græciamque subditam, pessimis indulsisse vitiis : id testantur non solum poetæ, sed philosophi et historici; intemperantia profusioque in victu et cultu corporis, luxuria et ebrietas, necnon infandum sodomiæ crimen, tacentibus aut etiam approbantibus philosophis, ubique vigebant.

Ait siquidem *Tacitus* de Romanis qui sub Nerone vivebant : " Ceterum abolitos paulatim patrios mores, funditus everti per accitam lasciviam, ut, quod usquam corrumpi et corrumpere queat, in urbe visatur, degeneretque studiis externis juventus, gymnasia et otia et turpes amores exercendo, principe et senatu auctoribus; qui non modo licentiam vitiis permiserint, sed vim adhibeant " [1].

Quanta autem mutatio per prædicationem Evangelii inducta fuerit ex his *S. Justini* verbis colligi potest : " Qui olim stupris gaudebamus, nunc *castimoniam* unice amplectimur; qui magicis etiam artibus utebamur, bono et ingenito

[1] Nec aliter **Juvenalis**, *Satir.*, VI, 292-300 :

> Nunc patimur longæ pacis mala. Sævior armis
> Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem;
> Nullum crimen abest, facinusque libidinis, ex quo
> Paupertas romana perit...
> Prima peregrinos obscœna pecunia mores
> Intulit, et turpi fregerunt secula luxu
> Divitiæ molles...

Idem legitur apud **Senecam** (*de Ira*, II, 8) : " Omnia sceleribus ac vitiis plena sunt : plus committitur quam quod possit coercitione sanari. Certatur ingenti quodam nequitiæ certamine : major quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia est. Expulso melioris æquiorisque respectu, quocumque visum est, libido se impingit. Nec furtiva jam scelera sunt : præter oculos eunt... " De infando autem sodomiæ crimine, cfr. Aristophanes, *Lysiastra*, 110: Plato, *Symposium*, 191; Lucian., *Amores*, 18; *Dialogi meretricii*, V, 22; Juvenal., VI, 311; Martial., I, 91; VII, 67; Forsyth's *Life of Cicero*, pp. 289, 336; Döllinger's *Heathen and Jew*, II, 273 sqq., ubi probatur vix unquam hoc vitium a paganis scriptoribus, etiam optimis, ut Socrate, fuisse reprobatum; immo idem in nonnullis græcis regionibus fuisse explicite laudatum, atque in Romano imperio, circa finem Reipublicæ ac tempore Imperatorum, late crevisse.

nos consecravimus Deo; qui pecuniarum et possessionum vias omnibus antiquiores habebamus, nunc etiam ea quæ habemus *in commune conferimus*, et cum indigentibus quibusque communicamus; qui mutuis odiis et cædibus pugnabamus, et cum iis qui tribules nostri non essent communem focum ob diversa instituta non habebamus, nunc, postquam Christus apparuit, convictores sumus et pro inimicis rogamus "[1]. Ita castitas, immo et virginitas, pietas in Deum, caritas erga proximum, honestas et justitia, modestia et humilitas mox floruerunt. — Quod aliunde confirmatur *paganorum* testimonio, qui fatebantur Christianos non propter furta, latrocinia, adulteria, aliave crimina condemnari, sed propter suam religionem[2]. Non omnia quidem per Christianismum abolita fuere vitia, sed multa emendata sunt, nec ullum fuit probatum[3].

485. 2° *Familiam pariter instauravit, filios, uxores, servos* protegendo. (**A**) Antiquitus paterfamilias potestatem vitæ necisque in liberos habebat.

Apud *Græcos*, filii non tam familiæ quam reipublicæ procreabantur; inde fiebat ut, statuente Lycurgo approbantibusque philosophis[4], infantes manci vel debiles necarentur. Res aliter se non habebat apud *Romanos;* in lege enim *decem Tabularum*, (tab. IV) legitur : " Pater insignem ad deformitatem puerum cito necato "; nec *Senecam*[5] puduit scribere : " Portentosos fetus exstinguimus, liberos quoque, si debiles monstruosique editi sint, mergimus : non ira, sed ratio est, a sanis inutilia secernere ". Præterea, toto vitæ tempore, pater filios in carcerem conjicere, flagris cædere, vinctos ad rusticum opus detinere, imo et vendere poterat[6].

Sanctius certo de parvulis cogitabat qui dixit : " Sinite parvulos venire ad me et ne prohibueritis eos : talium enim

---

[1] *Apologia* I[a], 14, *P. G.*, VI, 347; **R.**, 118. Cf. *Epistolam ad Diognetem*, **R.**, 97; **K.**, 153, 2.

[2] **Plinius,** *Epist.*, l. X, ep. 97; **K.**, 30. Cf. **Lecky***, *op. cit.*, vol. II, c. IV, pp. 11, 153-154.

[3] **H. Grisar,** *Histoire de Rome et des Papes*, 1906, t. I, n. 26.

[4] Ita **Aristoteles** (*Politic.*, l. VII, c. 14) : " Abolendis autem alendisque fetibus esto lex, ut nihil alatur mancum et debile. Propter multitudinem autem liberorum, quosdam fetus abolere oportet... quod si quibus fuerit aliquid præterea genitum, abortionem facere conveniet ".

[5] **Seneca,** *De ira*, lib. I, c, 15.

[6] Cf. **Dionysius Halicarn.,** *Roman. Antiquit.*, lib. II, c. 4.

est regnum Dei;... Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris... Videte ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis quia Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris "[1]. Ex hoc enim factum est pusillos ut filios Dei, heredesque regni cælestis habitos fuisse, et maxima cum reverentia[2] et amore apud christianas gentes tractatos.

Hinc *Lactantius*[3] : " Ergo ne illud quidem concedi aliquis existimet ut recens natos liceat oblidere, quæ vel maxima est impietas; ad vitam enim Deus inspirat animas, non ad mortem... Tam igitur nefarium est exponere quam necare "... Revera christiana religio, tanquam devota mater, infantium curam suscepit, et abortum vel parvulorum expositionem stricte prohibuit.

486. (B) Nec minus *uxorum* dignitatem instauravit.

Apud veteres Romanos, uxores virorum dominationi omnino subdebantur; non solum propter adulterium, sed etiam propter ebrietatem, aliave delicta, morte puniri poterant, viri arbitrio. Exemplum habetur in Metello, qui uxorem, quod vinum bibisset, fuste percussam interemit; in quo non accusatore tantum, sed etiam reprehensore caruit[4]. Postea autem, quando humaniorem adeptæ sunt conditionem, videlicet paulo ante Augustum, in *licentiam* præcipites se dederunt, ita ut, teste *Tacito*[5], Senatus legem condere coactus fuerit ne nobiles matronæ sui corporis quæstum facerent et lenocinium profiterentur. — Eodem tempore *divortia* communia facta sunt : Cato ipse, in avaritiam et luxuriam adeo vehemens, avaritia uxorem suam Marciam Hortensio locavit, eamque divitem factam, Hortensio defuncto, iterum assumpsit; Cicero uxori suæ Terentiæ dedit libellum repudii, ut creditores suos pacaret dote novæ uxoris Publiæ, quam postea vano prætextu dimisit[6]. Augustus, in coercendis adulteriis tam sollicitus, ipse alienarum corruptor uxorum fuit, multasque concubinas habuit, quæ ipsi undique etiam ab uxore conquirebantur[7]. Inde factum est ut ad

---

[1] *Marc.*, X, 14; *Luc.*, XVIII, 16; *Matt.*, XVIII, 6-10; *Marc.*, IX, 41; *Luc.*, XVII, 1-2.

[2] Docuerat quidem *Juvenalis* maximam puero deberi reverentiam; id vero sola præstitit christiana religio.

[3] **Lactant.**, *de divin. Instit.*, lib. VI, c. 20; *P. L.*, VI, 708.

[4] **Valerius. Maxim.**, lib, VI, c. 3; cf. **Dionys. Halicarn.**, *Romanæ Antiq.*, l. II, c. 4; cfr. **P. Gide**, *Etude sur la condition privée de la femme,*

[5] **Tacitus**, *Annal.*, lib. II, n. 85; cfr. **Suetonius**, *in Tiber.*, 35.

[6] **Plutarch.**, *Vita Catonis*, *Vita Ciceronis.*

[7] **Suetonius**, *Augustus*, 71. — Philosophi ipsi meretricios amores condemnare non audebant : " Verum si quis est qui etiam meretriciis amoribus inter-

connubia cives legum vi compellendi essent; maritatis, præsertim qui prolem habebant, præmia statuta, pœnæ vero in cœlibes latæ sunt.

487. Christus autem, unitatem, indissolubilitatem sanctitatemque matrimonialis vinculi instaurando, conditionem feminei sexus ad pristinam dignitatem revocavit, immo ad altiorem statum evexit : viri uxores suas diligere tenentur sicut et Christus dilexit Ecclesiam, mulieres viris suis subdi sicut Domino; nec vinculum conjugii nisi morte alterutrius solvi potest [1]. — Diaconissis, et viduis, quæ veræ viduæ esse debent, officia quæ commendantur, præsertim vero caritatis opera [2]; unde fit ut femineus sexus valde nobilitetur. — Sed ad hoc præsertim tendebat *cultus B. Virgini redditus*, quæ, cum virginitatis simul et maternitatis honore fulgeret, virginibus simul et maritatis exemplum esse poterat : hinc floruerunt modestia, pudor, virginitas, castus amor sive conjugum inter se, sive parentum erga filios, christianaque prolis educatio [3].

488. (**C**) *Servorum* conditio pariter paulatim in melius mutata fuit.

Antiquo jure Romano servi non personæ, sed *res* existimabantur, quibus proinde uti abutique dominis licebat, juxta illud : *In servum nihil non domino licet*, vel *nulla in servum injuria cadit* [4]. Hinc eis non licebat verum connubium contrahere, sed more pecudum vivebant. Haud raro catenati servabantur, et, post multos labores, jam morbo aut senio confecti, aut necabantur aut in desertis locis exponebantur fame perituri. *Cato* ipse scribit de patrefamilias [5] : " Vendat boves vetulos,... plaustrum vetus, ferramenta vetera, *servum senem*, *servum morbosum*, et si quid aliud supersit, vendat ". Servis de fuga suspectis collaria ferrea impo-

---

dictum juventuti putet, est ille quidem valde severus; negare non possum; sed abhorret non solum ab hujus sæculi licentia, verum etiam a majorum consuetudine atque concessis. Quando enim hoc factum non est? Quando reprehensum? Quando non permissum "? (*Cicero*, Pro Cælio, c. 20.)

[1] *Ephes.*, V., 21-33; *Rom.*, VII, 2-3. — [2] *I Tim.*, V, 3-10.

[3] Hinc **Lecky***, *op. cit.*, vol. II, p. 316 sq., agnoscit a christiana religione castitatem, ut virtutum nobilissimam, maxime promotam fuisse, vitiumque contrarium gravissimis pœnis castigatum; et infra (p. 367) addit, cultu B. Virginis, femineas virtutes mirum in modum excultas fuisse. Cfr. **Nicolas**, *La V. Marie vivant dans l'Eglise*, l. 4, c. 1, Paris, 1860, t. II, p. 295.

[4] " Servile caput *nullum jus habet* ". (*Dig.* IV, 5, 3.)

[5] *De Re rustica*, c. 2.

nebantur, fugitivis frons nota inurebatur. Sæpe ipsæ matronæ ancillas acubus et spinulis transfigebant, vel ad crucis supplicium servos damnabant. Pollio, familiaris Octavii Augusti, murænas sanguine humano saginabat, et servos qui contra se aliquid offenderant, in vivarium serpentibus objici jubebat[1]. Lege statutum fuerat ut, si quis occideretur dominus, omnes indiscriminatim servi qui tunc temporis in domo erant, morte punirentur, quod revera sub Nerone factum est, ut narrat Tacitus[2]. "In servos, ait *Seneca*[3], superbissimi, crudelissimi, contumeliosissimi sumus".

A paganis, sive jurisperitis sive philosophis, aliqui conatus tentati sunt, ut servis quædam justitia redderetur, sed valde exigui et fere incassum[4].

489. *Servitutis rigorem statim temperavit*, et deinde *paulatim exstinxit* christiana religio. Christus enim sæpe docuerat omnes homines filios esse ejusdem cælestis Patris, omnesque pariter heredes Dei; Paulus aperte dixerat coram Deo non esse servum neque liberum, sed omnes esse unum in Christo Jesu, sive servos, sive liberos, fidelesque hortatus est ut servos ad fidem conservos jam non ut servos, sed pro servis carissimos fratres reciperent[5]; sic quasi a radice præcidebatur quidquid inhumani erat in ratione agendi cum servis, simulque via parabatur plenæ eorum emancipationi.

Reapse Ecclesia quatuor præsertim quoad servos præstitit[6]. (a) Ab initio *eadem reverentia* et *caritate* amplexa est servos et dominos. Utrique idem recipiebant baptisma, absque ulla personarum acceptione, eidem aderant sacrificio, de eadem mensa eucharistica corpus Domini accipiebant, in eisdem catacumbis indiscriminatim sepeliebantur. Inter servos et liberos valida contrahebantur matrimonia[7]. — Servi baptizati liberos catechumenos præcedebant; quidam ex eis ad sacerdotium, immo et ad Petri cathedram evecti sunt, qualis fuit Callistus. Hac æqualitate via parabatur pleniori emancipationi.

---

[1] **Senec.**, *de Clement.*, l. I, c. 18; **Juvenal**, *Satir.*, VI; **Valerius Maximus**, l. VI, c. 8; **Laur. Pignorius**, *De servis et eorum apud veteres ministeriis*, p. 14-15; **Lecky***, op. cit., vol. I, p. 302 sp.; **Wallon**, *Histoire de l'Esclavage*, vol. II, p. 293 et alibi passim.

[2] **Tacitus**, *Annal.*, lib. XIV, c. 44. — [3] Ep. 47.

[4] Cf. **P. Allard**, *D. A.*, Art. *Esclaves*, col. 1473-1474.

[5] *Gal.*, III, 28; *Coloss.*, III, 11; IV, 1; *Ephes.*, VI, 9; *I Cor.*, XII, 13; *Philem.*, 16.

[6] Cf. **Harnack***, *l. c.*, I, p. 174-178.

[7] "Nobis servi non sunt, sed eos et habemus et dicimus spiritu fratres, religione conservos". (**Lactantius**, *Instit. div.*, V, 15.)

(b) Servorum *manumissio* tanquam *eximium caritatis opus* commendabatur; revera plerique christiani, antequam morerentur, paucos et quandoque multos ex servis suis manumittebant; hi autem speciali episcopali patrocinio tegebantur.

(c) Statim ac religio christiana prævaluit, imperatoribus suasit ut varia decreta ederentur quibus servorum conditio mitior fieret, eorumque numerus paulatim imminueretur; videlicet statutum est ne quis, absque judicis sententia, eos *occideret* aut *graviter* flagris *verberaret;* ne filii a parentibus, uxores a viris, fratres a sororibus separarentur; né mulieres prostituerentur, sed liberæ fierent, si, contra legem, prostitutioni exponerentur. Qui ad ecclesias confugiebant, a corporalibus suppliciis excusabantur; captivi redimebantur, aliquando etiam sacra supellectili vendita; sæpe die dominica aliisque festis, servi manumittebantur; nefarium negotium quo homines sicut bruta animalia venundabantur interdictum est.

(d) Præterea *laborem nobilitando* [1], viam paravit servitutis abrogationi. Opera, quæ hucusque *servilia* reputabantur, quia nempe a servis peracta, Ecclesia tanquam honesta et laude digna comprobavit [2]; ex quo factum est ut etiam viri liberi his operibus vacarent, proindeque servorum numerus minueretur. Paulo post, suadente Ecclesia, servituti substitutus est *colonatus* (*servage*), vi cujus servi alicui prædio *addicebantur* quod in perpetuum colebant. Non erant quidem omnino liberi, sed, certis diebus et horis, partem fundorum sibi assignatam colebant, fructusque exinde perceptos *suos* faciebant, et, mediante pecunia, sese redimere poterant.

His aliisque mediis abrogata est servitus apud Christianos, non quidem subito, quia id prudentia non sinebat, sed paulatim, prout se dabat opportunitas [3].

Nec aliter egit Ecclesia quando, detecta America, servitudo iterum viguit : abusus siquidem repressit, humanitatisque principia

---

[1] De labore in primæva Ecclesia, cf. **Harnack** *, l. c., I, 179-182.

[2] **Cicero,** *De officiis*, l. I, c. 42, n. 150, illiberalia et sordida vocat opificum opera : " Opificesque omnes, inquit, in sordida arte versantur. Nec enim quidquam ingenuum potest habere officina. " Christiani autem, Christi et Apostolorum vestigiis inhærentes, manibus laborare non dedignabantur. Ad rem **P. Allard,** *Revue des Quest. historiques*, Oct. 1879, p. 592 : " L'indication de la profession du mort est fréquente dans les épitaphes chrétiennes. Les premiers fidèles négligent volontairement de nous apprendre que tel ou tel mort est de race illustre ou au moins de naissance ingénue. Ils ne rougissent jamais de nous apprendre qu'il a sur la terre exercé un métier ".

[3] Varios Conciliorum Canones de servili conditione emendanda collegit **Balmès,** *Le Protestantisme comparé au Catholicisme*, Paris, 1855, t. I, p. 378-425; anglice *Protestantism and Catholicity compared in their effects on civilization*, not. 15, p. 430 sq. — Quod aliunde Rationalistæ agnoscere coguntur; ita **Lecky** *, *op. cit.*, vol. II, p. 66.

inculcavit. Omnibus pariter notum est quid Leo XIII statuerit ad ultima servitutis vestigia, prout fieri potest, prorsus abolenda [1].

490. 3° *Societatem etiam civilem* renovavit, *libertatem, caritatem jusque gentium* promovendo.

(A) *Tyrannis* siquidem sæpe sæpius apud paganas gentes vigebat; quæcumque fuerit regiminis forma, monarchica, aristocratica vel democratica, cives *omnipotenti* Statui in omnibus quoad corpus et animam, subdebantur [2]. Quicumque enim gubernabant, non tam subditorum quam *proprium sibi proponebant bonum :* exinde natæ sunt licentia factionum, dissensio ordinum, seditiones vel abjecta tyrannis subjectio, quæ omnem virilitatem enervat [3]; ut axioma siquidem admittebatur : "*quod principi placuit legis habet vigorem*".

Res autem aliter se habet apud christianas gentes : 1) subditi norunt non esse potestatem nisi a Deo, nec magis licere legitimis superioribus quam divinæ voluntati resistere, juxta illud : "Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit" [4]. 2) Aliunde qui in auctoritate sunt, monentur ut cum æquitate simul et paterna caritate imperent, ad civium, non ad suam utilitatem, Deumque imitentur cujus justissima in homines potestas est cum paterna bonitate conjuncta. Ita sane tuta servatur *majestas imperii* simul cum *libertate* civium [5].

Revera, historia teste, christianæ nationes paulatim civilem libertatem acquisierunt, justitia et dignitate hominis fundatam, quam paganæ nunquam attigerant nationes; nostrisque diebus illi populi ut liberi existimantur qui vel christiani sunt vel a christianis principibus reguntur; nec mirum, nam "duo sunt, inquit *Petrus Ble-*

---

[1] **Leo XIII,** *Litteræ ad Em. Card. Lavigerie*, 27 Octob. 1888; 17 jul. 1890 (*Acta S. Sedis*, XXI, 195; XXIII, 3). — De servitutis abolitione fusius tractarunt **Mölher,** *Bruchstücke aus der Geschichte der Aufhebung der Sklaverei*, 1834, gallice redditum : *De l'abolition de l'Esclavage par le Christianisme*, Paris, 1841; **Wallon,** *Histoire de l'Esclavage dans l'Antiquité;* **Ozanam,** *La civilisation au V^e S.*, 1862, I, p. 200 sq.; **A. Cochin,** *l'Abolition de l'Esclavage*, Paris, 1862; **P. Schaff***, *Christ and Christianity*, N. York 1885, p. 184-212; **Storrs,** op. cit., p. 160-163; 488-493; **Allard,** *Les Esclaves chrétiens*, ubi breviter contrahit, p. 476-492, quod Ecclesia præstiterit ad servos liberandos.

[2] **Fustel de Coulanges,** *La Cité antique*, l. III, c. 18.

[3] **Tacit.,** *Annal.*, lib. III, c. 26-27; **T. Livius,** *Dec.* I, lib. I, c. 17; *Digest.*, lib. I, tit. 4, § 1. — [4] *Rom.*, XIII, 1, sq.

[5] **Leo XIII,** Encycl. *Immortale Dei*, ubi egregie exponuntur commoda quæ Christianismus civili contulit societati. — Cfr. **Troplong,** *De l'influence du christianisme sur le droit civil des Romains*, Paris, 1843.

sensis[1], *justitia* et *libertas*, pro quibus quisque fidelis usque ad sanguinem stare debet"; et longe antea Apostoli dixerant : "Obedire oportet Deo magis quam hominibus"[2]; quæ quidem verba veram conscientiæ libertatem in tuto collocarunt.

491. (B) Paganam tyrannidem consecuta fuerat inhumana *crudelitas*, quæ non solum in agendi ratione cum servis, sed etiam in ludis amphitheatricis sese manifestabat.

Romæ siquidem institutæ sunt *gladiatorum scholæ*, in quibus captivi a magistris discebant jugulare et jugulari; nec ullum spectaculi genus Romanis acceptius quam gladiatoriæ pugnæ, in quibus millia hominum coram populo senatuque, coram mulieribus et puellis inhumane occidebantur. Optimi imperatores hac in re sævissimi fuerunt : Titus, cum adhuc in Judæa esset, exercitum suum recreare non erubuit gladiatorio ludo, in quo tria millia captivorum una die cæsa sunt[3]. Nec humani sanguinis parcior fuit Trajanus, qui "spectacula edidit dierum 123, in quibus interdum cæsæ sunt feræ mansuetæque bestiæ mille : interdum etiam ad decem millia : itemque gladiatorum decem millia inter se certaverunt"[4]. Nec ipsi philosophi, ante Senecam, tam exsecrabiles ludos reprobaverunt. Temporis progressu, cædium æstus adeo increvit ut non solum servi, sed etiam equites senatoresque, imo et mulieres aliquando in arena decertarent[5].

492. Christiana autem religio dignitatem hominis sanguine Christi redempti æternæque vitæ candidati, ita extulit, ut non solum *gladiatorum inhumana certamina* prohibuerit et feliciter aboleverit[6], sed etiam *caritatis instituta* ubique fundaverit pro *orphanis*, vel *expositis infantibus*, pro *infirmis*, pro *senibus* aliisque hujusmodi, ut libenter fatentur adversarii nostri[7]. Laurentius pauperibus thesauros Eccle-

---

[1] Apud *Migne, P. L.*, CCVII, p. 1111. — [2] *Act.*, V, 20.

[3] **Josephus,** *de Bello judaico*, lib. VII.

[4] **Dion. Cass.**, lib. 66. — De his gladiatoriis ludis cf. **Martial.**, *de Spectaculis;* **Sueton.**, *Claudius*, 34; **Juvenal.**, *Satir.*, III, 36-37; **Valer. Max.**, II, 4, § 7; **Seneca**, *de Brevit. vitæ*, c. 13; ep. 7; **Wallon,** *Histoire de l'Esclavage*, vol. II, p. 129-139; **Lecky***, *op. cit.*, p. 271 sq.

[5] **Sueton.**, *Vita Neronis*, c. 12; *Vita Domitiani*, c. 4; **Juven.**, *Satir.* VI, 248; **Martial.**, *de Spectaculis*, VI; Cf. **Lecky***, *op. cit.*, p. 280 sq.

[6] **Theodoretus,** (*Histor. Eccles.*, l. V, c. 26), narrat quomodo Honorius morem digladiandi prohibuerit. Attamen, etiam post Honorium, non obstante lege, aliquot fuerunt spectacula hujusmodi, quæ nonnisi sæculo VI omnino cessasse videntur.

[7] Ita, inter alios, **Lecky** *, *op. cit.*, vol. II, p. 79-80, fateri coactus est christiana religione fraternam caritatem maxime floruisse : quod tribuendum est

siæ distribuit; Fabiola, Pammachius, Melania [1] aliique multi suas opes immensas ad pios usus devovebant, diaconi et diaconissæ in qualibet ecclesia instituebantur ut pauperum, orphanorum et miserabilium curam gererent. Quam caritatem ipsi pagani mirabantur, immo, instigante Juliano Apostata, imitari conati sunt, infelici tamen exitu, cum vera fraternitas ex amore Dei nascatur; aiebat siquidem Julianus : "Quid causæ est cur non potius convertamus oculos ad ea quibus Christianorum religio crevit, id est ad benignitatem in peregrinos, ad curam ab illis in mortuis sepeliendis positam, et ad sanctimoniam quam simulant? Non turpe profecto est, cum nemo ex Judæis mendicet, et impii *Galilæi non suos modo, sed nostros quoque alant*" [2].

Harnack [3] varia recenset opera quibus exercebatur caritas priorum sæculorum : subvenichat scholarum magistris, viduis et orphanis, ægris, debilibus et impotentibus, captivis, ad metalla damnatis, sepulturæ pauperum et mortuorum curæ, servis; in calamitatibus opes mittebantur; etiam ad dissitissimas ecclesias; hospitalitas exercebatur; tandem labor præbebatur iis qui laborare poterant. Idem auctor computat [4] Ecclesiam romanam, circa annum 250, quotannis circiter 125-150.000 fr. pauperibus erogasse.

493. (C) Deficiente apud Gentiles humanitatis sensu, *relationes inter varios populos* non tam æquitate quam vi regulabantur : hinc frequentia bella, solo victos spoliandi motivo; sæpe etiam inermium cædes, direptio rei sacræ et profanæ, prædæque partitio inter victores; postea venditio hostium non cæsorum, tandemque cooptatio regionum domitarum in provincias romanas [5].

Suadente vero christiana religione, paulatim nova crevit idea

---

hujus religionis Auctori, qui speciali amore pauperes, infirmos ac pusillos prosecutus est. Hinc ab initio collectæ fiebant diebus dominicis ad sublevandas pauperum necessitates; hinc opera caritatis permulta, approbantibus episcopis, a diaconis instituta, ita ut *vinculum unitatis* esset simul *vinculum caritatis*. **Tollemer**, *Origines de la charité catholique*, Paris, 1863; **Fr. de Champagny**, *De la charité chrétienne dans les premiers siècles de l'Eglise;* **Ryan**, *History of the effects of religion upon mankind*, Dublin, 1820; **Baluffi**, *La Chiesa romana riconosciuta alla sua carita*, Imola, 1855, anglice redditum *The charity of the Church, a proof of her divinity*, Dublin, 1885; **L. Lallemand**, *op. cit.*, t. II.

[1] **Card. Rampolla**, *Santa Melania Giuniore*, 1905; **G. Goyau**, *Sainte Mélanie*, 1908, Paris, Gabalda.

[2] *Ep. ad Arsacium*, apud **Sozomen.**, *H. E.*, lib. V, c. 26.

[3] *L. c.**, I, 154-202, præsertim 161-162. — [4] *Ibid.*, p. 165.

[5] Cf. **Tit. Liv.**, *Dec.*, I, lib. 5, c. 21-22; *Dec.*, V, lib. 5, et alibi passim; **Sallust.**, *Bellum Catilin.;* **Tacit.**, Annal., I, 51; II, 21; etc.

varias scilicet nationes *unicam efformare familiam*, juxta illud *Tertulliani*[1] : "Unam omnium rempublicam agnoscimus, mundum". Hinc bellorum horror paulatim imminutus; inermes mitius tractati; ipsique bellantes post partam victoriam jam non occisi; *jus gentium* sive in pace sive in bello communiter agnitum; fides in pactis melius servata; lites inter varias nationes sæpe arbitrio Episcoporum et Pontificum compositæ. Uno verbo barbaræ agendi rationi cum alienis Gentibus successit æquitas et moderatio.

Non diffitemur equidem apud christianas nationes quosdam obrepsisse *abusus*, sicut et inter paganos nonnullas floruisse virtutes. Sed si generalis instituitur comparatio inter paganismum et christianismum, hic omnino *transcendens* apparet[2]. Religio siquidem christiana vere fuit vitæ magistra, vitiorum expultrix, ac virtutum fecunda parens, non solum privatos homines, sed etiam familias societatesque paulatim instaurans et perficiens, promissiones habens vitæ quæ nunc est et futuræ.

§ II. Factorum explicatio.

494. 1° **Rationalistarum explicatio.** Hanc mirabilem diffusionem christianæ religionis morumque instaurationem *causis naturalibus* adscribunt Rationalistæ.

Ita, inter alios, *Gibbon* existimat quinque præsertim intrinsecis causis conversionem mundi naturaliter explicari posse : *zelo intoleranti*, quo religionem suam Christiani propagabant; *promissione alterius vitæ; potestate miraculosa*, quam sibi vindicabant; *puritate vitæ* omniumque virtutum praxi; *stricta disciplina* et *optima constitutione* reipublicæ christianæ[3]. — Alii autem, cum *Lecky*[4], addunt hanc conversionem fuisse extrinsecis etiam causis promotam, præcipue *coadunatione* populorum sub una imperii romani auctoritate, *indole philosophiæ* quæ hac ætate ad legitimas animorum aspirationes implendas sufficiens non erat, et *exspectatione magnæ renovationis* in totum fere orbem a Judæis diffusa.

495. Nostris diebus *A. von Harnack*[5] rem explicat dicendo christianismum esse *syncretismum* religionum tunc vigentium; ejus

[1] *Apologet.*, c. 38, *P. L.*, t. I, p. 465. In corpore juris canonici, Decretal, l. I, tit. 34, de *Treuga et pace*, legere est quid Ecclesia statuerit ad bella minuenda; cfr. **Balmès**, op. cit., c. 32; **Montesquieu**, *Esprit des Lois*, l. XXIV, c. 3.

[2] Quod præclare exponit **Abbé de Broglie**, *Relig. et Critique*, p. 131-139.

[3] *The decline and fall of the Rom. Empire*, ch. XV.

[4] *History of European Morals*, t. I, ch. 3, p. 386 sq.

[5] L. c., I, p. 100-306.

autem propagationi conditiones sive externas, sive internas favisse, simulque christianismi ipsius doctrinam christianorumque vitam.

(a) Inter *causas externas* numerat *Judaismum*, qui monotheismum ubique propagaverat; *Hellenismum*, qui socialem unitatem promoverat, et *Imperii Romani* politicam unitatem et pacem, cum quadam tolerantia : quibus omnibus jam facilior evadebat diffusio christianæ doctrinæ per totum imperium. *Causæ internæ* animos disponebant ad veritates christianas amplectendas, nempe *sensus religiosi renovatio*, *insufficientia* vividius percepta *paganismi* per philosophos manifestata, quædam *aspirationes* magis ac magis explicitæ versus Salvatorem quemdam, versus Deum a mundo distinctum, unionemque animæ immortalis cum eo, versus purificationem a peccatis, ut ex religionibus syncretismi græco-romani apparet.

(b) His aspirationibus optime respondebat *doctrina christiana; simplicitate* simul et *oppositorum conciliatione*, *antiquitate* et *novitate*, *luciditate* et *mysteriorum profunditate* multis arridebat. *Salvatorem* præbebat et *salutem* promittebat. Aliunde perfectam *morum regulam* atque efficacem legum sanctionem iis offerebat qui ad perfectiorem vitam anhelabant. *Auctoritati* simul et *rationi* innixa, *absolutam fidem* a suis fidelibus exigebat, sed eam esse rationi consentaneam ostendebant christiani Apologetæ. Seposito nationali et particulari indole Judaicæ religionis, omnibus gentibus sese accommodabat, et ita universalis fieri poterat [1].

(c) Insuper *vita christianorum*, virtutibus et præsertim caritate fulgens, vivide oculis paganorum doctrinam Christi depingebat; et *Ecclesia* ut elementum stabilitatis et socialis virtutis apparebat.

496. 2° **Vera explicatio.** Non diffitemur quidem divinam Providentiam Christianismo viam parasse mediis in

[1] " D'un côté, elle était si simple qu'on pouvait la résumer en quelques courtes formules, la vivre dans une seule grande émotion; de l'autre, elle était assez complexe et riche pour féconder toutes les pensées, pour vivifier tous les sentiments. Presque dès le commencement, elle pouvait rivaliser avec toute recherche du bien et de l'héroïsme moral, comme aussi avec toutes les spéculations et tous les mystères. Elle était ancienne et nouvelle, transcendante et terrestre à la fois; elle était claire jusqu'à la transparence, et, en retour, pleine de mystérieuses profondeurs; elle était bien réglementée et en même temps élevée au-dessus de toutes les lois; elle était une doctrine et plus qu'une doctrine, une philosophie et autre chose pourtant qu'une philosophie. On a dit du catholicisme occidental qu'il est, dans l'ensemble, la synthèse des contraires *(complexio oppositorum)*; cela est vrai aussi du Christianisme dans ses premiers débuts". (**A. Harnack***, *op. cit.*, p. 100, ap. **Rivière**, *op. cit.*, p. 73-74). — Nil dicimus de opere **C. Guignebert***, *Manuel d'Hist. ancienne de l'Eglise*, 1906, ubi quædam ex his argumentis iterum proponit, sed modo *minime scientifico*.

se naturalibus, quæ ejus propagationi faverint : Deus enim secundis etiam causis utitur ad fines suos attingendos; sed tamen explicatio rationalistarum insufficiens remanet.

497. (A) *Christianismus*, etsi in se complectens quidquid veri et æqui in ceteris religionibus per partes invenitur, *non est syncretismus*, ut ex capite I° hujus tractatus apparet; immo ceteras religiones firmiter semper exclusit, propterea-que multorum invidiam et odium provocavit.

498. (B) Omnes causæ supra allegatæ, aliæque hujus-modi, *per se ipsas* nunquam potuissent tantum effectum producere, immo quædam ex illis manifeste *divinum suppo-nunt interventum.*

(a) *Unitas imperii romani* opportunam quidem præbebat facili-tatem ut evangelica prædicatio citissime divulgaretur, sed simul ut citissime et efficaciter repelleretur; inde enim factum est ut perse-cutiones per totum orbem sævirent, ita ut Imperatores non semel nomen christianum penitus deletum esse putaverint. Eademque facultas ceteris præbebatur religionibus, quæ, tempore Christi ex Oriente ortæ, mundum pervaserunt; non explicatur cur sola chris-tiana religio, ceteris paulatim extinctis, profecerit.

(b) Propagationem fidei non satis explicat *sola promissio vitæ æternæ*, absque Dei speciali auxilio; nam homines plerique bonis visibilibus ac præsentibus multo magis alliciuntur quam invisibi-libus et futuris; ideoque ceteræ religiones aut philosophica syste-mata, quæ tunc temporis immortalitatem animæ prædicabant, paucos tantum asseclas habuerunt.

(c) Fatemur equidem *pulchritudinem doctrinæ* Christi, *puritatem vitæ* virtutesque Christianorum fuisse *in se* validum argumentum ad convincendos optimos paganorum novam religionem divinam esse; sed undenam hæc pulchritudo solius christianismi, nisi a Deo procedat? Undenam Christianismus paganorum mores tam radicaliter mutare potuit, nisi sit divinus? Numquid domesticæ Christianorum virtutes eorumque austeritas doctrinalis et moralis absque divino interventu convertissent homines moribus perditos, qui nihil exspectare poterant nisi suorum iram, infinitas prope ærumnas, et sæpe mortem ignominiosam?[1].

(d) Ad *perfectam* reipublicæ christianæ *constitutionem* quod spectat, sane non negamus eam esse stabilitatis causam; sed homi-nes antequam huic auctoritati sese subjicerent, converti debebant

[1] Quod egregie declarat **J. H. Newman,** *Grammar of Assent*, 1887, p. 461

et certiores fieri auctoritatem esse a Deo. Aliunde quomodo unitas, sine armorum vi, potest in aliqua societate subsistere, nisi ope auctoritatis a Deo ipso constitutæ? Nonne variæ Christianorum communitates, quæ eam respuerunt, cito in varias sectas sibi inimicas divisæ sunt? Igitur illa ipsa unitas quam adversarii in vero Christianismo agnoscere coguntur, signum est ejus divinitatis, quum explicari nequeat sine divino interventu?

499. (C) Rationalistarum explicatio non satis considerat *multa et gravia impedimenta*, diffusioni christianæ doctrinæ obstantia, sive *extrinseca*, ex parte *Judaismi* et *Gentilium*, sive *interna*, nempe ex parte *doctrinæ* quæ annuntiabatur.

(a) Non defuerunt obstacula *extrinseca*, ex parte eorum quibus religio christiana prædicabatur. 1) *Judæi* siquidem, etsi *monotheismo* addicti, eumque apud exteros propagantes, *tenacissime* adhærebant non solum *mosaicæ* religioni, quam divinitus revelatam esse noscebant, sed etiam *ritibus* et *cæremoniis externis* a Moyse præscriptis, imo et *traditionibus* permultis quas Pharisæi præsertim disseminabant; quod adeo verum est, ut etiam multi ex eis, qui ad fidem christianam conversi fuerant, non solum legem mosaicam adhuc servarent, sed eamdem a Gentilibus servari vellent[1]. — Præterea Messiam quidem exspectabant, sed ut Regem potentissimum, cujus temporale dominium super omnes Gentes extenderetur; hinc a Christo humili et paupere, Gentilium æque ac Judæorum Salvatore, ultro abhorrebant. — Aliunde hunc Jesum crucifixerant, et certo illos pudebat eum tanquam Deum colere quem nuper infami damnaverant supplicio; hinc, teste Apostolo[2], prædicatio christiana *Judæis erat scandalum!*

500. 2) *Gentilibus autem erat stultitia.* Multi siquidem apud eos omnino *indifferentes* erant circa religionem, totique ambitioni vel voluptatibus dediti, proindeque prompti ad despiciendam religionem quæ eorum vitia reprobrabat. Qui autem *religiosi* erant, Christianismo pariter obstiterunt, et quidem ex omnibus civium ordinibus, *populus*, *philosophi* et *sacerdotes*, necnon *politici*[3].

[1] *Act.*, XV, 5. — [2] *I Cor.*, I, 23.

[3] De quibus luculenter disserit **Freppel**, *Saint Justin*, lect. I-IV.

Populus enim adhuc deorum avito cultui tenaciter adhærebat, eo magis quod *libidinibus* facile accommodabatur, cunctisque *artium* decorabatur illecebris, quas Græci præsertim tanti faciebant, et cum institutis et fortuna *patriæ* connectebatur. — Nonnulli quidem orientales superstitiones amplexi fuerant, sed eas tantum quæ cum patrio cultu sociari poterant. Religio autem christiana, utpote aliarum *exclusiva*, naturaliter eis displicebat; utpote *spiritualis* et *mysteriis* plena, ægre ab eis intelligi poterat, ita ut *vilissimæ calumniæ* circa catholica dogmata inter eos facile spargerentur viamque aperirent sævissimis persecutionibus [1].

Aliud obstaculum opponebant *sacerdotes* gentilium: cum enim eorum auctoritas ac sustentatio maxime ab idolorum cultu penderet, novæ religioni, quatenus idolis adversæ, bellum indicere necessarium existimabant [2]. Quia vero Imperatores ut Summi Pontifices habebantur, immo tanquam dii colebantur, patienter ferre non poterant religionem quæ talem cultum aperte damnabat, sed diris persecutionibus eam exstinguere conabantur.

Philosophi pariter omni studio eam evertere tentabant; eam siquidem vocabant superstitionem exitiabilem, amentiam furiosam, opinionem a scientiis et artibus alienam, homine græco vel romano indignam [3]. Nec mirum; nam, apud *Epicureos*, fœdissima vigebant vitia, quæ Apostolus nominare etiam vetat; apud *Stoicos* autem, superbia et complacentia in ratione ac virtute propria, quam certo ad pedes Crucifixi ejurare arduum erat. Apud omnes, despectio religionis quæ de pauperibus et ignaris æque curabat ac de divitibus et sapientibus.

Ultimum tandem obstaculum ex *politicis* oriebatur, qui patienter ferre non poterant *peregrinum cultum*, ceterorum *exclusivum*: tolerabant quidem extraneos cultus, qui simul cum patrio cultu sociari poterant, alios autem penitus expellebant [4]; diffidebant pariter ab illa *fraternitate ac æqualitate*, quam nova religio inter homines cujuslibet nationis ac generis inducere tentabat, necnon a *spiritu libertatis* quem fovebat, prædicando melius esse obedire Deo quam hominibus; jam enim tyrannis, seu *Cæsarolatria*, sub Imperatoribus vigere cœperat. Ex quibus factum est ut per tria sæcula sævissimis persecutionibus obnoxius fuerit Christianismus, et postea etiam nonnullis principibus et populis invisus.

501. (b) Nec deerant impedimenta *intrinseca* ex parte

[1] Cf. **Freppel,** op. cit., p. 58 sq.; **Lecky***, op. cit., vol. I, p. 414 sq.

[2] Idem dicendum est de *opificibus* qui statuas deorum conficiebant aut eas vendebant, ut constat ex *Act.*, XIX, 23.

[3] **Freppel,** *op. cit.*, p. 22 sq.; cf. **Tacit.,** *Annal.*, XV, 44; **Plin.,** *Ep. ad Trajanum;* **Min. Felix,** *Octavius*, 11. Cf. Opera **Celsi** et **Porphyrii.**

[4] **Lecky***, *op. cit.*, p. 399 sq.

doctrinæ. Licet enim religio christiana, ex dictis, *legitimis aspirationibus* humanæ naturæ satisfaciat, multa tamen complectitur quæ superbis et corruptis cordibus omnino adversantur. 1) Complectitur siquidem *dogmata* et *mysteria* humanæ rationi impervia, quibus nonnisi humiles corde assensum præbere volunt : talia sunt mysteria Trinitatis, Incarnationis, originalis culpæ et justificationis per gratiam, aliaque multa quæ naturaliter superba ratio respuit. Quibus addi debet scandalum crucis : Apostoli enim Jesum prædicabant et hunc crucifixum [1]; porro nihil ignominiosius erat tum apud Judæos tum apud Romanos quam supplicium crucis, et sane adoratio Crucifixi naturaliter nihil nisi horrorem vel irrisionem excitare poterat.

502. 2) *Ethica* pariter *christiana*, quamvis in se admirabilis et puris corde consentiens, corruptæ societati, prout romana erat respublica, ut supra probavimus, odiosa erat, quia omnibus cupiditatibus bellum indicit.

Nam, ut recte animadvertit *S. Augustinus* [2], dicitur *avaris* : "Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur... [3]; dicitur *luxuriosis* [4] : "qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam"; dicitur *superbis* : "omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur" [5]; dicitur *iracundis* : "Et qui te percutit in maxillam, præbe et alteram" [6]; dicitur *discordiosis* : "diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos" [7]; dicitur *superstitiosis* : "ecce enim regnum Dei intra vos est" [8]; dicitur *curiosis* : "non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur : quæ enim videntur temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt" [9]; postremo dicitur *omnibus* : "Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt... quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ" [10]. Porro hæc omnia admodum contraria erant sive Philosophorum placitis, sive populi moribus, et nonnisi ægre et pedetentim eorum mentes pervadere potuerunt; nam etiam Stoici, qui carnis voluptates despiciebant, superbiam pro virtute, humilitatem pro vitio habebant.

---

[1] *I Cor.*, I, 23; II, 2.
[2] **S. Augustinus**, *de Vera Relig.*, c. III, P. L., t. XXXIV, 125.
[3] *Matt.*, VI, 19. — [4] *Galat.*, VI, 8. — [5] *Luc.*, XIV, 11; XVIII, 14.
[6] *Luc.*, VI, 29; *Matt.*, V, 39. — [7] *Luc.*, VI, 27.
[8] *Luc.*, XVII, 21. — [9] *II Cor.*, IV, 18.
[10] *I Joan.*, II, 15-16.

Jamvero hæc omnia obstacula sine speciali Dei auxilio superari nequaquam poterant.

503. (**D**) Denique *auxilia adhibita, in se spectata, sine Dei interventu, fini obtento inæqualia fuere.* Tria enim sunt auxilia præcipua quibus societas naturaliter late propagari valeat : *vis armorum*, qua non pauci etiam inviti subduntur; *voluptas*, qua plures alliciuntur; *eloquentia* vel *argumentorum vis*, qua multi persuadentur. Atqui nullum ex his a primis christianis fuit usurpatum.

(**a**) *Non armorum vis*, cum Ecclesia neque Romanos neque Græcos violentia suo imperio subdiderit, sed potius ab utrisque multas persecutiones passa fuerit [1] : a Constantini tempore, libertate quidem imo et favore frui cœpit, et quandoque ad coercendum paganismum vis adhibita fuit, sed jamdudum Christianismus sola persuasione multos sibi conciliaverat. Barbari pariter sine vi et metu ad fidem conversi sunt, exceptis tamen paucis qui, sæc. IX° et X°, indiscreto zelo, ad christianam fidem amplectendam plus minusve coacti sunt.

504. (**b**) *Neque voluptatis blandimenta;* nam, ut supra diximus, n. 502, nova religio omnibus libidinibus et vitiis bellum aperte indicebat, proptereaque multorum irrisioni et impugnationibus obnoxia fuit.

Exinde jam solvi potest difficultas quæ contra nos urgetur ex *fausta Islamismi propagatione* [2]; nam, ut jam animadverterat *S. Thomas* [3], Mahumetes *carnalium voluptatum* promissis populos illexit; præcepta etiam tradidit promissis conformia, voluptati carnali habenas relaxans, cui in promptu est a carnalibus hominibus obediri. Præterea non aliquot sapientes in rebus divinis humanisque ei crediderunt a principio, sed homines divinæ doctrinæ prorsus ignari, in desertis morantes, per quorum multitudinem alios *armorum vi* in suam legem coegit. — Ex adverso autem, non armorum violentia, non voluptatum promissione, sed potius inter perse-

[1] Christus siquidem Apostolis dixerat : "Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum... Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos..." (*Matth.*, X, 16-17.)

[2] "Neque fausta Ecclesiæ propagatio et conservatio, quod eadem et islamiticæ religioni contigit, inter documenta veritatis atque originis divinæ referri potest". Ita **Wegscheider** (p. I, c. 2, § 51) quem sequuntur hodierni rationalistæ. — [3] **S. Thom.**, *C. Gent.*, l. I, c. 6.

cutorum tyrannidem, innumerabilis turba non solum simplicium sed etiam sapientium hominum ad fidem christianam convolavit, in qua omnem humanum intellectum excedentia prædicantur, voluptates carnis prohibentur, et omnia quæ in mundo sunt haberi contemptui docentur. Quod quidem maximum miraculum est et manifestum divinæ inspirationis opus.

505. (c) *Neque eloquentia aut argumentorum vis.*

1) Duodecim siquidem Apostoli, quos Christus ut suæ religionis præcones elegit, erant rudes et illiterati piscatores, et Judæi omnibus, præsertim Romanis, invisi[1]; plerique neque ratiocinandi, neque dicendi arte pollebant, græcum idioma nonnisi imperfecte loquebantur, ut ex eorum scriptis constat; et inter eos peritissimi, ut Joannes, Paulus, Lucas, Græcis Latinisve philosophis qui eadem ætate florebant, multum sane inferiores. 2) Præterea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis neque in arte logica et vi argumentorum confidebant; sed solum divinam auctoritatem allegabant, miracula Christi ejusque resurrectionem. Quomodo ceteroquin dialectica aut eloquentia sola illos persuadere poterant, quos nec Aristotelis dialectica, nec Platonis Ciceronisve eloquentia ad meliorem frugem convertere potuerat? Isti sane philosophi majori humana auctoritate pollebant quam Apostoli, sed, præter paucos quos formaverunt discipulos, ecquid profecerunt? Non ergo rhetorica vel dialectica mundum instauraverunt, sed speciali divino interventu seu *miraculo*[2].

506. S. Augustini argumentum generale. Cum *Augustino*[3] sic arguere licet : vel patrata sunt ad conversionem mundi evidentissima miracula, et tunc Christianismus

[1] Judæi a Romanis scriptoribus vocantur "teterrima gens, despectissima pars servientium" (**Tacit.**, Hist., V, 5, 8); "gens contumelia deorum insignis" (**Plin.**, *Hist. Nat.*, XIII, 9); "fœtentes et tumultuantes" (**Ammiam. Marcell.**, XXIII, 2).

[2] Quod jam aiebat **Paulus** : "Quæ stulta sunt mundi elegit Deus ut confundat sapientes : et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia... ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus". (*I Cor.*, I, 27-29).

[3] "Ipse modus quo mundus credidit, si consideretur, incredibilior invenitur. Ineruditos liberalibus disciplinis et omnino, quantum ad istorum doctrinas attinet, impolitos, non peritos grammatica, non armatos dialectica, non rhetorica inflatos, piscatores Christus cum retibus fidei ad mare hujus sæculi paucissimos misit, atque ita ex omni genere tam multos pisces et tanto mirabiliores quanto rariores, etiam ipsos philosophos cepit... Si vero per Apostolos Christi, ut iis crederetur, resurrectionem atque ascensionem prædicantibus Christi, etiam ista miracula facta esse non credunt, hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod eam terrarum orbis sine ullis miraculis credidit". **S. August.** *de Civ. Dei*, l. XXII, c. 5, P. L., XLI, 755-757; cf. **S. Chrysostom.**, *quod Christus sit Deus*, P. G., XLVII, 813 sq.

divinus est et ab ipso Deo approbatus; vel nullum patratum est miraculum, et tunc ipsa mundi conversio absque miraculo, est maximum omnium miraculorum, utpote legibus ordinis moralis omnino contrarium; ergo in utroque casu Christianismi propagatio vere miraculosa est, ejusque divinam originem evidenter demonstrat.

Quocumque igitur se vertunt adversarii, nullam naturalem causam invenire possunt qua stupenda mundi conversio explicari possit; causæ sive extrinsecæ sive intrinsecæ, quas allegant, vel impares sunt omnino ad tantum effectum producendum, vel, si aliquam vim habeant, eam desumunt a speciali Dei Providentia; igitur *digitus Dei est hic : hæc mutatio dexteræ Excelsi.*

507. Conclusio totius articuli. Religio Christi, et quidem sola, mirabiliter per tria priora sæcula mundum romanum, solius Dei auxilio, multis obstantibus causis, ad verum et unicum Deum convertit. *Duplex* exstat *miraculum*, unum *ordinis intellectualis*, quatenus adimplentur vaticinia sive prophetarum, sive Christi ipsius, de extensione monotheismi et Evangelii ad gentes (supra, n. 326,327,439); alterum *ordinis moralis*, quatenus doctrina, quæ naturaliter perire debuerat, victoriam reportat. Dupliciter ergo Deus veritatem et originem divinam fidei christianæ confirmat, et consequenter legationem divinam Christi.

Art. II. De martyrum constantia [1].

508. Status quæstionis. (A) *Etymologice*, martyr (a græco μάρτυρ) significat testem. Christus suos apostolos in universum misit mundum, ut testes essent eorum quæ a Domino viderant et didicerant [2]. *Quoad rem*, vox martyr

[1] **Lactantius**, *Divinæ Institut.*, l. V, c. 19 sq.; **T. Ruinart**, O. S. B., *Acta primorum Martyrum*, Parisiis, 1689; **Brugère**, n. 60 sq.; **Hurter**, n. 89 sq., *Patrum Opuscula*, vol. IV, diss. III, Martyrum sanguis vox veritatis, p. 143 sq.; **E. Le Blant**, *Les Persécuteurs et les Martyrs*, Paris, 1893; **H. Marrucchi**, *Eléments d'Archéol. chrét.*, t. I, 1900, p. 1-66; **H. Leclercq**, O. S. B., *Les Martyrs*, præcipue t. I. et II, 1902-1903; **P. Allard**, *Dix leçons sur le Martyre*, 3e éd., Paris, 1907; **Id.**, Art. *Martyre*, in *D. A.*; **J. Rivière**, *Autour de la question du Martyre*, in *R. P. A.*, t. IV, 1097, p. 625-633; **P. de Poulpiquet**, *L'objet intégral de l'Apologétique*, p. 148-187.

[2] *Luc.*, XXIV, 48; *Act.*, I, 22; II, 32 etc.

Christi discipulum designat, qui, ad missionem divinam Christi et doctrinam christianam affirmandam, suam tradidit vitam [1].

(B) *Quo igitur sensu martyres testes esse possunt divinæ Christi legationis?* Alii aliter rem explicant.

1° *P. Allard* [2] contendit martyres sanguine suo testes esse veritatis historicæ sive factorum quæ in Evangeliis narrantur, sive perpetuitatis christianæ traditionis. (a) Et sane, si agitur de *primis* martyribus, nempe de apostolis et discipulis qui miraculorum et resurrectionis Christi *testes* fuere, sanguinis effusione eloquentius quam verbis et scriptis testimonium ferunt de hujusmodi factis. De hoc autem jam supra egimus, n. 463. (b) Si quæstio est de aliis, qui miracula Christi non viderunt, hi proprie non sunt *testes*, sed, sincera fidei confessione usque ad mortem, manifestant quanta fuerit eorum persuasio de divinitate christianismi : hæc autem explicari nequit, nisi eis proposita fuerint motiva credibilitatis vere apodictica : homines enim vitam suam tradere non solent pro opinionibus mere probabilibus.

2° *Communiter* autem apologistæ, christianæ innixi traditioni [3], docent martyrum constantiam non esse tantum motivum credibilitatis historicæ, sed credibilitatis divinæ, nempe *miraculum ordinis moralis* divinam originem martyrum fidei demonstrans. Unde *thesis :*

509. Heroïca martyrum constantia, omnibus consideratis adjunctis, est miraculum ordinis moralis, legationem divinam Christi demonstrans, pro quo vitam suam tradiderunt martyres.

Miraculum ordinis moralis factorum expositione et interpretatione probandum est; connexio inter martyrium et fidem in Christi divinam missionem (et divinitatem) ex actibus martyrum clare elucet.

510. 1° **Facta exponuntur.** Quo melius vis argumenti perspiciatur, pauca prænotemus oportet de *numero*, *conditione*, *tormentis* et *patientia* martyrum. (A) Eos innumeros esse tota docuit antiquitas; attamen, circa finem sæc. XVII, *H. Dodwell*, vir ceteroquin eruditus, contendit

[1] *Act.*, XXII, 20; *Apoc.*, II, 13; XVII, 6. — [2] *Dix leçons...* p. 309-340.

[3] Ita jam, persecutione adhuc sæviente, **Origenes**, *Contra Cels.*, I, 26 ; **R.**, 516; **Lactantius**, *Institut. div.* V, 13, 11 ; **R.**, 640.

paucos admodum martyres in primævis persecutionibus passos fuisse [1]; sed ejus erroneas assertiones statim confutavit *Ruinart* in præfatione generali eruditi operis in *Acta Martyrum*, novaque documenta, quæ in Catacumbis præsertim reperta sunt, antiquas traditiones hac de re confirmarunt, ita ut hodie etiam Rationalistæ fateantur numerum martyrum maximum fuisse [2], etsi impossibile sit eum modo certo determinare. Revera, in Imperio Romano, per tria priora sæcula, diræ sævierunt persecutiones [3], et ex testimonio tum Paganorum, tum Patrum, patet innumeros Christianos pro fide passos fuisse.

Sic, teste *Tacito* [4], sub Nerone, *multitudo ingens;* teste *Bruttio* [5], sub Domitiano, *plurimi Christianorum* crudeli martyrio necati sunt; juxta *Eusebium*[6], Marco Aurelio regnante, *innumerabiles prope martyres per universum orbem* enituerunt. Tertio autem sæculo, multo rigidiores fuerunt persecutiones, præsertim Diocletiano et Maximiano imperantibus, ut omnes hodie fatentur [7]; tunc enim *non singuli, sed gregatim circumdato igni comburebantur* [8] Christiani, et in Phrygia urbs quædam Christianorum tota, cum omnibus incolis, mulieribus ac parvulis, igne concremata est [9]. Idem constat ex inscriptionibus, quæ in Catacumbis inventæ sunt, ubi hæc et similia leguntur : "Marcella et Christi martyres

---

[1] **H. Dodwell** *, *De paucitate martyrum*, inter Dissertationes Cyprianicas.

[2] **Renan***, *Journal des Savants*, 1874, p. 697; **G. Boissier**, *La Fin du Paganisme*, vol. I, Append., p. 343-394.

[3] Decem vulgo computantur persecutiones, sed fatemur plures vel pauciores computari posse, prout generales vel locales tantum recensentur. Ut vero magis præcise loquamur, ab anno 64, quo Neronis incœpit persecutio ad 313 quo promulgatum est *Mediolanense edictum*, Ecclesia per 129 annos varias persecutiones passa est, et per 120 annos pacem plus minusve perfectam habuit, ut egregie exponit **P. Allard**, in erudito opere *Histoire des Persécutions*, Paris, 1885-1890. Nec incredibile est etiam mansuetos imperatores sævissimos fuisse persecutores, nam ipse Titus, *deliciæ generis humani*, ad celebranda natalitia fratris et patris, plura millia Judæorum igni, ferro et bestiis tradidit (**Joseph.**, *De bello Jud.*, VII, 6, 8); aliunde populus, qui crudelibus spectaculis gaudebat, sæpe inclamabat : *Christianos ad leones!* "Si Tiberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si cælum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim : *Christianos ad leonem!*" (**Tertull.**, *Apologet.*, c. 40, *P. L.*, t. I, 479-480.)

[4] **Tacit.**, *Annal.*, XV, 44;-**K.**, 34.

[5] Apud **Eusebium**, *Chronicl.*, lib. II.

[6] **Eusebius**, *H. E.*, l. V, Procem, *P. G.*, t. XX, 407.

[7] **P. Allard**, *Dix leçons*, p. 134-149.

[8] **Lactant.**, *de Mortibus persecut.*, c. XV, *P. L.*, t. VII, 216.

[9] **Eusebius**, *H. E.*, l. VIII, c. 11, *P. G.*, t. XX, 767.

CCCCCL (550)" : "CL (150) martyres Christi"[1]. Hinc jam suo tempore *Cyprianus* declarabat numerari non posse martyres christianos[2].

Ceterum etiamsi pauciores essent martyres quam olim censebatur, argumentum vi non careret; nam, fatentibus adversariis, certum manet plura millia pro fide fortiter tormenta et mortem sustulisse. — Præterea, etiam qui de facto non perierunt, merito timere poterant ne et ipsi occiderentur, ideoque fortitudine maxima indigebant ad amplectendam aut servandam fidem[3].

Nec in solo Imperio Romano martyres fuere, sed etiam apud Persas, postea apud Musulmanos, recentius apud Japonenses, Sinenses, Annamitas, nostrisque etiam diebus tum in Asia tum in Africa, ita ut nunquam in Ecclesia defuerit sanguinis testimonium[4].

511. (B) Si ad *qualitates* martyrum attenditur, cujuscumque conditionis, ætatis, ac sexus fuere; sic, inter eos, inveniuntur *nobiles*, ut Fl. Clemens, Apollonius, Chromatius; *docti*, ut Justinus, Irenæus, Cyprianus; *plebeii*, ut Theodotus, Serenus; *milites*, ut Victor, Sebastianus, Mauritius cum sociis, et quadraginta Martyres Sebasteni; *mulieres* sive *nobiles* ut Perpetua, Cæcilia, Agatha, sive *servilis* conditionis, ut Blandina et Potamiana; *senes*, ut Polycarpus et uterque Simeon; *pueri puellæque*, ut Quiricus, Tharcisius, Eulalia, Agnes[5]. Hinc *Lactantius* aiebat : "Dum latrones et robusti corporis viri ejusmodi lacerationes perferre nequeunt, exclamant et gemitus edunt victi dolore, *pueri et mulierculæ* tortores suos tacite vincunt, et exprimere illis gemitum nec ignis potest"[6].

---

[1] **P. Allard**, *Rome souterraine*, Paris, 1877. p. 216 sq.

[2] **S. Cyprian.**, *De Exhortat. martyrii*, c. XI, *P. L.*, t. IV, 673.

[3] Quod fatetur **A. Harnack**, *op. cit.*, I, p. 461 : "Sur chaque chrétien pendait l'épée de Damoclès".

[4] Cf. **P. Allard**, Art. *Martyre.* De Christianis martyribus in Perside vide **Ruinart**, op. cit. pp. 567, 604; in prima persecutione sub Sapore rege, juxta veterem persicum auctorem, 190,000 Christiani necati sunt. — De recentibus martyribus in Asia apud Sinenses, Annamitas, Coreenses, lege *La Salle des Martyrs*, vel **Leblant**, *op. cit.*, c. 27, p. 343 sq. ubi comparantur novæ persecutiones cum antiquis. Quoad Martyres in regione *Ouganda* pro fide trucidatos, lege graphicam descriptionem a missionariis editam in opusculo *Les Martyrs nègres de l'Ouganda.*

[5] Ita fere **Brugère**, p. 154; cf. **Ruinart**, *op. cit.*, passim.

[6] *Inst. div.*, V, 13, 11; **R.**, 640.

512. (**C**) *Tormenta* autem martyribus inflicta *exquisitissima* fuere, taliaque quæ fortissimorum constantiam inclinarent : (**a**) Quoad tormenta *physica*, auctores tum *pagani* tum christiani, eorum acerbitatem describunt. " Pereuntibus, ait *Tacitus*[1], addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi atque, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur ". Apologetæ et historici varia describunt suppliciorum genera, quæ Christiani perpessi sunt, videlicet ignem ac ferrum, clavorum suffixiones, bestias, profundos maris gurgites, membrorum abscissiones ac perustiones, confixiones et effossionem oculorum, totius denique corporis mutilationes, famem, ferrum, metalla ac vincula[2]. — Testantur pariter *lentis* suppliciis tentatam fuisse martyrum patientiam, ut victi dolore, fidem negarent : " Verum hostis callidus, tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat jugulare, non corpora, et ut ipse qui ab eo passus est Cyprianus ait : *volentibus mori non permittebatur occidi* "[3].

(**b**) Majora quandoque fuerunt *moralia* tormenta eisdem inflicta[4]. Sæpe enim muneribus, officiis, dignitatibus, re familiari privabantur, ita ut tota familia, dignitate amissa, in viliorem statum redigeretur. — Christianæ virgines haud raro ad lupanar mittebantur, a quo magis quam a morte horrebant. — Aliunde, quo facilius vinceretur martyrum patientia, apostatis promittebantur voluptates, honores, divitiæ, imperatoris gratia ac favor. — Quod magis est, sæpe adversus carnem et sanguinem, contra affectus naturæ, lacrymas parentum, uxorum filiorumve pugnare debuerunt[5].

513. (**D**) His tamen non obstantibus, martyres *mansuete*, *fortiter* et *constanter* atrocissimos cruciatus ferebant, immo *alacriter*.

---

[1] **Tacit.**, *Annal.*, XV, 44; K., 34.

[2] **Eusebius**, H. E., lib. VII, c. 10-12, P. G., t. XX, 658-674; cf. **Tertullian.**, *Apologet.*, XII; **Lactant.**, Div. Instit., l. V, c. 11, *P. L.*, t. VI, 584. Quod fateri coguntur ipsi Rationalistæ, **Lecky***, *op. cit.*, vol. I, p. 467 sq.

[3] **S. Hieronymus**, *In vita Pauli eremitæ.*

[4] Quæ descripta videre est ap. **Allard**, *op. cit.*, p. 189-221.

[5] **S. Augustin.**, *Enarrat. in ps. 47*, n. 10, *P. L.*, t. XXXVI, p. 541. Hujus rei exemplum vide in passione S. Perpetuæ, apud **Ruinart**, *op. cit.*, p. 93 sq.

Ita S. Ignatius, timens ne Romani martyrium suum impedirent, eos obsecrabat ne intempestivam sibi benevolentiam exhiberent : "Sinite me ferarum cibum esse, per quas Deum consequi licet. Frumentum sum Dei et per ferarum dentes molar ut purus panis Christi inveniar. Feris potius blandimini, ut mihi sepulcrum fiant nihilque mei corporis relinquant, ne, postquam obdormiero, gravis alicui fiam "[1]. Eodem modo locuti sunt plerique, et *hilari vultu*, gaudentes, descendebant ad carceres mortemque crudelissimam subibant[2]. Quare *Sulpicius Severus* de nona persecutione scripsit : "Certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoque avidius tum martyria gloriosis mortibus quærebantur quam nunc episcopatus pronis ambitionibus appetuntur "[3]. Fuerunt quidem Christiani qui, timore perterriti, Christum denegarent, sed ex hoc clarius resplendet virtus eorum qui usque ad sanguinem fortiter restiterunt.

1) *Mansuetudinem* et *fortitudinem* consociando, martyres supra-humanæ virtutis exempla præbent[4]. Mansuetudinem certe exhibuerunt tum S. Stephanus pro persecutoribus orando, tum milites qui inermes sese lictoribus tradebant. 2) Fortitudinis exempla præbuerunt, mediam viam inter timorem et temeritatem tenendo. Timorem vicerunt non quia insensibiles erant, aut homines odio habebant, nec quia superbia, pertinacitate aut fanatismo excitabantur, — cum æquanimitatem, caritatem, suique diffidentiam sæpe manifestent; sed timorem vicerunt voluntatis constantia Dei auxilio innixa. Temeritatem vero vitaverunt, præceptis Ecclesiæ obediendo, quæ, apprime noscens Deum gratiam temere agentibus denegare, vetabat ne christiani paganos suo agendi more provocarent.

514. 2° Hæc constantia, omnibus rite spectatis, est miraculum ordinis moralis.

(**A**) Supponit enim *actus heroicos fortitudinis* sæpe repetitos, ab innumeris hominibus peractos, sine ulla spe temporalis retributionis; atqui actus heroici non solent tam sæpe, nec tam constanter a multitudine hominum omnis conditionis, ætatis et sexus perfici, absque nullo motivo humano nisi speciale præsto sit auxilium divinum : paucorum est enim heroicos actus naturaliter perficere, præsertim quando res

[1] **S. Ignatius**, *Ep. ad Rom.*, n. 4.

[2] Legantur v., g., Passiones SS. Perpetuæ et Felicitatis, S. Pionii, SS. Saturnini et Dativi, martyrum Scillitanorum, S. Marcelli, S. Cypriani, etc., apud **Ruinart**, *op. cit.*, vel **D. Leclercq**, *l. c.*

[3] **Sulpit.**, *Sacra hist.*, lib. II, 32, *P. L.*, t. XX, 147. Eosdem fuisse sensus recentium martyrum constat ex litteris editis in periodico *Annales de la Propagation de la foi*, passim.

[4] Cfr. **A. de Poulpiquet**, O. P., *l. c.*

adversa per longum tempus durat, nec adest ullius humani motivi adjutorium. Aliunde martyrum constantia naturalibus causis explicari nequit. Duo sunt præsertim quæ ad mala fortiter sustinenda homines naturaliter impellunt : *spes laudis et fanatismus*. Hæc autem in christianis martyribus desunt. (a) Hi enim sincera *humilitate* plerique fulgebant, ita ut, etsi jam semel atque iterum pro fide tormenta subiissent, et vulnerum impressa vestigia toto corpore circumferrent, tamen nec seipsos martyres prædicarent, nec ab aliis ita se appellari paterentur [1]. Aliunde plures vel privatim vel conglobatim occisi sunt, adeo ut certi essent sua nomina ad posteritatem perventura non esse [2]; immo infamia publica coram majori communitatis parte notati erant, nec spes laudis futuræ et incertæ apud eos prævalere potuisset contra certitudinem præsentis opprobrii.

(b) Nec *fanatismo* eorum constantia tribui debet. Fanatismus enim est cæca quædam obstinatio, quæ generatim apud ignaros invenitur, omni discussioni est infensa et vesano manifestatur enthusiasmo. Porro, inter martyres, non deerant qui scientia coruscarent, ut apparet tum ex apologiis quas scripserunt, tum ex responsis sapientia et sobrietate plenis coram judicibus. Aliunde non omnem fugiebant discussionem, sed fidei suæ rationem libenter reddebant; neque vesani furoris signa dabant, sed plerumque cum mansuetudine, modestia et prudentia persecutoribus respondebant tormentaque subibant; pro ipso judice, pro imperatoribus ac carnifice orabant [3]; milites ipsi, qui vi resistere potuissent, arma deponebant et mori quam sese defendere malebant [4]. Porro hæc omnia fanatismum minime redolent. — Præterea vesanus ille fanatismus fervere quidem potest primis novæ religionis initiis, sed cito deficit, nec per plura sæcula manet, aut reviviscit toties quoties refervescit persecutio. Ergo martyrum constantia non humanis motivis, sed supernaturali fortitudini tribui debet.

515. (B) Quod sane *variis confirmatur adjunctis :*

(a) Martyribus ipsis siquidem persuasum erat *se divino juvari auxilio*, nec nisi omnipotenti gratia Dei se posse

[1] Ita præsertim refertur de martyribus ecclesiarum Lugdunensis et Viennensis apud **Eusebium**, *H. E.*, l. V, c. 2. *P. G.*, t. XX, 434.

[2] Quod jam notabat **Prudentius** (*Peristephanon*, hymn. XI, *P. L.*, LX, 533) :

"Quorum *solus* habet comperta vocabula Christus".

[3] Cfr. **Eusebius**, *de Martyribus Palestinæ*, c. 8.

[4] Ita *S. Victor*, ejusque socii apud **Ruinart**, op. cit., p. 292 sq.

tormenta superare; ita, v. g., S. Felicitas respondit ministro interroganti quomodo bestiarum morsus ferret, cum vix partus dolores ferre posset : " Modo ego patior, quod patior; illic autem *alius erit in me qui patietur pro me*, quia et ego pro illo passura sum "[1]; ita et Andronicus judici dixit : " *Armatus a Deo meo* ante te assisto *in fide, in virtute Domini* Dei omnipotentis... ", divinoque fretus auxilio, atrocissima patienter sustinuit tormenta[2].

(**b**) Nec defuerunt *miracula*, quibus hoc divinum auxilium manifestaretur : haud raro bestiæ mansuefactæ martyribus parcebant[3]; aliquando mediis in tormentis nullus aut certe exiguus eis erat doloris sensus[4]; nonnumquam eorum vulnera subito sanabantur[5]; unde factum est ut nonnulli pagani, his perterriti prodigiis, fidem christianam amplecterentur.

(**c**) Quod majus est, *semen fuit sanguis Christianorum :* patiendo et moriendo non solum non victi sunt, sed adversarios vicerunt, et, quemadmodum Christus potentior fuerat morte quam vita, ita martyres morte sua persecutoribus potentiores evaserunt, ultimoque victoriam de paganismo retulerunt. Hinc *Tertullianus* aiebat : " Cruciate, torquete, damnate, atterite nos... nec quidquam tamen proficit exquisitior quæque crudelitas vestra; illecebra est magis sectæ. *Plures efficimur quoties metimur a vobis; semen est sanguis Christianorum* "[6]. Porro hæc non videntur ab homine fieri; continuatis persecutionibus Christianismus naturaliter non poterat nisi minui vel destrui; ergo cum Ecclesia Smyrnensi concludere possumus " *Dominum martyribus astitisse* et cum ipsis esse versatum "[7]. Hoc aliunde probant tum miracula ab ipsis patrata, tum intima eorum persuasio; ergo *digitus Dei est hic.*

516. Conclusio articuli. Cum Deus miraculo ordinis moralis fidem martyrum in divinam Christi legationem

[1] Apud **Ruinart**, p. 99. — [2] Apud **Ruinart**, p. 432.
[3] Ibid., pp. 309, 446; cf. **P. Allard,** *Dix leçons*,... p. 297-298.
[4] Ibid., p. 194, ubi narratur a Prudentio martyrium S. Laurentii.
[5] Apud **Ruinart**, pp. 65, 433, 586.
[6] **Tertul.**, *Apologet.*, c. 50, *P. L.*, t. I, 534-535; **R.**, 225.
[7] Ap. **Ruinart**, op. cit., p. 37.

confirmaverit, hæc fides falsa esse non potest : si error esset, a Deo ipso deciperemur. Quod sane admitti nequit. Christus ergo divinus est legatus.

517. Scholion. De martyribus falsarum religionum.

Objiciunt Rationalistæ multas religiones suos habere martyres, ideoque nihil e præfato argumento inferri posse. Ita, apud hæreticos sive antiquos sive modernos, non defuerunt qui pro fide sua mortem strenue subierint. Pariter, in India, multi se sternunt coram idolorum plaustris ut ab eis conterantur; nostra ætate, multi *Babystæ* [1] in Perside tormenta mortemque subire maluerunt quam suam religionem deserere.

Resp. Ad hanc difficultatem solvendam, notandum est *martyrium solum* ad probandam alicujus religionis divinitatem non sufficere, sed martyrium *talibus adjunctis vestitum*, ut, ex una parte, cum veritate alicujus religionis indivulse connectatur, et ex altera, non humanis viribus, sed *divinæ virtuti* sit tribuendum, — prout demonstratum est quoad christianos martyres.

Quibus positis, pauca de allegatis casibus dicamus. (a) Ad *hæreticos* quod spectat, pauci tantum martyres *antiquitus* apud eos inveniuntur, teste *Irenæo* [2] : " Ecclesia omni in loco ob eam, quam habet erga Deum dilectionem, multitudinem martyrum in omni tempore præmittit ad Patrem; reliquis autem omnibus non tantum non habentibus hanc rem ostendere apud se, sed nec quidem necessarium esse dicentibus tale martyrium ". — Inter *Protestantes*, non diffitemur quosdam pro fide sua fortiter tormenta et mortem subiisse. Paucorum enim fortitudo heroice naturaliter explicari valet [3]. Nonnulli tamen, ut *Anabaptistæ*, signa haud dubia præbuerunt fanatici furoris, superbiæ, stoliditatis, immo et credulitatis [4], ita ut divinus interventus minime in eorum agendi ratione apparuerit. — Alii vero, ut qui, annis 1885-1886, in *Uganda* interfecti sunt, *bona fide* credebant, ut e veridicis relationibus constat, religionem quam amplexi fuerant esse religionem divinitus a Christo revelatam; ideoque *gratia divina* juvari poterant ut vitam traderent pro religione, quæ, quamvis incompleta, veritates ad salutem necessarias complectebatur; in hoc casu, divinus interventus *veritatem christianismi*, non autem protestantismi quatenus hic Ecclesiæ catholicæ opponitur, demonstrabat [5].

---

[1] *Babystæ* constituunt sectam islamicam, in Perside natam, nomine fautoris vocatam qui se esse *Bab*, aut *portam* ad salutem contendebat.

[2] *Adv. hæreses*, l. IV, c. 33, n. 9.

[3] Cf. **F. Mourret**, *La Renaissance et la Réforme*, 4a Ed. 1918, p. 409-410.

[4] **A. Baudrillart**, *Dict. de Théol. cathol.* (*Vacant*), t. I, p. 1128-1134.

[5] Cf. n. 279, ubi de miraculis extra Ecclesiam patratis.

(b) Si vero agitur de iis qui sibi vulnera aut mortem inferunt, ob quemdam fanaticum sensum aliamve causam, sed non directe quia optio eis datur inter religionis abdicationem et tormenta, hi non sunt martyres. Ita Indi, qui se sternunt coram plaustris idolorum, eligere non habent inter vitam et religionem quam sequuntur, sed, propter speciales quas tenent opiniones de animarum transmigratione, mortem ut aliquid boni appetunt, scilicet ut medium quo facilius *nirvana* attingere valeant.

(c) *Babystas* autem fuisse *fanatico sensu* vere captos fatentur ipsi adversarii [1]; insuper illi contra civilem auctoritatem vi et armis acriter pugnaverunt, et ex hoc capite nostris martyribus comparari nequeunt, qui non vi, sed patientia et mansuetudine persecutores vicerunt.

CAPUT V.

LEGATIO DIVINA CHRISTI COMPARATIONE CUM ALIIS RELIGIONIBUS CONFIRMATUR [2].

518. Scopus et divisio capitis. Christianismi hostes sæpissime arguunt ex existentia diversarum religionum ut omnes simul reprobent [3], et demonstrationem a nobis exstructam rejiciant. Valde utile erit ergo comparationem inire inter christianam religionem et præcipuas religiones quæ ei aliquo modo assimilari possunt : ita enim magis apparebit transcendentia Revelationis divinæ per Christum allatæ.

Jamvero duæ sunt præcipuæ religiones, quas, ob numerum asseclarum et doctrinæ excellentiam, Christianismo videmus aliquando æquiparari vel anteponi, nempe *Budhismus* et *Mahumetismus* : de quibus proinde pauca dicamus oportet, exponendo facta et problemata apologetica explanando.

[1] Cf. **J. de Gobineau**, *Les Relig. et les Philos. dans l'Asie Centrale*, Paris, 1865, p. 141 sq.; **Renan***, *Les Apôtres*, Paris, 1882, p. 378 sq.

[2] Cf. **Hugueny**, I, ch. IX, L'Eglise et les religions universalistes; **Pinard de la Boullaye**, *L'étude comparée des religions*, ch. X, art. IV.

[3] Liberalismus practice eamdem doctrinam sustinet : qui contendit omnes religiones æquiparandas esse, simul fatetur omnes simul falsas esse, cum sint inter se contradictoriæ.

Art. I. De Budhismo [1].

§ I. Expositio factorum.

519. Budhismus, e Vedismo et Brahmanismo ortus (supra n. 118 seq.) nomen accepit ab auctore suo, nempe *Budha* (i. e. sapiente) qui in India floruit sæculo sexto ante Christum. Hanc religionem profitentur circiter 120.000.000 sectatores, in extremo Oriente, i. e., in Nepal et insula Ceylan, in Siam, Sina, Insulindia et Indosina, in Thibetana regione et Japonensi regno, dispersi [2].

Ut æquum de Budhismo judicium ferri possit, ejus historiam, doctrinam et instituta breviter exponemus [3].

520. I. **Expositio historica.** 1° Budhismus apparuit in India, ubi jam vigebat Brahmanismus, exeunte sæculo VI ante Christum.

Ejus fautor fuit *Siddharta*, de familia Gautama, ex regia stirpe Çakiæ, circa annum 550 natus. Hujus vitam, deficientibus documentis vere authenticis, delineare difficile est [4]. Hæc tamen com-

---

[1] *Sacred Books of the East*, edited by **F. Max Müller** *, Oxford, 1879 sq.; **P. Bigandet**, *The Life or Legend of Gaudama, the Budha of the Burmese*, London, 1880, *gallice* translat. auct. *V. Gauvain;* **Barthélemy St Hilaire**, *Le Boudha et sa religion;* **Davids Rhys** *, *Buddism*, 1882; *Lectures on the Origin and Growth of Religion*, 1881; *Budhism its history and literature*, 1896; *Earyl Budhism*, 1909; **Abbé de Broglie**, *Problèmes et concl. de l'Hist. des Religions*, c. VI; **Oldenberg** *, *Le Boudha*, op. germanice scriptum, *gallice* versum auct. *Foucher*, 1894, et *anglice*, London, 1881; **C. F. Aiken**, *The Dhamma of Gotama, the Budha and the Gospel of Jesus the Christ.* Boston, 1900; **L. de la Vallée-Poussin**, *Boudhisme, opinions sur l'histoire de la Dogmatique*, Paris, Beauchesne, 1909; **Id.**, in *Christus*, ch. VI, et in opere *Où en est l'histoire des religions*, I, ch. V; **de la Vallée-Poussin et Roussel**, Art. *Inde* in *D. A.;* **Roussel**, *Le boudhisme primitif*, Paris, 1911; **Dr. Lehmann** *, *Les Hindous*, in **Chantepie de la Soussaye** *, ch. X.

[2] Quidam, ut **Roussel**, Art. *Inde* in *D. A.*, col. 654, sex aut septem millia millium Budhistarum numerant, inter eos recensentes non tantum proprie dictos Budhistas, sed eos etiam qui, quamvis aliam profitentes religionem, budhisticis quibusdam ideis plus minusve favent.

[3] Hunc ordinem sequendo, comprehendemus tria puncta in professione monachorum budhistarum comprehensa : "Je mets mon recours dans le *Boudha.* Je mets mon recours dans la *doctrine* (le dharma ou dhamma). Je mets mon recours dans la *communauté* (le sangha)". (**Oldenberg**, p. 342).

[4] Prima documenta, juxta peritos, 150 annis post mortem Budhæ scripta esse videntur; lapideæ inscriptiones regis Açokæ III° ante Christum sæculo sculptæ sunt.

muniter ut satis certa habentur : cum esset annos 27 circiter natus, paternam domum, uxorem et filium deseruit, ut Brahmanistas solitarios adiret et sapientiæ studeret; eorum tamen doctrina minime contentus, in solitudinem secessit, et assidua meditatione asperisque mortificationibus sapientiam quæsivit, quam, post septem annos, se invenisse putavit, dum se quodam die subito *Budha*, id est Sapientem, sensit. Hanc Sapientiam in Benares primum, deinde in totam Indiam septentrionalem, sub diversis formis, prædicavit.

Quo facilius eam disseminaret, ordinem monachorum instituit, qui, magistri vestigiis inhærentes, cælibatum ac paupertatem amplecterentur, et se totos prædicationi devoverent. Mortuus est circa annum 480 ex indigestione carnis porcinæ.

Hæc veritas historica paulatim in legendam versa est. Sic describi potest : Gotama, qui postea Budha seu sapiens a suis cognominatus est, millies forsan antea vixerat, et successive fuerat monachus, mendicus, leo, columba, elephas, mercator, rex etc., summamque perfectionem jam attigerat et in *Nirvana* ingredi poterat, sed rursum nasci ac vivere voluit, ut perfectam scientiam adipisceretur hominesque multos ab hujus vitæ miseriis liberaret. Nascitur ex regina *Maya*, antea sterili : cujus conceptio et nativitas miraculosæ sunt, eumque nascentem spirituum chori in cælo canticis salutant. Mirabilis pariter fuit ejus infantia et adolescentia; ejus pater omnia disposuit ut vitam gratam et voluptuosam in aula regia duceret; sed, omnibus deliciis abdicatis, in desertum sese recepit, ubi malorum spirituum impugnationes superavit, donec tandem supremam sapientiam attingeret, quæ in cognoscendis variis malorum causis atque remediis consistit. Quo tempore multa patravit miracula, ipseque transfiguratus factus est *Budha*, seu illuminatus, sapiens, omnium entium perfectissimum ac beatissimum. De sua sorte securus, hanc sapientiam aliis manifestare intendit, et, per 45 annos, verbis et exemplis homines docuit præsertim pauperes et peccatores; quomodo, cupiditatibus despectis, ab omnibus malis liberari valeant et *nirvana* ingredi. Ipse tandem mortuus est, nunquam denuo nasciturus.

521. 2° Religio sic condita sat velociter per multas regiones *diffusa est*. Adhuc vigente Gotama, propter ejus discipulorumque eloquentiam et vitam asceticam, Budhismus, menti Orientalium optime accommodatus, favorem divitum et mercatorum adeptus, partem Oriento-septentrionalem Indiæ pervasit. Sæculo III° ante Christum, rex Açoka Budhismum usque ad insulam Ceylan propagavit. Brahmanismus tamen et Islamismus religionem budhicam fere ex tota India exstirparunt.

Ab anno 300 ad annum 589, Budhismus imperium Sinense, faventibus tribubus Hunorum et Tunguzorum tunc Sinam inva-

dentibus, penetravit, unde in Coream et Siam transiit. Anno 552, ex Corea, in insulas Japoniæ penetravit; annno 638, Budhismus in Thibetum ingressus est, ubi formam specialem *lamaïsmi* induit : monachi budhistæ, *lama* vocati, et hierarchice constituti, potestate etiam civili gaudent, eorumque dux ut reincarnatio Budhæ habetur.

522. II. **Expositio doctrinalis.** 1° *Budhismus primitivus* [1] sic exponi potest. (**A**) *Dogmata.* Nihil de prima causa vel de Deo prædicatur, quia Deus vel non existit, vel de ejus existentia nil certi cognosci potest; de anima pariter altum servatur silentium. Unum videtur esse ens immutabile, nempe *Lex* (*samsara*), vi cujus bonæ actiones (actio vocatur *Karma*) necessario retributionem, malæ autem castigationem secum afferunt : unde reincarnationes,

[1] Secundum **Oldenberg,** l. c., p. 126-129, hæc est summa primæ prædicationis Budhæ in Benares, a qua totum systema defluit. Hanc sermoni Christi in monte comparare poteris et jam de excellentia relativa Budhismi et Christianismi judicium ferre : "O moines, ne vous adressez pas au Parfait (sic sese vocabat Gotama) en l'appelant par son nom, et ne le nommez pas "ami". Le Parfait, ô moines, est le saint, le suprême Boudha. Ouvrez, ô moines, vos oreilles, la Délivrance de la mort est trouvée; je vous enseigne, je vous prêche la doctrine...

Voici, ô moines, la vérité sainte sur la douleur : la naissance est douleur, la vieillesse est douleur, la maladie est douleur, la mort est douleur, l'union avec ce qu'on n'aime pas est douleur, la séparation d'avec ce que l'on aime est douleur, ne pas obtenir son désir est douleur...

Voici, ô moines, la vérité sainte sur l'origine de la douleur : c'est la soif (de l'existence) qui conduit de renaissance en renaissance, accompagnée du plaisir et de la convoitise, qui trouve ça et là son plaisir : la soif de plaisir, la soif d'existence, la soif d'impermanence.

Voici, ô moines, la vérité sainte sur le chemin qui mène à la suppression de la douleur : l'extinction de cette soif par l'anéantissement complet du désir, en bannissant le désir, en y renonçant, en s'en délivrant, en ne lui laissant pas de place.

Voici, ô moines, la vérité sainte sur le chemin qui mène à la suppression de la douleur : c'est ce chemin sacré, à huit branches, qui s'appelle : foi pure, volonté pure, langage pur, action pure, moyens d'existence purs, application pure, mémoire pure, méditation pure".

De hac via, in eodem sermone dicit : "c'est là, ô moines, le chemin du milieu (i. e., inter voluptates et mortificationes excessivas), que le Parfait a découvert, qui dessille les yeux et l'esprit, qui mène au repos, à la science, à l'illumination, au Nirvana." — Et subdit Gotama : "Depuis que de ces quatre vérités saintes je possède avec une pleine clarté cette connaissance et cette intuition véridiques, ... j'ai obtenu le rang suprême de Boudha. Et je l'ai reconnu et vu : mon âme est à tout jamais délivrée; ceci est ma dernière naissance; il n'y a plus désormais de nouvelles naissances pour moi".

metempsychosis seu animarum transmigratio, donec omne *potentiale* sive malum sive bonum actuum nostrorum evacuetur. Quando autem hæc annihilatio attingitur, *nirvana* ingredimur seu statum perfectæ quietis : hic est finis totius nostri conatus, cum nonnisi in nirvana a miseriis hujus vitæ et reincarnationum liberemur [1]. Dogmatibus ergo suis Budhismus est quædam pessimismi et phænomenismi forma.

523. (B) Ex his principiis deducitur *ethica.* Cum omnis vita sit misera, et causa miseriarum sit nativitas, quæ ipsa est punitio culparum a concupiscentia orientium, *concupiscentiæ omnino renuntiandum est;* hæc est summa perfectio, animam separare ab omnibus desideriis et voluptatibus, quæ eam attrahunt, et ad *puritatem vitæ* perfectam pervenire.

Ad hanc puritatem attingendam *regulæ* traduntur quæ tres complectuntur disciplinas : rectitudinem, meditationem, sapientiam. 1) *Rectitudo* quinque officia imponit : ne occidas qualecumque ens, ne fureris, ne adulteres, ne mentiaris, ne fermentatum aliquid bibas. Præscribit insuper benignitatem erga totum orbem. Monachi budhistæ (*bikhus*) paupertatem et castitatem absolutam colunt. 2) *Meditatio* valde differt ab exercitio spirituali christiano ejusdem nominis : non est precatio, cum de Deo non curetur, sed operatio psychica et physiologica simul, quæ ad annihilationem cogitationis tendit [2]. 3) *Sapientia* tandem consistit in cognitione legis Budhæ.

Sic ethica sua Budhismus mediam viam tenet inter voluptatis inquisitionem et immoderatas mortificationes apud Brahmanistas vigentes : moderatis exercitiis ad vitæ extinctionem et quietem pervenire conatur.

524. 2° *Budhismus* huic primitivæ institutioni non stetit, saltem in pluribus. Tres namque inter Budhistas præcipuæ sunt *sectæ*, quæ designantur nomine *minoris vehiculi*, *vehiculi majoris* (ambæ 1° post Christum sæculo ortæ) et *tantrica vehiculi.* (a) *Minoris vehiculi* (seu *Hinayana*) asseclæ, qui sunt præsertim *monachi*, contendunt *viam salutis* (quam *vehiculum* appellant) in exstinctione cujusvis desiderii sitam esse; ceteroquin quoad existentiam Dei et

[1] De natura nirvanæ disputatur. Multi Budhistæ, *phænomenalistæ* dicti, putant *nirvana* nihil aliud esse, juxta *Budha*, nisi perfectam annihilationem omnis personalis existentiæ; cum vero annihilationem non pauci abhorreant, quidam ejus discipuli qui dicuntur *personalistæ*, *nirvana* tanquam locum *quietis* depingunt. Cfr. **T. S. Berry**, *op. cit.*, lect. IV, p. 85 sq. De doctrinis utriusque scholæ disserit **L. de la Vallée-Poussin**, *Boudhisme*, p. 156-178.

[2] Vide **Oldenberg**, p. 309-315; **Roussel**, p. 255.

naturam hominis, agnosticismum profitentur. Hæc secta, in India et Ceylan præcipue vigens, Budhismo genuino vicinior est. (b) *Majoris vehiculi* (seu *Mahayana*) discipuli, inter quos multi *laici* recensentur, autumant salutem consequi eos qui non tam sui abnegationem quam caritatem erga alios fovent, eos nempe juvando ad salutem adipiscendam. Hi generatim quemdam idealem monismum amplectuntur. Sub hac forma Budhismus extra fines Indiæ propagatus est. (c) *Tantrismus*[1] vero, qui saltem a sæculo VII post Christum invaluit, docet quomodo quis, per *magiam* et *superstitiosos ritus*, sanctitatem assequi valeat et in Budham transformari. In hac autem secta innovatus est antiquus polytheismus, cum obscenis diis quibus deturpatus fuerat[2].

525. III. **Expositio institutionum budhistarum.** (a) Budhismus primitivus nihil aliud erat nisi *institutio ascetica*, similis aliis quæ in Brahmanismo florebant. Budhistæ perfecti esse non possunt nisi *monachi* (vel *bikhus*), qui soli ad nirvana post præsentem existentiam attingere queunt. Monachi nonnisi post tempus probationis admittuntur[3]; panem mendicant; æstatis tempore per vicos peregrinantur; tempore vero pluviarum in cellis victitant. Inter exercitia recensentur meditationes, colloquia, jejunium bis in mense, cum culparum confessione; in fine hiemis, antequam rursus iter aggrediantur monachi velut magnum capitulum celebrant, in quo fraterna correctio exercetur[4]. Vix et ægre Budha de mulieribus curam gessit : *moniales budhistæ* similem vitam ducunt ac religiosi, quibus subjiciuntur; per vicos tamen non peregrinantur tempore æstivo.

526. (b) *Laici (upasaka*, et, pro mulieribus, *upasika*, i. e., zelatores) non sunt perfecti discipuli Budhæ, sed solum cœtui monachorum aggregati, modo quo, in christianismo, tertiarii alicui ordini religioso incardinantur. Eleemosynam præbere debent religiosis; ad quinque puncta ethicæ budhisticæ tenentur, sed mundo non renuntiant. Excommunicantur non pro criminibus quibuscumque, sed tantum pro crimine religiosos impugnandi. Si hæc præcepta servant, in sequenti reincarnatione vitæ asceticæ se devovebunt, et sic, post novam vitam, in nirvana ingredientur.

---

[1] Ita vocatur a vocabulo *tantras* quo designantur libri apocalyptici quibus hoc systema continetur.

[2] Plura vide ap. **La Vallée-Poussin**, op. cit., pp. 17-27, 206-266, 378-412. Ibidem, p. 130-204, recensentur varia Budhistarum philosophica systemata; de quibus etiam legere est **J. Mette**, *Exposition des systèmes philosophiques indous*, Pondichéry, 1909.

[3] Qui monachus factus est, ad statum laicalem redire potest, et rursum readmitti. — [4] In Thibeto, monachi intra conventus muros, magno numero congregati vivunt, sub auctoritate superiorum.

§ II. Problemata apologetica [1].

527. Primo tempore quo Budhismus clare a paganismo distinctus apparuit, propter apparentes similitudines quæ inter Budhismum et christianismum existere videntur [2], auctores aliqui (non tamen qui specialiter Budhismo studuerunt) putarunt hunc ab altero suam doctrinam deprompsisse. Hodie vero, re melius inspecta, periti satis unanimiter tenent neutrum ab alio derivasse; istæ enim similitudines sunt potius apparentes quam veræ [3], ut ex accurata investigatione constabit, et facile explicantur, absque mutuo influxu, ex communibus aspirationibus, quæ apud omnes homines vigent, præsertim quando cor suum introspiciunt [4].

Vera problemata apologetica potius ergo oriuntur ex persona conditoris, propagatione et excellentia doctrinæ; quæ breviter exponere expedit.

528. 1° **Persona Budhæ.** Nemo est qui negare possit Budham ingenio suo inter illustres philosophos et moralistas esse recensendum; sed humanam conditionem non excedit, et Christo, fatentibus etiam acatholicis, comparari nequit [5].

---

[1] Cf. **La Vallée-Poussin,** *Le Boudhisme et l'Apologétique*, in *R. P. A.*, t. VII, 15 oct. 1908, p. 117-122.

[2] In utraque enim doctrina, quædam ethicæ principia eadem esse videntur : profunda conscientia peccati ac miseriarum hujus vitæ, virtutis difficultas, desiderium attingendi ultimum finem, contemptus mundi, qui plenus tentationibus atque illecebris exhibetur, suipsius abnegatio atque carnis mortificatio, voluntaria paupertas ac continentia, monachorum institutio, benevolentia erga omnes homines, etc. Confer etiam legendam Budhæ cum historia Christi.

[3] Quod libenter concedit **Rhys Davids**, in Ep. ad W. Lilly, *op. cit.*, p. 34 sq. Cfr. **Abbé de Broglie,** *op. cit.*, ch. IX, ubi optima redditur ratio harum similitudinum; **L. de la Vallée-Poussin,** *Le boudhisme et les évangiles canoniques*, in *R. B.*, juillet 1906; **Bricout,** II, p. 275-276; **Alb. Valensin,** *Jésus-Christ et l'histoire comparée des religions*, p. 61-64, 79-84.

[4] Forsan *legenda* Budhæ, tarde conscripta, elementa hausit ex christianismo, qui valde cito in India prædicatus est.

[5] Cf. **Oldenberg,** l. c., p. 185. " Où que nous ouvrions nos Evangiles, nous découvrons à chaque page les traits les plus délicats et les plus profonds de l'influence de Jésus : attentive, consolante, salutaire, réconfortante, nous la voyons s'exercer d'âme à âme, de personne à personne. Combien autre est l'image que l'ancienne communauté boudhique nous a conservée de l'influence de son maître, combien pauvre de cette puissance de sympathie qui remue l'être jusque dans ses profondeurs!... tout se cache derrière le schéma, derrière la formule ".

Aliunde, nunquam se sicut *legatum divinum*, vel Redemptorem exhibuit, sed tantum ut prædicatorem et exemplar vitæ moralis. Miracula nulla vere patravit : ea enim quæ referuntur, in libris continentur qui nonnisi longe post eventum scripti sunt; aliunde tam *ridicula* sunt ut prorsus incredibilia videantur.

Sic, v. g., Budha cum rege serpentium pugnaturus, totum suum corpus convertit in ignem; alio tempore cucurrit per totum firmamentum cæli a parte orientali usque ad partem occidentalem, interim ex uno oculo mittens aquam, ex altero ignem; postea magnum exstruxit ædificium, ut in eo cum adversariis patraret miracula, et ita quis potentior esset dijudicaretur. — Insuper cum existentia Dei ab eo ne insinuetur quidem, miracula hujusmodi nihil divinum in ejus missione arguunt, neque ab eo usurpantur ad aliquem finem hujuscemodi, sed solum ad probandum se *propriis viribus* potentiam sapientiamque adeptum fuisse, quam quilibet homo consequi potest.

529. 2° **Propagatio budhismi.** Hæc notare licet : (a) late quidem diffusus est Budhismus, et, post viginti quinque sæcula, multos adhuc sectatores retinet, sed non extra Orientis fines : hoc autem, si non perfecte, saltem sufficienter explicari potest per qualitates et defectus hujus religionis. Veritates, quas continebat, attrahere potuerunt homines, quorum innatis aspirationibus respondebat, eo vel magis quod in India tunc vigebat solus Brahmanismus, qui, tum propter suam obscuritatem, tum propter sacerdotum superbiam, populo minime placebat. Ex alia parte, Budhismus essentialiter passionibus non adversatur, cum unicuique liceat ea sequi præcepta quæ sibi placent. Unde etiam regibus acceptus fuit ab eisque propagatus, quippe qui nihil contineret eorum auctoritati nocivum, ne ideam quidem supremæ auctoritatis, cui terreni principes subjiciantur. Longe igitur distat a Christianismo qui passionibus bellum aperte indicit.

(b) Nec ejus longa duratio veritatis argumentum est; nam Budhismus non remansit id quod ab initio erat; siquidem atheismus vel agnosticismus, quem profitebatur, in polytheismum, idololatriam ac magiam mutatus est. Adoratur ipse *Çakiamuni* cum aliis innumeris *Budhis*, quorum unus incarnari creditur in magno Thibeti *Lama;* adorantur

illius reliquiæ ac imagines, quibus etiam miracula tribuuntur. Cultus plenus est magicis formulis, quibus virtus fere omnipotens adcribitur. *Nirvana* jam locum cessit cuidam cælo, ubi electi per sæcula deliciis fruentur.

530. 3° **De doctrina** hæc notanda sunt : (**a**) *Dogma* valde deficiens invenitur : nil de *Deo*, nil de prima causa dicitur. Quod attinet ad *hominem*, prorsus ignoratur ejus natura, cum nullum sit essentiale discrimen inter hominem et bruta; finis autem vel est annihilatio vel aliquid ei simile; quæ adduntur de metempsychosi, pariter principium juxta quod vita est malum, certe a Deo revelata esse nequeunt, cum sint evidenter falsa. (**b**) *Ethica*, quamvis multo perfectior, multis etiam vitiis laborat : multa præcepta prætermittuntur, ut pietas, castitas quoad laicos (excepto adulterio); *abnegatio*, quam prædicat, et *caritas*, quam fovet, non ex amore erga Deum et fratres oriuntur, sed *ex amore proprio* et desiderio propriæ beatitudinis [1]; *superbia*, non humilitas, commendatur, cum nonnisi ex *seipso* quisque salutem obtinere valeat.

Quod etiam ex ejus *fructibus* patet : apud Budhistas enim polygamia; divortium aut etiam polyandria vigent. Neque invenire est aliquid quod cum christianæ caritatis innumeris operibus comparari possit [2]; nec mirum, cum perfectissimi Budhæ discipuli, monachi scilicet, torpori et pigritiæ sæpe indulgeant.

Conclusio. Budhismus primævus est systema philosophicum vel ethica, plus quam religio; Budhismus popularis polytheismo valde affinis est. Nihil est eo quod naturalem

[1] Quod ceteroquin etiam adversarii admittunt, v. g. **Oldenberg,** magnus Budhismi admirator, qui scribit (*Le Buddha*, p. 289) : " La langue du boudhisme n'a aucun mot pour exprimer la poésie de l'amour chrétien, de cette charité décrite par saint Paul, qui est plus grande que la foi et l'espérance, sans laquelle celui qui parlerait toutes les langues des anges et des hommes serait un airain sonnant et une cymbale retentissante... Le boudhisme ordonne moins d'aimer son ennemi que de ne le point haïr; il excite et nourrit une disposition de bonté et de compassion pour tous les êtres, mais ce sentiment n'est pas l'effet spontané, mystérieux et non raisonné de l'amour, c'est bien plutôt une sagesse réfléchie, une persuasion que tout ira mieux par l'effet de cette bienveillance et l'attente que la loi de la nature procurera une récompense à ceux qui se conduisent ainsi ".

[2] Budhismus est essentialiter religio *aristocratica :* de parvulis et humilibus nullo modo curat. Cf. **Oldenberg,** *l. c.*, p. 151-155; 297.

rationem transcendat. Mentibus orientalibus specialiter aptatur, et nihil illius universalitatis, quam habet catholicismus, præ se fert. Nullo modo igitur Christianismo æquiparari potest, qui quidquid boni et veri in Budhismo est, eminenter complectitur, multaque alia huic prorsus incognita.

Art. II. De Islamismo [1].

§ I. Expositio factorum.

531. Islamismus, a voce Arabica *Islam* (i. e., resignatio, submissio, scilicet Deo), vel *Mahumetismus* ab ejus auctore *Mahumete* (arabice *Mohammed*), ortum habuit in Arabia, et inde in Asiæ, Africæ et ipsius Europæ partem vi armorum propagata fuit. Computat circiter 200.000.000 asseclas.

Cujus *historiam*, *doctrinam*, *instituta* breviter describere oportet.

532. I. **Expositio historica.** Tempore quo apparuit Mahumetus, Arabiæ incolæ plerique polytheismo addicti erant; centrum cultus erat urbs Mekka, ejusque sanctuarium *Kaaba* vocabatur. Præter Arabes hac in regione degebant non pauci Judæi et Christiani; posteriores nec docti, nec inter se uniti,

[1] Optimam editionem Alcorani edidit **Flügel**, *Al-qoran, Corani textus arabicus*, Leipzig. Cfr. **Maracci**, *Refutatio Alcorani*, Paduæ, 1698; **Kazimirski**, *Le Koran*, Paris, 1840; **J. La Baume**, *Le Coran analysé*, Paris, 1900; **Th. Nöldeke** *, *Geschichte des Qorans*, 1860; **Abou Abdallah** *, *Senoussya*, petit traité de théol. musulmane, trad. fr. par *J. D. Luciani*, Alger, 1890; **Yousef ben Ismaïl Ennebahni** *, *Anouav mohammadiya* (Les lumières de Mahomet), Beyrouth; **G. Sale**, *The Koran*, translated into English, ed. 1865; **Caussin de Perceval**, *Essai sur l'Histoire des Arabes avant l'Islamisme*, Paris, 1847-48; **A. Sprenger** *, *Das Leben and die Lehre des Mohammed*, Berlin, 1861-65; **Syed Ameer Aly** *, *A Critical examination of the Life and Teachings of Mohammed*, 1873; **J. Barthélemy St Hilaire**, *Mahomet et le Coran*, Paris, 1865; **Abbé de Broglie**, *Problèmes de l'Hist. des Relig.*, c. VII; **H. de Castries**, *L'Islam*, Impressions et Etudes, Paris, 1896; **Carra de Vaux**, *Le Mahométisme; La Doctrine de l'Islam*, Paris, 1909; **Id.**, Art. *Islam* in *D. A.*; **Id.**, *L'Islam* in *Christus*, ch. X; **Washburn** *, *The Points of contact and contrast between Mohammedinsm and Christianity*, in *History of the World's Parliament of Religions*, vol. I, p. 565-582; **L. Gondal**, *Islamisme et Christianisme*, Paris, 1906; **A. Palmieri**, in *Dict. de Théol.*, vocabulo *Coran*; **Prof. Houtsma** *, *L'Islam* in **Chantepie de la Saussaye** *, ch. IX; **Power, S. J.**, Art. *Mahomet*, in *D. A.*; **Id.**, *L'Islam* in **Bricout**, I, ch. XIII; **Edouard Montet** *, *L'Islam*, Paris, 1921 (*collect. Payot*); **J. Goldziher** *, *Le dogme et la loi de l'Islam*, versio gallica, Paris, 1920; **Lammens, S. J.**, *Mahomet fut-il sincère?* in *R. S. R.* 1911, p. 25-53, 140-166.

magna auctoritate non pollebant; tandem de monotheismo speculabantur aliquot docti, *Hanif* vocati.

Mahumes, ex familia Koreishitarum, natus valde probabiliter an. 570, diu pavit greges, postea mercaturam exercuit, et diviti viduæ *Khadidja*, cujus res gerebat, placuit eamque in uxorem duxit. Silentii et solitudinis amans, ambitione plenus, israeliticas et christianas institutiones admirans, quamvis christiana dogmata parum cognosceret, religiosam revolutionem promovere studuit. Maxime credulus quoad somnia angelum Gabrielem sibi apparuisse fingens vel credens, se prophetam esse divinitus missum asseruit, ut primævam patriarcharum religionem instauraret. Secreto primum prædicavit, postea autem publice; cum autem concives, suis assertionibus tam religiosis quam præsertim politicis commoti, ejus doctrinæ maxime obsisterent, e Mekka in Medinam cum amicis nocte migravit (622); postea dies (vocata *hidjra* seu hegira), qua fugerat, initium fuit æræ mahumetanæ. Medinenses sibi cito conciliavit, et eorum ope, vi armorum, suam religionem per totam Arabiam prædicavit a Mekka incipiendo. Mox sese maximis prophetis comparans, totum orbem intendit suæ subjicere doctrinæ. Mortuus est anno 632.

Post mortem Mahumetis, *khaliffæ*, successores prophetæ, Islamismum celerrime et late diffundunt in Persiam, Egyptum, et Syriam. Sæculo VIII°, India, Africa, Hispania invaduntur. Sæculo XIV°, Turcæ, ad fidem islamicam conversi, Asiam minorem et Europam orientalem ditioni simul et fidei suæ subdunt; sequentibus sæculis, et etiam nostris diebus, Sina et Africa centralis Mahumetismo portam aperuerunt.

533. Decurrentibus sæculis, *schismata* orta sunt in Islamismo, quæ præsertim ad duo reducuntur, nempe : (a) *Schiitas*, qui *Ali* ejusque uxorem *Fatima* cultu religioso prosequuntur, et contendunt illegitimos esse omnes reges qui ab *Ali* originem non ducunt; *Sunna* seu traditionem rejiciunt et Corano tantum stare volunt; expectant ut messiam quemdam vel *Madhi*, ultimum Alidem, quem ad finem temporum reservatum credunt; hi in Perside dominantur; (b) *Sunnitas*, qui Corano addunt *sunna* seu traditionem, et putant successores Prophetæ e quacumque stirpe eligi posse : hi tanquam ducem agnoscebant huc usque *sultanum Constantinopolitanum;* nunc autem (ab anno 1922-1923) *Khaliffam* electum e familia sultanea.[1] Fractionem orthodoxam islamismi constituunt.

534. II. **Expositio doctrinalis.** Mahumes politicas simul et religiosas leges tradidit, spiritualem potestatem a temporali non dividens.

[1] Nuperrime (1924) Khaliffæ dignitas totaliter aboleta est apud Turcas.

1° *Dogma* præcipuum est existentia *unius Dei* Creatoris, qui solus est adorandus, exclusa penitus trinitate personarum. Adsunt tamen *spiritus creati*, seu angeli qui Dei legati sunt et hominum custodes. — Multi *prophetæ* missi fuerunt ad manifestandam voluntatem Allah; Mahumetus autem est omnium maximus, immo propheta per antonomasiam : hinc illud effatum : Non est ullus Deus nisi Allah, et Mahumetus est ejus propheta. — Liber sacer, qui dicitur *Al Coran* (*lectio*), est æternus, et in Deo immanens, sed tamen ultimo scriptus est et Prophetæ datus, longeque superat libros sacros patriarchis traditos. — Docet pariter animæ immortalitatem et corporum resurrectionem; sed paradisus, quem promittit, est locus ubi fideles voluptatibus sensibilibus et carnalibus vacabunt magis quam visioni Dei. — *Fatalismus* aliquando clare proponitur, aliquando solum innuitur; etsi vero alibi humana libertas quandoque affirmetur, plerique textus ad fatalismum tendunt; multi quidem Mahumetani liberum arbitrium propugnant, sed non pauci illud extenuant, et fato nimis tribuunt.

2° *Ethica* complectitur præcepta *negativa* et *positiva*. Prohibentur ludi aleatorii, vinum, caro suilla, imagines etc. Opera præcipua quæ prescribuntur sunt : *recitatio* cujusdam *symboli*, in quo dicitur : Non est Deus nisi Deus, et Mahumetus est ejus propheta; *preces* quinque per diem, quas sæpe *ablutiones* comitantur; *jejunia*, quæ aliquando per modum pœnitentiæ imponuntur, præsertim vero jejunium *Rhamadan*, quod per unum mensem perdurat et consistit in abstinentia ab omni cibo et potu ex ortu solis usque ad occasum; *eleemosymiæ;* piæ *peregrinationes* maxime ad *Calaba*, in Mekka [1]. *Circumcisio*, de qua tacet Coranus, a multis tamen servatur. Super omnia autem commendatur *bellum sanctum* contra Infideles, quos Deus per militum suorum ministerium, vult convertere aut punire : qui in eo pereunt statim paradisum ingrediuntur, et ex hoc intelligi potest Mahumetanorum fanatismus. Ut ex hac brevi expositione constat, *Coran* parum curat de *interioribus* dispositionibus, sed in præscriptionibus *externis* totus fere versatur. Nil

[1] Anno 1894, 300,000 Mahumetani Mekkam venerunt, peregrinationis causa, præsertim ab India, Java et Sumatra. Cfr. *Revue des Religions*, jul. 1895.

dicitur de satisfactione pro peccatis, nec ullus est sacrificii ritus, nisi tanquam gratiarum actio pro beneficiis acceptis.

Polygamia et *divortium* ad nutum mariti permittuntur; communiter Mahumetanis quatuor tantum uxores habere licet, sed uxoribus illimitatus concubinarum numerus adjungi potest. *Servitus* abolita quidem videri potuit ex proclamatione æqualitatis inter fideles : sed Infideles in servitutem redigi possunt, et effrenata Mahumetanorum voluptas causa fuit cur mulieres raperentur et venderentur; hinc hodie etiam in Africa Arabes nefandam servorum emptionem et venditionem, immo et violentum raptum indesinenter prosequuntur [1].

535. Doctrina mahumetana *controversiis* sat multis locum dedit, unde exortæ sunt *scholæ theologicæ*. Inter quas : VIII° sæculo, *Motazelitæ*, qui primo ascetismo faventes, deinde aliqua dogmata islamismi orthodoxi impugnarunt, v. g., impeccabilitatem prophetæ, æternitatem Corani etc. — A IX° ad XII^{um} sæculum, præsertim in Hispania, synthesim rationalem religionis islamicæ tentarunt, ad mentem Platonis et Aristotelis, aliqui *philosophi arabes*, intra quos *Avicenna* (X°-XI° sæc.) et *Averroes* (XII° sæc.). Contra hos omnes, et contra ascetas qui ad pantheismum tendebant, orta est *oppositio orthodoxiæ favens*, cui præerant El-Aschari et El-Ghazali inter ceteros.

Nostris temporibus multi Mahumetani in Liberalismum et *Rationalismum* inciderunt.

536. III. **Expositio institutionum.** (a) *Clerum* proprie dictum non habet islamismus. Qui vocatur *Imam*, simpliciter præsidet preci, in moscheis. E contra inveniuntur *doctores*, seu *Ulemas*, quorum dux est *Cheikh-ul-Islam*, *judices* sive *Kadi* sive *Mufti* vocati. *Potestas suprema* attribuitur *Khaliffæ*, Mahumeti successori : huc usque sultani Constantinopolitani habebantur ut Khaliffæ fictione legali.

(b) *Monachismus*, si ita loqui licet, constituitur a *Sufismo* qui, VII° sæculo in Syria natus, ex imitatione ascetarum christianorum, mox ideis pantheisticis ex India et Neoplatonismo exortis infectus est. Sufismus locum dedit *confraternitatibus dervischarum*.

Notetur, in islamismo africano, ex influxu christiano, ascetas celeberrimos (seu : *weli*) objectum esse veri cultus; insuper sæpissime oppositiones exortæ sunt contra ascetismum, qui principiis fundamentalibus mahumetismi politici opponuntur.

[1] Cfr. **Card. Lavigerie**, *Documents sur l'œuvre anti-esclavagiste*.

§ II. Problemata apologetica.

537. I. **Persona Prophetæ.** *Acutissimi sane ingenii* vir fuit Mahumes, problematibus religiosis multum addictus. Attamen nil suprahumani præ se fert, sed e contra *vitiis* sat infandis, fatentibus omnibus peritis, deditus erat. Sic omnes ejus impudicitiam nôrunt [1]; etsi a coætaneis ut probus consideratur, fraude et mendacio absque scrupulo usus est [2]. Unde evidenter apparet Mahumetum etiam *a longe* Christo æquiparari non posse.

De *sinceritate* Mahumeti valde disputatum est. Nostris temporibus, tanquam sincerus initio suæ vitæ a multis agnoscitur [3]. Sed minime inde sequitur eum vere a Deo missionem accepisse. Valde credulus, præsertim quoad somnia, suggestioni facile accessibilis, suas cogitationes ut Dei revelationes sine ullo motivo considerans, potuit Mahumes paulatim sese vere ut prophetam credere et prædicare [4]. Missionem suam miraculo nullo firmavit; ipse fassus est *se non posse miracula operari*, addens tamen ea non esse signum revelationis certum, cum antea fuerint prophetæ qui miracula fecerint, quin tamen hisce incredulos converterint. Arroganter, et cum quadam jactantia, excellentiam revelationis suæ tanquam unicum motivum credibilitatis enuntiavit [5]. Quod quidem verum non est, neque ut sufficiens argumentum reputari potest.

Quando autem Propheta se non tantum ad Qoreishitas, vel ad Arabes, sed ad totum genus humanum missum affir-

[1] Cf. v. g., **Goldziher** *, l. c., p. 118-119.

[2] "Chez le prophète l'emploi de la ruse grossière, le recours au meurtre politique, au mensonge dans l'intérêt de sa cause, n'ont jamais révolté ses compagnons". (**Lammens**, l. c., p. 29).

[3] Sans sincérité, "comment (Mahomet) aurait-il fait passer sa conviction dans l'âme de ses adhérents? Ce résultat, — et il l'a obtenu, — la ruse grossière, la simulation personnelle, ne suffisent pas à l'expliquer." (**Lammens**, *l. c.* p. 26).

[4] "Nous nous trouvons devant un phénomène d'autosuggestion, en face d'un personnage possédant la redoutable faculté de voir en lui-même, habitué à y lire ce qu'il souhaitait y découvrir, une révélation! Or cette révélation se trouva composée de réminiscences, d'emprunts aux religions antérieures. De cette disposition d'esprit il devait aboutir à des visions. Il les a eues." (**Lammens**, *l. c.*, p. 45-46.)

[5] Mahomet "croyait à la transcendance de son génie assisté d'en haut". Il prétend que "comme fond, comme forme, comme dogme, comme expression, son recueil (de révélations) ne peut être dépassé, et porte dans ce caractère inimitable la preuve de son origine surnaturelle". (**Ib.**, p. 42-43).

mavit, de ejus sinceritate merito dubitatur; nam ex una parte, etiam pessimas concupiscentiæ suggestiones revelationi attribuit [1]; quod vix sincere fieri potuit; et ex altera parte, ambitio politica et luxuria de die in diem mentem ejus invaserunt [2]. Scrupulos in conscientia necessarie ortos repellebat [3], et sic vix a fraude forsan excusari potest.

Missio igitur Mahumeti nullomodo divina est, cum totaliter fundamento careat.

538. II. Propagatio islamismi. Hæc propagatio *velox* quidem fuit, sed *causis naturalibus explicari potest.*

(**A**) Prima expansio Mahumetismi ab Arabia usque ad fines occidentales Europæ, Syriam et Asiam minorem, *socialibus* explicatur rationibus : *conjungitur* namque cum magnis illis *populorum migrationibus*, quæ non tam a fide islamica, quam a necessitate sociali et politica oriuntur [4].

(**B**) *Status religiosus et politicus populorum christianorum*, ad fidem islamicam conversorum, huic apostasiæ viam paraverat. Aliqui inter eos nuperrime ad christianismum adducti erant, et fides profundas radices projicere nequi-

[1] Ita revelationi divinæ attribuit jus sibi concessum novem uxores habendi, dum ceteris credentibus tantum quatuor conceduntur. (**Koran**, *Sur.* XXXIII, 49-52; cf. IV, 3.) Ita etiam, licet... jam novem uxores et plures concubinas haberet, commercium carnale habuit cum quadam juniore serva coptica, et ad sedandas uxorum querelas, contendit se revelationem accepisse qua jussus est has querelas contemnere. Cfr. *Sacred Books of the East*, 6, XL; 9, 290; *Pesch*, n. 207.

[2] " Mahomet ne sut jamais résister aux séductions de la politique"; plus il " avancera dans sa carrière agitée, plus la politique et les préoccupations terrestres s'imposeront à lui, au point de l'envahir totalement. " (**Lammens**, *l. c.*, p. 158-162).

[3] Mahomet jamais " ne se sentit le courage de se replier sur lui-même, pour y démêler les mobiles de sa conduite aventureuse. Il préféra se laisser bercer à la musique des clausules rassurantes, terminant par centaines les versets coraniques : Allah pardonne, il est indulgent, miséricordieux pour ses serviteurs... Dans ces formules optimistes tient toute sa psychologie privée, tout le directoire de sa conscience. L'apoplectique prophète... se trouvait hors d'état de voir plus loin, l'abus des plaisirs ayant brisé tous les ressorts de son énergie ". (**Ib.**, p. 164-165).

[4] Secundum **Goldziher** fides islamica tantum *occasionem* præbuit propagationi arabicæ : " La foi nouvelle fut la bienvenue comme prétexte à ce mouvement que favorisait la nécessité économique " (p. 113). " Ce n'était certainement pas ce dernier élément (religieux) qui donnait leur caractère véritable aux dispositions des masses conquérantes " (p. 114).

verat [1]; alii, semitici generis, jam in fide sua instabiles propter dogmaticas disputationes et gubernii byzantini persecutiones, Arabes exspectabant tanquam liberatores a *jugo Romanorum*, ut aiebant. Islamismo igitur obstare neque poterant, neque valebant [2].

(**C**) *Sollerti consociatione variorum elementorum* quæ simul Judæis, hæreticis, christianis et Arabibus placebant, horum sibi conciliabat assensum. (**a**) *Dogma* enim simplicissimum unitatis divinæ, sine mysteriis, rationem non humiliat, simulque nobilibus humanæ mentis propensionibus alimentum præbet. (**b**) Aliunde *ethica* passionibus non adversatur, sed potius eis favet, dum quædam bona opera proponit, quæ conscientiam pacant; jejunium quidem austerum præcipitur per mensem *rhamadan;* sed, statim ac sol occubuit, omnibus voluptatibus indulgere licet. Paradisus sensualis, iis omnibus promissus qui in bello sancto occiduntur, non paucos attraxit præsertim ex iis populis qui bello delectantur [3].

(**D**) *Vi armorum* Mahumetani multos etiam invitos novæ religioni subdiderunt [4]; christianos episcopos et presbyteros trucidabant; mortem aut onerosa tributa minitabantur eis qui Mahumetismum non amplecterentur, multa vero bona iis

---

[1] E. g., quoad populos sinaïticos, vide **Pargoire,** *L'Eglise byzantine de 527 à 847*, 2e éd., Paris, 1905, p. 149-156; quoad populos Africæ christianæ, cf. **Duchesne***, *Hist. anc. de l'Eglise*, I, p. 393.

[2] Cf. **Pargoire**, l. c., p. 144-149. Quod sequenti facto confirmatur : Islamismus, in locis ubi ecclesias firmiter stabilitas, gubernio byzantino addictas, invenit, fere frustra laboravit.

" [3] Mahumetismus equidem spiritus malefici præcipuum opus censeri debet. Ipse modo *altioribus* aspirationibus, modo *vilioribus* nostræ naturæ instinctibus satisfacit; atque ita hominem in omnibus potentiis suis obstrictum tenet. Fide in Deum unum, vitæ futuræ præmiis et pœnis, oratione et religiosa contemplatione, ardentissima sæpe et perexaltata, huic nostræ naturæ aspirationi satisfacit qua ad nostrum auctorem, uti vitæ superioris fontem, tendimus; præceptorum facilitate, plena ac effusa sensuum libertate, lege belli sancti, quod promovet oppressionem, depopulationem, excidium sine pietate, et præcise ordinatum omnium qui Islam non amplectuntur, Mahumetismus sectatores suos vinculis quæ, *humane* loquendo, frangi nequeunt, adstringit. Si dissolvitur, id ipsius principiis ejus, *fatalismo* et corruptioni tribui debet, quæ ubique incurabilem *pigritiam, dissolutionem mortemque* generant. Quod efficaciter orientale exprimit proverbium : *Unius ex Turcis umbra centum annis sterilem reddit campum qua ipse transiit*". (**Card. Lavigerie,** *Lettre sur les Missions de Tunisie*, Annales de la Propagation de la Foi, Mai 1885).

[4] Cf. **Pargoire,** *l. c.*, p. 156, 277-279.

qui converterentur promittebant; hinc populus, pastoribus orbatus et timore perculsus, ad Islamismum transibat; neoconversi iisdem mediis utebantur ad alios convertendos, et ita humano modo late diffusa est nova religio. Aliunde sub pœna mortis apostasia a mahumetismo vetabatur.

Nil ergo supernaturale in propagatione islamismi invenitur, cum media adhibita hanc sufficienter explicent [1].

539. III. Doctrinæ excellentia et fecunditas. Mahumetismus, qui cultum Dei *unius* et *remuneratoris*, necnon animæ *spiritualitatem* et *immortalitatem* propugnat, Budhismo sane anteponi debet. Attamen, in sua *doctrina* et *propagatione*, aut in suis *fructibus*, divinæ revelationis notas præ se non fert.

1° Si spectatur Mahumetis *doctrina*, nullam novam veritatem mundo attulit, sed quæcumque vera docuit, a Judæis aut Christianis mutuatus est. — Aliunde ejus religio tanquam complementum Judaismi aut Christianismi haberi nequit.

Contendebat quidem Mahumes religionem suam divinam esse, quia nihil aliud est nisi instauratio monotheismi Abrahæ. Sed inter Abraham et Neo-Prophetam duo facta evenerunt, Judaismi et Christianismi institutio : Judæi venturum Messiam adhuc exspectant, Christiani Messiam, quem jam venisse credunt, adorant. Jamvero Mahumes non poterat dicere se esse Messiam seu Messiæ præcursorem, quia Arabes Judaismum accipere nolebant; confessus est igitur Christum verum fuisse Messiam, sed ejus doctrinam adulteratam fuisse, ut ex divisione christianarum sectarum constabat, sibique demandatam esse curam, utpote Prophetarum maximo, hanc doctrinam ab erroribus purgandi et definitivam instituendi religionem.

Nemo autem non videt quam debile sit hujusmodi fundamentum. Si enim Mahumetismus sit Christianismi instauratio et continuatio, ejus saltem essentia servari debet. Porro essentia christiani dogmatis est mysterium Trinitatis et Incarnationis, quod Mahumes prorsus negat; iterum Christianismus unitatem et sanctitatem matrimonii promo-

[1] Recte **Pascal** scripsit (*Pensées*, Ed. Brunsvicg, n. 599) : "... Si Mahomet a pris la voie de réussir humainement, Jésus-Christ a pris celle de périr humainement; et... au lieu de conclure que, puisque Mahomet a réussi, Jésus-Christ a bien pu réussir, il faut dire que, puisque Mahomet a réussi, Jésus-Christ devait périr". Cf. **S. Thomas**, *Cont. Gent.*, I, 6.

vet, servitutemque gradatim abolevit, dum Islamismus polygamiam, divortia ac servitutem tuetur; insuper Jesus vult suam religionem prædicatione et persuasione propagari, dum Mahumes gladio utitur. Si igitur Christus vere messias est, Mahumes ipse nihil aliud est nisi impostor, cum verum vero opponi nequeat.

2° Cum autem ex *fructibus* cognoscatur arbor, effectus hujus religionis breviter expendamus. Non negamus quidem nonnullos fructus bonos ei ascribi posse, præsertim *monotheismi progationem* inter populos plus minusve barbaros, ideoque quemdam progressum non solum in scientiis et artibus, sed etiam in philosophia, præsertim arabica versione ac interpretatione Aristotelis operum : nec mirum, cum fides in Deum unum optimos effectus producere nata sit. Sed mahumetana civilitas non diu perduravit, quippe quæ in se corruptionis semina multa haberet. Revera (**a**) *individuorum profectui valde nocuit*, omnem religiosam discussionem, proindeque theologiæ legitimum progressum prohibendo, voluntatem fatalismi doctrina dejiciendo et voluptate enervando; (**b**) *familiarum* vincula dissolvit; polygamia enim et divortium paulatim verum amorem exstinguunt, uxores ad servorum conditionem reducunt, pacem turbant filiorumque bonæ educationi obstant; (**c**) *societatis fundamenta evertit;* fatalismus enim cito pigritiam fovet et industriæ progressum sistit; insuper, corruptis familiis, jam tota societas dissolvitur; servorum emptio et venditio necnon christiani nominis odium multorum occisionem inducunt; utriusque potestatis, spiritualis et temporalis, in eodem principe consociatio incurabili tyrannidi favet, omnemque libertatem paulatim tollit. Hinc factum est ut Turcarum imperium, quod per pauca sæcula ita floruit, ut christianas nationes etiam unitas debellare potuerit, mox proprio corruptionis pondere a pristina gloria defecerit, vixque hodie propriis viribus subsistere possit, dum ex adverso Christianismus, licet Mahumetismo antiquior, quotidie nova juventute reflorescit, novosque fructus tum naturales tum supernaturales affert.

540. Conclusio capitis. Merito igitur concludere valemus Mahumetismum, sicut Budhismum, nonnisi *veritatis*

fragmenta in se continere, quæ tum ex naturali ratione, tum ex primæva revelatione deprompta sint; utrumque autem systema perniciosis scatere erroribus, ex quibus non solum falsum sed et inhabile factum sit ad genus humanum a suo misero statu vere redimendum; plenam autem veritatem, ab omni errore immunem, in *sola religione Christi* inveniri, quæ sola tum privatos homines tum societates sanare potest, ut jam supra ostendimus, n. 483-493.

Et ita jam constat christianismum esse omnino *transcendentem*. Ex quo inferre licet *valde probabiliter* eum esse *divinum*, cum sine *speciali Providentiæ interventu* hæc *transcendentia* explicari nequeat. Hæc autem conclusio *certa* evadit quando accedit argumentum *historicum* superius evolutum, ex quo nempe colligitur Christi testimonium de ipsius divina missione, sanctitate et variis miraculis firmatum, esse omnino fide dignum.

Conclusio totius tractatus.

541. Ex tot tantisque argumentis invincibiliter sequitur *Jesum Christum esse verum Messiam*, i. e., legatum a Deo missum ut nos veram et ultimam doceret Religionem revelatam. Hunc *prophetæ* annuntiaverant; *doctrina* quam ipse prædicavit tam *excellens* et transcendens apparet ut merito divinæ revelationi tribuatur; ejus *virtutes* vires humanas omnino superant; *miracula* quæ patravit, *vaticinia* quæ edidit et adamussim impleta sunt, certo divinum interventum demonstrant; ejus a *mortuis resurrectio* tam luculenter ejus divinam missionem evincit ut rationalistæ sæpe privatim fateantur efficaciam hujus argumenti elidi non posse; *mira* autem *propagatio ejus religionis* divinum interventum denotat; præsertim si inspiciuntur simul *morum instauratio* necnon *martyrum constantia*; tandem *comparatio cum aliis religionibus* ita transcendentiam christianismi exhibet ut hic tanquam divinus agnosci debeat. *Ex omni igitur argumentorum genere* et *cumulativa evidentia* apparet Christum vere divinum esse legatum. Eum ergo ut talem agnoscere debemus, ejusque doctrinam ut vere a Deo revelatam profiteri et amplecti. Qui talem agendi rationem voluntarie respuit, contra veritatem peccat, salvusque esse non potest.

Imprimé par la Société S. Jean l'Évangéliste, Desclée et Cie. — Tournai (Belgique).

TRACTATUS III

DE ECCLESIA CHRISTI[1]

Ecclesiæ notio[2].

542. (A) Quoad nomen. Ecclesia a græca voce ἐκκλησία (ἐκκαλέω, evoco) : (a) Apud profanos auctores designabat sive cœtum populi alicujus civitatis, a magistratibus convocati; sive locum ubi hic cœtus congregabatur.

---

[1] Generaliter auctores omnia ad Ecclesiam pertinentia in unico comprehendunt tractatu *de Ecclesia*, in quo tamen duas distinguunt partes : priorem *apologeticam*, *de vera Christi Ecclesia* in qua demonstrant *Ecclesiam Catholicam* esse vere Ecclesiam *a Christo institutam;* posteriorem, *theologicam*, *de constitutione Ecclesiæ Catholicæ*, qualis nunc existit, ubi exponunt varia munera Ecclesiæ ministrorum et membrorum. (Cf. supra. n. 11). — Hic solummodo de priore parte agimus, ulterius in speciali tr. *de Ecclesiæ constitutione* acturi.

Tractatus de Ecclesia vix ante sæc. XVIII forma scientifica completus, per partes jam a tempore Patrum inchoatus fuerat. Per multa sæcula quæstio non fuit *num esset*, sed *ubinam* esset Ecclesia; quam Patres solvebant *notas* determinando *externas*, quæ ex ejus *interna constitutione* fluebant. Ita *S. Ignatius* hierarchicam constitutionem describit, *S. Irenæus* unitatis centrum, *S. Cyprianus* universalis Ecclesiæ unitatem, *S. Augustinus* catholicitatem et sanctitatem, *S. Vincentius Lirin.* legem progressus. In *Medio Ævo* Ecclesiæ constitutio *factis* magis quam *theoriis* manifestatur. Quædam tamen prodeunt opera tum circa schisma Græcorum tum circa sacerdotii et imperii dissensiones; præterea sæc. XIV et XV, Ecclesiæ independentia et in rebus religiosis suprema potestas contra incipientem Gallicanismum vindicantur. A tempore autem *Reformationis*, contra Protestantes auctoritatem Supremæ Auctoritatis, immo Episcoporum a Presbyteris distinctionem, ipsiusque Ecclesiæ sub forma societatis institutionem negantes, necesse fuit Ecclesiæ institutionem, naturam et proprietates vel notas apprime describere, ut exinde vera detegi posset Ecclesia; et contra Jansenitas et Gallicanos, potestatis ecclesiasticæ exercitium nimis coarctantes, Supremæ et Infallibilis Rom. Pontificis auctoritatis objectum et exercitium determinare; et sic paulatim præcipua *Tr. de Ecclesia* lineamenta descripta sunt. Quod egregie exponit **L. Brugère**, *De Ecclesia Christi*, Præfatio, Parisiis, 1878.

[2] **Catech. Concilii Tridentini**, I[a] Pars, c. IX; **Bellarminus**, *Controv.* de Concil. et Ecclesia, l. III, de Eccl. militante, c. 1-2; **S. François de Sales**, *Les Controverses*, I[re] Partic, ch. 2, t. I, p. 40-83, édition Annecy, 1892; **Passaglia**, *De Ecclesia Christi*, l. I, c. 1 sq.; **Franzelin**, *Theses de Ecclesia Christi*, th. I; **Mazzella**, *De Relig. et Ecclesia*, n. 393 sq.; **De Groot**, *Summa apolog.*, q. II, a. 1; **Morris***, *Ecclesiology*, p. 13 sq.; **Jacob***, *Ecclesiastical Polity*, p. 7 sq.; **Wilmers**, n. 9 sq.

(b) *In versione græca Veteris Testamenti*, vox Ecclesia significat sive *generaliter* actum congregandi, aut cœtum congregatum qualemcumque [1], aut locum in quo cœtus adunatur; sive *specialiter* cœtum aut convocationem populi Israël (hebraïce : *kahal*). [2]

(c) *In documentis Novi Testamenti*, plerumque saltem, designat *cœtum fidelium qui Christo fidem dederunt :* quandoque fideles *actu* coadunatos [3], aut eos qui *solent* simul convenire [4]; aliquando *omnes fideles in eadem civitate* commorantes [5], aut varias christianas communitates ejusdem regionis [6]; tandem *universalem fidelium societatem* per totum orbem terrarum dispersorum, quatenus hi unicum corpus efficiunt, et a Deo vel a Christo in unum vocati sunt [7]. — Sub alio respectu, hoc nomen designat tum Ecclesiam *discentem*, seu plebem fidelium : "Vos Spiritus S. posuit episcopos *regere Ecclesiam* Dei" [8], id est fideles; tum Ecclesiam *docentem*, seu cœtum pastorum qui fidelibus præsunt : "Quod si non audierit, dic *Ecclesiæ;* si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus" [9]; alias autem *totum et integrum cœtum ex pastoribus et fidelibus* coalescentem : "Christus dilexit *Ecclesiam* et seipsum tradidit pro ea" [10]; ex contextu igitur determinandum est quo sensu illa vox usurpetur.

543. (B) Quoad rem, *theologi catholici* communiter, post *B. Bellarminum* [11], hanc definitionem tradunt : Ecclesia est cœtus hominum viatorum ejusdem fidei christianæ professione, et eorumdem sacramentorum participatione adunatus, sub regimine legitimorum pastorum ac præcipue Romani Pontificis.

---

[1] "Odivi *ecclesiam malignantium*" (*Ps.* 25, 5); "Etenim veritatem tuam in *ecclesia* sanctorum (*Ps.* 88, 6). Cœtum etiam *profanum* significat, cf. : "Alii autem aliud clamabant. Erat enim *ecclesia* confusa... Si quid autem alterius rei quæritis, in legitima *ecclesia* poterit absolvi". *Act.*, XIX, 32, 39.

[2] *Deut.*, XXIII, 2; XXXI, 30; *Jud.*, XX, 2; I *Reg.*, XVII, 47; III *Reg.*, VIII, 14.

[3] "Si ergo conveniat universa ecclesia in unum..." (I *Cor.*, XIV, 23; cfr. XVI, 4, 19, 34, 35.)

[4] "Salutate Priscam et Aquilam... et domesticam ecclesiam eorum" (*Rom.*, XIV, 3-5.)

[5] "Paulus Apostolus... Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi..." (II *Cor.*, I, 1.)

[6] "Paulus Apostolus... Ecclesiis Galatiæ" (*Gal.*, I, 1-2; cfr. I *Cor.*, XVI, 1; II *Cor.*, VIII, 2.)

[7] *Mat.*, XVI, 18; *Act.*, XX, 28. Cf. **Deissmann**, *Licht von Osten*, 1909, p. 79-80; **Zorell**, *Novi Testamenti lexicum græcum*, Parisiis, 1911, ad vocem : ἐκκλησία.

[8] *Act.*, XX, 28; cf. *Act.*, XV, 4, 22.

[9] *Matth.*, XVIII, 17. — [10] *Ephes.*, V, 25. — [11] *L. c.*, C. II.

Scopus et divisio tractatus.

544. 1° **Scopus.** Opus quod apologetæ competit, est argumentis *rationalibus* et præsertim *historicis* demonstrare Christum Ecclesiæ catholicæ, illique soli, commisisse Revelationem definitivam, quam humano generi attulit, proponendam et authentice interpretandam.

2° **Divisio tractatus.** Præmissis paucis de diversis christianis Ecclesiis, triplici argumentorum genere hanc generalem thesim demonstrabimus.

1° Ad viam parandam historicæ demonstrationi, quæ *in se* efficacissima est, *a priori* expendemus utrum necne, posito revelationis facto, *exspectanda sit institutio alicujus magisterii vivi et infallibilis*, quo tuto servari possit revelatio christiana. 2° *Historice* probabimus reapse *Christum instituisse societatem* seu *Ecclesiam*, et in ea *magisterium vivum et infallibile* constituisse, scilicet *collegium apostolorum, a Supremo Pontifice dependens.* 3° *Institutionem divinam Ecclesiæ catholicæ notis hujus Ecclesiæ confirmabimus. Conclusio totius Apologeticæ* erit illa propositio : *Extra Ecclesiam nulla est salus.*

545. De natura argumentorum quæ adhibebuntur. 1° Utemur imprimis *librorum Novi Testamenti testimonio* quorum supra (n. 289-298) valorem historicum vindicavimus; potissimum verbis et factis ipsius Christi, cujus missionem divinam probavimus; apostolorum quoque testimonio, quia Christi auditores fuerunt. Animadvertimus argumenta biblica specialem auctoritatem præ se ferre erga acatholicos qui sacrorum librorum inspirationem libenter agnoscunt.

546. Notandum est *minime quærendam esse in Scriptura scientificam et completam Ecclesiæ delineationem.* Ecclesia sicut bonum semen paulatim crevit et facta est arbor magna cujus rami totam obumbrant terram. Necessarium non est ut tempore Christi et Apostolorum omnia apparuerint organa, dummodo quæ essentialia sunt a Christo explicite designata fuerint.

547. 2° Ad *traditiones apostolicas* secundo loco appellabimus. Nam non omnia quæ dixit et fecit Jesus in libris sacris scripta sunt [1], et Apostoli non solum ad scripta, sed etiam ad ea quæ ore tradiderant sæpe appellant [2]. Sunt ergo, præter Scripturas, traditiones orales quas ab ore Domini Apostoli susceperunt et tenacissime custodierunt. Utemur etiam et *Apostolorum factis*, quæ concrete et clare ostendunt quomodo prædicationem et opus Christi intellexerint.

Argumenti causa, his traditionibus prout humanis utemur. Attamen pro his qui divinam Providentiam admittunt, specialem vim præ se ferunt; difficile enim concipi posset revelationem divinitus factam jam ab initio universim perverse intellectam fuisse.

548. 3° *Ratione naturali utemur*, in quantum nobis manifestare valet quæ aptiora sunt ad consequendum finem a Deo intentum in custodienda Revelatione a Christo allata et in instituenda societate ecclesiastica. Argumenta autem hujusmodi non sunt *ex se* apodictica, sed viam parant demonstrationi aut eam complent.

[1] *Joan.*, XXI, 25.
[2] II *Thess.*, II, 14; II *Tim.*, I, 13; cf. *De fontibus theologicis*.

PRÆNOTANDA : De diversis Ecclesiis christianis.

Divina institutio Ecclesiæ catholicæ

- C. I. *Ratione* suadetur
  - Ex necessitate auctoritatis a conscientia distinctæ.
  - Ex necessitate magisterii vivi et infallibilis.
- C. II. *Historice* probatur
  - I. Christus instituit Ecclesiam ut *societatem.*
  - II. Christus instituit eam ut *societatem hierarchicam :*
    - 1° Instituendo collegium apostolicum cum auctoritate homines docendi, regendi et sanctificandi.
    - 2° Eamdem potestatem episcopis, apostolorum successoribus, conferendo.
    - 3° Infallibilitatem apostolis et episcopis impertiendo.
  - III. Christus Ecclesiam ut *societatem monarchicam* instituit :
    - 1° Petro primatum conferendo ;
    - 2° Et Romanis pontificibus, Petri successoribus ;
    - 3° Infallibilitatem Petro et ejus successoribus largiendo.
  - Conclusio : Sola Romana Ecclesia est vera Ecclesia Christi.
- C. III. *Notis* externis confirmatur
  - I. Unitate et invicta stabilitate Ecclesiæ catholicæ.
  - II. Ejus eximia sanctitate et inexhausta fecunditate.
  - Scholia
    - De argumento ex conversionibus.
    - De argumento ex hodiernis miraculis.
- Conclusio generalis:
  - Extra Ecclesiam nulla datur salus.

PRÆNOTANDA.

DE VARIIS CHRISTIANIS ECCLESIIS[1]

549. Status quæstionis. Non solum Ecclesia catholica cujus vindicamus doctrinam, sed et aliæ Ecclesiæ, a Roma separatæ, titulum veræ Ecclesiæ Christi sibi vindicant. Quo lucidius ergo detegatur quænam sit vera Ecclesia a Christo instituta, pauca præmittemus de origine, necnon de doctrina ecclesiastica diversorum cœtuum christianorum.

550. Jamvero inter Ecclesias separatas aliquæ minoris sunt momenti et ex hæresi ortæ : quarum brevissima mentio sufficiet.

(a) Inter *Orientales* sectas recensentur :

1) *Nestoriani*, qui efformant ecclesiam *chaldaïcam* in Mesopotamia, suumque patriarcham habent, qui 110.000 fidelibus circiter præest; quibus accedunt 70.000 alii in India degentes.

2) *Eutychiani*, seu Monophysitæ, qui plures efformant ecclesias : ecclesiam *Jacobitam* in Syria, qui agnoscit patriarcham titulo antiochenum, 80.000 fidelibus circiter imperantem[2]; ecclesiam *copticam* in Ægypto et Ethiopia, quæ obedit patriarchæ alexandrino et metropolitano Abyssiniæ, et circa 3.500.000 fideles annumerat[3]; ecclesiam *armenam*, quæ pariter suos habet patriarchas et 3.000.000 fidelium computat[4].

551. (b) Et inter *Occidentales :*

Jansenistæ (9.000) in Hollandia; *Parvæ Ecclesiæ* fideles (2.000) qui, præcipue in diœcesi Pictaviensi, concordatui a *Pio VII* con-

---

[1] **D'Herbigny,** II, th. XVII; **Hugueny,** *Critique et catholique*, I, ch. VIII; Cf. **Brunhes,** *Christianisme et catholicisme*, 1re partie.

[2] **S. Vailhé,** in *D. T. C.*, I, col. 1425-1430.

[3] **Guidi,** *in Dict. d'hist.*, I, col. 210-227.

[4] **L. Petit,** in *D. T. C.*, I, col. 1887-1968. De hodierno statu harum Ecclesiarum, vide **R. Janin,** *Les Eglises orientales et les rites orientaux*, Paris, 1922; **Id.,** *Coup d'œil sur les Eglises orientales*, in *Union des Eglises*, juin 1922. Ex variis illis sectis nonnulli ad unitatem Ecclesiæ redierunt, Romanoque pontifici subduntur; ita Armeni uniti (130.000), Chaldæi uniti (80.000), Syri (25.000) et Syro-Malabari uniti (500.000), Coptæ uniti (20.000). Quibus accedunt 24.000 Abyssini uniti, hierarchiæ latinæ subditi, et 300.000 Maronitæ ex Libano, qui saltem a XIIo sæculo nunquam Ecclesiam catholicam deseruerunt.

cesso restiterunt; *Veteres Catholici*, qui post concilium Vaticanum a Sede Romana recesserunt, præsertim in Germania, Helvetia vel aliquantulum in Gallia (vix 40.000); *Mariavitæ* in Polonia (ante bellum, circiter 20.000)[1]; *Ecclesiæ schismaticæ tcheco-slovaca* et *iougo-slava*, quæ post elapsum bellum Sanctæ Sedis auctoritatem rejecerunt (plus quam 500.000)[2].

Duæ autem manent societates *acatholicæ*, de quibus paulo fusius dicendum est : ecclesiæ *orientales schismaticæ*, et *Protestantium* diversæ ecclesiæ seu sectæ.

I. De ecclesiis orientalibus schismaticis[3].

Earum *originem*, *hodiernum statum* et *doctrinam de Ecclesia* delineabimus.

551. 1° **Historicus conspectus.** Schisma, quod ab anno 1054 usque nunc, sine fere intermissione, ecclesiam orientalem a romana ecclesia separat, non uni homini vel sæculo tribui debet, sed multis causis per longum tempus influentibus.

552. (A) **Causæ** præcipuæ sic contrahi possunt : (a) Jam a secundo, sed præsertim a quarto sæculo, in Ecclesia apparent varii modi concipiendi vinculum quo præcipuæ sedes episcopales cum Romana Sede connectuntur. Dum, in *Occidente*, omnes ecclesiæ sedi *Romanæ* adhærent, in Oriente constituuntur quatuor *patriarchatus*, scilicet Antiochenus, Alexandrinus, Constantinopolitanus et Hierosolymitanus. Quæ quidem partitiones cum unitate componi potuissent (sicut et hodie in Ecclesiis orientalibus

[1] Cf. **d'Herbigny**, p. 11-13, 326-327.

[2] Cf. *Etudes*, 20 janv. 1923, p. 227. In Bohemia, 437.777 fideles nunc ecclesiæ schismaticæ adhærent.

[3] De historia, symbolis et theologia orientalium ecclesiarum, cfr. **Assemani**, *Bibliotheca Orientalis*, Romæ, 1719-1728; **E. Renaudot**, Liturgiarum orientalium collectio, Parisiis, 1716; **Kimmel** et **Weissenborn***, *Monumenta fidei ecclesiæ orientalis*; **J. Mason Neale**, *, *History of the Holy Eastern Church*; **P. Schaff***, *Creeds of Christendom*, vol. I, p. 43 sq., vol. II, pp. 45 sq., 275 sq.; **Gagarin**, *Le clergé russe*, Paris, 1871; **Macaire***, *Theologie dogmatique orthodoxe*, Paris, 1859-60; **Pitzipios**, *L'Eglise Orientale*, Rome, 1855; **Pisani**, *A travers l'Orient*, 1896; **L. Duchesne**, *Eglises séparées*, Paris, 1896; **P. J. Pargoire**, *L'Eglise Byzantine*, de 527 à 847, Paris, 1905; **S. Vailhé**, *Eglise de Constantinople* in **D. T. C.**, t. III, 1300-1519, **J. Bousquet**, *L'Unite de l'Eglise et le Schisme grec*, 1913; *Les divers schismes d'Orient*, ap. **Bricout**, *op. cit.*, t. II, p. 313-375; **A. Palmieri**, *Theologia dogmatica orthodoxa*; **Quénet**, *L'unité de l'Eglise*, Paris, 1923; **Tournebize**, *L'église grecque orthodoxe et l'union* (*Science et religion*, n° 118-129); **P. Jugie**, art. *Grecque (Eglise)* in *D. A.*; **d'Herbigny**, passim; **Hugueny**, *l. c.* Multa invenies in periodicis, e. g., *Etudes*; *Questions d'Orient*; *L'union des Eglises*, etc.

unitis); sed reapse schismati viam parabant, quia patriarchæ magis ac magis independentes a sede Romana esse optabant.

(b) *Doctrinales dissensiones* a IV sæculo ad IX sæculum fere sine intermissione ecclesiam orientalem invaserunt. Non solum aliquæ ecclesiæ locales[1] ab unitate discesserunt, sed sæpe sæpius ecclesiæ orientales vel totaliter vel per partes ab ecclesia romana separatæ sunt, ita ut per dimidium fere temporis in schismate manerent[2].

(c) Imperatorum in res ecclesiasticas interventus, a Constantino Magno et deinceps, episcopatum imperii orientalis paulisper in unum collegium redegit, a Roma magis ac magis separatum, ad nutum autem Cæsaris obediens.

(d) Caput hujus collegii fuit patriarcha urbis imperialis. *Ambitio episcoporum Constantinopolitanorum* forsan maxima causa schismatis fuit. Dum enim solium suum ad instar sedis romanæ erigebant, magis ac magis ecclesiam orientalem ecclesiæ occidentali opponebant, donec tandem separatio definitive consummaretur.

553. (B) **Diversa momenta** hujus separationis respondent schismatibus successivis inter Orientem et Occidentem, et tentaminibus quibus patriarcha *C. P.* dignitatem capitis ecclesiæ orientalis sibi acquirere conatus est.

(a) *Arianismo* exorto, sæpissime Orientales, imperatori faventes, a S. Athanasio et ab ecclesia occidentali secedunt. Anno 381, *concilium Constantinopolitanum I* decrevit : "*C. P.* sedis episcopus habeat honoris primatum post Rom. Pontificem, eo quod ipsa sit nova Roma". In *Concilio Chalcedonensi*, anno 451, per canonem 28 vindicantur a fractione episcopatus pro sede C. P privilegia honoris æqualia iis quibus Roma fruitur, ita ut sit secunda post illam, et jus exclusivum habeat ordinandi metropolitas in Thracia, Asia et Ponto. Hi canones a Rom. pontificibus approbati nunquam fuerunt. An. 484, *Acacius*, Zenonis imperatoris patrocinio fultus, Rom. Pontifici Felici III pertinaciter restitit, et schisma introduxit quod 35 fere annos perduravit, usquedum videlicet *Hormisdæ* formulam 2500 episcopi Orientales subscripserint, in qua primatus Rom. Pontificis agnoscebatur (519). Anno 588, patriarcha *C. P.*, *Joannes IV*, titulum *Patriarchæ œcumenici* usurpavit. In conc. Trullano orientali, an. 691, sedi cons-

[1] Sic Nestoriani et monophysitæ, de quibus supra n. 550.

[2] **Duchesne**, *l. c.*, p. 164-165, ab anno 323 ad annum 787 computat 203 annos in schismate peractos; **M. Jugie**, *l. c.*, col. 353-354, ab anno 337 ad annum 843 numerat 248 annos schismati deditos, et, ex 60 patriarchis, 27 hæresi plus minusve faventes!

tantinopolitanæ jurisdictio in totum Orientem confertur; concilium ipsum, quamquam ex orientalibus unice constans, etiam pro Occidente leges ferre attentat.

(b) Præcipuus autem schismatis fautor fuit *Photius* (an. 857), qui sedem C. P. adhuc laicus invasit, et a Rom. Pontificibus depositus, ecclesias orientales ab eorum communione avellere conatus est. — Paulo post quidem schisma de novo fuit extinctum, sed a *Sergio*, an. 1034, renovatum, et a *Michaele Cærulario*, an. 1054, consummatum. — Concordia quidem de novo inita fuit, an. 1274, in Conc. *Lugdunensi* et an. 1439, in *Florentino*, sed per breve tempus; paulo post enim, civitate et Imperio Cp. per Turcas occupatis, Græci fere omnes ad schisma redierunt.

(c) A XV° sæculo usque nunc, ecclesia *orthodoxa* [1] in plures ecclesias *autonomas* constituta est, quoties nationes suam libertatem civilem obtinebant : sic patriarcha Cptanus qui toti Ecclesiæ orientali imperare cupiebat, in minimam partem orientalium exercet auctoritatem.

554. 2° **Hodiernus status.** Orientales ecclesiæ schismaticæ omnes ritu byzantino utuntur, sed non eadem lingua; aliunde inter diversas nationes dividuntur. Secundum *linguam liturgicam* quam adhibent, et *nationes* ad quas pertinent, sic dividi possunt :

(**A**) *Græci*, græcam linguam loquentes, constituunt :

1) patriarchatum *Constantinopolitanum* [2] (1.500.000);

2) ecclesiam *hellenicam*, a sancta synodo rectam (9.600.000 ante bellum);

3) archidiœcesim insulæ *Cypri* (180.000).

Per totum orbem insuper 200.000 Græci disperguntur.

(**B**) *Melkitæ*, græca et arabica lingua utentes, includunt :

1) patriarchatum *antiochenum* (260.000);

2) patriarchatum *hierosolymitanum* (aliquot millia fidelium) [3];

3) patriarchatum *alexandrinum* (aliquot centenos græcos) [4];

4) archidiœcesim *montis Sinaï* (60 monachos).

---

[1] Ecclesia orientalis jam a sæc. IX° *orthodoxa* vocatur, postquam Iconoclastarum hæresim devicerat.

[2] Durante bello inter Græciam et gubernium Ancyranum (*Angora*) archiepiscopus *Cæsareensis* (in Cappadocia) patriarchalem titulum assumere conatus est, pro orthodoxis in Anatolia degentibus. (Cf. *Nouvelles religieuses*, 1er mars et 15 avril 1922).

[3] Sic **d'Herbigny**, Econtra **R. Janin**, *Coup d'œil.*,... p. 27 loquitur de 45.000 fidelibus.

[4] **d'Herbigny**, Secundum **R. Janin**, *Coup d'œil.*,... 100.000.

(C) *Slavi* diversis slavicis linguis utuntur et dividuntur in :

1) ecclesiam *yougoslavam* (4.300.000 circ.), rectam a patriarcha tituli Ipek, sed in urbe Carlovitz residente;

2) ecclesiam *bulgaram*, ab exarcha rectam (4.500.000)[1];

3) patriarchatum *moscoviensem* (75.000.000)[2]. Insuper in Russia 20.000.000 ad diversa schismata aut ad varias sectas pertinent;

4) ecclesiam esthonicam (paucis millibus fidelium consistentem).

(D) *Rumæni*, lingua rumæna cultum celebrantes, unam constituunt Ecclesiam rumænam (5.500.000), quæ hodie sibi adjunxit :

1) metropolim Bukovinæ (585.000);

2) ecclesiam transsylvanam (1.700.000);

3) metropolim bessarabicam (1.800.000).

(E) *Georgiani* catholicatum Georgiæ (2.500.000) constituunt.

Sic Ecclesia orthodoxa circa 100-120 milliones fidelium computat[3].

555. 3° **Doctrina ecclesiæ orthodoxæ de Ecclesia.** Græci docent Ecclesiam visibilem fuisse a Christo institutam, et constare ex diversis Ecclesiis autocephalis[4], sub invisibili potestate Jesu Christi.

Christus potestatem suam corpori episcoporum reliquit. Contendunt vero orthodoxi *primatum Romani Pontificis non esse juris divini*, sed juris ecclesiastici, ob urbis Romæ dignitatem Romanis Pontificibus primitus concessum, posteaque primatum archiepiscopis Constantinopolitanis merito translatum fuisse, saltem quoad Orientales Ecclesias. Juxta eos igitur, Ecclesia non est societas monarchica, sed potius *aristocratica*, collegio Episcoporum regenda, et infallibilitate

[1] **d'Herbigny**, **R. Janin**, *l. c.*, recensent 3.800.000 (forsan, post bellum).

[2] Ita **d'Herbigny**; alii recensent 80-118 milliones fidelium. Recenter novum schisma ortum est, *ecclesia sovietica* seu *ecclesia vivens*. Cf. **d'Herbigny**, *La tyrannie soviétique et le malheur russe*, Paris, 1923.

[3] Numeri valde inter se differunt secundum varios auctores; juxta **d'Herbigny**, 100 milliones; **Tournebize**, 106; **Bousquet**, 112; **Janin**, 146,908,000. Ex diversis nationibus quæ ad Ecclesiam orthodoxam pertinent, sat multi ad unitatem Ecclesiæ redierunt, ritum tamen orientalem servantes (circa 6.500.000, præsertim in Ruthenia : 4.500.000, et in Transsylvania : 1.200.000).

[4] *Autocephalæ* vocantur diversæ ecclesiæ nationales, quarum quæque suum caput habet, i. e., primatum agnoscit principalis episcopi regni in quo viget. Hæc hierarchia nationalis instituta est a " canone apostolico " 34. (**K.**, 697. " Canones apostolici " vocantur canones sæc. IV° vel V° in Syria orti et a concilio *Trullano* recogniti. **K.**, 1089).

gaudet. Hoc autem magisterium infallibile episcopis competit, sive per orbem dispersis, sive in concilio coadunatis. Græci ergo auctoritatem *œcumenicorum conciliorum* agnoscunt, sed ut œcumenica habent septem tantum priora concilia, videlicet Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, secundum et tertium Constantinopol., secundumque Nicænum, quia in his utraque Ecclesia, Occidentalis et Orientalis, convenerat, dum in ceteris, inquiunt, sola Occidentalis Ecclesia præsens fuit; unde ad infallibilia decreta condenda hodie desideratur Concilium ex Græcis Romanisque episcopis constans.

Multi admittunt fidem orthodoxam contineri in *fidei confessionibus* ab ecclesiis orthodoxis recognitis et sæculo XVII° compositis a Petro Moghila, episcopo Kiowensi, et a patriarcha hierosolymitano Dositheo [1].

Hodie non pauci, præsertim in ecclesia russica, exoptant quamdam unionem cum Ecclesia Romana, ad efficacius repellendas impiorum impugnationes, non autem per subordinationem, sed per *coordinationem*, agendo simul contra invalescentem impietatem [2].

II. De Ecclesiis protestantibus [3].

556. Sub nomine generico *Protestantium* [4] comprehenduntur circa 130 milliones christianorum, præcipue in Europa occidentali et in America septentrionali degentium, quorum religio directe vel indirecte oritur ex *Reformatione*,

[1] Cf. **Palmieri**, *Theol. dogm. orthod.*, cap. VIII. Textus invenies apud **Michalcescu***, Θησαύρος τῆς ὀρθοδοξίας, Leipzig, 1904.

[2] Cfr. **Nic. Klimenko** in **D. C.**, Jul. 1924, t. XII, col. 3-16.

[3] **Cristiani,** Art. *Réforme*, in *D. A.*; **Bossuet**, *Histoire des Variations* (anglice redditum, N. York, 1836); **Mœhler**, *Symbolik, oder Darstellung der dogmat. Gegensaetze der Katholiken und Protestanten nach ihren oeffentl. Bekentnisschriften*, 9ª ed., 1884; *gallice* et *anglice* redditum; **D. Rupp***, *An original History of the Religious denominations at present existing in the United States*, Philadelphia, 1844; **Armand de Mestral***, *Tableau de l'Eglise chrétienne au XIXe siècle*, Lausanne, 1870; **P. Schaff***, *Creeds of Christendom*, 4 th. ed., vol. I, p. 203 sq., vol. III ex integro; **M. J. Spalding**, *The History of the Protestant Reformation*, Baltimore, 1865; **W. H. Lyon***, *A Study of the Sects*, Boston, 1892; **Blunt***, *Dictionary of Heresies;* **d'Herbigny**, t. II, p. 9-11.

[4] Ita vocati a *protestatione* quam Lutherani, anno 1529, contra conventum Spirensem ediderunt.

quæ, sæc. XVI°, Ecclesiam occidentalem in duas partes divisit, unam quæ Romano Pontifici subdita mansit, alteram quæ ejus auctoritatem rejecit.

Protestantismi *conspectum historicum* ac *doctrinam de Ecclesia* breviter delineabimus.

557. 1° **Protestantismi conspectus historicus.** Inter Protestantismi *præcursores* merito recensentur *Albigenses*, qui, sæc. XI°, docuerunt Ecclesiam, jam a tempore Constantini paulatim defecisse; *Waldenses* (an. 1160), *Wiclefistæ* (an. 1375) et *Hussitæ* (an. 1408), qui declararunt Ecclesiam Romanam esse synagogam Satanæ, et Ecclesiam veram esse *invisibilem*, solis electis constantem [1].

Sed protestantismus proprie dictus sæculo XVI° exortus est.

558. (A) **Lutheranismus** [2] auctorem habuit *Lutherum* (1483-1546), qui Islebii in Saxonia natus, ordinem Augustinianorum ingressus est. Multis tentationibus impetitus, solatium quæsivit in speciali theoria quod *sola fides ad justificationem sufficiat.* Theologiæ professor factus an. 1509, contra auctoritates ecclesiasticas mox recalcitravit.

Ira enim incensus quod Albertus, Moguntinus archiepiscopus, Dominicanis præ Augustinianis munus novas indulgentias prædicandi demandasset, primum contra Indulgentiarum abusus, dein contra earum usum ac legitimitatem, necnon adversus bonorum operum et sacramentorum efficaciam ad justificationem, aliaque fidei dogmata prædicavit.

Initio quidem auctoritatem tum Pontificis tum Concilii humiliter agnovit; "Beatissime Pater, inquiebat, approba, reproba, ut placuerit, vocem tuam vocem Christi in te præsidentis et loquentis agnoscam... Contra unam, sanctam, et catholicam Ecclesiam, quam totius orbis esse magistram et obtinere primatum non ambigo, sanctæque Sedis Apostolicæ auctoritatem, ac sanctissimi Domini nostri Papæ bene consulti potestatem nihil dicere intendo".

---

[1] **D. B.**, 617-632.

[2] **Döllinger**, *Die Reformation, ihre innere Entwikelung und ihre Wirkungen im Umfange des Lutherischen Bekenntnisses*, 1846-1848; *gallice* redditum cura *Perrot*, item et *anglice*; **J. Janssen**, *Geschichte des deutschen Volkes; gallice* redditum, *L'Allemagne et la Réforme*, 1877-1902; **Schaff***, *op. cit.*, vol. I, p. 211 sq.; **A. Baudrillart**, *L'Eglise catholique, la Renaissance et le Protestantisme*, 8ª ed., Paris, 1905; **H. Denifle**, O. P., *Luther und Lutherthum*, Mainz, 1904-1906; *gallice* redditum auctore **Paquier**, *Luther et le Luthéranisme;* **L. Cristiani**, *Luther et le Luthéranisme*, Paris, 1908; **Id.**, *Luther, sa vie et sa doctrine* (Bruxelles, *Etudes religieuses*, nº 30); cf. articulos **P. Bernard** in *Etudes*, t. 153 et 154, occasione quarti reformationis centesimi anniversarii.

Damnatus vero a Pontifice (an. 1520), furore actus, eum ut Antichristum habuit, et ad Concilium generale provocavit. Paulo post, Conciliorum Patrumque auctoritatem, utpote suis doctrinis contrariam, prorsus rejecit. Cum ejus rebellio ab humanistis et plebe approbaretur, Lutherus persuasum habuit se a Deo missum esse ad christianismum reformandum [1]; remorsus autem conscientiæ, tamquam a dæmone ortos, rejecit. Aliunde oppositio quam passus est non solum Romæ, sed et apud imperatorem, occasio fuit reformandi doctrinam catholicam. Nova fides ab hæresiarcha ipso anno 1529 in duobus catechismis, anno vero 1530, a theologis lutheranis in Confessione *Augustæ Vindelicorum* conscripta est [2].

559. Sic contrahi potest doctrina lutherana : (**a**) *Scriptura sola, privato examine interpretata, Deo tamen interius mentem fidelis illuminante, est fidei regula* [3]; (**b**) *omnes fideles*, divini Spiritus lumine instructi, *sacerdotes* sunt, proindeque ordinatio ritus est non solum inutilis, sed ridiculus; nullus ergo in Ecclesia primatus, nulla hierarchia jure divino instituta, sed solum ministerium verbi [4]; (**c**) *Ecclesia non est visibilis*, sed iis omnibus constat qui in fide, spe et caritate vivunt. Attamen non semper sibi constans, urgentibus catholicis theologis, Lutherus admisit veram Ecclesiam aliquo visibili signo agnosci, nempe baptismate, cœna et Evangelii prædicatione [5]; (**d**) *Statui* aliqua auctoritas religiosa competit, scilicet fideles ad catechismum discendum cogendi et hæreticos coercendi [6]; in quibusdam regionibus, etsi non per documenta officialia, auctoritas sæcularis ut vera auctoritas spiritualis agnoscitur [7].

560. Lutheranismus non solum in Germaniam sed mox in Scandinaviam velociter diffusus est, postea etiam in diversas alias gentes. *Progressus* iste *explicari potest :*

(**a**) Persona ipsa Lutheri qui, quamvis multis addictus vitiis (superbiæ, luxuriæ, intemperantiæ, adulationi erga potentes), vir tamen erat eximio ingenio præditus, eloquentia præfulgens, pietatis sensus in canticis popularibus optime exprimens;

---

[1] **Cristiani**, *Luther et le luthéranisme*, p. 158, 165, 180, 274-275.

[2] Hæc documenta, cum symbolis apostolorum, concilii niceo-const. et S. Athanasii, cum Apologia confessionis August. (1531-1532), cum Articulis smalcaldensibus (1537), cum Formula concordiæ (1576-1577) constituunt regulam fidei lutheranorum. Cf. **Müller-Kolde***, l. c.

[3] Cf. *Form. concord.*, 1a et 2a partes, 1.

[4] Quoad primatum : *Art. Smalc.*, pars II, art. 4; quoad ministerium verbi : *conf. Aug.* art. 5; *Apol. Conf. Aug.* art. 13, nº 7-13; *art. Smalc.* De potestate et primatu papæ, n. 60-76.

[5] *Conf. Aug.* a. 7-8; *art. Smalc.*, pars III, art. 12.

[6] *Catech. minor.*, Præfatio, 1; *art. Smalc.*, De potestate et primatu papæ 54.

[7] **Cristiani**, *Luther et le Luthéranisme*, p. 259-307.

(b) Libertatis studio ubique vigente, quod jugum auctoritatis ecclesiasticæ difficillime tolerabat;

(c) Abusibus in ecclesia germanica vigentibus;

(d) Ambitione magnatorum, bona Ecclesiæ concupiscentium;

(e) Denique peccandi licentia, quam reformationis duces concedere videbantur : unde magna illa morum corruptio, quam Lutherus ipse deflebat.

561. Multæ *dissensiones inter Lutheranos*, etiam vivente eorum duce, prævaluerunt, et adhuc vigent, nonnullis ad *Pietismum*, multis autem ad *Rationalismum* magis ac magis deflectentibus. Nec eodem modo suas gubernant ecclesias : in *Germania*, nullos habent episcopos, sed *consistoriis* subduntur, quorum præcipua membra ante bellum a principibus seligebantur; in *Scandinavia* servata fuit episcopalis hierarchia, et episcopi a Rege, qui ut Ecclesiæ caput habetur, eliguntur; in *Statibus Fœderatis* Americæ, pastores fidelium suffragiis ad munus suum deputantur, licet in rebus ad fidem disciplinamque spectantibus, Synodo tum particulari tum generali obedire teneantur[1]. Aliis verbis, putant nil certi a Christo definitum fuisse circa Ecclesiæ regimen, sed hoc secundum varias locorum circumstantias determinandum esse[2].

Hodie Lutherani, qui in Germania et Scandinavia prævalent, multosque asseclas in Hungaria et Fœderatis Statibus Americæ numerant, per totum orbem sibi vindicant circiter 60.000.000 fidelium.

562. (B) **Anglicanismus**[3] a principibus Angliam regentibus ortum sumpsit. *Henricus VIII*, tyrannicus et impudicus, primum contra lutheranos septem sacramentorum existentiam vindicavit; postea vero, ira incensus quod Clemens VII ejus matrimonium cum Catharina dissolvere recusasset, ab Ecclesia catholica secessit,

---

[1] **Carroll***, *The Religious Forces of the United States*, N. York, 1893, c. 27, p. 175 sq.; *American Church History Series*, vol. IV, *Lutherans* by **Jacobs***, 1893. — Hodie vero multi Lutherani ad Rationalismum deflectunt, ut lucide ostendit **Goyau**, *L'Allemagne Religieuse*, Paris, 1898.

[2] Hodiernis temporibus conatus aliqui manifestantur etiam in lutheranismo ad aliquam restaurationem hierarchiæ et Liturgiæ sicut in Ritualismo Anglicano : ecclesiæ huic theoriæ faventes vocantur germanice *Hochkirchen*, i. e., ecclesiæ superiores. Cf. **P. Charles**, S. J., *La Robe sans couture*, Bruges, 1923.

[3] Cf. **Burnet***, *History of the Reformation*, ed. *Pacok*, 1865; **Lingard**, *History of England*, vol. VI., ed. Philadelphia, 1827; **M. J. Spalding**, *History of the Protestant Reformation*, Baltimore, 1865, vol. II, p. 59 sq.; **A. de Mestral***, *op. cit.*, p. 418 sq.; **Card. A. Capecelatro**, *Newman e la Religione cattolica in Inghilterra*, p. 1-118; **A. Gatard**, ap. *Vacant*, *Dict. de Théol.*, t. I, p. 1281; **J. Trésal**, *Les origines du schisme anglican*, 1909; **Cristiani**, *Henri VIII et l'Anglicanisme* (*Etudes religieuses*, n. 67).

et seipsum tanquam ecclesiæ anglicanæ caput constituit. (*Actus suprematicæ* 1534.) Initio quidem anglicanismus a catholicismo nonnisi Papatus rejectione differebat; sed, sub *Eduardo VI*, Lutheranismus, favente Cranmer, et, regnante Elisabeth, Calvinismus ecclesiam anglicanam pervaserunt, ita ut anglicanismus sit veluti utriusque consociatio, retenta tamen ex parte catholica doctrina de episcoporum divina institutione et auctoritate.

Doctrina Anglicanorum brevi compendio exhibetur in *42 articulis* sub Eduardo VI promulgatis, qui postea sub Elisabeth tantisper mutati ad 39 reducti sunt, quos subscribere debent omnes ecclesiæ anglicanæ ministri.

Secundum hos articulos Scriptura sola est regula fidei [1]; Ecclesia non est infallibilis [2]; rex Angliæ summus dux est ecclesiæ anglicanæ [3].

Anglicani omnes rejiciunt supremam auctoritatem Romani Pontificis, etsi plerique agnoscunt ei competere primatum *honoris*, et pauci concedunt primatum *jurisdictionis* eidem collatum fuisse prioribus sæculis jure ecclesiastico. Cum vero regiam auctoritatem in rebus spiritualibus accipiant vel subeant, in *cæsarismum* prolapsi sunt. *Historico episcopatui*, ut aiunt, adhærent, nec in suam communionem recipiunt ministros qui a legitimis episcopis ordinati non fuere; quidam tamen dicunt episcopatum non fuisse divinitus institutum, sed solum apostolica ætate de facto in Ecclesia prævaluisse [4].

563. Tres præcipuæ factiones in ipso ecclesiæ anglicanæ gremio inveniuntur : (**a**) *Ecclesia superior* (*High Church*), quæ episcopatui stricte adhæret, Protestantismi nomen plus minusve abhorret, et putat se unum esse ex tribus ramis Ecclesiæ catholicæ, cujus duo alii rami sunt Ecclesia Romana et Ecclesia Græca; quod præser-

[1] Art. 6. — [2] Art. 19-21.

[3] Art. 36. Vide textum apud **Karl Müller***, l. c., p. 505 seq. Præcipui horum articulorum commentarii sunt : **T. R. Jones***, *An exposition of the thirty-nine articles*, London, 1849; **G. Burnet***, *An exposition of the 39 articles*, revised with notes by *Page*, London, 1836; **E. Browne***, *An exposition*, etc., american edit. with notes by Bishop Williams of Connecticut, New-York, 1865; **A. P. Forbes***, *An explanation of the 39 articles*, Oxford, 1867; **B. J. Kidd***, *The thirty-nine articles, their history and their explanation*, London, 1901. Eosdem articulos, tantisper mutatos in generali Conventu Trentoniensi (1801), *ecclesia episcopalis americana* tanquam fidei regulam accepit; americanam recensionem habes apud **Schaff***, *op. cit.*, vol. III, p. 486 sq. — De statu hodierno anglicanismi cfr. **J. Moyes**, in The *Catholic Encyclop.*, New-York, 1907, t. I, p. 498-504.

[4] Ita præsertim ii qui dicuntur *Reformed Episcopalians;* cfr. **W. H. Lyon***, op. cit., p. 97; cfr. **Schaff***, *op. cit.*, vol. III, p. 822. Recentibus vero temporibus intercommunio tentata est etiam cum ministris ab episcopis non ordinatis.

tim tenent *Puseyistæ* [1], seu *Ritualistæ*, qui dogmata catholica fere omnia admittunt, si excipias Immaculatum B. M. Virginis conceptum Romanique Pontificis infallibilem et supremam auctoritatem: immo catholicos *ritus* imitantur, et missam offerre confessionesque audire non abhorrent. (b) *Ecclesia inferior (Low Church)*, quæ sese vocat etiam *evangelicam*, et ad calvinismum maxime deflectit, parum curans de episcopatu, dummodo *justificatio per fidem* aliaque Calvini dogmata retineantur. (c) *Ecclesia latior (Broad Church)*, quæ semi-rationalismum plus minusve sapit, Trinitatem et divinitatem Christi tanquam puncta disputabilia habet, et generalem tantum in Christum fidem tanquam essentialem requirit. Ex hoc intelligi datur quantum inter se differant variæ Anglicanorum sectæ, inter extrema Ritualismi ac Rationalismi plus minusve fluctuantes.

Initio sæculi vigesimi, variæ Anglicanorum sectæ, per orbem, numerabant circiter 20.000.000 asseclarum.

564. Ex Anglicanismo innumeræ natæ sunt sectæ. Præter *Puritanos*, qui sæc. XVI° Calvinismo adhæserunt et inter *Presbyterianos* seu *Calvinistas* recensentur, notatu digni sunt : 1) *Congregationalistæ* (1.200.000) qui, auctoritatem episcoporum et synodorum rejicientes, volunt singulas *congregationes* esse omnino *independentes;* 2) *Baptistæ* (6.000.000) sic dicti quia non admittunt ut validum nisi baptismum adultis per immersionem collatum, de Ecclesia idem fere sentiunt ac Congregationalistæ; 3) *Methodistæ Wesleyani* etiam dicti, quia J. Wesley (XVIII° sæc.) ut auctorem habent (16.000.000), quæstiones mere doctrinales dedignant, et sensus pietatis, fiduciæ et caritatis in animos instillare satagunt; quoad regimen, non admittunt quidem divinam episcopatus originem, sed in America episcopos habent qui ceteris ministris præsunt ad unitatem quamdam melius servandam; 4) *Salvationistæ* seu *Salutis exercitus* (1.000.000) qui auctorem habent *Booth* (XIX° sæc.) et, ad modum exercitus, duces, centuriones et milites agnoscunt : de doctrina parum curantes, *enthusiasmum* inter populos excitant ut homines moribus perditos ad Christum et virtutem adducant.

[1] Sic nuncupantur quia, post conversionem J. H. Newman, qui hujus systematis in Universitate Oxoniensi promotor fuerat, *Pusey* ut ducem habuerunt. De origine, variis fatis et theoriis *Oxoniensis scholæ* quæ vocata est *The Oxford Movement*, cfr. **J. H. Newman**, *Apologia pro vita sua; Loss and Gain; The Via Media of the Anglican Church; Difficuties of Protestants*, vol. I; *Tracts for the Times*, opuscula ab Oxoniensibus edita ad suas opiniones propagandas : unde etiam eorum schola dicta est *Tractarian Movement;* **W. Ward**, *William G. Ward and the Oxford Movement;* **H. P. Liddon***, *Life of E. B. Puseye* London, New-York, 1894; **Ragey**, *La Crise Religieuse en Angleterre*, Paris, 1896; *L'Anglo-Catholicisme*, 1897; **P. Thureau-Dangin**, *La Renaissance catholique en Angleterre*, Paris, Plon, 5e éd., 1905.

565. (C) **Calvinismus** nomen ducit a *J. Calvino*[1] (1509-1564), Novioduni nato, qui, dum Biturigis jurisprudentiæ operam daret, amicitiam iniit cum Wolmaro, Lutherano occulto, a quo novæ hæreseos principia accepit; postea Basileam se recepit, ubi famosum *Institutionum* opus edidit (1535), in quo Reformatorum doctrinas meliori methodo styloque elegantiore exposuit. Paulo post a magistratu Genevensi theologiæ professor electus, suos errores tum concionibus, tum scriptis late disseminavit, ita ut, post Lutherum, Reformatorum princeps agnoscatur.

(a) Scripturam sacram pro sola fidei regula, sicut ipse Lutherus, habet[2]. (b) Sed ratus unitatem fidei servari non posse *sine adhæsione alicui Ecclesiæ*, duplicem esse Ecclesiam docuit, unam *invisibilem*, e toto electorum numero constantem; alteram *visibilem*, ex iis omnibus constantem, qui fide in Deum et Jesum Christum uniti, Baptismi et Cœnæ participes, verbo Dei per prædicationem pascuntur. Extra hanc Ecclesiam plerumque fieri nequit ut quivis salutem consequatur[3]. (c) Non solum Romani Pontificis primatum tanquam figmentum humanum rejecit[4], sed contendit *presbyteros*, non ritu sacro proprie dicto (nam impositio manuum presbyterii est declaratoria tantum) consecratos sed *a populo delegatos, jure divino episcopis esse æquales*, eisque competere ecclesiæ administrationem : hinc ejus systema *presbyterianismus* nuncupatur. (d) Ministri, etiam in concilium coadunati, nullam auctoritatem possident propriam, cum sola Scriptura sit fidei norma; possunt tamen sacramenta dare, Verbum prædicare, regulas statuere ut omnia per ordinem et honeste fiant, et rebelles excommunicare[5]. Calvinus sic cæsarismum vitavit.

Calvinistæ in Helvetia, Hollandia, Scotia et Statibus fœderatis præsertim vigent. Variis professionibus fidem suam expresserunt[6].

E Calvinismo exierunt innumeræ sectæ quæ hierarchiam fere excludunt, vel dogmata ad nihilum redegerunt.

---

[1] Cf. **Bossuet**, *Hist. des Variations;* **Kampschulte** et **Walter Goetz***, *Johann Calvin*, Leipzig, 1869-1899; **T. H. Dyer***, *Life of Calvin*, London, 1850; **Schaff**, *op. cit.* vol. I, p. 421 sq.; **A. Baudrillart**, *Dict. de Theol.*, (Vacant), t. II, 1377; **W. Barry**, in the *Catholic. Encyclopedia*, New-York, t. III, p. 195-204; **Cristiani**, *Calvin et le protestantisme en France. (Etudes religieuses*, n. 47).

[2] *Inst. chrét.*, l. I, 6-8. — [3] *Ib.*, IV, 1, 7.

[4] *Ib.*, IV, 2, 2; 4; 5; 6, 1.

[5] *Ib.*, IV, 3, 6, 8, 15; 8, 4, 8; 9, 7, 8, 9-11, 13; 10, 1, 7, 30-32; 11, 1.

[6] Præcipua symbola sunt : Confessio Helvetica prior (1536), posterior (1566); Catechesis Heidelbergensis (1563), Confessio gallicana (1559), Confessio belgica (1561), Confessio scoticana prior et posterior (1560, 1580), articuli arminiani sive remonstrantia (1610), canones synodi Dordrechtanæ (1619), Confessio Westmonasteriensis (1647). Cf. **Schaff***, *op. cit.*, vol. I, p. 354 sq., vol. III, p. 190 sq.; vel **Karl Müller***, *l. c.*

Hodie, in variis regionibus, recensentur circiter 20.000.000 Calvinistarum seu Reformatorum (in America, 2.000.000.)

566. 2° **Protestantium doctrina de Ecclesia.** Protestantes hodie in innumeras dividuntur sectas, quæ tamen relate ad doctrinam de Ecclesia in quatuor classes dividi possunt.

(**A**) **Episcopalis mus**agnoscit episcopatum saltem tanquam formam magis stabilem ad auctoritatem ecclesiasticam tuendam moraliter necessariam; inter Anglicanos et Lutheranos Scandinaviæ viget. Immo quidam inter Anglicanos, cum Catholicis, admittunt episcopatum ab ipso Christo fuisse institutum : ita præsertim ii qui se *catholicos* dicunt et *superiorem ecclesiam* efformant *(high church)*. Rejiciunt tamen supremam auctoritatem Romani Pontificis.

567. (**B**) **Presbyterianismus,** qui apud Calvinistas reperitur, confitetur auctoritatem Dei per populum pastoribus vel presbyteris delegari, quibus obœdientia debetur. Ministri non sunt tamen sacerdotes proprie loquendo; episcopatus et primatus romanus, aiunt, nonnisi fraude et cupiditate Ecclesiam invaserunt. — Ad hanc formam practice reducuntur plerique *Lutherani*, quorum pastores nihil aliud sunt nisi doctores fratrum suorum, quibus tamen tanquam Dei ministris quædam reverentia debetur.

568. (**C**) **Democratismus,** qui ex presbyterianismo logice fluit, practice viget præsertim in sectis a calvinismo derivatis. Nullam recognoscit hierarchiam : Christus enim non instituit Ecclesiam per modum societatis sed per modum regni spiritualis.

Addemus tandem multas Ecclesias protestantes in Cæsarismum incidisse, v. g., Anglicanam vel lutheranas ecclesias.

569. (**D**) **Protestantismus liberalis** [1] logice fluit e principio *judicii privati*, vi cujus quisque practice credere potest quidquid sibi magis placuerit. Patres vere istius systematis fuere, præter Socinianos et Unitarios (n. 57), philo-

[1] Cf. opera **Harnack***, præsertim *L'Essence du christianisme*, et libros **Sabatier***, specialiter *Esquisse...* et *Religions d'autorité..*, Cf. præterea **H. Lichtenberger***, *L'Allemagne moderne*, Paris, 1918, pag. 232-266; **G. Goyau**, *L'Allemagne religieuse, le Protestantisme*, Paris, 1898, p. 72-122. Vide appendicem II. hujus voluminis.

sophi et theologi qui, ut Spinoza, Kantius, Schleiermacher, Ritschl, et non pauci exegetæ et historici, omne supernaturale e Scriptura et historia expungere conati sunt.

Juxta eos, Christus nullum dogma proprie docuit, nec ullam societatem ecclesiasticam instituit, quippe qui putaret regnum Dei et finem mundi brevi tempore venturum esse; solummodo docuit homines quomodo Deum ut Patrem colerent eique se totos subderent [1].

570. Institutionem vero Ecclesiæ naturali processu sic explicare conantur. (**a**) Christo mortuo, ejus discipuli mox communitates efformarunt, quæ vinculo fidei et caritatis necnon spe proximi adventus Christi intime jungebantur. Omnes quidem æquales erant; nonnulli tamen a Spiritu diversa acceperunt *charismata;* alii erant apostoli, et alii prophetæ, alii autem doctores, qui varias ecclesias percurrebant. (**b**) Postea vero, in qualibet communitate, electi sunt *seniores* seu *presbyteri* qui religiosis cœtibus præsiderent : quibus adjuncti sunt *diaconi.* (**c**) Diversæ communitates, auspice præsertim Paulo, habentur tanquam membra unius *mystici* et *invisibilis* corporis, quod dicitur *Ecclesia* cujusque caput Christus est. (**d**) Ex hac autem mystica unione paulatim orta est unitas quædam *visibilis :* variæ enim communitates inter se quoddam fœdus, quamdam societatem inire inceperunt, sicut et singuli fideles ultro in communitatem convenerant. (**e**) Primum unitatis centrum fuit quidem Jerusalem; destructa autem hac civitate,

[1] Retinent quidem verba theologica religionis, revelationis peccati originalis, incarnationis, etc., sed ea interpretantur ut mera symbola conscientiæ religiosæ proposita, non tanquam dogmata credenda sed ut incitamenta ad praxim virtutum. Protestantismus liberalis nihil aliud est igitur nisi *rationalismus quidam religiosus :* Christiani sunt ii omnes qui existimant Christum esse *doctorem aliis perfectiorem*, qui suo exemplo eos docuit quomodo cum Infinito relationes habere valeant, et *perfectum exemplar vitæ* religiosæ, quam quisque, vestigiis Christi inhærens, experiri potest et suæ conditioni accommodare. Ad rem **Lichtenberger***, *l. cit.*, p. 256-257 : " Nous voyons clairement, maintenant, dans quelle direction évolue le protestantisme. Il tend à dépouiller la religion de son caractère objectif, historique, absolu. Le christianisme ne lui paraît plus comme un ensemble de vérités révélées, extérieures au fidèle et qu'il doit *croire*, mais comme un état de conscience que chaque individu doit *vivre.* Il n'exige plus du fidèle la foi dans la réalité de certains faits historiques. L'exégèse protestante finit par montrer dans les récits évangéliques l'expression mythique des expériences religieuses de la communauté primitive... Le protestantisme enfin tend à dépouiller le christianisme de sa qualité de religion révélée, une et éternelle. Il n'est qu'une des formes innombrables de la conscience religieuse de l'humanité, forme admirable sans doute, forme supérieure peut-être, mais non point forme unique, ni même, peut-être, éternelle, et en tout cas variable ".

Roma, utpote caput civilis Imperii, christianæ societatis caput facta est, et Ecclesia provinciarum romanarum distributionem in suo regimine imitata est. (f) Grassantibus autem *hæresibus*, præsertim gnosticismo et montanismo, necesse fuit *regulam fidei* instituere, doctrinam nempe ab Apostolis traditam; et *auctoritatem* agnoscere qua hæc regula authentice exponeretur: episcopi, qui ecclesiis præerant, hujusmodi auctoritate potiti sunt, dicentes se apostolorum successores esse. Ita, jam exeunte sæculo secundo, Ecclesia catholica in suis fundamentis constituta fuit; decurrentibus autem sæculis, potestas Episcopi Romani paulatim invaluit atque omnino suprema evasit. (g) Cum igitur hæc potestas sit mere humana, et sæpe sit tyrannica, impune contemni potest, et quilibet jus habet directe Deum adeundi et cum Eo intimam unionem ineundi.

571. Scholion : de Modernismo. Modernismus fautores habuit quosdam catholicos qui, Protestantium liberalium opera nimis assidue legentes, ex eis paulatim erroris venenum hauserunt. Juxta eos, cum revelatio nihil aliud sit nisi conscientia relationis cum divinitate (n. 187) et dogma nonnisi religiosæ experientiæ relativa et mutabilis expressio, *Ecclesia non est magistra veritatis*, sed *conscientia religiosa collectiva*, quatenus formulas invenit aptiores ad sensum religiosum pro tempore exprimendum.

Ecclesiæ originem eodem fere modo describunt ac Liberales, sed fatentur tamen Dominum initium aliquod societatis instituisse, ex quo orta est Ecclesia; ceteroquin hanc Ecclesiam, quæ neque immutabilitate neque infallibilitate gaudet, necessariam esse ad veram fidem servandam atque propagandam, eique tanquam sociali auctoritati obediendum esse; sed primariam et ultimam *fidei regulam esse cujusque conscientiam a Spiritu Dei illuminatam;* proindeque, si conflictus aliquando inter Ecclesiam et conscientiam oriatur, huic obediendum esse, non obstantibus ecclesiasticis excommunicationibus. Ita a Protestantibus distinguuntur in eo quod quamdam socialem Ecclesiæ constitutionem admittunt ideoque religiosum individualismum rejiciunt; sed eis re ipsa consentiunt asserendo Ecclesiam non esse divinitus institutam nec infallibilem, et ejus auctoritati anteponendum esse privatum conscientiæ judicium [1].

[1] **A. Loisy***, *Evangile et Eglise*, ch. III; *Autour d'un petit livre*, 157-186; *Simples réflexions*, p. 98; **G. Tyrrell***, *Lex orandi*, 1903; *Through Scylla and*

CAPUT I.

DIVINA INSTITUTIO ECCLESIÆ RATIONE SUADETUR [1].

572. Status quæstionis. Institutio Ecclesiæ et magisterii ecclesiastici *historice* probari debet. Attamen præmitti potest argumentum *a priori de institutione a Christo peracta magisterii vivi et infallibilis ad suam doctrinam proponendam*, quo præparentur animi ad percipiendam vim historicæ demonstrationis, et quo hæc demonstratio fulciatur.

Hoc igitur caput specialiter contra *Protestantes* dirigitur qui vel omnem rejiciunt auctoritatem, vel admittunt tantum auctoritatem Scripturæ.

(**a**) Quidam, *Liberales* dicti, quamlibet auctoritatem respuunt etiam Scripturæ, et advocant *religionem spiritus* [2], seu aliis verbis pro regula fidei solam accipiunt *conscientiam*. (**b**) Alii vero, *Orthodoxi* dicti, tenent Scripturam, et quidem solam, esse *fidei regulam infallibilem*, sed contendunt eam *privato examine* seu *privata inspiratione* interpretandam esse, quin necessarium sit ad magisterium infallibile Ecclesiæ recurrere.

Duo itaque probabimus : 1° ad religionem revelatam tuto servandam requiri quamdam *auctoritatem supremam* et *infallibilem;* 2° nec sufficere Scripturam privato judicio aut privata inspiratione intellectam, sed desiderari *magisterium vivum et infallibile.*

Charybdis, 1907; *Programma dei Modernisti*, Roma, 1908. — Quas theorias breviter contrahit **M. Lepin**, *Les Théories de M. Loisy*, Paris, 1908, p. 8-17.

[1] **Sertillanges,** *L'Eglise*, t. I, l. I, c. V; l. II, c. X; **G. Goyau,** *Catholicisme et Protestantisme* (vel : *Moehler*); **J. M. Lagrange,** *Le sens du christianisme d'après l'exégèse allemande*, ch. I; **Mgr Mignot,** *L'Eglise et la critique;* **de Tourville,** *Lumière et vie*, p. 219-235.

[2] Quorum theorias exponit **A. Sabatier** *, *Les religions d'autorité et la religion de l'esprit*, Paris, 1904, ubi ait, p. 308 : "Le dogme protestant de l'infaillibilité de la Bible n'est pas seulement irréalisable pour la pensée; il est encore en fait inutile ".

Art. I. Moralis necessitas alicujus auctoritatis a conscientia distinctæ et infallibilis suadetur [1].

573. *Thesis.* **Si res a priori consideratur, valde probabile est Christum instituisse auctoritatem infallibilem ad suam doctrinam proponendam, conservandam et propagandam.**

Thesis *declaratur :* (**a**) *Auctoritas* designat *regulam fidei*, seu *normam* qua cognoscuntur quæ vere Christus revelavit, quæque sunt credenda et facienda ad vitam æternam consequendam; (**b**) *infallibilis*, i. e., cui tuto fidem præstare possimus, sine erroris periculo.

574. Probatur thesis *per partes*, scilicet quoad *existentiam* auctoritatis alicujus, et quoad ejus *infallibilitatem.*

I. Existentia auctoritatis alicujus.

575. Probatur : 1° Ex sociali natura cujusvis religionis [2]. Hæc est enim hominis natura ut *ad societatem* natus sit, et *in societate* plurima *bona facilius consequatur* plurimaque *mala efficacius repellat;* quare, in rebus politicis, industrialibus et scientificis, homines in societatem coadunantur, ut, viribus unitis, nativæ suæ imbecillitati mederi valeant. Societas autem constare nequit sine aliqua auctoritate legis vel principis, singulorum voluntates ad finem societatis attingendum coadunantis.

Idem se habet in ordine *religioso.* Nulla est enim religio quæ unquam floruerit absque sociali quadam constitutione. Cultus primum per patremfamilias, mox per *ministros ad id specialiter delegatos*, pro tota familia aut civitate offerebatur, et quidem *ritibus lege determinatis :* omnibus enim persuasum erat religionem esse rem non cuique propriam, sed socialem, *publica auctoritate* statuendam.

---

[1] Moralem necessitatem hujus auctoritatis jam suadent ea omnia quæ diximus de necessitate alicujus revelationis, n. 210-226.

[2] Cfr. **F. Brunetière,** *Sur les chemins de la croyance*, Paris, 1905, p. 187-238; *Questions actuelles*, 1907, La fâcheuse équivoque, p. 281-316; **Fonsegrive,** *Le Catholicisme et la vie de l'esprit*, ch, IX; **Birot,** *Le Mouvement religieux*, p. 191-195; **Mgr Mignot,** *L'Eglise et la Critique*, 1910, p. 3-87.

Apud Judæos, religio pariter non cujusque conscientiæ permittebatur, sed *positivis legibus* determinabatur; et, quando populus ab his recedebat, Deus *prophetas* suscitabat, quorum prædicatione ad legem mosaicam et monotheismum reverteretur. Numquid verisimile est Christum, qui non venit legem solvere aut prophetas, sed adimplere, omnem auctoritatem religiosam abolevisse, et religionem instituisse sola conscientia regulandam? Quod quidem minus probabile apparebit, si præ mente habetur religionem quam prædicavit esse revelatam.

576. 2° **Ex ipsa natura revelationis** [1]. Religio divinitus revelata complectitur *dogmata* credenda, *præcepta* implenda et *ritus* perficiendos ad Deum glorificandum. Jamvero ad hæc tria *diu* et *integre* servanda requiritur auctoritas quædam suprema seu infallibilis. (**A**) Si agitur de *veritatibus credendis :* multi homines, propter ingenii infirmitatem, aut necessitates rei familiaris, vel innatam pigritiam (supra, n. 223), nonnisi imperfecte eas intelligent et aliis transmittent, ideoque mox *imminutæ* erunt *veritates a filiis hominum;* aliunde, data hominum ad voluptates propensione, veritates revelatæ sensim et sine sensu *adulterabuntur :* quo liberius enim libidini indulgeant, austera dogmata qualia sunt, v. g., pœnæ malis inflictæ, plus æquo mitigabunt, et, ex altero capite, errores vitiis faventes libenter amplectentur. Nisi igitur adsit auctoritas quædam suprema et infallibilis, qua hi errores præcaveantur aut corrigantur, paulatim evanescent dogmata. Ergo omnino conveniebat ut Christus hujusmodi auctoritatem in sua Ecclesia constitueret, "ut jam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni verbo doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris" [2], sed occurramus omnes in unitatem fidei.

(**B**) Quod *a fortiori* de *præceptis* et *ritibus* valet. (**a**) Cum enim homo, cujusvis coercitionis impatiens, ad leges benignius interpretandas aut etiam violandas pronus sit, necesse

[1] **J. H. Newman**, *Developpement of christian doctrine*, p. 75-98; **Card. Dechamps**, *Entretiens sur la démonstration catholique*, 1861, 1er Entret.

[2] *Ephes*, IV, 14.

est ut adsint legum divinarum authentici interpretes et custodes qui harum observationi sedulo invigilent non solum piis exhortationibus, sed etiam pœnas violatoribus infligendo. (**b**) Insuper, cum leges divinæ ad omnes populos omniaque tempora sese extendant, necesse est ut sit legislativa auctoritas quæ generales morum regulas a Christo propositas variis temporum ac locorum *circumstantiis accommodet;* secus omnia libidini permittentur.

(**c**) Idem fere dici potest de *ritibus.* Ex una parte, cultus externus et publicus requiritur ad exprimendum fovendumque cultum interiorem (supra, n. 172-179); et ex altera, nisi suprema quædam auctoritas externo cultui præsit, mox superstitiones prævalebunt Deo injuriosæ bonisque moribus contrariæ : homo enim naturaliter pronus est ad deificandum quidquid suis propensionibus favet.

577. 3° **Ex historia religionum.** Historice enim constat varias religiones quæ hucusque viguerunt non potuisse diu errores et superstitiones fugere, nisi juvante aliqua auctoritate suprema.

(**a**) *Paganæ religiones,* quas superius descripsimus, n. 112-136, non obstantibus eximiis fundatoribus vel instauratoribus, paulatim multis erroribus ac superstitionibus deturpatæ sunt, quia deficiebat permanens et infallibilis auctoritas.

(**b**) *Religio primæva* Patriarchis revelata, quia pariter hoc præsidio non præmunita fuit, paulatim plurimis diminuta est veritatibus et aucta erroribus. Hinc necesse fuit specialem populum seligere in quo, tum legis mosaicæ multiplicibus præceptis tum Prophetarum ministerio, revelatio integra et incolumis servari posset. Et sane ex tota historia sacra constat quam pronus fuerit populus Israeliticus ad polytheismum, superstitiones, morumque corruptionem, et consequenter quam necessarius fuerit auctoritatis religiosæ constans interventus.

578. 4° **Ex intimo conscientiæ testimonio :** plerique homines, propriæ indigentiæ conscii, in rebus præsertim moralibus et religiosis, necessitatem alicujus auctoritatis, cui plane fidere valeant, vivide sentiunt, ut, ejus ope, cognoscant ea omnia quæ ad finem ultimum spectant [1].

[1] Ita *A. Thierry,* circa finem vitæ, dicebat : " Je vois, par l'histoire, la nécessité manifeste d'une autorité divine et visible, pour le développement de

Neque dici valet *conscientiam* esse magistrum sufficienti auctoritate præditum ad hos abusus vitandos. Hæc forsan sufficere posset *excultis ingeniis*, si de religione mere naturali ageretur. Sed, ubi revelatio intercedit, auctoritas Dei substituitur voci conscientiæ, aut potius ei superadditur. Deus autem, cum non singulis hominibus loqui soleat (supra, n. 200), instituere debuit aliquam auctoritatem visibilem, quæ authentice suam mentem hominibus exponat; secus unusquisque in suo sensu abundabit, et vix ullum veritatis revelatæ vestigium manebit.

579. Conclusio. Quibus prænotatis, *omnino probabile* evadit Christum aliquam auctoritatem instituisse ad suam doctrinam tuendam et propagandam. (**a**) Religio enim quam docuit non paucis tantum continetur articulis, ut primæva religio, sed codicem complectitur satis completum dogmatum et præceptorum, quæ sub pœna æternæ damnationis credere et adimplere oporteat; aliunde non ad unum tantum populum, sicut mosaica religio, sed ad omnes gentes omniaque tempora extenditur. Difficilius igitur quam primæva aut mosaica religio integra custodiretur, nisi aliqua auctoritate permanenti et infallibili contra errores et corruptionem cordis humani protegeretur.

580. (**b**) Quod *experientia* confirmatur. Nam, a tempore quo *religio spiritus*, jam a Semler, Lessing et Schleiermacher advocata, propagari cœpit, pessimi errores inducti sunt : Kantius negavit transitum theoretice fieri posse de subjectivo ad objectivum, et dogmata christiana sensu prorsus rationalistico explicavit; Schleiermacher in mysticum pantheismum incidit; Fichte, Schelling, Hegel pantheismum idealisticum docuerunt; Strauss atheismum propugnavit; Ritschl, dogmata quoad nomen retinens, eadem ita explicat ut nil supernaturale in eis maneat; Harnack totum christianismum in unum dogma contrahit, nempe Dei paternitatem; A. Sabatier ad quemdam mysticum pantheismum redit, Deum vocans ens universale; uno verbo

---

la vie du genre humain. Or, tout ce qui est en dehors du christianisme ne compte pas. De plus, tout ce qui est en dehors de l'Eglise catholique, est sans autorité... Donc l'Eglise catholique est l'autorité que je cherche; et je m'y soumets". (**Gratry,** *De la connaissance de l'âme*, Préface, p. XXXI, note 9.)

religio spiritus nihil aliud est nisi *vagus deismus aut mysticus pantheismus, viam parans atheismo* [1].

Et sane nihil evidentius demonstrat quam necessaria sit quædam auctoritas infallibilis ad religionem Christi integre servandam.

Revera omnes christiani, si Liberales Protestantes excipias, aliquam infallibilem auctoritatem admittunt, nempe *Scripturam sacram*. — Sed quæstio est utrum hæc sufficiat, an præterea requiratur vivum et infallibile magisterium.

II. Infallibilitas hujus auctoritatis [2].

581. Probatur : 1° *Ex necessitate certitudinis* quam naturaliter desiderat homo, specialiter in rebus quæ ad supremum vitæ finem et ad æternam salutem spectant : hæc enim certitudo obtineri nequit sine auctoritate infallibili [3].

2° *Ex natura divina revelationis.* Auctoritas enim quæ Dei nomine revelationem proponeret, si errare posset, ipso facto Deum erroris magistrum redderet; atqui impossibile est Deum esse erroris fautorem; ergo auctoritas revelationem proponens ab errore immunis esse debet.

3° *Ex natura auctoritatis religiosæ.* Auctoritas religiosa quæ errare posset, jam non esset auctoritas vera seu norma tuta, sed solummodo magistra humana, sicut Plato aut Cartesius, quibus ad libitum obœdientiam præstare vel denegare [4] possemus.

Art. II. Moralis necessitas magisterii vivi et infallibilis suadetur.

582. Status quæstionis. Posita necessitate alicujus auctoritatis infallibilis in religione a Christo revelata, quæri-

---

[1] De quo vide **Lichtenberger** *, *Histoire des idées religieuses en Allemagne*, Paris, Fischbacher, 1888; **G. Goyau**, *L'Allemagne religieuse*, Le Protestantisme, Paris, Perrin, 1898, præcipue ch. II, p. 72-122. Vide infra *Appendicem*.

[2] **Card. Dechamps,** *Entretiens sur la dém. cathol. de la révélation chrét.*, 3e Conf.

[3] **G. Goyau**, *Catholicisme et protestantisme*, p. 330.

[4] Quod ipsi Liberales intellexerunt; ita **A. Sabatier,** *Religions d'autorité*, p. 419 : " Une autorité que l'on a le droit de discuter, d'approuver ou de blâmer n'en est pas une ".

tur de natura hujus auctoritatis : utrum sufficiat *liber* inspiratus, an requiratur magisterium *vivum et infallibile?*[1]

(**A**) Juxta *Protestantes* fere omnes, Christus nullam auctoritatem *vivam* instituit; *sola regula fidei est Scriptura.* Deus cuique reliquit jus et officium eamdem legendi, *proprio judicio* intelligendi, et ex ea dogmata credenda et regulam morum eruendi. Quando oriuntur difficultates, solvi debent vel *privato examine*, adhibitis criticæ et exegeseos regulis ad veram textus intelligentiam adipiscendam, ut contendunt plerique Lutherani et Calvinistæ; vel *historiæ* ac *traditionis* ope, absque tamen infallibili auctoritate, ut volunt Anglicani; vel *privata inspiratione*, seu interna uniuscujusque communicatione cum Spiritu sancto, a quo verum Scripturæ sensum accipimus, prout tenent Anabaptistæ, Quakeri, Swedenborgiani, Methodistæ non pauci ac sectæ mysticæ.

(**B**) *Catholici* autem duplicem fidei regulam agnoscunt, *remotam* et *proximam.* Prior est *verbum Dei* sive *scriptum*, sive *traditum*, id est *Scriptura*[2] et *Traditio;* posterior est *infallibilis auctoritas Ecclesiæ*, quæ nos certos reddit de divina Scripturarum inspiratione, et de vero earum sensu; videlicet Ecclesia docens, sive per Concilia sive per Sum-

[1] **B. Bellarminus**, *de Verbo Dei*, lib. III, c. 1 sq.; **Becanus,** *Summa theolog.*, part. III, tr. I, de Fide, cc. 3, 7; *Manuale Controversiarum*, l. I, c. V; **Regnier,** *De Ecclesia*, ed. Migne, p. 56 sq.; **Perrone**, *Il Protest. e la Reg. di Fede* (gallice translatum); **Wiseman**, *Lectures on the principal doctrines and practices of the Church*, lect. II-III; **Milner**, *The End of Relig. Controversy*, lett. 5-12; **Murray**, vol. III, disp. XIV; **Brugère**, n. 16 sq.; **L. N. Bégin,** *La Sainte Ecriture et la Règle de Foi*, Québec, 1874 (anglice redditum); **Mazzella,** *de Virtutibus infusis*, n. 889 sq.

[2] Protestantes igitur in Catholicos ementiuntur dum dicunt hos Scripturas non diligere : nam historia constat Ecclesiam fuisse omni tempore sacrorum librorum non solum fidelissimum custodem, sed etiam optimum interpretem. Ad rem **Wiseman**, op. cit., p. 50 : " Ecclesia ergo catholica verbum Dei nec diligere nec æstimare dicetur? Estne alia ecclesia quæ Scripturæ auctoritatem pluris faciat quam Ecclesia Catholica? Estne alia ecclesia tot regulas morum juxta hujus sacri libri doctrinam præscribere contendens? Estne ideo alia ecclesia cujus magis referat ut hujusmodi verbum servetur et doceatur? Ii revera qui catholicæ religionis doctrinam hauserunt, bene norunt Ecclesiam eam tantum sibi vindicare auctoritatem quæ in sanctis Scripturis habeat fundamentum; atque ita nonne plus ponderis Scriptura ab ea accipit, quam ab alia ecclesia unquam acceperit? Non solum ipsa Scripturam toto corde amavit, sed erga ejus honorem et conservationem eo studio inflammata fuit, quod nulla alia religio sibi potuit arrogare ".

mum Pontificem, determinat quinam libri sint inspirati, eosdemque modo authentico interpretatur.

Nec in hoc adest circulus vitiosus : non enim probatur idem per idem; sed, postquam argumentis mere criticis historicam auctoritatem Evangelii demonstravimus, divinamque Christi missionem, utimur verbis et factis ipsius Christi, divini legati, ad probandam Ecclesiæ infallibilitatem : hac autem admissa, jam logice accipimus Ecclesiæ decreta circa inspiratorum librorum canonem et interpretationem [1].

583. *Thesis.* **Si res a priori spectatur, valde probabile est Christum instituisse magisterium vivum et infallibile quo doctrina sua proponeretur, conservaretur et propagaretur.**

584. Probatur thesis. Ad probandam thesim catholicam proficiscendum est a dotibus regulæ fidei, et inde demonstrandum regulam fidei, a Protestantibus excogitatam his dotibus carere, regulam vero catholicam his dotibus præditam esse.

Ut regula fidei munus suum impleat, necesse est ut sit : (**a**) *tuta* et *completa*, omnia videlicet complectens quæ Deus revelavit, et quidem sine admixtione erroris, ut certi esse valeamus de voluntate Dei in rebus ad salutem spectantibus; (**b**) *universalis, et omnibus obvia*, talis scilicet quæ possit ab omnibus veritatem sincere quærentibus, et quidem omni tempore, cognosci et intelligi : fides enim, sicut salus ipsa, non paucis sed omnibus necessaria est; ideoque assignari debet fidei regula omnium ingenio adaptata; (**c**) *apta ad controversias dirimendas :* fides enim certa et inconcussa esse debet; necesse est igitur ut, quum dubia et controversiæ circa credenda oriuntur, certa sit regula qua quæstiones hujusmodi secure definiantur.

Atqui regula fidei protestantica his dotibus caret, dum regula fidei catholica eisdem gaudet.

585. I. **Regula fidei protestantica neque tuta, neque universalis aut ad controversias dirimendas apta dici potest.**

[1] Quod lucide declarat **Wiseman**, *op. cit.*, lect. III, p. 62-66.

1° **Non tuta, neque completa.** (A) Ut enim *tuta* esset, oporteret ut Protestantes certo scirent quinam sint libri inspirati : si enim nonnulli ignorantur, forsan in eis continetur veritas scitu necessaria; si ut inspirati habentur qui revera non sunt, ut revelatum existimari potest id quod non est verbum Dei, et sic periculum erroris incurritur. Atqui impossibile est, seclusa infallibilitate Ecclesiæ, certo determinare Canonem Scripturarum, seu quinam sint libri inspirati.

Viæ diversæ a Novatoribus excogitatæ ad hoc definiendum nullum prorsus exitum habent. Dicunt siquidem eos libros Vet. Testamenti inspiratos esse qui ut tales a Christo ejusve Apostolis declarati sunt; quoad Nov. Testamentum, ut inspirata habent ea omnia quæ ab Apostolis scripta sunt, vel ab eis recognita [1]. Fatemur equidem inspirationem *quorumdam* librorum *Veteris Testamenti* ex testimonio Christi et Apostolorum constare posse; sed nil probat illos *solos* ut canonicos habendos esse qui ab eis commemorati sunt : nullibi enim apparet eos completum catalogum contexere voluisse.

Sed major est difficultas quoad *libros Novi Testamenti*, quorum inspirationem nosse magis interest. (a) Nullibi enim a Christo ejusve discipulis dicitur ea *omnia et sola* inspirata esse quæ ab Apostolis scripta sunt. Dicunt quidam Protestantes hanc inspirationem demonstrari *miraculis* quæ ibi referuntur, iis præsertim quæ patrata sunt ad probandam divinam Apostolorum missionem, ideoque inspirationem; sed ex his colligitur quidem ea quæ Apostoli docuerunt *generatim vera* esse, *non autem omnia eorum scripta esse inspirata.* Aliunde non facile probari potest omnes libros N. Testamenti ab Apostolis fuisse scriptos : nonnulli enim ut *spurii* hodie a multis Protestantibus dicuntur, inter quos totum Joannis Evangelium et non paucæ epistolæ Pauli, Petri et Joannis. Hinc protestans *R. Barclaius* [2] ait : "Canon Scripturæ, videlicet quod sint tot libri, nec plures nec pauciores, non potest probari Scriptura"; et exinde concludit vel recurrendum esse ad privatam inspirationem, vel Romam revertendum.

---

[1] Ita, v. g., **Hodge***, *Systematic theology*, vol. I. p. 152-153.

[2] *Theologiæ christ. Apologia*, th. 3ª.

(b) Alii contendunt *gustu* quodam supernaturali aut testimonio *christianæ conscientiæ* distingui libros inspiratos ab aliis [1] : ii siquidem sunt inspirati, qui bonas ac salutares cogitationes in mentes nostras inspirant. Sed cum diversi sint gustus, unus tamquam sacros habet libros quos alter ut spurios rejicit, ita ut hodie impossibile sit catalogum contexere, qui ab omnibus accipiatur Protestantibus.

(c) Multi hodie dicunt quæstionem de canonis existentia et extensione, esse minoris momenti, ideoque seponendam [2]; tenent siquidem in libris inspiratis multa esse quæ vera non sint, ideoque ad criticam historicam et ad conscientiam christianam spectare jus discernendi quæ vera sunt a falsis aut vanis opinionibus. Sed exinde multum augetur difficultas, cum ipsa fidei regula sit incerta et criterio plus minusve subjectivo corrigenda.

586. (B) Præterea etiamsi canonem completum conficere possent, minime tamen certi essent se *totam* possidere doctrinam Christi. Multa enim *ore* tradere potuit, quæ scripta non sunt, et quæ tamen servari volebat. Jamvero nullibi Christus declarat fideles ea sola credere teneri quæ scripta sunt, sed præcipit, etiam sub pœna damnationis, ea accipere quæ *ore* traduntur : "*Prædicate* (non scribite) Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit... salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur" [3]. Quod pariter

[1] Ita **Calvinus*** ipse qui docuit (*Instit.*, l. I, c. 7) testimonio Spiritus S. animæ fidelium loquentis, divinum a non divino distingui. Ita etiam **E. Stapfer***, olim professor in Protestantica theologiæ Facultate Parisiensi, *L'Autorité de la Bible et la Critique*, Paris, 1891; **Charteris***, *The N. Testament Script.*, New-York, 1883, p. 203. Cf. **Briggs***, *Biblical Study*, c. 5, p. 136; **Hastings***, *Dict. of the Bible*, t. I, p. 298.

[2] "Canonis problema non amplius in eo situm est ut librorum catalogus contexatur; hoc enim obsolevit. Theologia altiores (?) aspirationes habet". Ita **Reuss***, *Histoire du Canon des Ecritures Saintes*, Strasbourg, 1864, p. 430-431, anglice versum *History of the Canon*, Edinburgh, 1884, p. 404. Idem tenent hodie multi Calvinistæ, cum **Bovon***, *Dogmatique*, t. I, p. 207-219. Nil sane melius ostendit Canonis determinationem, extra Ecclesiæ auctoritatem, esse opus impossibile. Quod implicite fatetur **Briggs*** (*op. cit.*, pp. 124, 125), dum asserit unicuique Christiano incumbere onus Canonem Scripturæ determinandi, nisi velit, cum Card. Newman, Ecclesiæ Romanæ auctoritatem accipere. Cum *Wallon* igitur concludere licet : "*Hors de l'Eglise, point de Canon;* i. e., extra Ecclesiam nullus Canon.". (*Vie de N. S. Jésus-Christ*, Introd., p. 41.)

[3] *Marc.*, XVI, 15; *Matt.*, XXVIII, 18-20.

docet Apostolus : "Tenete traditiones quas didicistis, sive per *sermonem*, sive per epistolam" [1]. Ergo regula fidei Protestantium non est completa.

Quod paucis exemplis illustrari potest. Plerique enim admittunt, contra Baptistas, parvulos esse baptizandos, et baptismum per infusionem vel aspersionem validum esse; porro hæc duo Scriptura apodictice probare nunquam potuerunt, et Krummacher, regis Borussiæ concionator (an. 1855), fassus est baptismum infantium Scriptura non posse demonstrari. — Pariter agnoscunt validitatem baptismi ab hæreticis collati, juramenti licitatem, et fatentur præceptum de *suffocato et sanguine* non amplius ligare; admittunt distinctionem inter articulos fidei *fundamentales* et *non fundamentales*, etc.; porro hæc omnia Scriptura sola probari nequeunt. Tandem non diem sabbati, sed *diem dominicam* sanctificant; jamvero si soli Scripturæ fidamus, hoc est contrarium ipsi legi divinæ; nam ex una parte ex Vet. Testamento clare colligitur diem *sabbati* sanctificandam esse; ex N. Testamento pariter constat Apostolos *sabbatum* fideliter servasse; nec alibi legitur in sacris Scripturis hoc divinum præceptum abrogatum fuisse. Ergo Protestantes vel ad judaicum sabbatum redire coguntur, vel auctoritatem Ecclesiæ accipere, quæ, potestate a Deo accepta, diem sabbati in diem dominicam mutavit. Revera Confessio *Augustana* agnoscit hanc mutationem Ecclesiæ auctoritate factam fuisse [2]; si vero accipiatur ejus auctoritas quoad hoc punctum, cur quoad alia rejicitur? Non enim hic agitur de materia mere disciplinari, sed de mutatione præcepti divini, ad quam requiritur auctoritas divinitus collata [3]. Ergo Scriptura non est regula fidei completa.

587. 2° **Non omnibus obvia.** Ut esset omnibus obvia, oporteret ut fideles omni tempore sacram Scripturam præ manibus facile habuerint, eam legere et intelligere potuerint, et ex ea sine magno labore sibi conficere fidei symbolum.

---

[1] *II Thessal.*, II, 14; cf. *II Tim.*, I, 13-14; II, 2. Quod fusius probatur in *Tr. de Fontibus theologicis.*

[2] "Quid igitur sentiendum est de die Dominico et similibus ritibus templorum? Ad hæc respondent quod liceat Episcopis seu Pastoribus facere ordinationes ut res ordine gerantur in Ecclesia..." (Apud **Schaff***, *Creeds*, vol. III, p. 68; **J. T. Müller***, *Die symbolischen Bücher der luth. ev. Kirche*, 11ª Ed., p. 67.

[3] Quod argumentum evolutum invenies in opusculo *Rome's Challenge :* Why do Protestants keep Sunday? Hinc Adventistæ *(Seventh-day Adventists)*, qui diem sabbati celebrant, circa finem hujus opusculi alios Protestantes ut sibi non constantes arguunt; si soli fidant Scripturæ, diem sabbati sanctificent; si vero diem dominicam celebrent ex auctoritate Romanæ Ecclesiæ, hanc Ecclesiam ingrediantur!

Atqui hæc tria moraliter impossibilia sunt absque Ecclesiæ auctoritate.

(**A**) Ab initio nulla erat Scriptura christiana quæ ut regula fidei haberi posset : Christus ipse nihil scripsit, sed *ore* Apostolos docuit; neque ipsis præcepit ut scriberent, sed ut docerent : " Euntes ergo *docete*... " Apostoli Evangelium ore docuerunt, et nonnisi post aliquod temporis idem scripserunt aut scribi curarunt; neque omnia scribere intendebant, sed tantum ea quæ, pro necessitatibus sui temporis, magis necessaria videbantur; hinc non exponebant *ex professo* totam Christi doctrinam, sed in memoriam revocabant ea quæ viva voce annuntiaverant, multaque nonnisi *obiter* et *per transennam* commemorabant tamquam alias explicata. Ergo tempus fuit quo Scripturæ christianæ non existebant, nec proinde poterant esse fidei regula.

Præterea, ante typographicæ artis inventionem, difficile erat unicuique Fidelium integras Scripturas habere, quum manuscripta tunc temporis rara essent et nonnisi magno pretio comparari possent; hinc si Christus voluisset Scripturam esse universalem fidei regulam, artem typographicam revelare debuisset ![1]

588. (**B**) Dato etiam S. Libros ab omnibus facile comparari posse, sane plerisque difficile erit eos intelligere. (**a**) Cum enim lingua hebræa et græca scripti fuerint, vel assidue horum idiomatum studio incumbendum est, (quod sane plerisque impossibile est), vel utendum integra et fideli translatione; quis autem, seclusa infallibili auctoritate, scire poterit utrum versio quam legit, sit omnino accurata? Versio ipsa Lutheri, fatentibus Protestantibus criticis, multis scatebat erroribus; anglica versio, sub rege Jacobo edita, correcta fuit, utpote imperfecta; et sane, progrediente linguarum orientalium studio, de novo emendabitur Oxoniensis translatio, qua nunc utuntur Protestantes; ergo plerique saltem incerti manent utrum necne puram et integram Christi doctrinam habeant [2]. (**b**) Nec sufficit præ manibus

[1] Quod lepide exponit **Martinet**, *Solution des grands Problèmes*, t. II, ch. 10; *anglice*, Religion in Society, New York, 1850, vol. II, c. 10, p. 36.

[2] Hinc **A. Sabatier***, *op. cit.*, p. 308, scribit : "A quoi bon en effet postuler l'inspiration divine d'un texte antique et son infaillibilité jusqu'à l'iota, si dès à

habere fidelem versionem : integra legi debet, ut ex contextu et locis parallelis genuinus sensus detegi possit : Scriptura enim doctrinam christianam non exponit more *doctrinali*, sed modo *historico;* nec totam simul, sed *per partes*, ita ut varia dogmata et præcepta hinc et illinc dispersa in multis libris, nonnisi analysi, comparatione et synthesi ex ea erui possint; neque *ex professo*, sed *memorando* res *ore* traditas aut eis *alludendo;* neque discrimen instituendo inter ea quæ *homines omnium sæculorum* respiciunt, et ea quæ *necessitatibus temporum apostolicorum propria* erant. Jamvero nemo est qui non videat tale opus multis impossibile esse vel propter defectum temporis, vel propter ingenii imbecillitatem.

589. (**C**) Difficultas S. Libros intelligendi oritur non solum ex linguis in quibus scripti sunt, sed etiam ex ipsa rei natura. Quædam loca sane clara et aperta sunt, non autem omnia. Jam enim Petrus de Epistolis Pauli scribebat [1] : "In quibus sunt quædam *difficilia* intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et *ceteras Scripturas* ad suam ipsorum *perditionem*"; ex quo colligitur hic agi etiam de rebus ad fidem moresque pertinentibus, et quidem fundamentalibus, quum sic *depravantes* Scripturæ sensum, *perditionis* periculum incurrant [2].

Etenim in S. Libris, præter partem historicam, invenire est prophetias, dogmata et præcepta. (**a**) Jamvero *prophetias* recte intelligere est opus arduum, ita ut etiam hodie nonnulla vaticinia sive Veteris sive Novi Testamenti a nemine fuerint clare exposita, v. g., prophetia Danielis, vaticinium de secundo adventu Christi, vel pleraque vaticinia in Apocalypsi relata. Hinc discipuli Emmaus euntes non intellexerunt Scripturas nisi post expositionem Christi [3], et eunuchus reginæ Æthiopum, rogatus a Philippo num intel-

---

présent, ce texte, écrit en langues mortes depuis longtemps, n'est accessible qu'à quelques savants philologues, et si le peuple chrétien doit se contenter de versions vulgaires, qui ne sont, elles, ni infaillibles ni parfaites?"

[1] *II Petr.*, III, 16.

[2] Apostolo igitur contradicit **Hodge** *, dum dicit (*System., theol.*, I, p. 183) Scripturam, in omnibus ad salutem spectantibus, esse tam claram ut possit etiam ab indoctis intelligi.

[3] *Luc.*, XXIV, 27.

ligeret Isaiæ vaticinium, apposite respondit : "Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi"[1]? (**b**) Quædam *dogmata* pariter obscure in S. Litteris declarantur; v. g., nullibi diserte affirmatur tres esse in Deo personas et unam naturam : hinc quando dicitur in Evangelio : "Ego et Pater unum sumus"[2], quidam hæretici hæc audiunt de unitate morali, non de unitate naturæ, et exinde fundamentalia Trinitatis et Incarnationis dogmata negant. (**c**) Insuper, de multis quæ a Christo commendantur, dubitatur utrum sint *præcepta* an *consilia*, omnes Christianos an solos Apostolos ligantia; ita, v. g., de his Domini verbis : "Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos"... "Omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus"[3].

590. (**D**) Difficultas haud raro augetur : (**a**) ex *multiplici sensu*, litterali, typico, allegorico, metaphorico qui in Scripturis, data occasione, usurpatur, et ex transitu ab uno sensu ad alterum in eodem sermone. Licet enim regulæ tradantur ad genuinum textus sensum determinandum, harum applicatio sæpe valde est operosa, ut cuique patet ex diversitate interpretationum quæ apud eximios Commentatores invenitur. (**b**) Haud raro etiam reperiuntur *apparentes contradictiones*[4], quas etiam doctissimi conciliare non potuerunt, ut testatur Augustinus ipse in libris de Consensu Evangelistarum.

Quam Scripturarum obscuritatem candide confessi sunt non solum Patres, sed etiam Protestantes multi, inter quos ipse Lutherus[5] : "Dei verbum est inscrutabile. Unicum S. Scripturæ verbum perscrutari, et e profundo eruere, omnino ἀδύνατον (i. e., impossibile) est. Nego eruditos et theologos, ut vel maxime velint, id posse. Quia enim Spiri-

[1] *Act.*, VIII, 31. — [2] *Joan.*, X, 30.

[3] *Matt.*, V, 44; *Luc.*, XIV, 33. Multiplicari possent exempla; ita Quakeri juramentum præstare nolunt, etiam in judicio, quia scriptum est (*Matt.*, V, 34) : "Ego autem dico vobis, non jurare omnino". Cfr. **Becanus**, l. cit., q. 7-8, ubi multa obscuritatis exempla adducuntur.

[4] Multa harum exempla habes apud **Becanum**, l. c., q. VIII, n. 7.

[5] **Lutherus***, *Symposian.*, c. I, fol. 3.

tus S. verba sunt, ideo supra homines sunt". Qui vero de hoc dubitaverit, simul conferat varios commentarios a variis Protestantium scholis, nostris etiam diebus editos, et videat quam pauca sint loca dogmatica de quorum interpretatione consentiant, quam multa de quibus discrepent. Si vero, post novemdecim sæcula, tanta remanet obscuritas in Scripturis, ut dubia oriantur circa articulos fundamentales, prout sunt Trinitas personarum in Deo, divinitas Christi, originale peccatum, redemptio, sacramentorum numerus et efficacia, quis unquam asserere possit Scripturam esse fidei regulam omnibus obviam?

591. 3° **Neque apta ad controversias dirimendas.** Ut controversiæ dirimantur, etiam in rebus civilibus, non sufficit legum codex, sed necesse est ut adsit judex qui, causa cognita, judicium pronuntiet auctoritativum a litigantibus accipiendum : secus enim lites divisionesque interminabiles erunt. Atqui Scriptura sola non potest esse controversiarum judex ultimus; nam, etiam post attentum et diligens Scripturæ studium, dubia remanent non pauca, etiam quoad dogmata fundamentalia, ut supra diximus, et exinde inter Christianos oriuntur controversiæ; quis autem hæc dubia solvet? Certe non Scriptura ipsa, cum dubitetur de ejus sensu; ipsa enim nihil aliud dicet quam quod antea dixit, et de hoc præcise est controversia. Quod jam animadverterat Plato [1] de libris in genere : "Centies, inquit, interroga librum, idem semper responsum dabit, eodem modo ab ignorantibus, sicut a sophistis laceratus plurima tolerare debebit et ab istorum petulantia et ab illorum stupiditate, neque ab istis injuriis liberabitur, *nisi libri auctor succurrat, et viva voce rectum sensum determinet*". Hinc legislatores non putarunt satis esse legum codicem scribere, sed *judices* constituerunt, qui auctoritate pollerent ad sententias ferendas et lites componendas; numquid Deus minus sapienter egerit quam humani legum conditores?

592. (**A**) Neque dicatur *privato examine* lites dirimi posse, quia, si sensus Scripturæ in uno loco obscurus est, in alio tamen clarus esse potest. Etenim, etiam parallelis tex-

[1] **Plato,** *Phædr.*, n. 60.

tibus inspectis, sæpe remanet obscuritas. (**a**) Quod ex ipsis *Protestantium dissensionibus* luculenter ostenditur. Nam, etiam post collatos Scripturæ textus inuumeros, Lutherani a Calvinistis differunt quoad res maximi momenti, v. g., quoad præsentiam realem Christi in Eucharistia; Baptistæ ab utrisque differunt quoad validitatem baptismi; Unitarii ab his omnibus quoad Trinitatem, divinitatem Christi, originale peccatum, redemptionem etc.[1] Nec sane ulla via est ad redarguendos contradicentes : quisque enim privatam rationem sequi potest et debet, et exinde sectarum numerus quotidie augetur, ita ut jam nulla fere unitas appareat inter Acatholicos, sed universalis conflictatio. (**b**) Inde etiam oritur *animorum anxietas*, cum vix ullus certus esse possit se hanc summam Religionis Christianæ tenere, quam Christus ad salutem necessariam esse voluit; hinc fides jam non amplius tuta et certa manet, sed in opinionem et dubium pene universale mergitur.

593. (**B**) Neque sufficit *privata inspiratio*, quam Protestantes tum veteres tum recentiores sub variis nominibus admittunt. (**a**) Nam imprimis talis inspiratio, cuilibet christiano facta, *solitis Providentiæ viis repugnat :* hoc est enim miraculum ordinis intellectualis, quod sine probationibus admitti nequit, præsertim cum viam aperiat illusionibus, et valde difficile sit veras inspirationes a phantasiis et fallaciis distinguere. (**b**) Aliunde *controversias dirimere nequit :* experientia enim constat eos qui se dicunt a Spi-

[1] Quod jam primis Ecclesiæ sæculis animadverterat **Vincentius Lirinensis**, quoad hæreticos sui temporis, et exinde deducebat necessitatem vivæ auctoritatis : "Hic forsan requirat aliquis : Cum sit perfectus Scripturarum canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est ut ei ecclesiasticæ intelligentiæ jungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, *sed ejusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut pene quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur.* Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius; aliter Photinus, Apollinaris, Priscillianus... Atque idcirco multum necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticæ et apostolicæ interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur". (*Commonitor.*, c. 2., **R.**, 2168.) Quæ descriptio, mutatis nominibus, Protestantium variis sectis apprime convenit, ut satis constat ex expositione eorum systematum et exemplis quæ legere est apud **Milner**, *op. cit.*, lett. 8-9.

ritu S. inspiratos, non solum *diversas*, sed etiam *contradictorias* Scripturæ interpretationes tradere; cum autem cuique persuasum sit se divinitus esse inspiratum, quisque in suo sensu abundabit, et rursus quot erunt capita, tot sensus, ut luculenter patet ex Novatorum scriptis. (c) Immo *viam aperit fanatismo* multisque sceleribus, quæ, sub prætextu obediendi Spiritui S., committuntur. Ita *Joannes Bockhold*, Anabaptistarum dux [1], inspiratione, ut aiebat, divina, plures simul uxores duxit, quas postea, eodem Spiritu inspirante, interemit; *Jacobus Naylor* se Messiam esse declaravit et ut talis ab ejus discipulis habitus est; Swedenborgiani et Methodistæ nonnulli, qui se inspiratos dicebant, doctrinas docuerunt Scripturæ evidenter contrarias, et quæ ab aliis Protestantibus ut ridiculæ et piarum aurium offensivæ existimantur [2].

Merito itaque rejicitur privata inspiratio, et respuitur regula fidei protestantica quæ neque tuta est, neque omnibus obvia neque ad dirimendas controversias apta [3].

594. II. Regula fidei catholica est tuta, omnibus obvia, et ad lites componendas plane sufficiens.

1° *Tuta et completa.* (a) Siquidem regula fidei catholica est *verbum Dei* sive *scriptum*, sive *traditum, infallibili auctoritate Ecclesiæ interpretatum.* Ex quo statim constat hanc regulam esse omnino completam : quidquid enim credere debemus, continetur in verbo Dei, ut fatentur omnes qui christiano nomine gloriantur; porro totum Dei verbum ad publicam hominum instructionem prolatum, sane reperitur in Scriptura et Traditione. Cum autem hujusmodi verbum nobis authentice proponatur ab Ecclesia, quam infallibilem esse supponimus, certi sumus nos non decipi, sed genuinum adipisci sensum omnium quæ propter nostram utilitatem revelata sunt.

---

[1] Cf. **Janssen,** *Hist. du peuple allemand*, t. III-IV; **Baudrillart,** *in D. T. C.* t. I, p. 1128-1134.

[2] Exempla habes non pauca apud **Milner,** *op. cit.*, lett. 6; **Moelher,** *Symbolik*, § 76, ubi verba allegat famosi methodistæ asserentis per adulteria, incestus et homicidia fideles reddi sanctiores in præsenti vita et feliciores in altera.

[3] Recte igitur **J. H. Newman** (*Apologia*, London, 1886, p. 244-245) animadvertit nullum librum, etiam inspiratum, *ex se* humani ingenii impugnationibus resistere posse; quod sane luculenter confirmatur ex operibus hodiernorum criticorum.

(**b**) Nec difficile est Catholico scire quinam sint Libri Canonici vel non : Ecclesiæ infallibili auctoritate semel admissa, ab ea authenticum Scripturarum canonem accipit : nec in hoc circulus vitiosus adest, ut ex dictis colligi potest (n. 582).

595. 2° *Omnibus obviâ*, id est omnibus temporibus, omniumque captui accommodata. (**a**) Antequam Evangelia scriberentur, verbum Dei *ore* tradebatur ab infallibili Apostolorum collegio, et ita nullum fuit tempus quo regula fidei deesset. Postea, dum multi essent Fideles qui sacros libros comparare vel legere non valerent, verbum Dei prædicabatur a Pastoribus, sub infallibili Ecclesiæ magisterio, ideoque *fides ex auditu* propagabatur, sicut Apostolorum tempore. (**b**) Magisterium vivum, cum quacumque ætate constet viris eo tempore viventibus, facillime doctrinam aptat mentibus coævorum [1]. (**c**) Neque in Scripturarum interpretatione tot et tantas difficultates invenit Catholicus ac Protestans; docti siquidem, præter hermeneuticæ regulas et omnia humana quibus fruuntur subsidia, Traditione utuntur ad genuinum Scripturæ sensum detegendum; si autem adsint loca dubia quæ alicujus sint momenti, recursus fit ad infallibile Ecclesiæ judicium, quod tempore opportuno feretur, et sic animorum anxietates tolluntur, quia, lite pendente, quisque ad obediendum Ecclesiæ judicio paratus est. Indocti autem utilia ad salutem a Pastoribus accipiunt, et cum hi sint in communione cum auctoritate infallibili, fideles decipi nequeunt saltem per longum tempus quoad veritates ad salutem necessarias [2].

Immerito objiciunt Protestantes Traditionem non esse regulam fidei omnibus obviam, cum contineatur in innumeris fere libris

[1] " L'Eglise a cette première superiorité sur la Bible, d'être un organisme social, vivant, contemporain, souple, en état de parer à toutes les questions nouvelles...". **A. Sabatier***, *Religions d'autorité*, p. 306.

[2] Et ita confutatur id quod dicit **Hodge*** (op. cit., p. 187), videlicet Ecclesiæ infallibilem auctoritatem ad Scripturam interpretandam ultimo resolvi in testimonium sacerdotis, qui sæpe pravus, ac sæpius ignarus est. Prætermittendo injustam calumniam contra sacerdotes catholicos, dicere sufficiat pastorem non posse, data constitutione Ecclesiæ catholicæ, errores contra fidem docere, quin, generatim saltem, brevi res Episcopo, immo S. Pontifici, nota sit, et error corrigatur.

quos legere non possunt [1]; nam, juxta catholica principia, horum documentorum investigatio non est opus fidelium, sed Ecclesiæ docentis, quæ, divino assistente Spiritu, veras traditiones a falsis secernit, easque authentice plebi proponit.

596. 3° *Ad lites dirimendas apta;* nam, quando loca obscura in Scripturis inveniuntur controversiæque circa fidei dogmata oriuntur, præsto est Ecclesia infallibilis ad obscura clare exponenda litesque componendas. Ita quando, Apostolorum tempore, disputatio de circumcisione et legalibus orta est, non ad Scripturæ textum, sed ad collegii apostolici auctoritatem recursus habitus est; et res definita a Concilio Hierosolymitano; pariter, post tempora Apostolorum, controversia de die Paschatis a Victore Papa in Concilio Romano definita fuit; idem actum est in quæstionibus de lapsorum absolutione, de validitate baptismi ab hæreticis collati, aliisque quas infra recensemus; idem fit etiam hodie, quando novæ exsurgunt difficultates; et cum decisio ab Ecclesia data, sit irreformabilis, cuique licet verba Augustini repetere : "*Inde* (a Sede Apostolica) etiam *rescripta venerunt : causa finita est*" [2].

Addere possumus magisterium vivum, i. e., personale, aptius esse quam librum ad personam Christi inter homines continuandam [3].

597. Conclusio : Multo igitur perfectior est fidei regula catholica quam protestantica, multo aptior ad dirigendos homines omnium temporum ac conditionum versus finem supernaturalem. — Christus igitur, qui volebat Evangelium prædicari omni creaturæ, et omnia quæcumque mandaverat ab omnibus gentibus servari, qui ita de salute hominum curabat ut pro eis sanguinem fuderit, verisimiliter medium selegit, quo sua doctrina tutius servaretur et propagaretur, nempe *institutionem magisterii vivi et infallibilis;* quod *historice* jam demonstrandum est [4].

---

[1] Ita **Hodge***, *op. cit.*, p. 127.

[2] Sermo CXXXI, 10, *P. L.*, XXXVIII, 734. **R.**, 1507.

[3] **G. Goyau**, *Cath. et Prot.*, p. 313-319.

[4] Quæ quidem argumenta iis firmabuntur quæ de convenientia potestatis monarchicæ in Ecclesia inferius dicentur.

CAPUT II.

DIVINA INSTITUTIO ECCLESIÆ HISTORICE PROBATUR.

598. Divisio capitis. Doctrinam catholicam de institutione Ecclesiæ a Christo tradit Concilium *Vaticanum* (1870), tria præsertim exponens : (**a**) Christum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, Ecclesiam instituisse ad modum *societatis proprie dictæ*, in qua fideles omnes *unius fidei et caritatis vinculo* continerentur; (**b**) in eadem constituisse Pastores et fidei Doctores, *Episcopos* videlicet, qui suprema potestate docendi et regendi pollerent; (**c**) ut episcopatus ipse unus et indivisus esset, fidelesque in fidei et communionis unitate conservarentur, Petro ejusque successoribus, *Romanis Pontificibus*, contulisse primatum non solum honoris, sed etiam *jurisdictionis*, cui omnes sive fideles sive episcopi sese subdere teneantur [1].

Quæ tria puncta triplici articulo historice demonstrare conabimur [2].

Art. I. Christus instituit Ecclesiam ut societatem proprie dictam [3].

599. Status quæstionis. Omnes, etiam acatholici, admittunt Ecclesiam catholicam *de facto* a Christi prædicatione derivare. Negant autem *Protestantes liberales* et

[1] *Constitutio de Ecclesia Christi*, Proœmium, **D. B.**, 1821.

[2] Cf. **G. Brunhes**, *Christianisme et catholicisme*, 3e Partie.

[3] **Batiffol**, *L'enseignement de Jésus*; **Id.**, *L'Eglise naissante et le catholicisme*, ch. II; **Hugueny**, *Critique et catholique*, t. I, ch. III et IV; **De la Brière**, Art. *Eglise* in *D. A.*, col. 1221-1236; **Dublanchy**, art. *Eglise* in *D. T. C.*, col. 2115-2119; **Rose**, *Etudes sur les Evangiles*, ch. III; **de Poulpiquet**, *L'Eglise catholique*, p. 113-144; **de Grandmaison**, art. *Jésus-Christ*, in *D. A.*, col. 1423-1446; **M. Lepin**, *Le royaume de Dieu*, in *R. P. A.*, t. XIV (1912), 914-933; **Vacandard**, *Etudes de critique et d'histoire religieuse*, 2e série, p. 3-47; **Bourchany et Tixeront**, *Conférences apologétiques*, L'Eglise a-t-elle été fondée par Jésus-Christ et avec les caractères du catholicisme? **D'Herbigny**, *De Deo universos evocante ad sui regni vitam*, p. 13-139; **Leo XIII**, Encyclica "*Immortale Dei.*" (1 nov. 1885); **Lagrange**, Commentaria in Evangelia.

Modernistæ Christum voluisse inter discipulos suos societatem instituere, quippe qui de fine mundi proximo magis curaret : quorum hypothesim in fine articuli confutabimus. — Negant plerique *Protestantes orthodoxi* Christum Ecclesiam ut societatem visibilem et proprie dictam instituisse [1]. — Contra quos, (consentientibus Ecclesiis schismaticis orientalibus et etiam aliquibus Ecclesiis protestantibus) sequentem enuntiamus thesim.

600. *Thesis.* **Christus immediate et deliberate instituit Ecclesiam ut societatem visibilem, duraturam et usque ad finem mundi permansuram.**

Historice certum est, theologice de fide [2].

Thesis *declaratur :* (**a**) *Christus*, i. e., Jesus, dum in terra inter homines commoraretur, sive ante sive post Resurrectionem, non autem Christus in cælis gloriosus; (**b**) *immediate* et *deliberate*, videlicet Christus *ipse* (non tantum apostoli eorumque successores, vel a fortiori, cæca historica evolutio), volens et intendens Ecclesiæ institutionem; (**c**) *instituit Ecclesiam ut societatem* veram, i. e., coadunare voluit credentes in unum corpus sociale; (**d**) *societatem visibilem*, i. e., ab aliis societatibus discernibilem, habens suum finem, sua media ad finem consequendum, suosque duces : his enim notis societas a mera turba distinguitur; (**e**) *duraturam* per notabile tempus, et non solum ut organismum mox fine mundi destruendum; (**f**) *usque ad finem mundi permansuram*, i. e., definitivam.

Hoc ultimum dirigitur contra *falsas mysticorum sectas*, qui post Ecclesiam prævidebant regnum Spiritus Sancti; quod ad visibilitatem Ecclesiæ pertinet, contra *Protestantes* dirigitur; cætera vero specialiter Modernistarum erroribus opponuntur.

601. Probatur thesis. Cum hodierni critici contendant Christum Ecclesiam non instituisse, sed potius Regnum Dei prædicavisse, duplici gradu demonstrabimus thesim : 1° exponendo prædicationem Christi de Regno Dei et pro-

[1] De visibilitate Ecclesiæ secundum Protestantes, vide supra Prænotanda, § II. Non plene de hac quæstione concordant reformatores ipsi.

[2] Ex concilio **Vaticano, D. B.**, 1821. Cf. Decretum **Lamentabili, D. B.**, 2052; Encycl. **Pascendi, D. B.**, 2088-2091; **Jusjurandum contra Mod. D. B.**, 2145.

bando hanc prædicationem Ecclesiæ institutioni viam paravisse; 2° demonstrando Christum in Ecclesiam congregare voluisse discipulos adhærentes Regno Dei. Difficultates vero a criticis propositas in finem demonstrationis remittimus.

602. 1° Christus, adventum Regni Dei prædicando, institutioni Ecclesiæ viam paravit.

(**A**) In *Tractatu de Christo legato divino* ample demonstratum est Christum esse Messiam, a prophetis prænuntiatum, a Deo missum ad docendos homines veram religionem, n. 333-339; 397-407. *Prophetæ* tempus Messiæ sæpissime *Regnum Dei vocant* [1]. Deus certe jam ab æterno regnat super omnem terram quam creavit, super populos et specialiter super populum electum Israel. Sed venient tempora messianica, quibus hoc regnum *Jahweh* uberius a Judæis et ab universis gentibus recognoscetur, et sic novum habebit adventum [2]. Aliqui autem prophetæ secundum describunt adventum Regni Dei in fine temporum Messiæ, quando scilicet terra nova et cæli novi in consummatione mundi apparebunt, mortuique e sepulcris suis resurgent [3]. Regnum Dei est ergo aliquid *progressivum* et nonnisi in fine sæculi definitivum.

603. (**B**) Easdem ideas a Scriptura acceperunt *coævi Christi*, eas tamen multis adulterantes lucubrationibus; quæ exponuntur sive in libris *rabbinicis*, sive specialiter in *Apocalypsibus* apocryphis a II° ante Christum sæculo ad I^um^ post Christum sæculum scriptis : in prioribus aspectus moralis adventus regni Dei, in posterioribus potius aspectus temporalis depingitur [4].

Iisdem usus vocibus, *Joannes Baptista* adventum Messiæ, cujus constitutus erat Præcursor, tanquam adventum regni Dei prædicabat [5].

604. (**C**) *Christus*, in Palæstina apparens ut homines veram doceret religionem, seseque ut Messiam a prophetis

---

[1] Cf. **M. J. Lagrange**, *Le règne de Dieu dans l'Ancien Testament*, **R. B.**, 1908, p. 36-61. — [2] Cf. supra, n. 326-327.

[3] Cf. præsertim *Dan.*, VII, 13-14 et XII, 1-3.

[4] **Schürer**, *Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi*, 4ª Ed., Leipzig, 1907, t. II, p. 579-651 : **M. J. Lagrange**, *Le Messianisme chez les Juifs*, Paris, 1909. — [5] *Matt.*, III, 2.

nuntiatum declarans, sapientissime missionem suam sub figura traditionali *Adventus regni Dei*, seu *regni cælorum* [1] prædicavit, præsertim initio vitæ publicæ [2]. Quid sub his verbis includatur, brevissime expendere licet. Jamvero tria præsertim complectitur.

(**a**) Regnum Dei ante omnia constituitur *temporibus messianicis*, quibus sanctitas magis florebit : " Lex et prophetæ usque Joannem : ex eo regnum Dei evangelizatur..." [3] Huc usque specialis Dei protectio, verique Dei notitia, soli populo Israël reservata fuit, deinceps vero ad omnes extendetur gentes [4]. Hæc autem messianica ætas jam inchoatur, liberque panditur ad regnum ingressus [5], sed multo magis crescet, et in totum orbem terrarum extendetur [6]. Regnum Dei est ergo aliquid *terrestre*, *progressivum*, *universale* [7].

(**b**) Regnum Dei habet quoque aspectum *moralem*, *spiritualem*. Christus quippe dominationem, quam Satanas injuste detinebat, arripuit [8]. Unicuique offertur gratia vitam æternam ingrediendi, animam in æternum salvandi, dummodo præcepta servet et pœnitentia, abnegatione, simplicitate cordis, oratione, fide Christum sequatur [9]. Est ergo *donum gratiæ* in hoc mundo, *gloriæ* in futuro.

---

[1] *Regnum Dei* et *regnum cælorum* (a Matthæo præsertim usurpatum) idem significant (cæli nempe apud rabbinos Deum designant) : ambæ locutiones inveniuntur apud *Mc.*, 14 vicibus, apud *Lc.*, 39, apud *Mt.*, 51. — Significant aliquando *regnum territoriale Dei*, plerumque tamen *dominationem Dei* (*royaume, ou règne de Dieu*) : ex contextu, in quantum fieri potest, sensus definietur.

[2] Ultimo vitæ suæ anno Christus magis explicite *seipsum* prædicavit, cum jam mentes præparatæ essent ad doctrinam suam intelligendam. Cf. *Matt.*, IV, 17 et XVI, 21. Remansit tamen idea Regni Dei velut centrum prædicationis Jesu. — [3] *Luc.*, XVI, 16; cf. *Matt.*, XI, 13.

[4] Parabolæ de vinitoribus homicidiis *Marc.*, XII, 1-12, de invitatis ad prandium *Matt.*, XXII, 2-14. Recole quomodo laudetur centurio, *Matt.*, VIII, 11-12.

[5] *Matt.*, VI, 33; XI, 12-15; XXIII, 13; *Luc.*, XVI, 16.

[6] Id enim significat parabola grani sinapis : *Marc.*, IV, 30-32.

[7] Aliqui textus missionem Christi ad Judæos restringere videntur, v. g., *Matt.*, X, 5; XV, 24. Sed hic agitur solummodo de missione *personali* Christi, vel de missione *temporali* apostolorum; dum clare annuntiatur alibi apostolos Evangelium Regni Dei post Christi necem usque ad ultimum terræ nuntiaturos esse : sic, præter locos citatos, cfr. *Marc.*, XIII, 9-10; *Matt.*, V, 13, 14; XXVIII, 19 etc.

[8] *Marc.*, III, 20-30; *Luc.*, X, 18. Unde vides sanationes possessorum a dæmone esse vere opus messianicum.

[9] *Marc.*, XII, 34 : " Non longe es a regno Dei " i. e., ab acceptione gratiæ præstitæ per Evangelium; *Marc.*, X, 15 : " Quisquis non receperit regnum Dei

(**c**) Quamdiu regnum Dei in hac terra morabitur, bonos et malos complectetur, ut apparet ex parabolis de bono semine et zizaniis, de sagena, de virginibus prudentibus et fatuis [1].

Veniet tamen tempus quo separabuntur mali de medio justorum, et tunc *consummabitur regnum Dei*, quando reddetur unicuique secundum opera ejus [2]. Nemo autem scit quo momento regnum Dei adventu finali Christi rerumque consummatione sit complendum [3]. Habet ergo etiam Regnum Dei aspectum *eschatologicum* [4]; sed est simul regnum reale et terrestre, vere aliquid *duraturum* et *usque ad finem mundi permansurum*.

Uno verbo, Regnum Dei est vox et imago traditionalis, quibus Christus usus est ut missionem suam et Revelationem christianam sub forma coævis suis intelligibili præberet.

605. (**D**) Jamvero hæc prædicatio Regni *institutioni Ecclesiæ viam paravit;* nam (**a**) *finem* Ecclesiæ designavit, seu gloriam Dei obtinendam in Regno cælorum æterno, cujus inchoatio est Regnum divinæ gratiæ in justis; (**b**) necnon *medium* a se electum ad hunc finem assequendum delineavit, scilicet societatem visibilem simul et spiritualem, universalem et progressivam, ut ex sequentibus clarius apparebit.

606. 2° **Christus coadunavit discipulos adhærentes prædicationi Regni Dei in veram societatem, quam Ecclesiam vocavit.**

(**A**) Impossibile est negare, jam *Apostolorum tempore*, adhærentes prædicationi regni Dei a Christo factæ, credentes-

---

velut parvulus, non intrabit in illud", ubi opponitur acceptio gratiæ Evangelii receptioni æternæ gloriæ. Necessitas abnegationis ad gratiam et gloriam accipiendam patet ex parabola margaritæ, *Mt.*, XIII, 44-46. Cf. etiam *Marc.*, VIII, 34-38 etc.

[1] *Matt.*, XIII, 24-30, 36-43, 47-50; XXV, 1-13.

[2] *Matt.*, XXV, 31-34.

[3] *Marc.*, XIII, 32. Parabolæ de servis vigilantibus *Marc.*, XIII, 34-37; de talentis *Matt.*, XXV, 14-30; *Luc.*, XIX, 12-27; forsan de virginibus sapientibus et prudentibus *Matt.*, XXV, 1-13.

[4] *Eschatologicus* (a græco ἔσχατος ultimus, et λόγος verbum) significat : ad finem rerum pertinens.

que Jesum esse Messiam, veram societatem, a Judaismo distinctam, formavisse. Etenim :

607. (a) *A die Pentecostes*, seu duobus post Christi mortem mensibus, cœtus in Christum credentium, *intra fines Palestinæ* adhuc inclusus, ut *vera societas apparet.*

1) *Suam habet doctrinam :* Apostoli doctrinam prædicant hucusque Judæis ignotam, nempe Christum, quem crucifixerunt, esse vere *Messiam* a prophetis nuntiatum, *Dominum* a nobis colendum, *Salvatorem* pro nobis passum, a mortuis suscitatum, in cujus solo nomine salvari possumus [1]. Hæc est veluti *regula fidei* quam neo-conversi profiteri debent [2].

2) *Suos pariter ritus habet proprios*, præsertim *baptismum*, distinctum a variis baptismatibus Judæorum et a baptismo Joannis [3], sine quo nemo novam communitatem ingredi potest [4] ; *impositionem manuum* qua Spiritus Sanctus modo speciali confertur [5] ; *fractionem panis* [6], quæ nihil aliud esse videtur nisi celebratio eucharistiæ a Christo in ultima cœna institutæ.

3) *Suos duces possidet*, ut ex sequenti thesi apparebit.

4) *A Synagoga non pendet.* Etsi enim Apostoli primum preces in templo offerunt cum Judæis [7], mox a Synagoga secedunt : (a) *æquivalenter*, profitendo se *a Christo immediate* et *exclusive* divinam missionem accepisse homines docendi et sanctificandi, eamque exercendo *independenter* a Synagoga, immo et contra ejus præscripta [8] ; (b) *formaliter*, sibi coaptando gentiles, Deo ita jubente, et quidem per baptismum et collationem Spiritus Sancti, sine circumcisione et professione judaismi [9], et declarando circumcisionem aliaque legalia præcepta non ligare christianos e gentilitate conversos [10].

608. (b) *Cum, circiter 20-30 annis postea, fides per totum orbem romanum propagaretur*, æqualiter constat cœtum Christi fidelium veram constituere societatem :

---

[1] *Act.*, II, 36; IV, 10-12. — [2] *Act.*, II, 42. — [3] *Act.*, XI, 16; XIX, 1-5.
[4] *Act.*, II, 37-41; VIII, 5-16, 36-38.
[5] *Act.*, VIII, 14-17. — [6] *Act.*, II, 42-46. — [7] *Act.*, II, 46; III, 1, 2, etc.
[8] *Act.*, II, 38; III, 17; IV, 8-20; V, 27-33.
[9] *Act.*, X, 3-33; 44-48; XI, 19-30; XV, 1. — [10] *Act.*, XV, 7-11; XXI, 25.

1) *Unam :* sic enim scribit *Paulus :* "Unum corpus, et unus spiritus sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium" [1]. Quod confirmatur relationibus tam arctis et frequentibus inter congregationes christianorum.

2) *Visibilem :* elucet ex variis comparationibus a S. Paulo adhibitis. Ecclesia enim, non localis sed universalis, dicitur *templum* [2], *corpus* [3] et *sponsa Christi* [4]. Quæ comparationes manifestant non solum Ecclesiam esse visibilem, sed aliquid *ordinatum*, sicut societati competit.

3) *Usque ad finem mundi permansuram :* opponitur enim permanentia Novi Testamenti veteri Legi, quæ solummodo transitoria erat [5].

4) *A Jesu fundatam :* Apostoli enim, non quidem apodictice vel ex professo, sed crebris allusionibus, ostendunt institutionem Ecclesiæ a Christo esse omnibus notam, certe et inconcusse agnitam [6].

5) Hæc autem societas *Ecclesia* vocatur, est cœtus convocatus a Deo [7] sive a Christo [8].

609. Sufficerent sane hæc testimonia ad propositionem nostram probandam nempe : Christus fideles suos in veram coadunavit societatem, Ecclesiam vocatam. Impossibile est enim Apostolos de tam præcipuo articulo nos decipere voluisse (quod omnes concedunt), vel etiam deceptos esse, cum essent homines sanæ mentis et quid Dominus fecerit optime noverint.

610. (**B**) Sed ipsis *Evangeliis* institutio Ecclesiæ a Christo, tanquam societatis, demonstrari valet. Nam : (**a**) In multis *parabolis*, adhærentes Regno Dei velut cœtus visibilis describuntur (prandium, nuptiæ, populus) [9]. Regnum Dei ipsum sæpe ut res materialis, ut organismus exhibetur :

---

[1] *Eph.*, IV, 4-6. — [2] *Eph.*, II, 13-22.

[3] *Eph.*, I, 22-23; IV, 3-16; *Col.* II, 19. — [4] *Eph.*, V, 22-33.

[5] *Cor.*, III, 4-11; *Gal.*, IV, 22-31.

[6] *I Cor.*, I, 9. A Deo vocati sumus "in societatem filii ejus Jesu Christi Domini nostri". *Eph.*, I, 23; V, 23-30, Christus est caput Ecclesiæ; dilexit Ecclesiam et tradidit seipsum pro ea, ut exhiberet sibi gloriosam et mundam sponsam. Cf. *Col.*, I, 18; II, 6-7; *Heb.*, III, 1, 6, 14; *I Pet.*, II, 7, etc.

[7] *Act.*, XX, 28; *I Thess.*, II, 14. — [8] *Rom.*, XVI, 16; *Gal.*, I, 22.

[9] *Matt.*, XXII, 2-14; XXV, 1-13; XXI, 43, etc.

arbor, ager, domus [1]. Quæ quidem omnia institutionem Ecclesiæ insinuant.

(**b**) *Cætus Christi discipulorum*, quem post Pentecosten velut veram societatem descripsimus, jam vivente Christo constituebatur. Quamquam enim Jesus ejusque asseclæ in multis more Judæorum vivebant, in multis etiam a Judæis secernebantur. Habebat enim hujusmodi collegium : 1) *suos duces*, Jesum nempe et Apostolos; 2) *suos ritus* : baptisma, unctionem ægrorum, eucharistiam [2]; 3) *suam legem* [3], *suamque doctrinam*, aliquo modo secretam, de Regno Dei [4], et de divina Christi legatione. His omnibus discipuli Jesu a Judæis, " qui a foris sunt " [5], distinguebantur; pusillum quidem efformant gregem [6], sed mox populum constituent qui specialem Dei protectionem, populo judaïco reservatam, hæreditabunt [7]. Hic jam, procul dubio, *radix Ecclesiæ* invenitur.

(**c**) Tandem et ipsum vocabulum *Ecclesia* [8] Christus discipulorum congregationi imposuit. Quid est enim Ecclesia, nisi cœtus convocatus ab aliquo [9]? Jesus autem est qui discipulos post se vocat, qui eos congregat [10]. Quid inde mirum si ab ipso congregatio discipulorum *Ecclesia* vocatur, usque ad finem temporum permansura [11]?

(**d**) Hæc doctrina confirmatur *testimonio Evangelii S. Joannis*. Christus enim comparat societatem discipulorum suorum ovili clauso, ab uno pastore, scilicet ab ipso Salvatore, ducto [12]. Pro eis, a mundo segregatis, antequam ad Patrem redeat, precatur, ut sint unum [13]; eorum cœtum vineæ comparat, in qua palmites stipi uniuntur unumque cum ea efformant corpus [14] : sic discipuli in Christo unicum constituunt corpus morale vivum.

---

[1] *Marc.*, IV, 30-32; *Matt.*, XIII, 24-30, 36-43; XVI, 19.
[2] *Joann.*, III, 23-26; IV, 1-2; *Marc.*, VI, 13; *Luc.*, XXII, 19.
[3] *Matt.*, V, " Dictum est antiquis... Et ego dico... ". Cf. *Joan.*, VIII, 5.
[4] *Marc.*, IV, 11-12. — [5] *Ib.* — [6] *Luc.*, XII, 32. — [7] *Matt.*, XXI, 43.
[8] Evidenter, nec latine, nec græce, sed verbo aramaïco æquivalente *K'nischta*.
[9] Vide supra, n. 542.
[10] *Marc.*, II, 17; *Matt.*, IX, 13; XXII, 9-14; XXIII, 37; *Luc.*, XIII, 34.
[11] *Matt.*, XVI, 18. Cf. XVIII, 17. — [12] *Joan.*, X, 1-5, 11-16.
[13] *Joan.*, XVII, 11-20, 23.
[14] *Joan.*, XV, 1-7. Cf. *Tr. de constitutione Ecclesiæ catholicæ*, cap. I.

611. Vere ergo Christus Ecclesiam ipse instituit ut aliquid visibile, suum habens finem, scilicet professionem et prædicationem doctrinæ Christi ejusque propagationem et conservationem [1]; specialem profitens fidem; speciales operans ritus; suos duces possidens. Ecclesia usque ad finem temporum permanebit sicut Regnum Dei ipsum [2]: tunc autem in gloria consummabitur, cum erit Deus omnia in omnibus electis [3].

612. 3° **Adversariorum systematum expositio et confutatio.** Probata vera doctrina de Regno Dei a Christo prædicato et de fundatione Ecclesiæ, systemata adversariorum, scilicet *Liberalium* protestantium et *Eschatologistarum*, exponere et confutare necesse est.

613. (**A**) *Protestantes liberales* (*A. Sabatier* [4], *Harnack* [5]) admittunt quidem Christum Regnum Dei prædicavisse; sed, retento tantummodo aspectu morali Regni [6], cætera ut imagines, e conceptibus popularibus desumptas, rejiciunt. Sic Regnum Dei perfecte illa Christi formula exprimitur: "Regnum Dei intra vos est" [7], i. e., in cordibus vestris. Ecclesia autem quadam evolutione nata est, dum fraterna societas discipulorum Christi, decursu temporum, paulatim in veram societatem crevit.

614. Hæc opinio *falsa est*, nam: (**a**) considerat unum tantum e diversis aspectibus Regni Dei, cæterosque a priori excludit.

(**b**) Falsum est, ut ex prædictis, n. 606-611, et ex mox dicendis clare apparet, Ecclesiam evolutione quadam cæca formatam esse. Crevit quidem decursu temporum, sed jam a Christo *essentialia* determinata sunt.

---

[1] Nam Regnum Dei crescere debet: quod maxime e sequenti thesi apparebit.

[2] Cf. *Matt.*, XVI, 18; XXVIII, 20.

[3] *Relationes inter Regnum Dei et Ecclesiam* variis formulis ultimis temporibus expressæ sunt. Maxime veritati proxima, nostro saltem judicio, hæc est: "Le règne de Dieu est le programme de Jésus; l'Eglise est son parti." Cf. **de la Brière** (Art. *Eglise* in *D. A.*, col. 1248) magis explicite, sed eodem fere sensu, scribit: "α) Perpétuant ici-bas le ministère du Christ, l'Eglise hiérarchique *constitue* le "royaume de Dieu", sous son *aspect extérieur et social*. β) Opérant ici-bas la sanctification des âmes, l'Eglise hiérarchique *procure* le "royaume de Dieu", sous son *aspect intérieur et spirituel*. γ) Accomplissant ici-bas l'œuvre de salut, l'Eglise hiérarchique *prépare* le "royaume de Dieu", sous son *aspect eschatologique et céleste*".

[4] *Esquisse...* l. II, ch. II.

[5] *L'essence du christianisme**, versio gallica, 1907.

[6] "Le Royaume de Dieu... c'est la domination du Dieu saint dans le cœur des individus." (**Harnack**, *l. c.*, p. 75). — [7] *Luc.*, XVII, 20-21.

(c) Textus Lucæ a Liberalibus allatus non totum constituit Evangelium, nec probabiliter significat quod Protestantes intelligunt, sed vertendus est potius : " Regnum Dei in medio vestri est, jam inchoatum est " [1].

615. (B) *Eschatologistæ* [2], (*J. Weiss*, *A. Loisy* [3] etc.) vocantur critici secundum quos Jesus consummationem finalem Regni Dei adventumque suum gloriosum ut *proximum* professus est [4]. Quo supposito, impossibile est Christum Ecclesiam fundasse, immo et cogitasse de operis sui continuatione. Ecclesia, juxta ipsos, paulatim nata est, cum, fine mundi et adventu Christi non apparentibus, discipuli Jesu paulatim cœtum suum in veram societatem hierarchicam constituerunt.

Argumenta ab eschatologistis allata sic exponi possunt : (a) Christus nonnisi ideas coætaneorum suorum exposuit; atqui isti, ut ex Apocalypsibus apocryphis apparet, adventum imminentem et gloriosum regni Dei exspectabant. (b) Apostoli finem mundi adventumque Domini proximum considerabant [5]. (c) In Evangeliis multi sunt textus ex quibus clare constat Christum ipsum adventum gloriosum Regni Dei ut imminentem credidisse [6].

616. Difficultas sic ab eschatologistis proposita, forsan difficillimum est problema exegeticum totius Novi Testamenti. Multis quæstionibus affinis est sive theologicis (e. g., thesi de infallibilitate Christi, de inerrantia Scripturæ) sive apologeticis (thesi de prophetiis Christi, n. 436-442 et de infallibilitate apostolorum, de qua infra.) Necesse est ergo, quanquam breviter, judicium de eschatologismo ferre [7].

617. (a) *Eschatologismus falsus est* quia unice aspectum eschatologicum Regni Dei considerat, arbitrarie rejiciens quidquid

---

[1] Hæc interpretatio magis convenit quæstioni a Pharisæis propositæ : "*ubi* est regnum Dei, *quibus signis* cognoscetur?" Non quærunt quæ sit natura regni. — Alioquin impossibile est Christum *Pharisæis* respondisse : " Regnum Dei est in cordibus vestris ! "

[2] Cf. **M. J. Lagrange,** *Le sens du christianisme*, 8e leçon.

[3] *L'Evangile et l'Eglise; Autour d'un petit livre*; *Jésus et la tradition évangélique*, etc.

[4] " Le règne de Dieu est proprement l'ère du bonheur dans la justice, qui va être inaugurée par une manifestation de puissance, la subite transformation des choses, l'exaltation du Messie." (**Loisy,** *Jésus et la trad. év.*, p. 147).

[5] V. g. *Rom.*, XIII, 11-12; *I Thess.*, IV, 14-16; *I Pet.*, IV, 7; *II Pet.*, III, 5-10. — [6] *Matt.*, X, 23; XVI, 28; XXIV, 34; XXVI, 64 et loc. parall.

[7] Cf. præter **Lagrange, Rose, Batiffol,** jam citatos : **Allo,** *L'Apocalypse*, Paris, 1921, p. XCVII-CXXVIII; **EE. Card. Billot,** *La parousie*, Paris, 1920; **M. J. Lagrange,** *L'avènement du fils de l'homme*, in *R. B.*, 1906, 382-411, 561-574; **Lepin,** *Jésus Messie*, 10a Ed., p. 377-419; **Lemonnyer,** Art. *Fin du monde* in *D. A.*

moram in adventu glorioso Christi supponit. Quapropter jure damnatus est [1].

618. (b) Quamquam Christus formulam *Adventus Regni Dei* usurpavit quo melius a coævis intelligeretur, *injustum et falsum* est contendere eum nihil aliud docuisse nisi ideas quæ *suo tempore vigebant.* 1) Probavimus enim eum, utpote divinum legatum, multa docuisse omnino contraria falsis conceptibus coævorum, n. 376-378; cur non idem diceretur de regno Dei? 2) Insuper doctrinæ sive rabbinorum, sive scriptorum Apocalypsium nimis confusæ apparent, ut ex eis corpus doctrinæ colligi possit : in Evangelio autem cuncta simplicitate simul et profunditate lucent, ut patet ex dictis, n. 604 sq., ubi ostendimus Christum triplicem formam regni Dei prædicasse [2]. 3) Addendum quoque videtur majorem partem coævorum Jesu distinctionem realem instituere inter tempora Messianica, quæ super terram plus minusve durabunt, et consummationem gloriosam Regni Dei [3]; cur Christus non potuisset *a fortiori* hanc distinctionem percipere et proponere?

619. (c) Etsi (dato, *non concesso*) *Apostoli* finem mundi proximam putavissent, notandum est eos nunquam hanc proximitatem verbo Christi aliquo fulcire. Ad hanc autem explicationem recurrere necesse non est. Apostoli enim nihil aliud docent nisi quod Christus ipse prædixerat : nempe tempus consummationis Regni Dei incertum esse : "Rogamus vos... ut non cito... terreamini... quasi instet dies Domini" [4]. Sciunt ante hanc consummationem Gentes, deinde Judæos ad fidem perducendos esse, postremo apostasiam venturam [5] : quæ omnia certe longum postulant tempus. — Si aliquando Paulus loquitur quasi ipse et lectores ejus, in adventu Domini adhuc superstites, ituri essent obviam Christo [6], hoc ex fictione litteraria fit, quo vividius adventus Christi describatur, sicut alibi se Paulus inter ressuscitatos connumerat [7].

---

[1] *Decretum* "*Lamentabili*", prop. 32-33; **D. B.**,2032-2033.

[2] "Partout des problèmes posés, nulle part de solution ferme, acceptée de tous. Quand on prétend que Jésus a pris comme point de départ de son enseignement la foi commune de son peuple en matière eschatologique, on ferme les yeux sur ces hésitations et sur ces incohérences. Ce qui est vrai, c'est que la plupart des idées dont il s'est servi étaient en effet dans l'air. Mais il a tout groupé dans une solution si simple qu'elle porte le sceau de la divinité, surtout lorsqu'on la rapproche des prophéties qu'elle réalise dans une parfaite harmonie." (**M. J. Lagrange**, *Le messianisme...*, p. 265.)

[3] Vide præsertim : **Lagrange,** *Messianisme...*

[4] *II Thess.*, II, 1-2; cf. *II Pet.*, III, 1-10.

[5] *Rom.*, XI; *II Thess.*, II, 3-12. — [6] *I Thess.*, IV, 15-17.

[7] *I Cor.*, VI, 14; *II Cor.*, IV, 14. Cf. *Decisionem commis. bibl.*, 18 junii 1915; **D. B.**, 2179-2181.

620. (d) Manent *verba Christi* explicanda. 1) In textu unius auctoris, in verbis unius viri, sine absoluta necessitate, *contradictiones admittendæ non sunt*, sed loci difficiliores facilioribus explicandi. Cum clare Christus et Evangelistæ incertitudinem ultimi judicii et durationem regni Dei terrestris nuntiaverint, aliqua rationabilis explicatio quærenda est de textibus ab eschatologistis allatis. 2) In prophetiis sæpe adhibentur *imagines poeticæ*, quæ ad litteram intelligi nequeunt : sic apud Isaïam, XIII, 2-22, excidium Babylonis describitur quasi finis mundi evenisset [1]. Quapropter expressio "Filius hominis *veniens in regno suo*" [2] vel "*in nubibus cæli*" [3] non significat necessario adventum finalem Christi ad judicandum vivos et mortuos [4] : deprompta namque est a Daniele propheta, ubi solummodo significat adventum regni Dei *in terris* tempore Messiæ, et non regnum Dei finale [5]. Sed, cum regnum Dei sit aliquid progressivum, significare potest qualemcumque adventum seu extensionem Regni Dei, vel veræ religionis, qualemcumque eventum historicum quo Deus magis evidenter suum affirmat regnum et dominium, ut triumphum Christi redivivi, excidium Jerosolymæ, ereptionem potestatis e manibus Synedristarum, extensionem fidei ad orbem romanum : quæ omnia ante finem generationis auditorum Christi evenerunt. — A fortiori hæc explicatio valet quando simpliciter agitur de *regno Dei veniente in potentia* [6]. 3) Superest ultimus textus in quo finis mundi simul cum excidio Jerosolymæ describitur, et in quo affirmari videtur ambo facta mox eventura esse [7]. Hic textus pars est magni Domini sermonis eschatologici [8]. Tam quæstiones ab apostolis positæ in initio narrationis, quam descriptiones quæ decursu textus inveniuntur clare ostendunt Christum ibi duos eventus separatos descripsisse, excidium urbis et finem sæculi.

---

[1] Vide alia exempla, extra Scripturam sumpta, apud **Lagrange,** *Messianisme*, p. 47-50.

[2] *Matt.*, XVI, 28. — [3] *Matt.*, XXVI, 64. Cf. X, 23.

[4] Neque *necessario* ex contextu sensus eschatologicus concludendus est, quia, ut omnes critici fatentur, Evangelistæ sæpe in eodem sermone collegerunt verba quæ Dominus in diversis circumstantiis ediderat : inspectio locorum parallelorum in Synopticis sæpissime hanc fictionem litterariam manifestat. Cf., e. g., *Matt.*, XVI, 28 et loc. par. Vide de hoc textu **Lagrange,** locis citatis.

[5] *Dan.*, VII, 13. Regnum Dei, e cælo adveniens, sub figura Filii hominis, opponitur et succedit regnis populum Israël opprimentibus, sub figura bestiarum præsentatis et e mari ascendentibus. Cum ista terrestria fuissent, sequitur et illud super terram fore. Aliunde consummatio rerum nonnisi cap. XII, 1-3 describitur. — [6] *Marc.*, IX, 1 ; *Luc.*, IX, 27.

[7] *Matt.*, XXIV, 34 ; *Marc.*, XIII, 30 ; *Luc.*, XXI, 32.

[8] *Matt.*, XXIV, 4 — XXV, 46 ; *Marc.*, XIII, 5-37 ; *Luc.*, XXI, 8-37. Aliqui critici (ut **Loisy**), authentiam hujus sermonis negant : injuste tamen, nam nunquam fides christianorum hunc textum difficillimum et obscurum excogitasset.

Primus annuntiabitur signis et mox eveniet; alter subito superveniet, die quam nemo nisi Deus novit. Inter duos eventus, Evangelium ubique prædicabitur. Textus ab adversariis allatus ad solam urbis sanctæ direptionem se extendit [1], ideoque ad rem non pertinet.

621. *Conclusio.* Possunt itaque allati textus rationabiliter interpretari quin contradictio inveniatur in verbis Christi, vel inter Christum et apostolos, quin etiam partem notabilem Novi Testamenti expungere debeamus tanquam adulteratam vel idealisatione progressiva transformatam. Solutio catholica de Regno Dei et Ecclesia *toto fulcitur Evangelio;* solutiones vero adversariorum *aliquibus tantum textibus a priori selectis* nituntur, cæteris contemptis aut prætermissis. Facile videtur ubi vera inveniatur historica methodus.

622. Corollarium. Ecclesia est societas non solum proprie dicta, sed supernaturalis et suprema. (a) *Supernaturalis* quia a Christo, legato divino, instituta est, ad Regnum Dei supernaturale promovendum tendit, mediis supernaturalibus a Christo institutis utitur [2]. (b) *Suprema*, quia finis Ecclesiæ, scilicet gloria Dei et salus animarum, supremus est : tota creatio ad hunc scopum tendit. Nulla ergo res, nulla societas ei anteponi debet.

Art. II. Christus instituit Ecclesiam ut societatem hierarchicam.

623. Status quæstionis. Omnis societas *auctoritatem* supponit, quæ membra proportionatis mediis ad finem proprium perducat. Omnis quidem potestas a Deo venit [3], sed duplici modo, sive *immediate*, quando prælati auctoritatem a Deo vel ejus legato acceperunt, sive *mediate*, quando principes mediante populo a Deo auctoritatem tenent. In primo casu auctoritas *hierarchica* et societas ab hac auctoritate gubernata, *hierarchia* (a græco ἱερός, sacer, ἀρχή auctoritas) vocantur [4].

---

[1] Difficultas hujus sermonis eschatologici Christi ex eo maxime provenit quod Christus excidium Jerosolymæ et finem mundi *non successive* describat, sed modo *parallelo*, processu apud prophetos frequenti, quod *per strophen* et *antistrophen* vocant. Unde necessario aliqua oritur confusio. Cf. **de Grandmaison,** Art. *Jésus-Christ*, in *D. A.*, col. 1427-1432.

[2] "Ecclesia societas est ortu divina; fine rebusque fini proxime admoventibus supernaturalis". *Leo XIII* in *Encycl.* "*Satis cognitum*". **D. B.,** 1959.

[3] *Rom.*, XIII, 1.

[4] Voces *hierarchicus* vel *hierarchia* hic stricte sumuntur. Ex usu recepto hierarchia eum principatum designat qui a personis sibi invicem subordinatis exercetur.

Demonstrare intendimus, *contra plerosque Protestantes*, consentientibus autem Ecclesiis orientalibus, Christum veram hierarchiam in Ecclesia sua instituisse, scilicet *Apostolos*, eorumque successores, *episcopos;* et collegio Apostolorum et episcoporum *infallibilitatem in docendo* contulisse. Unde tres theses.

§ I. De institutione apostolorum [1].

624. *Thesis.* **Christus Ecclesiam ut societatem hierarchicam instituit, Apostolis conferendo triplicem potestatem docendi, regendi et sanctificandi fideles.**

Thesis *historice certa est, theologice de fide* [2].

Declaratur thesis. (**a**) *Apostoli*, a græco ἀπόστολος, missus (ex ἀπο-στέλλω, mitto), dicuntur duodecim discipuli, quibus, post Ascensionem, Matthias, et postea Paulus sociati sunt, quos specialiter selegit Jesus ad Evangelium Regni Dei annuntiandum.

(**b**) *Triplicem potestatem. Messias*, secundum Prophetas lumen novum allaturus erat his qui in tenebris sedebant; Rex futurus erat novi Regni Dei in terram; redimendi tandem a peccatis munus ei incumbebat [3]. *Jesus* sibi hanc triplicem vindicavit potestatem, homines docendi [4], regendi [5] et præsertim sanctificandi [6]. Hanc triplicem potestatem *Apostolos* a Christo consecutos esse, demonstrare intendimus.

Potestas docendi dicitur *magisterium doctrinale;* potestas regendi *potestas jurisdictionis;* potestas sanctificandi *potestas ordinis.* De

---

[1] **De la Brière,** Art. *Eglise*, in *D. A.*, col. 1236-1268; **d'Herbigny**, I, p. 140-208; **Batiffol,** *L'Eglise naissante...*, ch. II; **Id.**, Art. *Apôtre* in *D. A.*; **de Poulpiquet**, *L'Eglise catholique*, p. 63-87; cfr. **Passaglia**, lib. II, c. 1; **Franzelin,** *op. cit.*, th. 6-10; **Mazzella**, n. 422-445; **Pesch**, n. 305-310; **Lambrecht,** *op. cit.*, p. 19; **Billot**, th. I; **Wilmers,** *De Ecclesia*, n. 12-28; **Semeria,** *Dogme, hiérarchie et culte*, p. 291-318.

[2] Ex magisterio ordinario; ex declarationibus *concilii Vaticani*, **D. B.**, 1821, cfr. 1823, 1828; *Tridentinum*, De sacramento Ordinis, cap. IV, **D. B.**, 960.

[3] Cf. supra. (397).

[4] *Marc.*, I, 12; XII, 14; *Joan.*, XVIII, 37.

[5] Nam agit, leges fert tanquam potestatem habens, Cf. n. (399). Hæres est regni Dei, *Marc.*, XII, 1-12.

[6] *Marc.*, III, 20-30, ubi Satanas a Christo victus depingitur. *Marc.*, II, 5, 7, 10, ubi Christus peccata remittit. *Marc.*, X, 45, ubi de Redemptione agitur. *Marc.*, XIV, 22-24, ubi sacrificium novi fœderis instituitur. Cf. loc. paral.

hac ultima specialiter in *Tr. de Sacramentis* agitur. Hæ tres potestates non sunt nisi *triplex manifestatio auctoritatis spiritualis* quam Apostoli a Domino acceperunt.

625. Demonstratur thesis. Ex duplice fonte argumenta sumemus, ex *Evangeliis* quæ historiam Christi referunt; ex *historia primævæ Ecclesiæ*, qualis in Actibus apostolorum et in Epistolis describitur : hac enim ostenditur quomodo discipuli verba Christi intellexerint.

626. 1° Demonstratur thesis ex Evangeliis.

(**A**) Pars præcipua vitæ Christi in eligendis atque educandis Apostolis consumitur, eo fine ut hi ad ministerium pastorale exercendum præparentur. (**a**) Ab initio vitæ suæ publicæ *seligit et vocat* ad se paucos discipulos, Andream Simonem qui postea appellatus est Petrus, Philippum, Nathanael [1], etc. Inter discipulos quos post se vocaverat ut, relictis omnibus, fierent piscatores hominum [2], duodecim elegit, quos et Apostolos vocavit [3], ut cum eo essent prædicarentque regnum Dei.

(**b**) Cum duodecim Apostolis iter faciebat per civitates et castella, prædicans et evangelizans regnum Dei [4]; eos modo speciali instruebat, lucide exponens parabolas quas turba non intelligebat : " Quia vobis datum est nosse mysteria regni cælorum; illis autem non est datum " [5]. Zelum eorum excitabat, dicens [6] : " Messis quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo Dominum messis ut mittat operarios in messem suam ".

(**c**) Quo efficacius eos disponeret ad apostolatum, misit eos prædicare regnum Dei filiis Israel, dæmones ejicere, ægros oleo ungere, varia monita eisdem tradendo pro prædicatione sive præsenti sive futura [7]. Hi autem vere Domini vices gerunt [8].

627. (**B**) Apostolis hoc modo educatis *promisit* potestatem *regendi* Ecclesiam. Christus hanc potestatem conce-

[1] *Joan.*, I, 35-51. — [2] *Matth.*, IV, 18-22; *Marc.*, I, 16-20; *Luc.*, V, 1-11.
[3] *Luc.*, VI, 12, 13; *Marc.*, III, 13, 14; *Matth.*, X, 2-4.
[4] *Luc.*, VIII, 1. — [5] *Matth.*, XIII, 10; cfr. *Marc.*, IV, 11; *Luc.*, VIII, 10.
[6] *Matth*, IX, 37-38.
[7] *Matt.*, X, 1-42; *Marc.*, VI, 7-13; *Luc.*, IX, 1-6.
[8] *Matt.*, X, 40; *Luc.*, X, 16.

dere *promisit* primum *Petro*[1], deinde ceteris Apostolis. Postquam enim officium obduratos peccatores denuntiandi Ecclesiæ promulgaverat, *Apostolis* dixit : " Amen dico vobis, quæcumque *alligaveritis* super terram, erunt ligata et in cælo; et quæcumque *solveritis* super terram, erunt soluta et in cælo "[2].

Metaphoræ *ligare* et *solvere*, ex modo loquendi rabbinorum desumptæ, significant, apud istos, illicitum vel licitum aliquid declarare. Hic autem sensus latior est, et amplectitur, ut ex contextu[3] constat, præcipue autem ex promissis Petro factis[4], veram regendi fideles potestatem, leges condendi et abrogandi, credentes ab Ecclesia arcendi, peccata remittendi.

Oppositio verborum " *in terris... in cælis* " significat Deum ratum habere quidquid Apostoli in terris statuent.

628. (**C**) Antequam e vita discederet, Christus promisit *Spiritus Sancti specialem assistentiam* in prædicando Evangelio, ideoque *potestatem docendi*, quam supponit et roborat. In sermone quem ad Apostolos habuit post ultimam cœnam, hæc inter alia dixit : " Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut *maneat* vobiscum *in æternum; Spiritum veritatis* quem mundus non potest accipere... vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit...[5] Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos *docebit omnia*, et *suggeret* vobis *omnia* quæcumque dixero vobis... "[6]. Hic clare et distincte Christus affirmat Spiritum veritatis, id est, Eum qui est in se substantialis veritas et simul veritatis revelator, cum

[1] *Matt.*, XVI, 18-19 : de quo vide art. seq.

[2] *Matt.*, XVIII, 18. Protestantes quidam, ut **B. Weiss** *, contendunt hanc potestatem tradi *multitudini fidelium*. Sed immerito; nam potestas *judiciaria* neque apud Judæos, neque apud Christianos multitudini commissa fuit. Quod animadvertit ipse **Loisy** *, *Les Ev. Synoptiques*, t. II, p. 91 : " Mais, outre que le parallélisme de cette sentence avec la parole que Jésus a dite à Pierre, contredit cette hypothèse, la nature de la chose ne s'y prête pas, un groupement acéphale ne pouvant être censé investi du pouvoir judiciaire ".

[3] v. 15-17. — [4] *Matt.*, XVI, 18-19.

[5] *Joan.*, XIV, 16-17. Hic nota Spiritum vocari *Spiritum veritatis*, non autem Spiritum amoris, quia ibi promittitur ut *doctor*, qui Apostolos illuminabit eosque ab errore liberabit.

[6] *Joan.*, XIV, 26; cf. XVI, 13, ubi dicitur : " Docebit vos omnem veritatem ", i. e., juxta vim græci textus, perducet vos ad omnem veritatem.

Apostolis mansurum et in eis semper fore, ut eos doceat omnem veritatem, et in memoriam revocet omnia quæ Dominus eis dixerat, ut et ipsi a Spiritu Sancto edocti, doctrinam Magistri tuto prædicare possint. Hanc promissionem post Resurrectionem Christus iteravit, de Pentecoste loquens : " Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria et usque ad ultimum terræ " [1].

629. (**D**) Potestatem Apostolis promissam eis vere fuisse *collatam* nemo Christianorum dubitat, cum Dominus fidelis sit in omnibus verbis suis [2]. Revera Christus redivivus : (**a**) Modo generali potestatem a Patre acceptam Apostolis contulit, speciatim vero *facultatem fideles sanctificandi*, horum peccata remittendo : " Sicut misit me Pater, et ego mitto vos... Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt " [3]. Quibus verbis vere conferri potestatem remittendi aut retinendi peccata, alibi probamus. Sed, etiamsi admittatur cum Protestantibus hic agi de potestate *declarandi* peccata recte dispositis remitti, sane vera auctoritas, et quidem divinitus accepta, Apostolis committitur.

630. (**b**) Potestatem *docendi*, *leges ferendi* et homines per baptismum *sanctificandi* undecim Apostolis, paucis diebus antequam ad Patrem ascenderet, Jesus contulit : " Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra : euntes ergo *docete* omnes gentes, *baptizantes* eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti : docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis : et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi " [4]. Quam sollemnia sint hujusmodi verba nemo est qui non videat : Jesus siquidem plenitudinem suæ potestatis invocat, ut exinde significet auctoritatem Apostolis conferendam, nihil aliud esse nisi suæ divinæ potestatis participationem. 1) Eos non ad solos Judæos, sed ad omnes gentes mittit, ut *doceant auctoritative :* hic est enim sensus græcæ vocis μαθητεύσατε

[1] *Act.*, 1, 8. — [2] *Ps.*, CXLIV, 13. — [3] *Joan.*, XX, 21-23.
[4] *Matth.*, XXVIII, 18-20.

(discipulos efficite); et ne terreantur difficultate operis, affirmat *se esse cum eis docentibus* usque ad consummationem sæculi. 2) Docere debent non solum res credendas, sed etiam *præcepta* ab omnibus servanda, ideoque potestatem legislativam accipiunt. 3) Debent pariter *baptizare* credentes, id est, eos a macula peccati abstergere, eisque gratiam conferre. Quod confirmatur ex loco parallelo apud *Lucam*, ubi dicitur : " Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et *prædicari* in nomine ejus *pœnitentiam* et *remissionem peccatorum* in omnes gentes " [1].

631. Apud Marcum pariter potestas *docendi* et baptizandi speciatim commemoratur; et hæc tanta est ut qui renuerit ei parere, salvari nequeat : " Euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur " [2].

Quatuor igitur Evangelistæ, non in uno loco sed in pluribus, narrant Christum Apostolis contulisse potestatem *docendi*, *regendi* et *sanctificandi* fideles. Hoc negando totam destrueres telam evangelicæ narrationis. Christus proinde vere instituit religiosam societatem, præpositis et subditis constantem, et ita Ecclesiæ hierarchicæ fundamenta jecit.

632. Solvuntur difficultates. (a) *Objicit Loisy* apostolos esse solummodo a primæva Ecclesia institutos [3], et nonnisi per fictionem a Christo ortum ducere. Addit *Harnack* [4] apostolatum a Judæis depromptum esse : inter synagogas, vel inter duces Judaïsmi et synagogas jam nuntii existebant, quos apostolos vocabant. — Sed inconcussa auctoritas Evangeliorum, affirmantium Christum ipsum et munus et nomen [5] apostolorum statuisse, has hypotheses prorsus evertit. Præterea Apostoli Christi non sunt solummodo nuntii, sed et *duces spirituales*; et certe non constat apostolatum judaïcum jam tempore Christi viguisse [6].

---

[1] *Luc.*, XXIV, 44-49. — [2] *Marc.*, XVI, 15-16.

[3] *Les Actes des Apôtres**, p. 166-171.

[4] *Mission und Ausbreitung des Christentums**, I, 3ª Ed., 314-318.

[5] *Luc.*, VI, 13. Cf. *Marc.*, VI, 30. Christus æquivalens nominis " apostolus " usurpavit, cum aramaïce loqueretur. Vox ἀπόστολος apud profanos et apud libros sacros græce versos inveniri poterat. Cf. *I Reg.*, XIV, 6.

[6] Probabiliter II° sæculo ortus est.

(b) *Protestantes* congerunt textus in quibus declaratur omnes christianos esse *æquales*, nullum in alios dominari debere, nullum vocandum esse *rabbi* seu magistrum; et exinde inferunt hierarchiæ institutionem esse alienam a mente Christi [1].

Resp. In textibus allegatis docet Dominus auctoritatem ministris Ecclesiæ commissam non tyrannice exercendam esse, sicut aliquando fit in societate civili, sed modo paterno, cum benignitate et humilitate, ad promovendum bonum spirituale subditorum, "sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare" [2]. Pariter, cum unus sit proprie Magister, nempe Christus, Apostoli eorumque successores non auctoritate propria, sed auctoritate Christi, docere debent, tanquam ministri pro Christo legatione fungentes, ideoque gloriari non debent. Sed ex hoc minime infertur nullam hierarchiam fuisse a Domino institutam : contrarium probant textus jam expositi.

633. 2° **Demonstratur thesis ex historia primæva Ecclesiæ** [3]. Apostoli, a die Pentecostes et deinceps, mentem Christi intelligentes ejusque mandatis obedire parati, cœtum christianorum non ut cœtum mysticum (ut *Liberales* contendunt) sed *ut societatem hierarchicam* constituunt, in qua ipsi instar ducum, Christi nomine agunt, primum *in Palæstina*, mox *inter Gentes*.

634. (**A**) In *Palæstina*, præsertim in civitate *Hierosolymitana*, fidelium communitas, nedum sit mystica quædam illuminatorum secta, jam apparet ut societas *hierarchica*, quatenus nempe regitur a corpore Apostolorum, qui triplicem potestatem *docendi*, *regendi* et *sanctificandi* exercent tanquam *divinitus acceptam*, et cui fideles sese subjiciunt. 1) A die Pentecostes, incipiunt *prædicare* Christum ejusque divinam missionem, et quidem in nomine Domini, et jubente Deo, cui obedire oportet magis quam hominibus; immo, non obstantibus magistratibus, replent Jerusalem doctrina

---

[1] Ita **A. Sabatier** *, op. cit., ubi allegat *Matth.*, XX, 25-27; XXIII, 8-12; posteaque scribit : "Il est évident que l'Eglise catholique, par sa hiérarchie cléricale, par sa distinction des clercs et des laïques, par le rôle de médiateurs et de directeurs donné à ses prêtres, viole l'esprit et la lettre de ces paroles".

[2] *Matth.*, XX, 28. — Quod et Petrus postea exponit : "Providentes non coacte, sed spontanee... neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo". (*I Petr.*, V, 2-3.)

[3] Præter auctores allegatos, cfr. **C. Fouard,** *Saint Pierre et les premières années du christianisme*, 5e édit., 1901; *Saint Paul*, 7e éd., 1902; **Mgr Le Camus,** *L'Œuvre des Apôtres*, 1905.

sua; et, virgis cæsi, non cessant in templo et circa domos docere et evangelizare Christum [1]. Aliunde discipuli eos fideliter audiunt, et in eorum perseverant doctrina [2]. 2) *Regunt* nascentem Ecclesiam seligendo Mathiam, Deo auspice, in locum Judæ proditoris "accipere locum ministerii hujus et apostolatus" [3], diaconos instituendo ut ministrarent mensis et eleemosynarum distributioni [4], mittendo quosdam ministros ad imponendas manus super neo-baptizatos [5], administrando bona communitatis, et coercitivam potestatem exercendo, etiam miraculose, contra Ananiam et Saphiram qui aliqua fraude usi fuerant [6], decreta condendo circa mores [7]. 3) *Sanctificant* animas, ministrando baptismum in remissionem peccatorum [8], et conferendo Spiritum Sanctum [9].

635. (**B**) *Inter Gentes*, Ecclesia, præsertim post Concilium Hierosolymitanum, late diffunditur, etiam extra limites Romani imperii [10], et quidem *ad normam veræ societatis* hierarchicæ, in qua Apostoli, Christi nomine, plenam exercent auctoritatem.

(**a**) *In qualibet ecclesia particulari*, Apostolus qui eam fundavit, potestatem retinet divinitus acceptam non solum doctrinam authentice interpretandi, sed etiam communitatem regendi. Ita *S. Paulus* multoties affirmat se *apostolum esse Jesu Christi per voluntatem Dei* [11], non ab hominibus, sed per Jesum Christum et Deum Patrem electum [12], qui in Christo per evangelium christianos genuit [13], cui proinde hi

[1] *Act.*, II, 14-36; III, 12-26; IV, 16-20; V, 26-32, 40-42.

[2] *Act.*, II, 42. — [3] *Act.*, I, 25. — [4] *Act.*, VI, 1-6.

[5] *Act.*, VIII, 14-17. — [6] *Act.*, IV, 34-37; V, 1-11.

[7] *Act.*, XV, 29. Cf. *Act.*, XVI, 4 ubi litteræ apostolorum δόγμα decretum vocantur.

[8] *Act.*, II, 38. — [9] *Act.*, VIII, 17.

[10] *I Cor.*, IV, 17; *Col.*, I, 6; *Rom.*, I, 8. — [11] *I Cor.*, I, 1.

[12] *Gal.*, I, 1. Paulus quidem aliquando Apostolos vocat et alios quam Duodecim a Christo electos. Sic *Phil.*, II, 25; *II Cor.*, VIII, 23; *I Cor.*, IX, 6-7; XV, 7; *Rom.*, XVI, 7 : Sed sunt Apostoli secundi ordinis, late sumpti. Verus Apostolus solummodo dici potest is qui *a Christo missus est*. Apostolatus non est ergo simplex donum Spiritus Sancti, sicut donum linguarum vel curationum, quamquam vera sit Spiritus Sancti gratia, ut apparet ex *I Cor.*, XII, 28-30; *Eph.*, IV, 11. Cf. **Batiffol,** Art. *Apôtre* in *D. A*, col. 254-255.

[13] *I Cor.*, IV, 15.

obedire tenentur. *Veritatem docet* non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in *nomine* et *virtute Dei*[1]; quod præcipit, Dominus ipse præcipit[2]; quæ scribit, Domini sunt mandata[3]. Quare varia *præcepta* tradit, (διατάσσω præcipio) v. g., circa idolothyta, circa usum charismatum[4], abusus corrigit circa sacram synaxim[5], incestuosum Corinthium excommunicat[6]; uno verbo, vere loquitur et agit tanquam auctoritatem habens in fideles. Quod præsertim constat ex duabus *ep. ad Corinthios*.

(b) Apostoli suam auctoritatem exercent non solum in ecclesias *a se* fundatas, sed etiam in alias seu *in totam communitatem* christianam. Constat : α) ex *decreto Hierosolymitano* circa legales observantias, quod non solum in Palæstina, sed etiam in Syria, Cilicia, Asia minori, etc., pro lege habitum est[7]; β) ex *interventu Apostolorum* in ecclesiis a se non fundatis : ita *Galatæ*, a S. Paulo conversi, agnoscunt auctoritatem Petri aliorumque apostolorum, ideoque Paulus, ad sua jura vindicanda, probat se idem sentire ac collegium apostolicum[8]; etsi Paulus Romanos non evangelizaverat, eis tamen *authentice* exponit doctrinam justificationis, nomine Dei qui missionem apostolicam sibi contulit[9]; aliunde S. Petrus ad ecclesias Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ et Bithyniæ scribit tanquam in eas auctoritatem habens[10], quamvis quædam ex his ecclesiis a S. Paulo constitutæ fuerint; pariter S. Jacobus ad duodecim tribus dispersas epistolam catholicam mittit[11], et S. Joannes Apocalypsim ad septem ecclesias quæ sunt in Asia[12]. — Ita manifestatur *auctoritas collectiva* quam Apostoli in Ecclesiam universalem habebant[13].

---

[1] *I Cor.*, II, 1-5. — [2] *I Cor.*, VII, 10.

[3] *I Cor.*, XIV, 37; IV, 15; *Eph.*, IV, 1-6. Cf. *Gal.*, I, 6-9.

[4] *I Cor.*, VIII, 1-13; X, 14-22; XIV, 26-35.

[5] *I Cor.*, XI, 17-34. — [6] *I Cor.*, V, 3-5.

[7] *Act.*, XV, 22-31, 41; XVI, 4 (Nota hic verbum δόγμα, quod designabat decreta imperatoria).

[8] *Galat.*, I, 17-24; II, 1-16. — [9] *Rom.*, I, 1-7.

[10] *I Petr.*, I, 1. — [11] *Jac.*, I, 1. — [12] *Apoc.*, I, 4.

[13] Apostoli ut *fundatores* Ecclesiarum, etiam singulariter sumpti, in universas Ecclesias jurisdictionem retinebant (salvo tamen Petri primatu) : hæc autem universalis potestas in eorum successores non transiit; episcoporum enim auctoritas localis est, ut infra declarabitur.

636. Ita confirmatur quod antea probavimus, videlicet Dominum Apostolis promisisse ac contulisse potestatem docendi, regendi et sanctificandi fideles. Ergo thesis nostra non solum ex uno vel altero textu probatur, sed ex tota Evangelica narratione, necnon ex Actibus Apostolorum eorumque epistolis; ideo negari nequit quin rejiciatur auctoritas omnium librorum Novi Testamenti.

§ II. De Episcopis, Apostolorum successoribus [1].

637. *Thesis.* **Apostolorum successores jure divino sunt episcopi collegialiter sumpti, quoad potestatem docendi, regendi et sanctificandi fideles.**

Declaratur thesis. (a) *Episcopi* [2]. Vox "episcopus" a græco ἐπίσκοπος (ἐπι-σκοπέω intendo super) venit. *Apud Græcos*, episcopi dicebantur sive dii patroni alicujus loci, sive magistratus, præsertim magistratus in colonias missi. *In Biblia græca*, vocabulum *episcopos* vertit verbum hebraïcum *paqid* designans custodes templi vel administratores domus. *Apud catholicos* (similiter in Ecclesiis Orientalibus separatis) episcopus est prælatus qui, cum plena sacerdotii dignitate, præficitur alicui ecclesiæ; distinguitur a *presbyteris* qui potestate sacerdotali incompleta tantum insigniuntur, episcopisque subjecti sunt [3].

---

[1] **Petau**, *Dissertationum theologicarum libri duo*, Paris, 1641; *De ecclesiastica hierarchia libri quinque* (Theol. dogm. ed. Vivès, Paris, 1867, t. VII et VIII); **de Smedt**, *L'organisation des Eglises chrétiennes jusqu'au milieu du IIIe siècle*, in *Revue des questions historiques*, t. XLIV (1888), et L (1891); **Michiels**, *L'origine de l'épiscopat*, Louvain, 1900; *Evêques*, in *D. A.*, I, 1750-1786; **Semeria**, *Dogma, gerarchia e culto nella chiesa primitiva*, Roma, 1902, lez. 12ª, gallice *Dogme, hiérarchie et culte;* **Bruders**, *Die Verfassung der Kirche*, Mainz, 1904; **Batiffol**, *La Hiérarchie primitive*, in opere *Études d'histoire et de théologie positive*, 1re série, 5e éd., Paris, 1907, p. 225-280; *L'Eglise naissante et le catholicisme*, Paris, 1909; **F. Prat**, *Evêques*, in *D. T. C.* t. V, 1656-1701; **Id.**, *La théologie de S. Paul*, I, 13ª ed., 1924; II, 7ª ed., 1923; **Ermoni**, *Les origines de l'épiscopat.* (*Sc.* et *Rel.*, n. 263); **d'Herbigny**, II, p. 255-285.

[2] Cf. **Bailly**, *Dict. grec-français;* **Zorell**, *Ni Ti lexicum græcum;* **Daremberg et Saglio**, *Dict. des antiquités grecques et romaines*, Art. *Episkopos;* **Prat**, *La théol. de S. Paul*, I, 5e éd., p. 388-390.

[3] *Presbyteri* qui primis temporibus aliquas Ecclesias collegialiter regebant, etiam *Episcopi* vocabantur (*Act.*, XX, 17-31; *Tit.*, I, 5-7; *Ep. Clem.*, XLII, 4; XLIV; XLVII, 6). Vox "Episcopus" munus indicabat, "presbyter" autem dignitatem (πρεσβύτερος, senior, magistratus).

(**b**) *Jure divino*, quatenus episcopi non humana, sed *divina ordinatione* instituti sunt, contra Calvinianos, Presbyterianos, et Rationalistas [1], qui contendunt episcopos non a Christo aut Apostolis institutos fuisse, sed sensim et sine sensu sibi arripuisse potestatem qua nunc gaudent.

(**c**) *Collegialiter* sumpti, quia non contendimus singulos episcopos singulorum Apostolorum successores esse, sed collegium episcoporum collegio Apostolorum successisse, ita ut suprema potestas docendi, sanctificandi ac regendi fideles in universa Ecclesia non singulis episcopis, sed toti collegio competat : unusquisque tamen episcopus in sua diœcesi hanc triplicem potestatem habet.

638. Demonstratur thesis. Hanc thesim per partes probabimus : 1° Apostoli successores in officio habere debebant; 2° successores Apostolorum sunt Episcopi in triplici sua potestate.

639. I. **Apostoli successores in officio habere debebant.** *Theologice de fide* [2].

(**A**) Ex hucusque dictis, constat Christum ideo Apostolis contulisse potestatem docendi, regendi et sanctificandi homines ut fidei unitas melius servaretur, fidelesque tutius, per legum custodiam, finem suum supernaturalem attingere valerent. Atqui ille finis non cessavit cum Apostolis, sed est perpetuo duraturus; nam : —

640. (**a**) Omnes omnium ætatum et nationum fideles semper eamdem fidem profiteri debent, nec id facere possunt nisi *infallibilis auctoritas eos doceat;* si enim dubia exsur-

---

[1] **Calvin***, *De Institutione christiana*, lib. IV; **Salmazius***, *De fœnore trapezetico*, Lugd. Batav., 1640; **Blondellus***, *Apologia pro sententia Hieronymi de episcopis et presbyteris*, Amstelodami, 1646; **Dallæus***, *De scriptis quæ sub Dionysii Areopagitæ et Ignatii Antiocheni nominibus circumferuntur*, Genève, 1666; — **Harnack***, *Dogmengeschichte*, 3ª ed., Leipzig, 1894, I, pp. 204-207, 363-389; *Texte und Untersuchungen*, II, fasc. 1 et 2, pp. 88-128; **Hatch***, *The organisation of the early christian church*, Oxford, 1881; **J. Réville***, *Les origines de l'épiscopat*, Paris, 1881; **Sabatier***, *Les religions de l'autorité et la religion de l'esprit*, Paris, 1904, lib. I, c. 4.

[2] **Franzelin**, th. 15-16; **Tepe**, nn. 241 sqq., 281 sqq.; **Brugère**, n. 23-24; **Wilmers**, n. 73-78; **Card. Segna**, *De Ecclesiæ Christi constitutione*, p. 25-60 et 257-362; **P. Batiffol**, *op. cit.*, p. 115-378. — Thesis *de fide est*, utpote ordinario Ecclesiæ magisterio fidei proposita.

gunt de interpretatione dogmatum quæ Christus docuit, non ratione, nec libris etiam inspiratis, sed viva et infallibili auctoritate solvi possunt, ut supra declaratum est, n. 583-597. Quod sane ipsorum Protestantium exemplo illustratur : multi enim inter eos sunt doctrina conspicui, et per tria sæcula tentârunt aliquod systema christianæ doctrinæ ex Scripturis excerpere, quod ab omnibus ut purus Christianismus haberetur; sed incassum laboraverunt, et quotidie novæ efformantur sectæ, quarum quælibet ut essentialia accipit quædam dogmata quæ ab aliis rejiciuntur. Experientia igitur constat non posse custodiri fidei unitatem etiam in essentialibus, nisi *perpetuum* sit *infallibile* magisterium.

641. (b) Eodem fere modo argui potest quoad potestatem *legiferam* et *judiciariam*. Societas enim religiosa, sicut civilis, vix subsistere potest, nisi leges condantur quæ variis loci temporisque circumstantiis adaptentur, simulque judices seligantur, quorum erit legum custodiæ invigilare, sententias contra delinquentes ferendo.

1) Cum enim lex evangelica ad omnes populos omniaque tempora intendatur, necesse est ut instituatur *legislativa* auctoritas quæ accommodet generalia principia, a Christo determinata, variis temporum et locorum circumstantiis : sæpe enim, mutatis rerum adjunctis, mutari debent leges quædam positivæ, quo melius media ad finem adaptentur; ita Apostoli usum sanguinis et suffocati prohibuerant, ut Judæi, qui ab his abhorrebant, facilius cum neo-conversis Gentilibus consociarent; postea vero lex hujusmodi, utpote inutilis, in desuetudinem abiit. Aliunde, crescente fidelium numero, multa determinanda erant quoad sacramentorum administrationem, cultum divinum, sacerdotum varia munia et officia. Insuper nonnulla decreta utilia erant tempore persecutionum quæ tempore pacis nociva fuissent. 2) Nec minus evidenter patet omni tempore necessaria esse *tribunalia* ecclesiastica, quibus leges singulis casibus applicentur; potestas enim civilis in spiritualia jurisdictionem non habet, nec tamen possunt leges fideliter custodiri, attenta hominum fragilitate, nisi sententiæ pœnæque contra delinquentes ferantur.

Ergo ad Ecclesiæ prosperitatem et tranquillitatem requiritur auctoritas *permanens legifera* et judiciaria; aliunde ad fidei præservationem desideratur *perpetua infallibilis* auctoritas; ergo utraque non solum Apostolis, sed eorum successoribus conferenda erat.

642. (**B**) Plerique textus supra citati clare ostendunt potestatem docendi, sanctificandi, et regendi fideles non fuisse ad tempora apostolica limitatam, sed ad omnia tempora extensam. Ita, quando Christus Apostolos misit in universum mundum prædicandi causa, addidit : " Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, ἕως τῆς συντελείας του αἰῶνος" [1]. Porro verba hæc non finem ævi apostolici, sed *finem mundi* designant. Hæc enim locutio nonnisi quinquies invenitur in Novo Testamento, et quidem apud Matthæum solum; porro, quatuor prioribus locis [2], juxta omnes, *finis mundi* significatur. Ergo hic eodem sensu accipienda est, nisi obstet contextus. Contextus autem, nedum huic interpretationi opponatur, eam potius requirit; nam hic agitur de prædicando Evangelio omnibus gentibus omnique creaturæ; atqui certe Apostoli ipsi non poterant personaliter tantum opus peragere; ergo quæstio est de opere per *eorum successores* complendo.

643. II. **Apostolorum successores sunt episcopi in sua triplici potestate docendi, regendi et sanctificandi fideles.** *Historice certum, theologice de fide* [3]. In prima thesi hujus articuli demonstravimus Apostolos jure divino Ecclesiam rexisse; concedunt adversarii in fine II[i] sæculi episcopatum extitisse, qui affirmabat sibi triplicem potestatem docendi, regendi et sanctificandi fideles, a Christo, per apostolos, collatam esse [4]. Tenemus sic duo extrema catenæ; ergo remanet ut ostendamus, in quantum paucitas testimoniorum sinit [5], legitime hæc duo extrema concatenari. Tres periodos investigabimus ab ætate documen-

[1] *Matth.*, XXVIII, 20. Cf. in hunc locum, **Corluy**, *op. cit.*, I, p. 9 sq.

[2] *Matth.*, XIII, 39, 40, 49; XXIV, 3.

[3] Ex *concilio Tridentino* et *concilio Vaticano*, **D. B.**, 853, 960, 966-967; 1821. Cf. *Decretum* " *Lamentabili* ", prop. 49, 50, 54. **D. B.**, 2049, 2050, 2054; *jusjurandum contra Modernistas*, **D. B.**, 2147.

[4] V. g., **Harnack**, *Dogmengeschichte**, I, 4ª Ed., p. 399 seq.

[5] Ad monumenta patristica *a fortiori* applicari possunt verba **P. de Poulpiquet** (*L'Eglise catholique*, p. 64) : " ... L'apologiste ne rencontre pas dans l'Evangile toutes les précisions, les explications, les développements que sa foi désirerait si ardemment y voir, et il se trouve, toutes choses égales d'ailleurs, dans la situation d'un naturaliste chargé de reconstituer le squelette d'un animal à l'aide de quelques débris fossiles ".

torum determinatos : ætatem *apostolicam, initium* et *finem* II[i] sæculi [1].

644. 1° **Ætas apostolica.** (**A**) Ex *Actibus* et *Epistolis* certo colligi potest *præpositos ab Apostolis selectos fuisse ut munus docendi et regendi exercerent modo stabili in variis ecclesiis.*

(**a**) Primis quidem temporibus, sæpe fit mentio de *prophetis, evangelistis*, per varias ecclesias iter facientibus, ad docendum vel eucharistiam celebrandam; sed, præter hanc hierarchiam itinerantem et extraordinariam, alia invenitur hierarchia *localis et stabilis presbyterorum.*

1) *S. Paulus*, in suo primo itinere, non quidem statim post prædicatum Evangelium, locales duces instituit, sed cum redibat per civitates quas evangelizaverat, constituebat "illis per singulas Ecclesias *presbyteros*" [2]. 2) Eodem modo agebant alii apostoli; nam in ecclesiis *judæo-christianis*, invenimus presbyteros a primis temporibus, ut patet ex testimonio Petri : "Seniores (πρεσβύτεροι), pascite qui in vobis est gregem Dei" [3], et Jacobi : "Infirmatur quis in vobis, inducat *presbyteros* Ecclesiæ" [4].

645. (**b**) Tam necessariam æstimabant Apostoli hujusmodi hierarchiam localem stabilem *presbyterorum*, ut *ubique* eam curarent institui.

1) *Jerosolymis*, non deerant prophetæ, ut patet ex *Actibus* [5], ubi de Agabo et aliis prophetis fit mentio, et tamen ibidem, circa annum 46, invenimus *presbyteros* (seniores) qui cum Apostolis Ecclesiam regunt [6]. 2) *Ephesi* etiam coexistebant prophetæ, doctores *et presbyteri;* "...Ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem *pastores* et doctores" [7] : pastores enim hic dicuntur *presbyteri*, quos in *Actibus* allocutus est Paulus, et quorum munus erat "regere (*pascere*, ποιμαίνειν) Ecclesiam Dei" [8]. 3) S. Paulus scribit

[1] Claritatis causa hic ordinem descendentem sequimur; vivior forsan esset demonstratio si a fine sæculi II[i] ad tempora apostolica ascenderes.

[2] *Act.*, XIV, 22. — Sex mensibus post fundatam ecclesiam Thessalonicensem (c. 54), jam hortatur S. Paulus fideles ut diligant eos "qui præsunt (προϊσταμένους) in Domino" huic ecclesiæ. (*I Thess.*, V, 12.)

[3] *I Petr.*, V, 1. — [4] *Jac.*, V, 14. — [5] *Act.*, XI, 27 sq.

[6] *Act.*, XI, 30; XV, passim; XVI, 4; XXI, 18. — [7] *Ephes.*, IV, 3 sq.

[8] *Act.*, XX, 28. Cf. etiam *I Petr.*, V, 2 : "Seniores (πρεσβύτεροι)... *pascite* qui in vobis est gregem Dei". His in locis promiscue adhibentur in textu græco, ad designandas easdem personas, voces *presbyteri* (*Act.* XX, 17; *I Petr.*, V, 1), *episcopi* (*Act.*, XX, 28; *I Petr.*, V, 2), et *pastores* (*Act.*, XX, 28;

Tito quem *in Creta* reliquit : " Reliqui te Cretæ, ut... *constituas per civitates presbyteros*, sicut et ego disposui tibi " [1]; et describit omnes dotes quibus fulgere debent hujusmodi presbyteri (episcopi). Hinc concludere licet apostolos hierarchiam stabilem presbyterorum necessariam existimasse, et ubique eam institui curavisse.

646. (**B**) *Auctoritatem supremam in ecclesiis apostoli sibi reservabant.* Prudentiæ enim erat non statim aliquem ex neophytis ad regimen ecclesiæ evehere, " ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli " [2], nec ecclesiæ recens fundatæ autonomiam cito concedere. (**a**) Jerosolymis, præsunt *Apostoli et seniores* [3]; (**b**) in ecclesiis a se fundatis, *S. Paulus* exercet supremam potestatem : eas visitat; eis dat leges [4]; in eis exercet judiciariam potestatem [5]; sibi etiam reservat potestatem manus imponendi [6] : et ideo vere habet *sollicitudinem omnium ecclesiarum* [7]. — Hanc tamen supremam auctoritatem aliquando S. Paulus *per delegatos* (Titum, Timotheum, Silam) exercet, qui ecclesias visitant, leges ferunt, reos judicant et manus imponunt sub tutela ipsius Apostoli [8].

647. (**C**) *Adhuc viventibus apostolis, saltem in quibusdam ecclesiis, constitutus fuit unicus episcopus*, qui *transitorie* saltem doceret, sanctificaret et regeret ecclesiam loco apostolorum, eisque postea succederet.

(**a**) Id *infertur* ex epistolis *pastoralibus.* S. Paulus, inter discipulos suos, quosdam seligit, præsertim Timotheum et Titum, quibus committit potestatem non solum *docendi* sanam doctrinam, et *regendi*, quoad *res spirituales*, varias ecclesias necnon *presbyteros* his ecclesiis præpositos, sed

---

I Petr., V, 2). In aliis textibus, præpositi locales vocantur προϊστάμενοι (*I Thes.*, V, 12-13; *Rom.*, XIII, vel ἡγούμενοι (*Act.*, XV, 22; *Hebr.*, XIII, 7, 17, 24). Cf. **Ermoni,** *Les premiers ouvriers de l'Evangile*, 2 vol. in-16, Paris, 1905. — [1] *Tit.*, I, 5. — [2] *I Tim.*, III, 6.

[3] *Act.*, XV, 2, 4, 6, 22, 23, 41; XVI, 4; XXI, 18. In hoc ultimo textu, de solo Jacobo cum senioribus agitur.

[4] *I Cor.*, XIV, 27-40; VII, 10-12. — [5] *I Cor.*, V, 3 sqq.; *IICor.*, XIII, 1-6.

[6] *II Tim.*, I, 6. — [7] *II Cor.*, XI, 28.

[8] *Thes.*, III, 2; *I Cor.* IV, 17; *Phil.*, II, 19; *I Tim.*, III, 1-12; V, 19-22; *Tit.*, I, 5-9. — Philippenses, circa annum 63, reguntur ab *episcopis* et *diaconis* (*Phil.*, I, 1), sed Paulus ad eos mittere intendit Timotheum (II, 19) sicut et jam miserat Epaphroditum (II, 25); vel etiam ipse veniet (II, 24).

etiam novos *presbyteros constituendi*, eisque *manus imponendi* ad transmittendam potestatem presbyteralem [1]. Atqui hæc omnia simul sumpta, præsertim vero potestas ministros ordinandi, *episcopale munus* essentialiter constituunt. Ergo Timotheus et Titus vere erant *episcopi*, *non* quidem *permanenter* alicui ecclesiæ affixi, sed *transitorie* [2], absente apostolo, ideoque verisimiliter eidem mortuo successuri.

648. (b) *S. Joannes Apostolus* in Asia minori episcopos monarchicos instituisse videtur. Probabiliter id infertur ex cap. II et III *Apocalypsis*, in quibus S. Joannes, circa an. 96, alloquitur angelos ecclesiarum Asiæ Minoris, eosque hortatur et reprehendit. Ex communi enim interpretatione, per angelos designantur præsides seu episcopi harum ecclesiarum. Quæ opinio gravibus argumentis intrinsecis innixa, valde probabilis evadit si consideratur episcopatum monarchicum in tribus ex his ecclesiis *(Ephes., Smyrn., Philadeph.)*, post aliquot annos testem habere S. Ignatium, de quo infra, n. 653. Exinde enim facile deducitur episcopos a S. Joanne constitutos esse in quibusdam saltem ecclesiis. Quod aliunde affirmat antiqua traditio, jam in fragmento Muratoriano [3] (circa 180) relata, a Clemente Alexandrino explicite confirmata [4], necnon a S. Irenæo et Tertulliano [5] approbata.

649. (c) Aliud tandem argumentum desumitur ex historia primitiva *Ecclesiæ Hierosolymitanæ :* ex qua facile erui

---

[1] *I Tim.*, IV, 11-13, 16; V, 22; *II Tim.*, I, 13-14; II, 2, 15; IV, 2-5; *Tit.*, I, 5, 13; II, 13, 15.

[2] *Tit.*, III, 12. — Cfr. **Prat**, *op. cit.*, p. 479.

[3] **Muratori,** *Antiquitates italicæ medii ævi*, III, col. 253; **K.**, 157. In hoc textu fit mentio de Joanne et episcopis suis.

[4] *Quis dives salvetur*, c. 42 : *P. G.*, IX, col. 647-651 ; **R.** 438.

[5] Juxta **S. Irenæum,** qui Polycarpum in sua prima ætate vidit, Polycarpus "constitutus est episcopus *ab apostolis* in Asia, in ea quæ est Smyrnis ecclesia". *(Adv. Hær.*, III, c. 314; **R.**, 212); quam traditionem retulit quoque **Tertullianus** *(De præscript.*, c. 32; **R.**, 296), qui alibi, modo generali expresse ait : "Ordo episcoporum ad originem recensus in Joannem stabit auctorem". *(Adv. Marc.*, IV, 5; **R.**, 341). Confirmationem in eo invenies quod tempore Pauli *Ephesi* solummodo presbyteri Ecclesiam gubernabant *(Act.*, XX), tempore autem Ignatii Episcopus : interdum Joannes Ephesi morabatur, ut testatur **Polycrates Ephesinus**, in *H. E.*, V, XXIV, 2, (**K.**, 92).

potest quando et quomodo episcopatus monarchicus in hac ecclesia apostolatui successerit. Hierosolymitana ecclesia a solis apostolis primo recta fuit, qui mox septem diaconos sibi adjunxerunt [1], et deinde presbyteros [2]. Tempore concilii Hierosolymitani, an. 51 vel 52, duo vel tres apostoli in hac ecclesia cum presbyteris remanent [3], inter quos eminet Jacobus [4]. Tandem, circa an. 59, *Jacobus solus cum senioribus* Hierosolymitanæ præest ecclesiæ [5], et quasi verus episcopus ibidem apparet : huic enim Petrus annuntiat se e carcere liberatum fuisse [6]; hic, in concilio *Hierosolymitano*, statim post Petrum, loquitur [7]; ad eum Paulus ingreditur. tanquam presbyterorum ducem, ab eoque mittuntur legati Antiochiam [8] : uno verbo, in omnibus tanquam civitatis præses et episcopus apparet. — Hoc autem confirmat traditio, nam hunc Jacobum, fratrem Domini, tanquam Hierosolymarum *primum episcopum post apostolos*, Hegesippus (c. 180) [9], Clemens Alexandrinus (c. 200) [10], et Eusebius [11] postea designant.

Huic argumento accedit quod aliqui *catalogi episcopales*, vero fruentes historico valore, usque ad apostolos ascendunt. Sic catalogus romanus [12], catalogus antiochenus [13], catalogus alexandrinus [14].

650. (**D**) *Potestas quæ, ab apostolis derivata et concessa, hierarchiæ temporis apostolici competit*, sic determinari potest pro *presbyteris* et pro *delegatis* Apostoli Pauli :

(**a**) *Presbyteri*, rite impositione manuum ordinati [15], 1) *regunt* Ecclesiam Dei, *pascunt* gregem Dei [16], una cum aposto-

---

[1] *Act.*, VI, 1-6. — [2] *Act.*, XI, 30. — [3] *Act.*, XV, passim; *Gal.*, II, 9.
[4] *Act.*, XV, 13; *Gäl.*, I, 19. — [5] *Act.*, XXI, 18. — [6] *Act.*, XII, 17.
[7] *Act.*, XV, 13. — [8] *Act.*, XXI, 18; *Galat.*, I, 19; II, 12.
[9] Apud **Euseb.**, *Hist. eccles.*, lib. II, c. 23 (*P. G.*, XX, col. 197); *ib.*, lib. IV, c. 22 (*P. G.*, XX, col. 309). Cf. **S. Hieron.**, *De viris illustribus*, c. 2 (*P. L.*, XXIII, col. 608).
[10] Apud **Euseb.**, *Hist. eccles.*, lib. II, c. 1 (*P. G.*, XX, col. 135).
[11] *Hist. eccles.*, lib. III, c. 11 (*P. G.*, XX, col. 246). Cf. **Michiels**, *op. cit.*, p. 239. — Juxta *Eusebium*, Jacobo successerunt Simeon (62-110) et Justus (*ib.*, lib. III, c. 11 et 35.)
[12] *Adv. hær.*, l. III, c. III. Cf. *H. E.*, l. V, c, VI.
[13] *H. E.*, l. III, c. XXVI, 2; **Origenes**, *Hom. in Luc.*, VI.
[14] *H. E.*, l. II, c. XXIV. — [15] *Act.*, XIV, 23; cf. XIII, 3.
[16] *Act.*, XX, 28; *I Tim.*, III, 5; *I Petr.*, V, 2

lis *leges ferunt* [1], in Ecclesia *præsunt* [2], et ideo omnes eis *obedire* debent [3], et honore digni sunt [4]. Hic habemus potestatem *regendi* fideles (*imperium*). 2) In sacramentis ministrandis partem habent : v. g., oleo sacro ungunt infirmos [5], cum Apostolo (vel ejus delegato) imponunt manus [6], et liturgiam celebrant [7]. Ergo potestatem habent *sanctificandi* fideles (*ministerium.*) 3) Munus habent *docendi*, nam " laborant in verbo et doctrina " [8], debent " exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere " [9] — et hæc est potestas *magisterii.*

(**b**) *Delegati Apostoli* potestatem habebant quam sibi reservaverat Apostolus ipse, tanquam dux Ecclesiarum. Erui potest specialiter ex epistolis pastoralibus. Ipsis competebat : 1) potestas *regendi*, judicandi et corripiendi : " Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt *corrigas* [10]... Adversus presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus; peccantes coram omnibus *argue*, ut et ceteri timorem habeant " [11]; potestas constituendi presbyteros [12]; — 2) potestas *docendi* sanam doctrinam : " Præcipe hæc et *doce*... Attende tibi et *doctrinæ* [13]... Depositum custodi [14]... Quæ audisti a me per multos testes, hæc *commenda* fidelibus hominibus qui idonei erunt et alios *docere* [15]... Recte (tracta) verbum veritatis [16]... Prædica verbum, opus fac evangelistæ, ministerium tuum imple [17]... increpa illos dure ut sani sint in fide [18]... Hæc loquere et exhortare, et argue cum omni imperio [19]; — 3) potestas *ministerialis* : " Manus cito nemini imposueris " [20].

---

[1] *Act.*, XV et XVI. — [2] *I Tim.*, V, 17; cf. *Hebr.*, XIII, 7.
[3] *I Thess.*, V, 12-14. — [4] *I Tim.*, V, 17. — [5] *Jac.*, V, 14.
[6] *I Tim.*, IV, 14 : impositio manuum *presbyterii* videtur forsan mere cæremonialis, nam Apostoli sibi (vel delegatis) reservare impositionem manuum videntur (*II Tim.*, I, 6; *I Tim.*, V, 22). In quibusdam tamen ecclesiis, presbyteri apparent charactere episcopali insigniti, v. g., Alexandriæ; cf. **Dom Cabrol,** *Dictionnaire d'archéologie,* I, p. 1204.
[7] Cf. Διδαχή, XV, 1; *I Clem.*, XLIV, n. 2-6. Quod ipse Harnack fatetur.
[8] *I Tim.*, V, 17. — [9] *Tit.*, I, 9; cf. *Hebr.*, XIII, 17.
[10] *Tit.*, I, 5; cf. II, 1. — [11] *I Tim.*, V, 19-20.
[12] *Tit.*, I, 5; cf. *I Tim.*, III. — [13] *I Tim.*, IV, 11, 13, 16.
[14] *I Tim.*, VI, 20; cf. *II Tim.*, I. 13-14.
[15] *II Tim.*, II, 2. — [16] *II Tim.*, II, 15.
[17] *II Tim.*, IV, 2-5. — [18] *Tit.*, I, 13.
[19] *Tit.*, II, 15. — [20] *I Tim.*, V, 22.

Hæc delegatorum potestas respondet potestati episcoporum proprie dictorum hujus temporis, cum eis plena auctoritas in determinatam Ecclesiam commissa fuerit.

651. Conclusio. Ex mox dictis ergo constat jam *tempore Apostolorum, quosdam episcopos constitutos esse, qui Apostolis successuri erant*, non tamen in *singulis ecclesiis*. Quamdiu enim Apostoli munus episcopale exercebant, episcopus monarchicus non erat necessarius, et aliunde non facile aliquis inveniebatur qui hoc officium utiliter adimpleret. Hinc, quædam ecclesiæ non ab uno episcopo, sed a *collegio presbyterorum* regebantur, sive sacerdotali, sive episcopali dignitate ornatorum; — item, nonnulli ex eis qui episcopali dignitate insigniti videntur, non erant *uni* ecclesiæ incardinati, sed per varias ecclesias, secundum Apostolorum mandata, iter faciebant, suumque munus exercebant. — Nulla tamen ecclesia invenitur sine aliqua hierarchia.

652. 2° **Circa initium primi sæculi.** (A) *In quibusdam Ecclesiis, præter prophetas et doctores qui nonnisi transitorie agunt* [1], *apparent solummodo collegia presbyterorum* (*etiam episcopi vocati*) *cui sociantur diaconi.* — Sic Corinthii, Philippenses, ecclesiæ ad quas "Didachè" dirigitur [2].

Secundum aliquos auctores, possibile est tamen etiam in una vel altera harum Ecclesiarum episcopum veri nominis exstitisse; sed quia unio maxima erat inter episcopum et presbyterium, ille in isto includebatur [3].

---

[1] Cf. *Didachè*.

[2] **Clemens Romanus**, ad Corinthios scribens, tantummodo presbyteros et diaconos nominat; **Polycarpus**, episcopus monarchicus Smyrnensis, ad Philippenses epistolam scribens, nullum commemorat episcopum, sed tantum presbyteros.

[3] **Prat**, l. c. in *D. T. C.*, col. 1671-1672; quod aliquibus factis illustrari potest; v. g., Epistola Ecclesiæ *Romanæ* ad Corinthios (*I Clem.*, circa ann. 96), mox scripta dicitur ab ipso Clemente, hujus ecclesiæ episcopo; non loquitur tamen nisi de presbyteris, licet non excludat episcopatum (cf. *I Clem.*, XL, 5). *Smyrnis*, ex dictis, certo existebat, jam ab anno 107, monarchicus episcopus (cf. **Ignat.**, *Magn.*, XV; *Polyc.*, inscr.; *Smyrn.*, XII, 2; *Martyr. S. Polyc.*, inscr.); et tamen de ejus episcopatu mentionem non facit **Polycarpus**, *Ad Philipp.* scribens, nisi implicite in inscriptione (Polycarpus, et qui cum eo presbyteri) et VI, 1. Immo, exeunte secundo sæculo, **Hippolytus**, *Adv. Noetum*, c. 2, de *presbyteris* Smyrnæorum loquitur. Item, **Hermas**, qui "sub Pio episcopo fratre" suo scribebat (*ex frag. Muratoriano*), non loquitur nisi de

653. (B) *Ineunte sæculo secundo existebat monarchicus episcopatus in Asia Minori et in multis aliis ecclesiis.*

Etenim, circa annum 107, *S. Ignatius*, episcopus antiochenus, tam diserte asserit in suis epistolis episcoporum existentiam, ut omnes fateri cogantur veros episcopos monarchicos, saltem in Asia minori, tunc temporis extitisse[1].

Distincte enim commemorat tres ministrorum ordines, episcopum, presbyteros et diaconos[2]. Unaquæque Ecclesia ab *uno episcopo* regitur[3], qui in ea Christum[4], immo et Deum Patrem repræsentat[5], sine quo nihil est faciendum[6] cuique omnes[7], etiam presbyteri et diaconi[8], obedire tenentur. *Presbyterium* autem "ita cooptatum episcopo ut chordæ citharæ"[9], episcopum præsentem adjuvat, vel absentem aut impeditum supplet, cui *diaconi* inserviunt[10].

---

presbyteris. Nonne sub voce "οἱ πρεσβύτεροι" episcopus simul et presbyteri audiendi sunt, sicut et nunc per *clerum* alicujus ecclesiæ designamus et parochum et vicarios?

[1] **H. de Genouillac**, *L'Eglise chrétienne au temps de S. Ignace d'Antioche*, Paris, 1907. Vide textus ap. *Rouet de Journel*, 38-68.

[2] "Saluto *episcopum* Deo dignum, et Deo dilectum *presbyterium* et conservos meos *diaconos*" (*Smyrn.*, XII, 2). "Qui sine *episcopo* et *presbyterio* et *diaconis* quidpiam agit, is non est mundus in conscientia" (*Trall.*, VII, 2). "Hortor ut in concordia Dei omnia peragere studeatis, *episcopo præsidente loco Dei, et presbyteris loco senatus apostolici, et diaconis*" (*Magn.*, VI, 1; cf. XIII, 1).

[3] "Studeatis una Eucharistia uti: Una enim est caro Domini nostri Jesu Christi, et unus calix in unitatem sanguinis ipsius, unum altare, *sicut unus episcopus cum presbyterio et diaconis*" (*Philad.*, IV).

[4] "Cum episcopo subjecti sitis *ut Jesu Christo*, videmini mihi non secundum hominem, sed secundum Jesum Christum vivere" (*Trall.*, II, 1).

[5] "Cuncti revereantur diaconos ut Jesum Christum: sicut et episcopum *qui est Typus Patris*" (*Trall.*, III, 1; cf. XIII, 2). "Studeamus igitur episcopo non resistere, ut simus subjecti *Deo* (*Eph.*, V, 3). "Manifestum est quod episcopum respicere oporteat *ut ipsum Dominum*" (*Eph.*, VI, 1; cf. *Magn.*, II, 1).

[6] "Necessarium est ut *sine episcopo nihil agatis*" (*Trall.*, II, 2). "Spiritus annuntiavit hæc (schismata) dicens: *Sine episcopo nihil facite*, dissidia fugite" (*Philad.*, VII, 2; cf. *Magn.*, VII, 1; XIII, 1; *Smyrn.*, VIII et IX).

[7] "*Omnes* episcopo obtemperate, ut Jesus Christus Patri, et presbyterio ut apostolis, diaconos autem revereamini ut Dei mandatum.

[8] "Episcopo attendite, ut et Deus vobis. Paratus sum animam meam ponere pro iis qui subditi sunt episcopo, presbyteris et diaconis", vel, juxta Harnack, "*pro presbyteris et diaconis qui subditi sunt episcopo*" (*Polyc.*, VI, 1; cf. *Magn.*, II, 1). — [9] *Ephes.*, IV, 1.

[10] Studete igitur ut omnia faciatis "cum dignissimo *episcopo* vestro, et digne contexta spirituali corona *presbyterii* vestri, et cum *diaconis* Deo placentibus" (*Magn.*, XIII, 1). "Cuncti revereantur... *presbyteros* ut senatum Dei, et concilium apostolorum" (*Trall.*, III, 1).

Horum episcoporum quinque tantum nomina nobis nota sunt : Magnesiæ (Damas), Ephesi (Onesimus), Trallibus (Polybius), Smyrnis (Polycarpus), et Antiochiæ (ipse Ignatius). Latet vero nomen episcopi Philadelphiæ [1].

654. Hanc autem hierarchiam S. Ignatius supponit *ubique* existere, nam loquitur de "episcopis *per tractus terræ* constitutis" [2], et nullam videtur noscere ecclesiam quæ episcopum non habeat. Cum autem nullo modo illam habeat pro recenter instituta, hujusmodi hierarchia in Asia et in ecclesiis a S. Ignatio notis certo a pluribus annis existebat, et sic usque ad tempora apostolica retrogradimur. — Tandem certum est ab Ignatio tam essentialem episcopatum existimari, ut sine illo ecclesia non subsistat [3].

655. (C) *Auctoritas hierarchiæ recognita, triplicem importat potestatem :* (a) Potestatem *regendi.* Juxta *S. Ignatium*, episcopus est *pastor*, quem oves sequi debent [4], cui omnes obedire debent [5], sine quo nihil fieri potest [6]. Qui episcopo non resistit, secundum Jesum Christum vivit [7], et ipsi Deo obedit [8] : nam episcopus præsidet loco Dei [9], et illum respicere oportet ut ipsum Dominum [10]. "Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo sit, quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi catholica est Ecclesia... *Quodcumque ille probaverit, hoc et Deo est beneplacitum*, ut firmum et validum sit omne quod peragitur [11]." — *Clemens romanus* similiter obœdientiam erga Presbyteros commendat [12].

---

[1] *Magn.*, II, 1; *Ephes.*, I, 3; cf. *Corpus inscript. græc.*, n. 2983; *Trall.*, I, 1; *Polyc.*, inscr. — [2] *Ephes.*, III, 2.

[3] "*Sine his* (episcopo, presbyteris, diaconis) *ecclesia non vocatur*" (*Trall.*, III, 1); et addit. "de his vos ita sentire persuasum habeo" (*ib.*, n. 2) : ergo non agitur de opinione mere personali.

[4] *Philad.*, II, 1; *Rom.*, IX.

[5] *Trall.*, XIII, 2; *Philad.*, VII, 1; *Smyrn.*, VII, 1; *Eph.*, II, 2; XX, 2.

[6] *Trall.*, VII, 2; II, 2; *Smyrn.*, VIII, 1-2 : "Separatim ab episcopo, nemo quidquam faciat eorum quæ ad Ecclesiam spectant"; IX, 1 : "Qui clam episcopo aliquid agit, diabolo servit"; *Philad.*, VII, 2; *Magn.*, XIII, 1; VII, 1 : "Neque vos sine episcopo et presbyteris quidquam peragatis"; *Pol.*, IV.

[7] *Trall.*, II, 1.

[8] *Eph.*, V, 3; *Magn.*, II, 1; *Trall.*, III, 1; XIII, 2; *Smyrn.*, VIII, 1.

[9] *Magn.*, VI, 1. — [10] *Eph.*, VI, 1.

[11] *Smyrn.*, VIII, 2.

[12] *I ad Cor.*, I, 3; XXI, 6; XLVII, 2.

(**b**) Potestatem *docendi.* Episcopus *exhortari* debet ut omnes salventur [1], populum instruere, v. g., de malis artibus fugiendis [2], stare firmiter contra eos qui aliena docent [3]. Ad vitandas hæreses, adhæreant fideles episcopo [4], et in ejus sententiam concurrant [5].

(**c**) Potestatem *ministerialem.* "Valida Eucharistia habeatur illa, quæ sub episcopo peragitur, vel sub eo cui ipse concesserit... Non licet sine episcopo neque baptizare, neque agapen celebrare" [6]. "Decet ut sponsi et sponsæ de sententia episcopi conjugium faciant" [7].

656. (**D**) *Hæc tandem triplex potestas hierarchiæ a Deo per Christum et apostolos venit :* (**a**) Id aperte docet *Clemens romanus :* "Apostoli nobis evangelii prædicatores facti sunt a Domino Jesu Christo, Jesus Christus missus est a Deo. Christus igitur a Deo et Apostoli a Christo; et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei... Per regiones igitur et urbes, (Apostoli) verbum prædicantes, primitias earum spiritu cum probassent, *constituerunt episcopos et diaconos* eorum qui crederent erant... Apostoli quoque nostri... cognoverunt contentionem de nomine episcopatus oborituram; ob eam ergo causam, perfecta præscientia præditi, *constituerunt prædictos,* ac deinceps ordinationem dederunt ut cum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent" [8].

(**b**) Idem, quamquam minus explicite, profitetur *Ignatius.* Juxta ipsum, Ecclesia ab apostolis et a Christo venit [9], cum autem Episcopus essentialis sit Ecclesiæ, ita ut sine Episcopo non sit Ecclesia [10], necessario sequitur Episcopos, cum sua potestate, a Christo derivare [11].

---

[1] *Polyc.*, I, 2. Cf. *Epist. Polycarpi* ad Philippenses, quæ est vera instructio episcopalis. In *Mart. Polyc.*, XII, 2, vocatur Polycarpus ὁ Ἀσίας διδάσκαλος.

[2] *Polyc.*, V, 1. — [3] *Polyc.*, III, 1. — [4] *Trall.*, VI, VII, 1.

[5] *Eph.* IV, 1. — [6] *Smyrn.*, VIII, 1-2. — [7] *Polyc.*, V, 2.

[8] *I ad Cor.*, XLII et XLIV, *R.*, 20-21.

[9] *Eph.*, V, 1; *Phil.*, V, 1; *Smyrn.*, I, 2.

[10] *Magn.*, II; *Trall.*, II, 1; III, 1; VII, 7; *Philad.*, III, 2; VII, 1; *Smyrn.*, VIII, 1-2.

[11] *Philad.*, Proœmium, ubi Ignatius loquitur de unione fidelium "cum episcopo et presbyteris ejus et diaconis, *juxta sententiam* (ἐν γνώμῃ) *Jesu Christi designatis, quos secundum propriam voluntatem suam firmavit in stabilitate per*

657. Conclusio. Ab anno 70 ad annum 110, numerus episcoporum monarchice ecclesias regentium valde auctus est : 1) *necessitatis causa :* apostolis enim successive morientibus, necesse fuit cuique ecclesiæ præficere prælatum supremum apostolorum auctoritate præditum; 2) *suggerentibus apostolis* antequam morerentur et præsertim S. Joanne necnon quibusdam episcopis [1]. Nihil itaque innovatum est : forma gubernii, jam apostolica ætate existens et ab Apostolis, jubente Christo, instituta, tantum communior evasit.

Nulla igitur tunc ecclesia sine aliqua hierarchia existit; paucæ sine episcopatu.

658. 3° **Finis secundi sæculi.** Toto orbe christiano episcopatus monarchicus apparet, triplicique ab apostolis derivata potestate fulget.

(**A**) Ex documentis *multas civitates episcopales* esse novimus in fine sæculi secundi : sic Athenas, Gnossos et Gortynam in Creta insula [2], Sinopen [3], Laodicæam [4], Sarden [5] etc. In controversia pascali multa episcoporum concilia coadunata sunt [6].

659. (**B**) *Hegesippus*, jam circa annum 150, per varias ecclesias iter fecit, et earum *episcopos* adiit ut de singularum doctrina certior fieret; ubique autem invenit *per successionem episcoporum* orthodoxam fidem apostolorum traditam fuisse fidelibus [7], et in pluribus locis *catalogum* episcoporum contexuit, v. g., Romæ, usque ad Anicetum [8]. Ex hoc facto concludere licet, medio secundo sæculo, ubique extitisse episcopos monarchicos, qui Apostolorum successores habebantur.

---

sanctum suum spiritum"; et statim (I, 1), de episcopo loquens, ait : "Hunc episcopum cognovi ***non a seipso, neque per homines***, neque ob inanem gloriam, sed *caritate Patris et Domini Jesu Christi* obtinuisse ministerium regendi cœtum". — Cf. etiam III, 2; *Trall.*, VII, 1; XII, 1-2; *Eph.*, III, 2; *Smyrn.*, VIII, 1.

[1] Cf. supra n. 648. — [2] *H. E.*, l. IV, c. XXIII.

[3] **S. Epiphanius,** *Hær.*, XLII, 1. — [4] *H. E.*, l. IV, c. XXVI, 3.

[5] Cujus episcopus erat Apologeta Melito.

[6] *H. E.*, l. V, cc. XXIII-XXVII.

[7] Apud **Euseb.**, *Hist. eccl.*, lib. IV, c. 8 et 22 (*P. G.*, XX, col. 322 et 378).

[8] Γενόμενος δὲ ἐν Ῥώμῃ, διαδοχὴν ἐποιησάμην μέχρις Ἀνικήτου. Apud **Euseb.**, *op. cit.*, lib. IV, c. 22. De hoc textu, cf. **Michiels**, *op. cit.*, p. 309-315.

660. (**C**) *S. Irenæus* (c. 180) [1], qui S. Polycarpum aliosque proximos Apostolorum discipulos optime noverat, et Ecclesiarum tam Orientalium quam Occidentalium traditionem in se colligit, aperte declarat episcopos monarchicos ab apostolis institutos fuisse, et eorum esse successores, ut clare patet ex sequentibus textibus : 1) " Traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam, *in omni Ecclesia* adest respicere omnibus qui vera velint videre; et habemus annumerare *eos qui ab apostolis instituti sunt episcopi et successores eorum usque ad nos*... sed, quoniam longum est in hoc tali volumine *omnium Ecclesiarum* enumerare successiones ", tunc duo exempla tantum proponit, scilicet, ecclesiæ Romanæ, cujus administrationem Petrus et Paulus Lino tradiderunt, cui successit Anacletus, et postea Clemens qui et vidit ipsos apostolos; — et ecclesiæ Smyrnæorum, in qua Polycarpus ab apostolis constitutus fuit episcopus [2].

2) " Eis qui in Ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportet, his qui *successionem habent ab apostolis*, sicut ostendimus; qui, cum *episcopatus* successione, charisma veritatis certum... acceperunt " [3].

3) "Agnitio vera (γνῶσις ἀληθὴς) est apostolorum doctrina et antiquus Ecclesiæ status, in universo mundo, et character corporis Christi *secundum successiones episcoporum, quibus illi* (apostoli), *eam quæ in unoquoque loco est, Ecclesiam tradiderunt...* " [4].

661. (**D**) Ex hucusque dictis, tam evidenter apparet episcopatum monarchicum in secundo sæculo pro institutione apostolica haberi, episcoposque tanquam apostolorum successores ab omnibus agnosci ut ab aliis textibus ævi posterioris abstinere possimus : quod ipsi adversarii concedunt [5]. Ad complementum tamen pro-

[1] Vide textus S. Irenæi apud **Rouet de Journel**, 209, 212, 237, 242, 257; vel in **A. Dufourq**, *S. Irénée* (collect. *Pensée chrétienne*), Paris, 1905, p. 123-131, 199-203. — [2] *Adv. Hær.*, lib. III, c. 3, n. 1-4 (*P. G.*, VII, col. 848-855).

[3] *Adv. Hær.*, lib. IV, c. 26, n. 2 (*P. G.*, VII, col. 1053).

[4] *Adv. Hær.* lib. IV, c. 33, n. 8 (*P. G.*, VII, col. 1077).

[5] Ita v. g. **Schaff***, *History of the Christian Church*, vol. II, p. 144; **Morris***, *op. cit.*, p. 131; **Stanley***, *Christian Institutions*, ch. X, p. 207-208; **Harnack***, **J. Réville, Sabatier***, qui, in opere *Les Religions de l'autorité*, p. 131, scribit : " Fortement esquissée dans les écrits d'Irénée, de Tertullien et d'Origène, la théorie catholique de l'épiscopat ne s'achève que dans ceux de Cyprien de Carthage, 248-258 ".

bationis, aliquos textus *pro tertio sæculo* afferre libet : — 1) *Tertullianus*, primus e latinis scriptoribus, et Ecclesiæ Africanæ testis, docet hierarchiam tribus distinctis ordinibus constare, et presbyteros episcopis subditos esse : " Dandi quidem (baptismi) habet jus summus sacerdos qui est *episcopus :* dehinc presbyteri et diaconi, *non tamen sine episcopi auctoritate* " [1]. Alibi declarat episcopos ab Apostolis ipsis fuisse constitutos ut semen Evangelii traducerent. " Si quæ (hæreses) audent interserere se ætati apostolicæ, ut ideo videantur ab apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere : dent ergo origines ecclesiarum suarum; *evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem* et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt : sicut Smyrnæorum ecclesia Polycarpum a Joanne conlocatum refert; sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit; proinde utique *et ceteræ exhibent quos ab Apostolis in episcopatum constitutos apostolici seminis traduces habeant* " [2].

2) *Clemens Alexandrinus* tres ordines hierarchicos distincte agnoscit episcopos, presbyteros et diaconos : " Hic quoque in Ecclesia progressiones *episcoporum, presbyterorum, diaconorum* sunt, ut arbitror, imitationes gloriæ angelicæ " [3].

3) *Origenes* eamdem doctrinam tradit : " Ecclesiarum rectoribus et principibus loquitur, his videlicet qui judicant eos qui intus sunt : id est, *episcopis*, vel *presbyteris* et *diaconis* " [4].

662. Conclusio demonstrationis. In quantum sinit paucitas exstantium documentorum, clare constat hierarchiam a Christo in Ecclesia institutam, legitime continuatam esse ab Episcopis, tempore Apostolorum jam creatis et paulatim in universo christiano orbe. Historice igitur loquendo, dici nequit episcopatum stabilem et monarchicum esse institutionem humanam, e mediocritate plurimorum et ambitione paucorum ortam [5]; sed potius divinam esse insti-

[1] *De Baptismo*, c. 17., *P. L.*, t. I, 1218; **R.**, 310.

[2] *De Præscript.*, c. 32, *P. L.*, t. II, 44-45; **R.**, 296.

[3] *Stromat.*, lib., VI, c. 13 (*P. G.*, IX, col. 327; **R.**, 427.

[4] *In Epist. ad Rom.*, lib. II, n. 2 (*P. G.*, XIV, col. 873). Alibi existimat episcopum " principem, ἡγούμενος " appellandum esse. *In Matt.*, XVI (*P. G.*, XIII, col. 1394; cf. *ib.*, col. 107 et 1451). — Quoad alia testimonia sive jam citatorum, sive aliorum Patrum, lege **P. Murray**, *op. cit.*, disp. XI, n. 124, vol. II, p. 231 sq., ubi multi congeruntur textus et dilucide exponuntur; **Franzelin**, th. 15; **Batiffol**, *L'Eglise naissante*, passim.

[5] " La médiocrité fonda l'autorité ", ait Harnack post Renan.

tutionem, verbis Christi innixam, et Apostolorum auctoritate peractam.

Si enim omnes Ecclesiæ ministri ab initio æquales fuerint, quomodo factum est ut tam cito presbyteri et fideles mutationem in regimine Ecclesiæ tam essentialem, nullo renitente, aut reclamante, ubique acceperint? Si hæc mutatio in Ecclesia orientali originem sumpsisset, quomodo, absque contentionibus, in Ecclesia occidentali accepta fuisset? Neque dici potest hoc *ambitioni* quorumdam presbyterorum tribuendum esse, qui gradatim potestatem super alios presbyteros usurparint; moraliter enim impossibile est ut hi omnes ubique et simul tentaverint hanc usurpare potestatem, et quidem cum felici exitu : hæc enim ambitio ubique et tam brevi tempore mutationem inducere non potuit absque contentionibus et divisionibus, de quibus tamen historia prorsus silet.

Merito igitur reprobata est hæc Modernistarum propositio : "*Seniores qui in christianorum cœtibus invigilandi munere fungebantur instituti sunt ab Apostolis presbyteri aut episcopi ad providendum necessariæ crescentium communitatum ordinationi, non proprie ad perpetuandam missionem et potestatem apostolicam*" [1].

663. Solvitur difficultas. Cum de sententia *S. Hieronymi* [2] circa originem episcopatus multum disputent auctores (præsertim veteres Protestantes) [3], hæc videntur esse tenenda :

(a) Primis temporibus communi presbyterorum consilio ecclesiæ gubernabantur, qui et episcopi vocabantur : presbyteri enim erant ratione ætatis (πρεσβύτεροι), episcopi, (ἐπίσκοποι = superintendentes), ratione dignitatis et officii. Utrum juxta Hieronymum hujusmodi presbyteri dignitate episcopali ornarentur, necne, adhuc sub judice lis est [4].

---

[1] Decret. *Lamentabili*, 3 jul. 1907, prop. 50., **D. B.**, 2050. Quæ propositio fere ad verbum ex opere *Loisy* "*Autour d'un petit livre*", p. 253, desumpta est.

[2] **S. Hieronymus**, *Com. in Tit.*, I, 5 : *P. L.*, XXVI, col. 561 sqq; **R.**, 1371; **K.**, 631-633; Epist. 146 *ad Evangelium; P. L.*, XXII, col. 1192 sqq.; **R.**, 1357; **Michiels**, *op. cit.*, p. 420-429; **Sanders**, *Etudes sur S. Jérôme*, Bruxelles, 1903, p. 296-344; **d'Herbigny**, II, 283-285.

[3] *Art. Smalcald*, De potestate et primatu papæ. (Edit., **Müller-Kolde**, n. 60-64); **Calvin**, *Inst. chrêt.*, l. IV, c. IV, 2.

[4] Affirmativam sententiam tenet **Sanders**, negativam autem **Michiels**, l. c.

(b) Postea, in toto orbe decretum est ut unus de presbyteris electus ceteris superponeretur, qui solus, una tamen cum presbyterio, in episcopum consecratus, regeret ecclesiam.

(c) Hæc autem mutatio non quidem ab ambitione alicujus presbyteri originem habuit [1], sed ad evellenda schismatum plantaria a diabolo inter fideles seminata, sapienter [2] introducta fuit, ut videtur, ab ipsis apostolis, forsan occasione dissensionum apud Corinthios [3], et paulatim ubique terrarum. Post hanc mutationem, hierarchia legitima ubique constat episcopis, presbyteris, et diaconis [4].

(d) Episcopi superiores sunt presbyteris, sive ratione ordinis, sive ratione jurisdictionis : ratione ordinis, nam jure divino solus episcopus sacros ordines confert et presbyteros per civitates constituit [5]; — ratione jurisdictionis, nam jure divino apostolico [6], solus regit ecclesiam : memor tamen sit originis suæ, et consilio presbyterorum utatur.

(e) Episcopi sunt successores Apostolorum, et in Ecclesia eorum locum tenent [7].

---

[1] " Nous n'avons trouvé aucune trace de cette ambition de certains prêtres qui aurait donné naissance à l'épiscopat. Ce que S. Jérôme affirme, c'est qu'à l'origine les églises avaient à leur tête un collège de prêtres qui les gouvernait en commun, mais que, à la suite des rivalités qui surgirent entre les prêtres, égaux en dignité et en pouvoir, et, à leur sujet, entre leurs ouailles, l'Eglise décreta partout qu'on conférerait à un seul la suprématie sur tous les autres ". (**Michiels**, *op. cit.*, p. 427); cf. **Sanders**, *op. cit.*, p. 329.

[2] " Ecclesiæ salus in summi sacerdotis dignitate pendet; cui si non exsors quædam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes " (*Dial. adv. Lucif.* c. 2 : *P. L.*, XXIII, col. 164).

[3] *I Cor.*, III, 4; cf. **S. Hieronymus**, *Com. in Tit.*, I, 5, l. c. col. 562.

[4] Cf. **Sanders**, p. 313, ubi plusquam triginta textus recensentur.

[5] " Quid enim facit episcopus, quod presbyter non facit, *excepta ordinatione?* " (Ep. 146 *ad Evang.*, l. c., col. 1194); cf. *Com. in Tit.*, 1, 5, l. c.

[6] *Com. in Matt.*, XXV, 26-28 : *P. L.*, XXVI, col. 188; *Dial. adv. Lucif.*, c. 9 : *P. L.*, XXIII, col. 164. *In Epist. ad Evangel.*, l. c., vocat hierarchiam tripartitam " traditionem *apostolicam* "; *In Com. in Tit.*, l. c., ait " magis consuetudine quam dispositionis dominicæ veritate " : quibus verbis S. Hieronymus asserit episcopos esse superiores presbyteris (jurisdictione) non quidem ex dispositione Christi, (primis temporibus, collegium presbyterorum regebat ecclesiam), sed ex consuetudine, seu potius, ut supra latius exposuit, *ex decreto legitimo ecclesiastico* (apostolico) quo in toto orbe unicus episcopus unicuique ecclesiæ præpositus fuit ad vitanda schismata.

[7] " Apud nos (i. e. apud catholicos), Apostolorum locum episcopi tenent; apud eos (Montanistas) episcopus tertius est " Ep. 41, n. 3, *ad Marcel : P. L.*, XXII, col. 476; cf. Ep. 146 *ad Evangelum*, l. c. " Omnes apostolorum successores sunt ".

§ III. De infallibilitate collegio Apostolorum et Episcoporum collata [1].

664. *Thesis :* **Potestas docendi, collegio Apostolorum et Episcoporum concessa, privilegium infallibilitatis importat, ita ut Ecclesia docens sit infallibilis circa fidem et mores.** *Historice certum, theologice de fide* [2].

Declaratur thesis. (**a**) *Infallibilitas* de qua agitur est immunitas ab errore, quatenus non solum involvit *inerrantiam* de facto, sed etiam *errandi possibilitatem* excludit. Duplex est infallibilitas : una *essentialis*, quæ soli Deo competit; altera *participata*, quæ creaturis rationalibus a Deo communicari potest, propter specialem finem.

(**b**) Jamvero contendimus hanc fuisse concessam *Apostolorum* et *Episcoporum collegio*. Hic enim abstrahimus a quæstione utrum eadem data fuerit *singulis* Apostolis, et quæstionem movemus solum relate ad omnes Apostolos *collective* sumptos. Quoad Episcopos vero, certum est eos *sigillatim* sumptos non esse infallibiles, sed solum quando *collegialiter* agunt [3].

(**c**) Iterum non agitur hic de infallibilitate in omnibus rebus, etiam scientificis, sed solum in tradenda et exponenda ipsius *Christi doctrina circa fidem et mores*, id est, circa ea quæ credenda docuit vel facienda præcepit ad salutem æternam consequendam. Cum vero hæc doctrina duplici

---

[1] **Bellarminus,** *Controv.*, De Conciliis et Ecclesia, lib. III, c. 13-17; **Bossuet,** *Instr. pastorales sur les promesses de Jésus-Christ à son Eglise;* **Brugère,** n. 22-25; **Wilmers,** n. 206-207; **Pesch,** n. 165-271; 441-445; 461-463; **P. Batiffol,** op. cit., pp. 46-113, 247-253, et passim; **d'Herbigny,** II, p. 298-299, 307-312.

[2] Hæc propositio, etsi nunquam his terminis definita, his verbis Concilii Vaticani implicite continetur (Sess. III, Procem.) : "Dei Filius... ad Patrem cælestem rediturus, cum Ecclesia sua in terris militante, omnibus diebus usque ad consummationem sæculi futurum se esse promisit. Quare dilectæ Sponsæ præsto esse, *assistere docenti*, operanti benedicere... nullo unquam tempore destitit". Cf. *Conc. nicænum II*, **D. B.,** 302; *conc. vaticanum*, **D. B.,** 1792, 1800; *conc. Trident.*, **D. B.,** 783, *Jusjurandum contra Modern.*, **D. B.,** 2147.

[3] Hæc hierarchiæ infallibilitas vocatur *activa* vel *in docendo*. Toti Ecclesiæ, fidelibus inclusis, competit *aliqua* infallibilitas in *credendo* sive *passiva*, quatenus nempe tota Ecclesia aliquid falsum ut articulum fidei recipere nequit. De hac infallibilitate agitur in *Tr. de Fontibus revelationis*.

modo tradi possit, viva voce et scriptis, contendimus Apostolos et Episcopos infallibiles esse non sólum *scribendo*, sed etiam *oraliter* fidem prædicando.

Infallibilitas de qua hic agitur, est specialis quædam assistentia Spiritus Sancti, qua Ecclesia in rebus fidei et morum nec falli nec fallere potest [1]. Differt proinde ab *inspiratione :* hæc enim, præter assistentiam hujusmodi, quæ veluti *negativa* est, importat *positivam* efficacem motionem ad scribendum, divinamque directionem vi cujus auctor sacer ea omnia et sola scribit quæ Deus vult scribi; *a fortiori* differt a *revelatione*, quæ specialem illuminationem importat, et *veritatis antea ignotæ manifestationem;* ad assistentiam enim non requiritur ignotæ veritatis revelatio, sed sufficit ut Deus sinat homines cogitare et loqui sponte sua quoties in veritatis tramite manent, actione autem præternaturali interveniat, quoties ad errorem deflectunt, ut præcaveatur error.

Hæc infallibilitatis notio multum differt ab ea quam tradunt *Modernistæ.* Secundum *Tyrrel*, Ecclesia infallibilis est eo sensu quod, quovis momento, e conscientia religiosa communi eruit formulam quæ melius hanc conscientiam exprimere valet. Hæc autem formula secundum tempora mutari debet [2]. *Loisy* Ecclesiæ non tribuit nisi infallibilitatem *pædagogicam*, qualis parentibus competit [3]. Hæ differentiæ a diversis de Revelatione conceptibus proveniunt, et philosophiam agnosticam supponunt.

665. Probatur thesis : 1° ex *promissis Christi;* 2° ex *agendi ratione Apostolorum;* 3° ex *antiquitate christiana.*

---

[1] Sicut **S. Harent** optime notat (Art. *Papauté* in *D. A.*, col. 1430) magisterium doctrinale Ecclesiæ etiam lumen supernaturale positivum requirit, sicut magisterium aliquod humanum naturale lumen importat; hoc tamen lumen laborem mentium inutilem non reddit, sed eum informat.

[2] "Nulle société religieuse n'a de véritable unité que si la conscience religieuse de ses membres est une, et une aussi la formule qu'ils adoptent. Or, cette double unité requiert une espèce d'intelligence universelle, dont ce soit l'office de trouver et de déterminer la formule qui réponde le mieux à la conscience commune, et que cette intelligence ait en outre assez d'autorité pour imposer à la communauté la formule une fois fixée". (citatum apud **Loisy***, *Simples réflexions*, p. 189). Easdem ideas apud **Fogazzaro**, *Il Santo** (gallice : *le Saint**, p. 233-237). Cf. **Tyrrel**, *Théologisme;* **J. Lebreton**, *Catholicisme*, in *R. P. A.*, t. IV, 1899, p. 499 seq. Cf. *Decretum* "*Lamentabili*", prop. 6, **D. B.**, 2006.

[3] *Lettres**... p. 77-78, 123, 219-220.

1° **Ex promissis Christi.** Christus nomine Dei [1] cum auctoritate docens [2], doctrinam suam sub damnationis pœna imponens [3], necessario infallibilitatem, tanquam Dei legatus sibi vindicat [4]. Hanc infallibilitatem Apostolis reliquit. Quando enim Apostolis promisit aut contulit potestatem docendi, (supra, n. 626 sq.) iis verbis usus est quæ immunitatem ab errore important.

(**A**) Petrum sic alloquitur : " Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam " [5]. Quæ verba significant Ecclesiam esse *indefectibilem :* ædificatur enim super *petram*, id est, fundamentum firmissimum; et *portæ inferi*, id est, potestates diabolicæ non prævalebunt adversus eam. Atqui si in fide aut moribus graviter erraret, sane indefectibilis non esset : non enim subsistit nisi in quantum doctrinam Christi incolumem servat et docet.

666. (**B**) Omnibus Apostolis promittit Spiritum Sanctum, Spiritum veritatis, quo illuminati veritatem a Magistro revelatam recte intelligant et doceant : " Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut *maneat vobiscum* in æternum, *Spiritum veritatis*... Ille vos *docebit omnia*, et *suggeret* vobis omnia quæcumque dixero vobis [6]... Ille testimonium perhibebit de me, et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis " [7]. Atqui hæc divini Spiritus mansio et assistentia omnem errorem excludit; si enim errarent Apostoli, jam Spiritus veritatis eos non doceret omnia, nec omnia eis suggereret; neque in ipsis maneret in æternum, aut cum eis specialiter esset; nam ubi est error, Spiritus veritatis esse nequit. Ergo Apostolos prædicantes seu testimonium de Christo reddentes Spiritus Sanctus ab errore immunes præservabit.

667. (**C**) Post traditam Apostolis potestatem docendi et baptizandi omnes gentes, Dominus hæc addit : " Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummatio-

[1] *Matth.*, X, 40. — [2] *Marc.*, I, 22.
[3] *Marc.*, VIII, 38; XVI, 16. — [4] *Joann.*, XIV, 6; XVIII, 37.
[5] *Matth.*, XVI, 18. — [6] *Joan.*, XIV, 16-17, 26. — [7] *Joan.*, XV, 26-27.

nem sæculi "[1]. Vult igitur Christus ut Apostoli doceant *cum auctoritate*, et discipulos efficiant (μαθητεύσατε); quod ut tuto præstent, *erit cum eis docentibus* usque ad consummationem sæculi. Atqui singularis illa assistentia, inspectis contextu locisque parallelis, immunitatem ab errore in docendo includit. (**a**) Ex *contextu* enim promittitur illa assistentia, qua Apostoli *auctoritative* omnes docere valeant, et quidem ita ut omnes *sub pœna damnationis eorum prædicationi credere teneantur :* " Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit : qui vero non crediderit, condemnabitur "[2]. Atqui nemo potest obligari sub pœna æternæ damnationis ad credendam doctrinam quæ falsa esse potest; ergo vi illius assistentiæ Apostoli immunes erunt ab omni errore in tradenda Christi doctrina.

(**b**) Aliunde ex *locis parallelis* usuque constanti Scripturæ, hoc incisum : " Ecce ego vobiscum sum ", extraordinariam significat Dei assistentiam, vi cujus opus ad quod faciendum datur, feliciter et efficaciter perficiatur. Ita Deus apparuit Isaac, dicens : " Noli timere, quia ego tecum sum "; item Moysi apparuit, atque jussit ut educeret filios Israel Ægypto, et dixit ei : " Ego ero tecum "; pariter præcepit Josue : " Confortare et esto robustus : tu enim introduces filios Israel in terram quam pollicitus sum, et ego ero tecum "[3]. Jamvero opus prædicationis apostolicæ non faustum et felicem exitum haberet, si error in fide etiam semel doceretur : error enim hujusmodi ab eis qui auctoritative docent propositus, totam pervaderet Ecclesiam : quod sane infelix esset exitus. Ergo prædicatio Apostolorum ab omni errore in fide immunis erit.

668. 2° Ex loquendi et agendi ratione Apostolorum. (**A**) Docet Apostolus Paulus Ecclesiam esse *indefectibilem, ideoque infallibilem.* (**a**) Id apparet ex *comparationibus* quibus Ecclesiam designat : eam vocat templum, corpus, sponsam Christi[4] : si igitur erraret Ecclesia, nonne corrueret templum, divideretur corpus, adulterium committeret sponsa? Quæ quidem omnia aliena sunt a mente Apostoli.

---

[1] *Matth.*, XXVIII, 20. — [2] *Marc.*, XVI, 16.

[3] *Gen.*, XXVI, 24; *Exod.*, III, 12; *Deuter.*, XXXI, 23; cf. *Jos.*, I, 5, 9; III, 7; *Judic.*, VI, 15, 16; *III Reg.*, XI, 31-38; *Isai.*, XLI, 8-10; XLIII, 2, 5; *Jerem.*, I, 8; *Act.*, XVIII, 9-10; *Joan.*, III, 2; *Act.*, X, 38 etc. Hæc omnia loca erudite recenset **Murray,** op. cit., disp. XI, n. 66, vol. II, p. 199 sq.

[4] Cf. supra n. 608.

(**b**) Paulus ad Timotheum scribens, affirmat Ecclesiam Dei esse *columnam* et *firmamentum veritatis* : " Hæc tibi scribo, sperans me ad te venire cito; si autem tardavero, ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis "[1]. Quibus verbis declaratur Ecclesiam modo generali esse infallibilem; nam voces *columna* στύλος et *fundamentum* ἑδραίωμα clare manifestant Ecclesiam esse firmum ac stabile fundamentum quo veritas fulcitur et sustentatur; porro si Ecclesia quemvis errorem in fide doceret, jam non esset tutum veritatis firmamentum, sed potius causa cur veritatis ædificium labitur et evertitur; non esset veritatis custos, sed proditor; ergo hic asseritur Ecclesiæ infallibilitas. Nec dicatur hic agi tantum de Ecclesia apostolica, nam nulla est restrictio hujusmodi in textu aut in contextu; sed sermo est de Ecclesia sine addito, qualis usque ad finem permansura est, et ipsæ locutiones *columna* et *firmamentum* soliditatem simul et perpetuitatem important.

669. (**B**) Docent æquivalenter *apostoli* se *infallibiles esse*, et ut tales agunt : (**a**) Ipsi enim ut *divini legati testesque authentici* Evangelium prædicabant. " Nos sumus testes horum verborum (Christi), et Spiritus Sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi "[2]; rati videlicet Spiritum Dei esse cum eis et per eos loqui. Hinc in Conc. *Hierosolymitano*, decreta ad fidem et mores spectantia condentes, sic incipiebant : " Visum est *Spiritui Sancto et nobis*, nihil ultra vobis imponere... "[3], quasi Spiritus Dei eadem decreta condidisset. Propterea eorum prædicatio non est verbum hominum, sed *verbum Dei* : " Cum accepistis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed, *sicut est vere, verbum Dei*, qui operatur in vobis, qui credidistis "[4]. *Plenum igitur intellectus assensum exigunt*, quia *nomine Dei* loquuntur[5] : " et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi ". Unde *Apostolis credendum est*, etiamsi angelus contrarium evangelizaret : " Licet nos aut angelus de cœlo evangelizet vobis, præter-

[1] *I Tim.*, III, 15. — [2] *Act.*, V, 32.
[3] *Act.*, XV, 28. — [4] *I Thess.*, II, 13. — [5] *II Cor.*, X, 5.

quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit "[1]. Pariter *S. Joannes* sedulo distinguit inter *pseudo-prophetas* qui errores spargunt et *apostolos* eorumve discipulos qui, nomine Dei, veritatem docent, et *quibus tanquam ipsi Deo obediendum est :* " Ipsi de mundo sunt... Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos "[2]. Quare falsi doctores omnino sunt vitandi, nec eis *ave* dicendum : " Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis "[3]. Ergo Joanni nullum dubium erat quin doctrina a se prædicata fuerit ipsa Christi doctrina, ideoque absolute vera.

Ex quibus colligitur Apostolos sibi donum infallibilitatis vindicavisse.

(**b**) Al'unde doctrinam suam multis confirmarunt *miraculis :* " Multa quoque prodigia et signa per Apostolos in Jerusalem fiebant "[4]; ita, v. g., Petrus claudum a matris utero sanat; umbra sua multos ab infirmitatibus liberat; Æneam ab annis octo jacentem in grabato curat, Tabitham a mortuis suscitat[5] etc.; similia de Paulo narrantur : " Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur "[6]. Ergo Apostoli revera infallibiles erant; secus enim Deus, miracula patrando in confirmationem eorum prædicationis, nos decepisset.

Difficultatem ex errore qui *juxta criticos*, in mente apostolorum erat de proximo Christi adventu, jam supra solvimus, n. 619.

670. 3° **Ex antiquitate christiana.** Cum, fatentibus adversariis, systema catholicum magisterii vivi et infallibilis jam a sæculo tertio prævaluerit, testimonia præcipue ex auctoribus secundi sæculi afferemus. (**A**) *Patres secundi sæculi*, qui mentem Christi et Apostolorum noverant, hæreticos, præsertim *Gnosticos* confutando, non innituntur humanis argumentis, *conscientiæ* aut *solius* Scripturæ testimonio, sed ad *traditionis* auctoritatem appellant, et supponunt aut aperte docent Ecclesiam in rebus fidei errare non posse;

[1] *Gal.*, I, 9; cf. *Ib.*, 11-12. — [2] *I Joan.*, III, 5-6.
[3] *II Joan.*, 10. — [4] *Act.*, II, 43.
[5] *Act.*, III, 1-8; V, 15; IX, 34-40. — [6] *Act.*, XIX, 11-12.

hanc vero infallibilitatem ex eo oriri quod Episcopi sint Apostolorum successores, et, nomine ipsius Christi, veritates ab eo edoctas et fideliter ab antecessoribus traditas authentice exponant.

671. (**a**) Id lucide docet *Ignatius*. 1) Ecclesia, inquit, est *incorruptibilis*[1] (quod, ex contextu de infallibilitate doctrinali intelligendum est), non obstantibus hæreticis qui ejus unitatem disrumpere conantur. Ad servandam vero catholicam unitatem et doctrinæ integritatem, episcopis omnino obediendum est; hi enim Christo conjunguntur sicut Christus Deo : " Etenim Jesus Christus, inseparabilis nostra vita, sententia patris est, ut et episcopi, per tractus terræ constituti, in sententia Jesu Christi sunt. Unde decet vos in episcopi sententiam concurrere, quod et facitis "[2]. Qui adhærent episcopo, secundum veritatem vivunt, nec ullum locum dant hæresi[3] : nam ubi est episcopus, ibi sit multitudo, quemadmodum ubi fuerit Christus, ibi est catholica Ecclesia[4]. Fideles hæresim vitabunt, si nec inflati nec avulsi fuerint a Deo Jesu Christo et episcopo et præceptis apostolorum[5]. — 2) Errantes autem a fide salvari nequeunt nisi, Episcopis sese subjiciendo, ad unitatem Ecclesiæ redierint, quia hæc est incorrupta : " Quotquot enim Dei et Jesu Christi sunt, hi sunt *cum episcopo;* et quotquot *pœnitentia ducti redierint ad unitatem ecclesiæ*, et hi Dei erunt, ut secundum Jesum Christum vivant "[6].

672. (**b**) *Polycarpus*, Smyrnensis episcopus, qui paulo post mortem S. Ignatii, circa 115, ad Philippenses scripsit, pariter hæreticos reprobat, quos primogenitos Satanæ vocat, et fideles hortatur ut ad " *traditam ab initio doctrinam revertantur* ", quam *apostoli* prædicaverunt[7]; ita supponit doctrinam ab Apostolis traditam, et quidem solam, esse veram. — Circa an. 130, *Papias*, Polycarpi amicus, haud obscure tradit *regulam fidei tutam* esse *dicta seniorum*, quatenus hi doctrinam referunt Apostolorum eorumque successorum; siquidem, ad veritates fidei cognoscendas, exquirebat " quid Andreas vel quid Petrus dixerit, vel quid Philippus vel quid Thomas vel Jacobus, vel quid Joannes vel Matthæus vel

[1] *Ephes.*, XVII, ed. *Funk*, p. 227. Vide textus Ignatii, **R.**, 38-68.
[2] *Ephes.*, III-IV. — [3] *Ephes.*, VI.
[4] *Smyrn.*, VIII, 2. — [5] *Trall.*, VI-VII.
[6] *Philad.*, III. — [7] *Philip.*, VI-VII.

alius quis ex discipulis Domini, quæve Aristion vel senior Joannes, discipuli Domini, prædicent "[1].

673. (c) Præclarum testimonium exhibet *Hegesippus*, circa an. 160 : hic enim, teste Eusebio, cum *verissimam apostolicæ prædicationis historiam* cognoscere vellet[2], varias pertransiit ecclesias, plurimosque episcopos adiit, et ab omnibus unam eamdemque audivisse doctrinam testatus est. *Criterium* vero quo utitur ad *orthodoxam fidem* dignoscendam est *apostolica successio :* orthodoxa videlicet haberi debet ea doctrina quæ ab *Apostolis per episcopos* tradita est; ideoque catalogum episcoporum in qualibet civitate contexere sategit[3].

674. (d) Sed rem explicite declarat *S. Irenæus*, circa an. 180, tum in epistola ad Florinum, tum in opere adversus hæreses. 1) Ad Florinum, gnosticum, scribit : " Hæc vero dogmata, ut parcissime ac levissime dicam, non sunt sanæ doctrinæ. Hæc dogmata *dissentiunt ab Ecclesia*... Hæc dogmata hi qui ante nos vixere presbyteri, qui etiam apostolorum discipuli exstiterant, nequaquam tibi tradiderunt "[4]. Criterium igitur veritatis est consensus cum Ecclesia et doctrina ab Apostolis eorumque discipulis, nempe presbyteris, tradita. 2) Contra *Gnosticos* scribens, in libro adversus hæreses[5], eis opponit " *Traditionem quæ est ab apostolis*, quæ *per successiones presbyterorum in Ecclesiis custoditur* " et " *per successiones episcoporum* pervenit usque ad nos ". Hæc autem traditio apostolorum, quam respicere debent ii omnes *qui vera velint videre*, in tota mundo manifestata est, et in omni Ecclesia inveniri potest, sed potissimum in Ecclesia Romana " in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea quæ est ab apostolis traditio ". Hujus ecclesiæ episcopos recenset, et postea subdit : " Hac ordinatione et successione, ea *quæ est ab apostolis in Ecclesia traditio et veritatis præconatio* pervenit usque ad nos. Et est plenissima hæc ostensio, *unam et eamdem vivificatricem fidem* esse, quæ in Ecclesia ab apostolis usque nunc sit con-

[1] Ap. **Funck**, t. I, p. 350-353, **R.**, 94.
[2] Ap. **Eusebium**, *H. E.*, IV, 8; *P. G.*, XX, col. 322.
[3] *Ibid.*, c. 378. Cf. **R.**, 188.
[4] Ap. **Euseb.**, *H. E.*, V, 20, *P. G.*, 484-485. Vide textus Irenæi : **R.**, 191-267.
[5] *Adv. Hær.*, lib. III, c. 2-4, *P. G.*, VII, col. 847-855.

firmata, et tradita *in veritate*". Ad alias etiam ecclesias provocat; v. g., ad ecclesiam Ephesinam quæ, "a Paulo quidem fundata, Joanne autem permanente apud eos usque ad Trajani tempora, *testis est verus apostolorum traditionis*"; — necnon ad ecclesiam Smyrnæorum, ubi Polycarpus, ab Apostolis episcopus constitutus et ab eis edoctus, "hæc docuit semper *quæ ab apostolis didicerat, quæ et Ecclesia tradidit, et sola sunt vera* (ἃ καὶ μόνα ἐστὶν ἀληθῆ) unam et solam hanc veritatem annuntians ab apostolis percepisse, quam et Ecclesia tradidit". Patet autem quod, in his ecclesiis, "episcopi ab apostolis instituti, et successores eorum usque ad nos, nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his (gnosticis) deliratur". Omnem ergo argumentationem Irenæus concludit: "Tantæ igitur ostensiones cum sint, non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est *ab Ecclesia sumere, cum apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in ea contulerint omnia quæ sint veritatis*: ut omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus; omnes autem reliqui fures sunt et latrones. Propter quod oportet devitare quidem illos; quæ autem sunt Ecclesiæ cum summa diligentia diligere, et apprehendere veritatis traditionem".

675. In aliis locis, idem argumentum evolvit Irenæus: "Eis qui in Ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet, *his qui successionem habent ab apostolis*, sicut ostendimus; *qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum*, secundum placitum Patris, acceperunt; reliquos vero, qui *absistunt a principali successione*, et quocumque loco colligunt, suspectos habere, vel quasi hæreticos et malæ sententiæ; vel quasi scindentes et elatos, et sibi placentes; aut rursus ut hypocritas, quæstus gratia et vanæ gloriæ hoc operantes. Omnes autem hi deciderunt a veritate". Comburentur sicut Nadab, remanent apud inferos, sicut Core, Dathan et Abiron; "qui scindunt et separant unitatem Ecclesiæ" sicut Jeroboam punientur. "Ab omnibus talibus absistere oportet; adhærere vero his qui *et apostolorum doctrinam custodiunt, et cum presbyterii ordine* sermonem sanum et conversationem sine offensa præstant"[1]... "Ubi charismata Domini posita sunt, *ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea quæ est ab apostolis Ecclesiæ successio*, et id quod est sanum et irreprobabile conversationis, et *inadulteratum et incorruptibile ser-*

[1] *Adv. Hær.*, lib. IV, 26 (*P. G.*, VII, col. 1053 sqq.)

monis constat"... "Discipulus vere spiritalis, recipiens spiritum Dei, judicat omnes... judicabit et *omnes eos qui sunt extra veritatem, id est qui sunt extra Ecclesiam;* ipse autem a nemine judicabitur... Agnitio vera (γνῶσις ἀληθής) est apostolorum doctrina, et antiquus Ecclesiæ status in universo mundo, et character corporis Christi secundum successiones episcoporum, quibus illi eam, quæ in unoquoque loco est, Ecclesiam tradiderunt : quæ pervenit usque ad nos custoditione *sine fictione* Scripturarum tractatio *plenissima, neque additamentum, neque ablationem recipiens;* et lectio *sine falsatione, et secundum Scripturas expositio legitima*, et diligens, et sine periculo, et sine blasphemia"[1].

676. (**B**) Hic quidem sistere possemus; sed quo melius constet doctrinam de infallibilitate magisterii vivi, tam perspicue ab Irenæo expositam, non esse ei propriam, pauca subjungimus testimonia ineuntis sæculi tertii. *Tertullianus*, in libro de *Præscriptionibus*, multoties asserit regulam fidei esse doctrinam "quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit"[2]. Eos autem irridet qui contendunt Ecclesiam errare posse[3] : "Age nunc, omnes erraverint... nullam (ecclesiam) respexerit Spiritus Sanctus, ut eam in veritatem deduceret, ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus de Patre, ut esset doctor veritatis; neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius, sinens ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipse per Apostolos prædicabat : ecquid verisimile est ut tot ac tantæ in unam fidem erraverint"?

Clemens et *Origenes*, duo ecclesiæ Alexandrinæ luminaria, pariter infallibilitatem Ecclesiæ docent. Prior tenet, hæreses confutandas esse recurrendo non solum ad Scripturam, sed etiam ad traditionem ecclesiasticam quæ est criterium veritatis : "*Hæreticos* dicimus qui sunt inanes Dei consiliorum et Christi traditionum[4]... Homo Dei esse, et Domino fidelis esse desiit, qui adversus ecclesiasticam recalcitravit traditionem, et in humanarum hæreseon desiluit opiniones"[5]. *Origenes* rem comparatione illustrat[6] : Christus est sol, Ecclesia autem luna lumen a sole percipiens ad illuminandas mentes nostras; quod quidem importat Ecclesiæ doctrinam eamdem esse ac Christi doctrinam ideoque infallibilem : "Luminaria habebimus in nobis, quæ illuminent nos, Christum et Ecclesiam ejus. Ipse est enim lux mundi, qui et Ecclesiam illuminat sua luce. Sicut enim luna de sole dicitur percipere lumen, ut per ipsam etiam

[1] *Adv. Hær.*, lib. IV, c. 33 (*P. G.*, VII, col. 1072-1077).
[2] *De præscript.*, c. 37, *P. L.*, II, 50; **R.**, 298.
[3] Ibid., c. 28, *P. L.*, II, 40; **R.**, 295.
[4] *Stromat.*, l. VII, c. 16, *P. G.*, IX, 538.
[5] *Stromat.*, VII, 16, *P. G.*, IX, 531.
[6] *In Genes.*, homil. I, n. 5-7, *P. G.*, XII, 150-151.

nox possit illuminari, ita et Ecclesia, suscepto lumine Christi, illuminat omnes qui in ignorantiæ nocte versantur... Christus ergo est *lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* : ex cujus lumine illuminata Ecclesia, etiam *ipsa lux mundi efficitur*, illuminans eos qui in tenebris sunt, sicut et ipse Christus contestatur discipulis suis dicens : *Vos estis lux mundi*". Et alibi [1] : "Ecclesia Dei viventis *veritate Verbi munita est*". De hæreticis qui allegant Scripturas scribit : "Sed nos illis credere non debemus, nec exire a prima et ecclesiastica traditione, nec aliter credere nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis" [2].

677. (C) Tandem, jam a fine sæculi secundi, *concilia episcoporum* coadunata sunt contra hæreticos, et hæc tanquam *veritatis organa* habita fuere. Ita, an. 252, *S. Cyprianus*, nomine episcoporum concilii Carthaginensis, ad Cornelium Papam scribit : "Placuit nobis, *Sancto Spiritu suggerente*" [3]... Pariter in concilio *Arelatensi*, an. 314, legitur : "Placuit ergo, præsente Spiritu Sancto et angelis ejus" [4]... De decretis hujus concilii dicebat *Constantinus Magnus* : "Sacerdotum judicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens judicet" [5]. Patribus concilii *Nicæni*, primi œcumenici (325), persuasum erat decreta a se edita nihil aliud esse nisi ipsius Christi doctrinam : "Quod trecentis sanctis episcopis visum est, non est aliud putandum, quam solius Filii Dei sententia" [6].

Eodem sensu scribit *S. Athanasius* "Domini verbum per œcumenicam synodum Nicænam prolatum in æternum manet" [7]. *S. Leo Magnus* vetat ne in dubium revocentur quæ in concilio œcumenico semel statuta sunt, quia Deus hæc "universæ fraternitatis irretractabili firmavit assensu" [8]. *S. Gregorius M.* declarat eamdem fidem præstandam esse quatuor œcumenicis conciliis ac quatuor evangeliis : "Sicut sancti evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere et venerari me fateor... quia in his velut in quadrato lapide sanctæ fidei structura consurgit... dum universali sunt con-

[1] *In Jerem.*, homil. 5, n. 16, *P. G.*, XIII, 319.

[2] *In Matth. comment.*, n. 46, *P. G.*, XIII, 1667.

[3] *S. Cypriani*, Ep. LIV, *P. L.*, III, 887. Cf. **Hefele-Leclercq**, *Histoire des conciles*, I, p. 171.

[4] Ap. **Mansi**, *Concil.*, t. II, 469. Cf. *Hef.-Lec.*, I, p. 279.

[5] Ap. **Mansi**, *op. cit.*, t. II, 478. — [6] **Mansi**, *op. cit.*, t. II, 922.

[7] *Ep. ad Afr.*, c. 2, *P. G.*, XXVI, 1031; **R.**, 7921. Cf. **Epist de Synodis, 5, R.**, 785. — [8] Epist. 120, e. 1, *P. L.*, LIV, 1047; **R.**, 2187

sensu constituta, se et non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere quos religant, aut ligare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit"[1].

678. Conclusio. Constat igitur corpus Episcoporum, quando consentit de doctrina circa fidem et mores, errare non posse, proindeque ejus definitiones esse irreformabiles. — Itaque, quando certo constat aliquam doctrinam *ubique* tradi a *corpore episcoporum* tanquam *de fide* tenendam, *hoc consensu uti possumus ceu irrefragabili veritatis argumento.*

Corollaria.

E thesibus probatis duo fluunt corollaria, nempe rejiciendum esse tum *Cæsarismum* tum *multitudinismum.*

679. 1° **Cæsarismus rejiciendus est.** *Cæsaristæ*, quales sunt plurimi *Anglicani* et *Lutherani*, contendunt spiritualem potestatem regendi fideles auctoritati civili esse adnexam. — Quorum systema confutatum manet ex jam dictis.

(**A**) *Non enim principibus*, sed apostolis, dictum est : " Tibi dabo claves regni cælorum... Quæcumque alligaveritis... Quorum remiseritis peccata... ' Euntes ergo docete omnes gentes ". Sed Christus, cujus regnum non erat de hoc mundo, voluit *Sacerdotium* omnino ab *Imperio* distingui, juxta illud : " Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo "[2]. Quibus verbis humanam conscientiam a principum tyrannide liberavit; quando enim utraque potestas, spiritualis et civilis, ab eodem principe exercetur, de christiana libertate actum est, cum fere impossibile sit tali potestati resistere, ut constat ex iis quæ acta sunt in Germania, ubi Principes jus *reformandi religionem* sibi vindicarunt, — in Anglia ubi Henricus VIII et Elizabeth vi et persecutione religionem mutarunt, — et in Russia, ubi imperatores solebant ecclesiasticos canones condere.

680. (**B**) Historia constat Ecclesiam Principum civilium usurpationibus semper restitisse. Ita *S. Athanasius* aperte declarat decreta Conciliorum ad Imperatorem non spectare : " Si namque illud episcoporum decretum est, quid illud attinet ad imperato-

[1] Lib. I, epist. 25, *P. L.*, LXXVII, 478. R., 2291.
[2] *Matth.*, XXII, 21.

rem... Quandonam Ecclesiæ decretum ab imperatore accepit auctoritatem aut pro decreto illud habitum est?"[1] Pariter *Hosius Cordubensis*, qui fuerat unus e legatis Pontificiis in Concilio Nicæno, ad Constantium imperatorem scribebat[2]: "Ne te rebus misceas ecclesiasticis, neque nobis his de rebus præcepta mandes, sed a nobis potius hæc ediscas; *tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit*".

Hinc, si quandoque Ecclesia permisit ut Episcopi a Principibus nominarentur, nunquam toleravit ut id fieret sine consensu Pastorum et præsertim Summi Pontificis, neque ut legitimi pastores per solam voluntatem Principum e sedibus detruderentur. Pariter, si quandoque permisit quosdam principes leges ferre circa res ecclesiasticas, nunquam admissum est has leges valere *contra Pastorum voluntatem*.

Ita Ecclesia a potestate civili independens remansit.

681. 2° **Rejiciendus est multitudinismus seu presbyterianismus.** *Calvinistæ*, quidam *Lutherani*, *Congregationalistæ* et non pauci *Liberales* tenent ecclesiasticam auctoritatem esse quidem a potestate civili independentem, sed a Christo collatam esse toti Fidelium *multitudini*, ideoque non posse transmitti aut exerceri nisi de consensu populi christiani : quod systema vocatur *multitudinismus*. Dicitur etiam *presbyterianismus*, quia Calvinistæ volunt hanc auctoritatem senioribus seu *presbyteris* delegari.

Hoc autem systema non minus repugnat *Scripturæ* quam primævæ *Traditioni*, ut fuse jam probatum est in triplici thesi. Satis erit proinde præcipuas adversariorum difficultates solvere.

682. (A) *Objiciunt* sub Nova Lege omnes fideles vere sacerdotes esse : "Vos autem genus electum, regale *sacerdotium*... Fecit nos regnum et *sacerdotes* Deo"[3]. Sed immerito; nam, inspecto contextu, non agitur in locis allegatis de sacerdotio proprie dicto, potestatem docendi atque regendi amplectente, sed de sacerdotio improprie dicto, vi cujus omnes fideles, Deo per baptismum consecrati, ipsi offerre debent *spirituales hostias* (i. e., bona opera) ut docet ipse Petrus[4], vel sacrificium labiorum (i. e., laudes precesque), ut dicit Apostolus[5]. Revera iidem Apostoli fidelibus præcipiunt ut præpositis et senioribus obediant, ut constat ex textibus

[1] *Histor. Arian.*, n. 52, *P. G.*, XXV, 755.
[2] Apud **Athanasium**, *Hist. Arian.*, n. 44, *P. G.*, XXV, 746.
[3] *I Petr.*, II, 9; *Apoc.*, I, 6. — [4] *I Petr.*, II, 5. — [5] *Hebr.*, XIII, 15.

jam allegatis (n. 650); nisi igitur sibi contradicant, minime docent omnes fideles esse sacerdotes proprio sensu, vera auctoritate præditos.

683. (B) *Instant :* historice constat episcopos sæpe a populo electos et deputatos fuisse ad officia ecclesiastica exercenda. — Quod tamen admitti nequit. Nam :

(a) Ex dictis in thesi secunda, constat episcopos non a populo suam *missionem* accepisse, sed a *superioribus* hierarchicis. Ad cujus intelligentiam, tria distingui debent in creatione episcoporum : *electio*, *collatio jurisdictionis*, *consecratio.* Jamvero : 1) Ad *electionem* episcoporum aliquo modo fideles olim concurrebant, bonum testimonium de candidatis ferendo, vel eos eligi petendo[1], licet ipsa electio ad solum clerum pertinere videatur[2]. Sed hujusmodi electio nullam potestatem electo conferebat, immo non erat firma, nisi episcopi provinciæ (cum metropolitano) suo judicio illam confirmarent[3]. 2) In *collatione jurisdictionis* nunquam plebs intervenit, nam primis sæculis, *confirmatio electionis*, quæ ex dictis erat necessaria, electo conferebat jurisdictionem, quam postea episcopi per institutionem canonicam, a metropolitano et deinde a Romano Pontifice datam, acceperunt. 3) A fortiori, plebs nunquam ullam partem habuit in *consecratione* episcopi.

(b) Eadem conclusio ex sequentibus factis collegi potest : nullus episcopus a populo depositus fuit aut excommunicatus, dum episcopi nonnunquam quosdam fideles excommunicant; nunquam ab episcopis ad populum appellatum est, nec populus solvit quod episcopi ligaverant; neque leges, a Pastoribus latæ, fuerunt plebis judicio subjectæ, sed statim vim ligandi habuerunt.

Ergo rejiciendus est multitudinismus; ergo constat Christum instituisse Ecclesiam ut societatem vere hierarchicam.

---

[1] Διδαχή, XV, 1 (**R.**, 9); *I Clem.*, XLIV (**R.**, 21) : ubi tamen de electione presbyterorum, non vero episcopi, agitur; *Testam. D. N. J. C.*, lib. I, c. 20-21 ; *Conc. Carth.* (254), c. 5 : *P. L.*, III, col. 1027; **S. Celestinus,** (428), ep. IV, ad episcop. Vienn., *P. L.*, t. L., col. 430; **S. Leo M.** (445), ep. X, ad episc. Vienn., n. 6, *P. L.*, LIV, col. 634. — *Conc. Laod.*, (4° sæc.), c. 13, ab electione excludit *turbas*, non pacificum populum. Cf. **Hefele-Leclercq,** I, p. 1006.

[2] **S. Cyprian.**, ep. X, ad Antonianum, n. 8, *P. L.*, III, col. 770; **S. Leo M.** (458), ep. 167 ad Rusticum, n. 1 : *P. L.*, LIV, col. 1203. "Nulla ratio sinit ut inter episcopos habeantur, qui nec *a clericis* sunt *electi*, nec a *plebibus expetiti*, nec ab episcopis comprovincialibus cum metropolitano consecrati".

[3] *Conc. Carthag.* (254), l. c. ; *Conc. Nic.* (325), c. 4, et *Conc. Antioch.* (341), c. 23 (**Hefele-Leclercq.**, I, pp. 539 et 721) non loquuntur nisi de episcopis et metropolitano; **S. Celestinus,** ep. V, ad episc. Apuliæ, *P. L.*, L, col. 437 : "Docendus est populus, non sequendus; nosve, si nesciunt, eos quid liceat, commonere, non his consensum præbere debemus". Hoc jus episcoporum non erat inane : cf. **Sidon. Apollinar.**, *Epist.*, lib. IV, ep. 25 : *P. L.*, LVIII, col. 531.

Art. III. Christus Ecclesiam instituit ut societatem monarchicam.

684. Status quæstionis. Jam probavimus Ecclesiam a Christo institutam, esse societatem *hierarchicam*, in qua distinguere licet subditos et præpositos; et collegio Apostolorum eorumque successorum, nempe Episcoporum, demandatam fuisse potestatem infallibiliter docendi legesque auctoritative condendi in rebus ad salutem spectantibus. Quia vero in quolibet collegio invenire est *præsidem* seu *caput*, cui subduntur collegii membra, inquirendum manet utrum necne Christus in Ecclesia sua aliquem *primatum* instituerit, cui tum fideles tum episcopi subjiciantur, seu aliis verbis num Ecclesia sit societas *monarchica*.

Id negant *Protestantes*. Multi quidem anglicani agnoscunt aliquem *primatum honoris* Petro fuisse concessum, nullo modo autem *primatum jurisdictionis*. Alii fatentur verum jurisdictionis primatum ei collatum fuisse, sed per modum *personalis privilegii*, quod ad ejus successores minime transiit. — Hodierni Protestantes plerique originem et progressum Romani Pontificatus ita exponunt. Ab initio, inquiunt, omnes episcopi æquali auctoritate gaudebant; labentibus autem annis, qui in principaliori civitate sedem habebant, majori potestate fruebantur; unde factum est ut Episcopus Romanus, qui in capite Imperii degebat, paulatim tanquam universæ Ecclesiæ caput habitus fuerit. Ad hunc primatum constituendum aliæ causæ concurrerunt : Romanorum episcoporum ambitio, eorumque prudentia in definiendis litibus eorum arbitrio submissis, necnon beneficia quæ labenti imperio contulerunt, ipsa eversio Romani imperii in Occidente. Semel vero agnita eorum auctoritate, ipsi declararunt se esse *infallibiles*, et, post multas dissentiones et pugnas, ultimo tandem acquievit Ecclesia [1].

Græci pariter tenent primatum Romani Pontificis nonnisi *jure ecclesiastico* fuisse institutum.

---

[1] Ita inter alios **F. W. Puller***, e Ritualistarum secta, *The Primitive Saints and the See of Rome*, London, 1893, pp. 14, 18; **A. Sabatier***, *op. cit.*, p. 181-240; **L. H. Schwab***, *The Papacy in its relations to American ideals*, in *Hibbert Journal*, jan. 1908, p. 264.

685. *Doctrina* autem *catholica*, quam probandam suscipimus, clare concilio *Vaticano* definita est[1]. Tria definiuntur, quæ successive demonstrabimus : 1° jurisdictionis *primatum Petro* fuisse divinitus collatum; 2° eumdem primatum *ejus successoribus*, nempe Romanis Pontificibus, perpetuo esse conferendum; 3° *Romanos Pontifices infallibilitatis privilegio* in rebus *ad fidem et mores* spectantibus gaudere.

§ I. De primatu Petri.

686. *Thesis :* **Christus beato Petro contulit directe et immediate primatum non solum honoris, sed etiam jurisdictionis, seu potestatem docendi, regendi et sanctificandi universam Ecclesiam**[2]. *Historice certum est, theologice de fide*[3].

Dicitur : (**a**) *directe et immediate*, ut sic excludatur error Protestantium qui contendunt ceteros Apostolos æque immediate et directe ac Petrum eamdem potestatem accepisse; (**b**) primatum non solum *honoris*, sed etiam *jurisdictionis;* primatus honoris ille est cui jura honorifica, sine speciali auctoritate, annectuntur; primatus autem jurisdictionis veram auctoritatem importat, vi cujus quis alios tanquam vere subditos, regit et gubernat; hic autem agitur de potestate spirituali, non temporali; (**c**) *in universam*

---

[1] **D. B.**, 1821-1840.

[2] **D'Herbigny**, I, p. 209-277; II, p. 325-326; **de Poulpiquet**, *L'Eglise cath.*, p. 87-89; **de la Brière**, *La primauté de S. Pierre dans le N. T.*, in *Etudes*, t. 119-120, 5 juin, 20 juin et 5 juillet 1909; vel Art. **Papauté**, in *D. A.*, col. 1333-1371; **Bellarn.**, *Controv.*, de Summo Pontifice, l. I, c. 10 sq.; **S. Fr. de Sales**, *Controverses*, p. 229-273 ed. Annecy; **Regnier**, ed. Migne, p. 847 sq.; **Franzelin**, th. 10; **Mazzella**, n. 847 sq.; **De Groot**, q. XIV; **Palmieri**, *De Romano Pontifice*, 3ª ed., th. 1-6; **Pesch**, 285-304; **Brugère**, n. 36 sq.; **Wilmers**, n. 86-112; **Wiseman**, op. cit., Lect., VIII; **Kenrick**, *The Primacy of the Apostolic See*, part. I, c. 2 sq.; **L. Rivington**, *Authority*, p. 16 sq.; **Moelher**, *De l'Unité de l'Eglise, ou du principe du Catholicisme d'après l'esprit des Pères des trois premiers siècles*, traduit de l'allemand par Bernard, 1855; **Livius**, *S. Peter*, bishop of Rome, 1888; **Ottiger**, p. 61-212.

[3] " Si quis dixerit beatum Petrum Apostolum a Chrisro Domino constitutum non esse Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiæ militantis visibile caput; vel eumdem honoris tantum, non autem veræ propriæque jurisdictionis primatum ab eodem D. N. Jesu Christo directe et immediate accepisse; A. S. " (*Vatic.*, l. c.) **D. B.**, 1823. Cf. 1821-1822; *Decretum " Lamentabili"*, prop. 55, **D. B.**, 2055.

Ecclesiam, id est, non in unam aut alteram provinciam, sed in totum orbem christianum, in omnes Christifideles, ipsosque Apostolos et episcopos.

687. Probatur thesis : 1° præeminentia Petro concessa; 2° promissione primatus a Christo facta; 3° collatione Petro potestatis pascendi Christi gregem; 4° historia primævæ Ecclesiæ.

688. 1° Innuitur primatus ex præeminentia Petro concessa. (**a**) Prima vice qua venit ad Jesum, hic intuitus eum, dixit : " Tu es Simon, filius Jona, tu vocaberis Cephas (quod interpretatur Petrus) "[1]. Hic duo notanda sunt : Christus *intuitus eum;* quod significat Dominum modo singulari animam Petri introspexisse, eum præ ceteris ad speciale munus seligens. Postea *novum nomen* ei imponit; quod, ex usu biblico[2], insignis beneficii vel missionis præsagium est; ita quando *Abram* vocatus est *Abraham*, id factum est propter specialem missionem ei creditam, quia videlicet pater credentium constituebatur. Ipsum nomen a Christo selectum aliquam præeminentiam denotat; nam significat *petram*, seu *saxum*, et optime respondet muneri ejus qui *fundamentum* Ecclesiæ instituendus erat.

(**b**) Petrus ut *individuus comes ac specialis amicus* a Christo assumitur; unus est ex iis tribus Apostolis qui Magistrum ubique comitantur, tum in monte Thabor, tum in horto Gethsemani, et primus inter eos commemoratur[3]. — Quando Christus vult prædicare turbis irruentibus, ascendit in *navim Petri*, " et sedens docebat de navicula turbas "[4]; paulo post eidem Petro dicit : " Duc in altum ", et, post mirabilem piscationem : " Noli timere, ex hoc jam homines eris capiens "[5]. Quibus omnibus haud obscure significatur Petrum principem fore in spirituali animarum piscatione, et Christum ex navi Petri (i. e., Ecclesia super Petrum fundata) omnibus Gentibus prædicaturum esse.

---

[1] *Joan.*, I, 42.

[2] *Gen.*, XVII, 5, 15; cfr. **Wiseman**, l. c., p. 265; quod agnoscit **A. Loisy** *, *Le Quatrième Evangile*, 1903, p. 250-251.

[3] *Matth.*, XVII, 1; XXVI, 37.

[4] *Luc.*, V, 3. — [5] *Luc.*, V, 10.

689. (**c**) Petrus a Christo tanquam *Apostolorum princeps* agnoscitur. Solus super aquas ambulare jubetur [1]; solus jubetur hamum mittere et ex ore piscis staterem sumere, ex quo tributum solvere valet pro Christo et seipso [2], non pro aliis Apostolis, quasi videlicet Petrus ceteros repræsentet, et etiam ad significandam specialem ejus cum Christo conjunctionem. — Hinc ipse, nomine aliorum Apostolorum, quasi eorum caput, loquitur : " Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te... Domine, ad quem ibimus "? Si parabola quædam sit obscura, ipse, omnium nomine, lucidam hujus expositionem a Magistro quærit [3].

(**d**) *Ab Evangelistis ut Apostolorum dux* exhibetur [4] : " Et prosecutus est eum Simon et qui cum illo erant... Petrus vero et qui cum illo erant ". Porro hæc est forma loquendi adhiberi solita quando dux aut princeps simul cum subditis commemoratur. — Quater recensetur Apostolorum catalogus in Novo Testamento, et, licet non idem servetur ordo quoad alios, primus locus Petro semper assignatur [5]; immo explicite ut *primus* a S. Matthæo agnoscitur [6] : " *Primus Simon*, qui dicitur Petrus et Andreas, frater ejus, Jacobus etc. " : jam vero vox *primus* hic non exprimit ordinem mere numeralem, cum Evangelista non addat postea *secundus*, *tertius* etc.; sed ordinem præeminentiæ et dignitatis [7]. Contendunt quidem non pauci Protestantes Petrum primum nominari ratione *vocationis*, vel *senioritatis*, vel *amicitiæ*. Sed undenam hoc didicerunt? Si de prima vocatione agitur, Andreas prior Christo adhæsit; si de secunda, ambo simul vocati sunt [8]; aliunde de ætate apostolorum silet Evangelium, et, si Epiphanio credimus [9], Andreas ætate Petrum præcessit. Tandem, si de singulari dilectione quæstio est, Joannes sibi primum locum vindicat. Ergo Petrus dignitate et auctoritate reliquis Apostolis præstantior agnosci debet.

---

[1] *Matth.*, XIV, 27-30. — [2] *Matth.*, XVII, 23-26.
[3] *Matth.*, XIX, 27; *Joan.*, VI, 69; *Matth.*, XV, 15.
[4] *Luc.*, VIII, 45; IX, 32; cfr. *Marc.*, XVI, 7; *Act.*, II, 14; V, 29.
[5] *Matth.*, X, 2-5; *Marc.*, III, 16-20; *Luc.*, VI, 14-16; *Act.*, I, 13.
[6] *Matth.*, X, 2.
[7] Jam ex eo facto præeminentia Petri concludi posset quod *nomen Petri* in 118 locis evangeliorum invenitur; dum nomen Joannis in 38 tantum, aliorumque nomina multo rarius. — [8] *Joan.*, I, 40 sq.; *Matth.*, IV, 18. — [9] *Hæres.*, 51, n. 17

(e) Quod confirmatur ex eo quod Christus pro Petro *specialiter* oraverit [1] ut hic in fide non deficeret, sed fratres in fide confirmaret. — Nec Christi propositum post triplicem Petri negationem mutatum est; nam, post resurrectionem singulariter Petro apparuit, deinde ceteris Apostolis : " Visus est Cephæ, et post hoc undecim " [2]; quod etiam confirmatur ex eo quod potestatem pascendi totum gregem ipsi commisèrit, ut n. 696 exposituri sumus.

690. 2° **Probatur ex promissione primatus.** Duplex invenitur promissio, prior apud Matthæum, posterior apud Lucam.

Apud *Matthæum*, legimus Jesum, cum esset in partibus Cæsareæ Philippi, discipulos interrogasse de seipso : " Quem dicunt homines esse Filium hominis "? Responso accepto, iterum ait : " Vos autem, quem me esse dicitis "? Petrus autem dixit : " Tu es Christus, Filius Dei vivi ". Respondens autem Jesus dixit ei : " Beatus es Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. *Et ego dico tibi quia tu es Petrus (kefa') et super hanc petram (kefa') ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis : et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis* " [3]. Jamvero verba nostram thesim demonstrant, si diriguntur ad *solum* Petrum, et promissionem continent *supremæ jurisdictionis* in *universam* Ecclesiam. Porro hæc tria constant.

691. (**A**) Verba Christi immediate ad *solum* Petrum referuntur, non ad reliquos Apostolos, ut constat : (**a**) ex ipso *textu;* Christus enim, qui aramaice loquebatur, dixit : " Tu es *kefa'* (saxum, petra), et super *hunc kefa'* ædificabo Ecclesiam meam "; porro hæc verba ad solum Petrum spectant, quia illi soli Christus imposuerat nomen *kefa'* ut jam

[1] *Luc.*, XXII, 32. — [2] *I Cor.*, XV, 5.

[3] *Matth.*, XVI, 13-19. — Cfr., præter citatos auctores, **L. Fonck**, *Tu es Petrus*, in *Biblica*, t. I., 1920, p. 240; **Prosper Schepens**, *L'authenticité de S. Matthieu*, XVI, 18, in *R. S. R.*, sept.-déc. 1920, p. 269-302; **Lagrange**, *Evangile selon S. Matth.*, Paris, 1923, in h. loc.

diximus; insuper grammatice pronomen *hunc* ad nomen propinquius referri debet, proindeque ad Petrum.

(**b**) Ex *contextu* : Petro Dominum confesso, ipsum Jesus alloquitur *emphatice* : " Beatus es Simon Bar-Jona ", id est, fili Jonæ; eum speciali nomine vocans prosequitur : " Et ego dico tibi, quia tu es Petrus... ". Quæ omnia sane ad *solum Petrum* diriguntur.

(**c**) *Ex parallelis locis*, mox exponendis, ubi *soli Petro* promittitur specialis et supernaturalis assistentia ut in fide non deficiat, eique soli confertur potestas totum pascendi gregem.

Falso ergo contendebant *veteres protestantes hanc petram* designare *ipsum Christum* vel *fidem Petri in Christum*. Explicatio ista nihil est nisi accommodatio moralis, vel subterfugium ab hodiernis criticis, etiam acatholicis, merito rejectum [1].

692. (**B**) His verbis Christus Petro conferre promisit supremam potestatem docendi et regendi, ideoque sanctificandi Ecclesiam, ut colligitur ex triplici metaphora *fundamenti*, *clavium*, *potestatis ligandi* atque *solvendi*.

(**a**) Petrus dicitur esse *fundamentum petrosum* supra quod Ecclesia fundatur. Christus quidem solus est primario et per se fundamentum Ecclesiæ [2]; sed quia post ascensionem invisibilis erit, decebat ut sub Christo esset visibile et secundarium Ecclesiæ fundamentum. Petrus ut talis eligitur, et tam firmum fundamentum constituitur ut portæ inferi (id est sive potestates tenebrarum et Ecclesiæ hostes, sive potentia mortis) [3] non sint contra Ecclesiam prævalituræ.

---

[1] Ita inter alios *Weiss*, *Keil*, *Mansel*, *Bloomfield*, *Marsh*, *Thompson*, *Alford*. Ad rem **A. Loisy***, *Les Evang. synoptiques*, 1908, t. I, p. 7 8 : " De telles interprétations ont pu être proposées par les anciens commentateurs en vue de l'application morale, et relevées par l'exégèse protestante dans un intérêt polémique; mais si l'on veut en faire le sens historique de l'Evangile, ce ne sont plus que des distinctions subtiles et qui font violence au texte ".

[2] Cf. *I Cor.*, III, 11.

[3] Apud Semitas, nomine *portæ* vel *portarum* alicujus civitatis designatur ipsa *civitas* et præsertim *auctoritas* quæ civitati præsidet; ita ut v. g. etiam hodie Imperialis Turcarum potestas vocatur *Sublimis Porta;* quæ quidem appellatio ex eo forsan oritur quod reges et magistratus ad portas civitatis judicia exercebant; proinde *portæ inferi* regnum seu potestatem diaboli designant. — Attamen alii cum **Schepens**, *l. c.*, p. 271-281, **Fillion**, **A. Loisy***, *op. cit.*, p. 10, putant *portas inferi* hic designare *mortem* (Cf. *Is.*, XXXVIII, 10;

Atqui fundamentum hujusmodi est quid in se non solum solidum et stabile, sed etiam firmitatem toti ædificio superstructo tribuens, omnesque ejus partes secum unitas conservans. Ergo Petrus toti Ecclesiæ firmitatem dabit ejusque membra secum unita servabit.

Hoc autem præstare nequit, nisi suprema polleat potestate docendi et regendi in rebus spiritualibus : nisi enim auctoritative et infallibiliter doceat, fideles in errorem aut hæresim labi possunt; nisi supremus sit legislator, leges ab eo latæ ad bonum Ecclesiæ ab aliis æqualem potestatem habentibus abrogari vel mutari possent, et sic confusio et schismata orirentur. Ergo Petrus suprema potestate docendi et regendi in Ecclesia pollet [1].

(**b**) Petro dantur *claves regni cælorum.* Metaphora clavium significabatur apud Hebræos dignitas administratoris domus alicujus [2]. Qui claves tenet regni, fons et principium est omnis potestatis in regno, ita ut nullus intrare vel exire queat, nisi dependenter ab eo. Supremam ergo auctoritatem exercet Petrus in omnes qui Regnum cælorum (i. e., ex parallelismo, Ecclesiam) ingredi velint.

(**c**) Petro promittitur potestas *ligandi atque solvendi :* quæ verba, ex jam dictis (n. 627), et ex contextu vere important potestatem jurisdictionis universam.

Nec dicatur cum Protestantibus hanc potestatem *eamdem* omnino esse ac ea quæ deinceps *ceteris Apostolis* collata est, ideoque non esse supremam. — Nam duo Petro sunt propria quæ eis non traduntur, dignitas *fundamenti* totius

---

Sap., XVI, 13), et sensum esse Ecclesiam nunquam delendam esse, sed *indefectibilem* permansuram : quod in idem recidit.

[1] Nec proinde admitti potest Protestantium interpretatio qui asserunt Petrum esse fundamentum Ecclesiæ eo solum sensu quod in prædicatione Evangelii *primas partes* habuerit; hoc enim conceptui petræ fundamentalis plene non respondet; nam fundamentum est quid stabile et permanens, firmitatem et cohæsionem ædificio præstans, dum prædicatio Petri fuit quid transitorium; nec ex eo quod *primus* prædicaverit, sequitur Ecclesiam fuisse tanta firmitate munitam, nisi simul supremam potestatem habuerit. Cfr. **Corluy**, *op. cit.*, I, p. 42. Aliunde si Petrus dicatur Ecclesiæ fundamentum eo quod primus Evangelium prædicaverit et ita posuerit fundamentum Ecclesiæ christianæ, Petrus non est amplius fundamentum super quod Christus ædificat Ecclesiam suam, sed architectus qui eam ædificare incipit; quod est sensui obvio contrarium. Cf. **Wiseman**, l. c., p. 269. — [2] *Is.*, XVII, 22.

Ecclesiæ, et *claves regni cælorum.* Potestas ligandi atque solvendi, huic duplici dignitati annexa, aliquid singulare habere debet, nempe primatum, ita ut ceteri Apostoli nonnisi dependenter a Petro solvere et ligare queant. Præterea Christus prius *unum Petrum* alloquitur eique soli dat potestatem ligandi atque solvendi; posterius *omnes simul Apostolos* alloquitur, seu collegium apostolicum, cujus Petrus jam caput constitutus fuerat per priora verba; ergo non eadem dignitas vel potestas Apostolis confertur ac Petro, sed quidquid auctoritatis eis datur *dependenter* ab eo exerceri debet [1].

693. (C) Confertur potestas in *universam Ecclesiam.* Christus enim simpliciter et sine addito dixit "*Ecclesiam meam*"; porro *Ecclesia* simpliciter et sine addito totum designat cœtum fidelium, ut ex sequentibus patet : "Nos talem consuetudinem non habemus, neque *Ecclesia* [2]... Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos [3]... Christus caput Ecclesiæ... Ecclesia subjecta est Christo" [4]; quod quidem adeo verum est ut auctores sacri, quando hanc vocem usurpant sensu strictiori pro particulari ecclesia, hoc significent sive disertis verbis, sive saltem implicite : "Ecclesia quæ erat Jerosolymis [5]... Ecclesia quidem per totam Judæam et Galilæam et Samariam [6]... Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi [7]... Mittens Ephesum vocavit majores natu Ecclesiæ" [8]... Hic autem nulla restrictio invenitur in textu aut in contextu, sed loquitur Christus modo generali de Ecclesia sua, de Ecclesia quam fundavit : porro Ecclesia quam fundavit non est particularis, sed *universalis* Ecclesia. Ergo Petro promissa fuit suprema potestas jurisdictionis in totam Ecclesiam [9].

---

[1] Quod **S. Franciscus Salesius** optime illustrat, *op. cit.*, p. 237-240; vel anglice *Catholic Controversy*, p. 252, ed. 1886.

[2] *I Cor.*, XI, 16. — [3] *I Cor.*, XII, 28. — [4] *Ephes.*, V, 23, 24.

[5] *Act.*, VIII, 1. — [6] *Act.*, IX, 31.

[7] *II Cor.*, I, 1. — [8] *Act.*, XX, 17.

[9] Hujus textus sensum breviter ita contrahit **A. Loisy***, op. cit., p. 12-13 : "Simon Pierre est donc la première autorité apostolique en ce qui regarde la foi, puisque le Père lui a de préférence révélé le mystère du Fils; en ce qui regarde le gouvernement des communautés, puisque le Christ lui a confié les clefs du royaume; en ce qui regarde la discipline ecclésiastique, puiqu'il a le

694. Sæpissime, propter momentum rei, textus *Tu es Petrus* a criticis *impugnatus est*, sive quoad authentiam[1], sive quoad valorem historicum.

(**a**) *Authentia* textus procul dubio affirmanda est : continetur enim in omnibus manuscriptis, cunctisque versionibus. — Præterea, jam a II sæculo, a Patribus citatur[2] : ergo non fuit introductus decurrente secundo sæculo. — Patres qui textum sub alia forma referunt, verba proprie citare non intendebant, sed accommodatitio seu oratorio modo, ad disciplinam moralem tradendam.

(**b**) *Valor historicus* non solum probatur authentia, sed metaphoris aramaïcis[3], concordantia inter textum omniaque de Petro in *Evangeliis* et *Actibus* narrata necnon similitudine hujus textus cum aliis Domini verbis[4].

Absentia textus in Evangeliis *Marci* et *Lucæ* facile explicatur. Cum enim Evangelistæ nonnisi quæ ad suum pertinent scopum referant, Marcus et Lucas, qui *Christum ipsum gentibus* annuntiabant, textum de Ecclesia directe agentem et verbis aramaïcis refertum optime omittere poterant; dum Matthæus, Hebræis impletionem prophetiarum demonstrans, ea quæ ad Ecclesiam spectant, quæ regnum Dei constituit super terram, prætermittere nequibat, nec aramaïca verba dedignari[5].

---

pouvoir de lier et de délier. Ce n'est pas sans cause que la tradition catholique a fondé sur ce texte le dogme de la primauté romaine ".

[1] Nuperrime (1918) ab **Harnack***, cui respondit **Fonk**, *l. c.*

[2] Citatur plus minusve explicite in *Odibus Salomonis*, XXII, 12; apud **S. Justinum**, *Dial.*, c.; **Tatianum**; **Tertullianum**, *De pudicitia*, XXI, (**R.**, 387, **K.**, 221); **Origenem**; **S. Cyprianum**, *De unit. Eccles.* IV; *Ep.* XXIII, (**R.**, 555-571); **S. Firmilianum**, *Ep. Cypr.* LXXV, (**R.**, 602); probabiliter inveniebatur in " Evangelio Hebræorum. " Cf. *Biblica*, 1921, p. 65-69).

[3] **C. Guignebert***, *Manuel d'hist. anc. du christianisme*, p. 228-229, et **A. Sabatier***, *Religions d'Autorité*, p. 212, præsentiam aramaïsmorum explicare conati sunt, dicendo textum ab ecclesia judæo-christiana compositum esse, ad Petrum contra Paulum extollendum. Sed frustra; nam locus de quo agitur, qui *universalismum* advocat, ab ecclesia judæo-christiana provenire nequit quæ *particularismo* favebat.

[4] v. g., *Matth.*, VII, 24-27. Cf. supra n. 610, c. Addere possumus cum **Batiffol** : " La hardiesse verbale de S. Paul parlant de construire l'Eglise s'expliquera plus naturellement comme une allusion à quelque parole du Christ connue de tous les fidèles. " (*Eglise naissante*, 7ª éd., p. 105)

[5] **Lagrange**, l. c., p. 321 recte addit : " ... les vv. 17-19 sont le complément nécessaire de l'interrogation du Christ. Il est bien évident qu'il n'a pas interrogé pour s'informer, mais pour faire parler ses disciples, et cela même n'avait toute sa raison d'être, selon sa pratique habituelle, que s'il voulait leur donner une leçon, tirer la vraie conclusion de leur réponse. C'est Pierre qui répond, et c'est à lui que la réponse est adressée. Ce qu'il faut expliquer, ce n'est pas le plus de Mt., c'est plutôt le silence de Mc. (suivi par Lc.), car la

695. *Promissio Petro* facta *confirmatur* ex eo quod Christus, *apud Lucam*, dicitur pro Petro specialiter oravisse : " Simon, Simon, ecce Satanas expetivit *vos*, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro *te*, ut non deficiat fides tua; et *tu* aliquando conversus confirma fratres tuos " [1]. *Omnes* quidem a Satana impugnantur, et pro *uno Petro* Christus orat, non quia hic plus quam ceteri oratione indiget; sed quia, cum Petrus sit aliorum caput, sufficit pro capite orasse; nam si ejus fides non deficit, alii, qui capiti submitti debent, ab eo in fide firmabuntur.

696. 3° **Ex collatione potestatis totum pascendi gregem.** Jesus redivivus Petro contulit supremam potestatem ipsi antea promissam; post exactam triplicem amoris professionem, ei commisit jus et officium spiritualiter pascendi et regendi totam Ecclesiam : " Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus : Simon Joannis, *diligis me plus his?* Dicit ei : Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos (Βόσκε τὰ ἀρνία μου). Dicit ei iterum. Simon Joannis, diligis me? Ait illi : Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos (ποίμαινε τὰ προβάτιά μου). Dicit ei tertio; Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus quia dixit ei tertio : amas me? Et dixit ei : Domine, tu omnia nosti; tu scis quia amo te. Dixit ei : Pasce oves meas (Βόσκε τὰ προβάτιά μου) " [2].

697. (**A**) Christus *unum Petrum* alloquitur; eum siquidem vocat nomine proprio " *Simon Joannis* ", et ab eodem quærit : *diligis me plus his?* i. e., plusquam hi (Apostoli) me diligunt; videlicet *singularem* et *supereminentem* amorem ab eo speciatim exigit, ut *singulare* ac *supereminens* officium ei conferat; ergo de uno Petro agitur, non de universo Apostolorum collegio.

698. (**B**) Eidem committitur suprema jurisdictio in universam Ecclesiam; videlicet Christus, qui ipse est *bonus Pastor*, *pastor et episcopus animarum*, *princeps pastorum*, *pastor magnus ovium*, munus suum, antequam ad Patrem

simple recommandation du silence est un raccourci qui remplace sans la suppléer une adhésion explicite ".

[1] *Luc.*, XXII, 32. — [2] *Joan.*, XXI, 15-17.

redeat, Petro communicat. Voces enim βόσκε et ποίμαινε *sensu proprio* significant *pascere* et *regere* gregem, seu omnia munera pastoris exercere; *metaphorice* autem *docere* et *gubernare*, ut liquet usu profano et sacro.

Ita Homerus [1] sæpe reges vocat ποίμενας λαῶν, pastores populorum, et Hesychius declarat ποίμενα idem esse ac *regem;* ita etiam in Scriptura : Tu *pasces* populum meum Israel, et tu eris *dux* super Israel... Et servus meus David *rex* super eos, et *pastor* unus erit omnium eorum "[2]; ex quibus colligitur his metaphoris designari supremam potestatem, eam scilicet quæ regibus competit.

Aliunde hæc potestas in totam Ecclesiam exercenda est; nam Dominus vult a Petro pasci et regi *agnos* et *oves*, id est gregem universum, ipsos proinde Apostolos, sicut antea dictum fureat : *Confirma fratres tuos.* Hinc merito *S. Eucherius Lugdun.* ait : "Prius agnos, deinde oves commisit ei; quia non solum pastorem sed pastorum pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves; pascit filios, pascit et matres, regit et subditos et prælatos" [3].

Immerito igitur dicunt Protestantes his verbis Petro solum restitui apostolicam dignitatem; nam peccatum ejus jam multo antea fuerat remissum, ipsique simul cum ceteris Apostolis collata fuerat apostolica missio verbis supra (n. 629) expositis : "Sicut misit me Pater et ego mitto vos"; sed hic specialis prærogativa ei conceditur tamquam præmium specialis amoris, sicut antea singularis potestas, propter singularem fidei confessionem, eidem promissa fuerat; illa autem specialis prærogativa, ex jam dictis, nihil aliud est nisi suprema docendi et regendi potestas.

699. 4° **Confirmatur historia primævæ Ecclesiæ.** (**A**) Ab initio Ecclesiæ *Petrus primatum exercuit.* Post Ascensionem, Petrus auctoritatem sibi a Christo collatam

---

[1] *Iliad.*, II, 243, IV, 414; XIV, 35, 251; *Odyss.*, IV, 532; XIV, 497, etc.

[2] *II Reg.*, V, 2; *Ezech.;* XXXVII, 24.

[3] **S. Eucher.**, *Sermo de nat. SS. Apostol.* Cfr. **S. Leo M.**, *Serm. IV*; **S. Ambros.**, in Luc. X, 175. Quod **Bossuet** eloquenter exponit, *Discours sur l'Unité de l'Eglise.* — **Loisy*** explicationem alteram tradit, in versione syr. sin. innixam, quæ tria refert verba (*agnos*, *oves*, *parvas oves*), sed quæ substantialiter in explicationem traditionalem reincidit : "Ces termes ne sont pas allégoriques de façon à représenter trois catégories de membres dans la société chrétienne; pris à part ou collectivement, ils désignent l'ensemble du troupeau chrétien; mais la variété des termes sert à montrer qu'il n'y a pas d'exception, et que tous les fidèles du Christ, quelle que soit leur place dans la communauté, sont confiés à la sollicitude de Simon-Pierre". (*Le quatr. Evangile*, p. 942.)

exercere incipit; in Apostolorum collegio substitutionem alicujus in locum Judæ proponit [1]; primus Evangelium Judæis prædicat, et prædicationem miraculis confirmat [2]; quando accusantur undecim, sive a populo sive a magistratibus, ipse unus loquitur omnesque defendit [3]; primus Ecclesiæ januam Gentibus aperit, ipso Deo jubente [4]; ipse judicat et punit Ananiam et Saphiram [5]; ipse varias visitat Ecclesias [6]; et in Conc. Hierosolymitano primus sententiam suam proponit, cui omnes assentiunt [7]; uno verbo, tanquam Apostolorum princeps ubique exhibetur; hinc Lucas, in duodecim prioribus Actuum capitibus, fundationem Ecclesiæ describens, de Petro præcipue agit, ejusque concionum, miraculorum aliorumque operum narrationem instituit, ut luculenter constet specialem auctoritatem ipsi fuisse commissam.

700. (**B**) *Paulus* ipse pluries ad Petri primatum alludit [8]. Non loquitur quidem ex professo de hoc primatu, sed in duobus epistolis mentem suam satis clare manifestat.

(**a**) *I Cor.* 1) In ecclesia Corinthia schismata exorta erant. Dicebant Corinthii : " Ego quidem sum Pauli : ego autem Apollo : ego *Cephæ* : ego autem Christi " [9]. Facile intelligitur factionem Christi exstitisse, similiter factionem Pauli et Apollonis, ecclesiæ corinthiæ conditorum. Ad Cepham, i. e., Petrum, appellare poterant solummodo quia inter apostolos præeminebat [10]. 2) Ulterius scribit apostolus : " Numquid non habemus potestatem mulierem sororem

[1] *Act.*, I, 15 sq. — [2] *Act.*, II, 14; III, 6. — [3] *Act.*, IV, 8; V, 29.

[4] *Act.*, X, 1 sq. — [5] *Act.*, V, 3-5. — [6] *Act.*, IX, 32.

[7] *Act.*, XV, 7, 12. Protestantes ipsi non potuerunt non videre Petrum ibi præcipuas egisse partes, licet id ejus personali, non autem officiali auctoritati ascribere conentur. Ita **Schaff***, *History of the Christian Church*, vol. I, p. 343 ed. 1891. Attamen ille modus *auctoritative* loquendi in civitate cui Jacobus præsidebat, vix concipi potest nisi Petrus ut *primus* non solum honore, sed auctoritate *agnitus fuerit*. **Loisy***, ipse scribit : " Pierre est devenu en toute vérité le prince des apôtres, le fondateur de la tradition chrétienne, le fondement de l'Eglise " (*Actes des Apôtres*, p. 580). Valorem tamen historicum narrationis negat.

[8] Cf. **Xavier Roiron**, *S. Paul témoin de la primauté de S. Pierre*, *R. S. R.*, 1913, p. 489-531. — [9] *I Cor.*, I, 12.

[10] Quod confirmatur *gradibus ascendentibus* quos Apostolus clare instituit *I Cor.*, I, 12 et III, 22.

circumducendi sicut et ceteri Apostoli, et fratres Domini et *Cephas?*" [1]. Et hic Cephas, i. e., Petrus, speciali modo distinguitur ab Apostolis et a fratribus Domini qui in Ecclesia primæva tam præclarum munus exercebant : nonne hic invenitur primatus indicium?

(**b**) *Gal.* 1) Narrat Paulus, quomodo post annos tres a conversione sua ascendit Jerosolymam videre (ἱστορῆσαι) Petrum. Addit : "et mansi apud eum diebus quindecim; alium autem apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini" [2]. Quæ verba demonstrant eminentiam Petri, ad quem primum post conversionem suam recurrit Paulus; ratio enim cur Petrum singulariter visere vellet, et cum eo sermonem habere in civitate, cujus Jacobus episcopus erat, non alia esse potest nisi quia ut Apostolorum caput eumdem habebat [3]. Aliunde vox græca qua usus est Paulus (ἱστορῆσαι) importat reverentiam erga personam visitatam [4]. 2) Disputatione ipsa, quæ mox inter Petrum et Paulum exorta est [5], minime conclusiones nostræ debilitantur sed potius confirmantur. Paulus nempe reprehendit Petrum *quasi repugnanter*, non *auctoritative* quidem, sed *caritative*, neque in materia fidei, sed in *re disciplinari*. Petrus siquidem optime noverat leges mosaicas non amplius obligatorias esse, ut id ipse aperte declaraverat [6]; et cum Gentilibus gentiliter vivebat, non judaice, ut Paulus ei objicit [7]; sed advenientibus Judæis, a Gentibus sese subtraxit, prudentiæ causa, timens ne scandalum Judæis præberet, sicut postea Paulus ipse Timotheum circumcidit, ne eum Judæi despicerent [8]. Hoc autem Petri exemplum tantam vim habuit, ut ceteri Judæi et Barnabas ipse illud imitarentur; idcirco Paulus, timens ne tali agendi ratione Gentiles a fide

---

[1] *Ib.*, IX, 5. — [2] *Gal.*, I, 18.

[3] Quod jam multi Patres animadverterant; inter quos *Victorinus* in h. loc. (apud *Migne*, P. L., t. VIII, col. 1155) : "Post tres, inquit, annos Jerosolymam veni", deinde subjungit causam : *videre Petrum*. Etenim si *in Petro fundamentum Ecclesiæ* positum est, ut in Evangelio dictum, cui revelata erant omnia, Paulus scivit, videre se debere Petrum, *quasi eum cui tanta auctoritas a Christo data esset*, non ut ab eo aliquid disceret". Cf. *Chrysost.*, *Hieronymum*, etc. in h. loc.

[4] Cf. **M. J. Lagrange,** *L'épître aux Galates*, p. 17.

[5] *Gal.*, II, 11-21. — [6] *Act.*, XV, 7-10, 28-29.

[7] *Galat.*, II, 14. — [8] *Act.*, XVI, 3.

averterentur, Petrum reprehendit et quidem vehementer. Jamvero ex ipsa rei expositione patet, hic solum quæstionem esse de re *ad disciplinam* spectante, et de prudenti legum applicatione; in quibus superiores etiam ab inferioribus modeste carpi possunt, dummodo sufficiens adsit ratio. Neque ex hoc facto evellitur, sed potius confirmatur primatus. Quomodo enim factum est ut Petrus *solo exemplo* plus potuerit quam Paulus *verbis et exemplis* suis, ita ut etiam Barnabas, Pauli amicus, Petrum secutus fuerit, nisi quia ille ut *Apostolorum princeps, speciali insignitus auctoritate*, ab omnibus agnoscebatur? [1]

701. Conclusio. Petri ergo primatus toto Novo Testamento comprobatur, et nisi illud totaliter respuere velis, thesim catholicam admittere debes.

§ II. De romanis pontificibus, Petri successoribus [2].

702. *Thesis :* **Primatus jurisdictionis in universam Ecclesiam non solum Petro, sed etiam ejus successoribus, nempe Romanis Pontificibus, jure divino collatus fuit.** *Historice certum, theologice de fide* [3].

Thesis scopus est demonstrare Romanos Pontifices, successores esse Petri in suo universali primatu, *ex voluntate Christi*, et non solum ex historicis circumstantiis, videlicet quia Roma caput imperii erat. Dirigitur non solum contra Protestantes cujusvis sectæ, sed etiam contra Ecclesias orientales schismaticas et Anglicanos, secundum quas pri-

[1] Quod intellexit ipse **A. Loisy***, *Les Evangiles synop.*, p. 14, ubi scribit : " L'attitude de Paul à l'égard de Pierre, et son langage dans l'Epître aux Galates prouvent simplement que la primauté de Simon ne se présentait pas et n'était pas considérée comme un pouvoir de domination; mais le témoignage même de Paul atteste que Simon Pierre était le chef du service évangélique, l'homme avec lequel il fallait se concerter, sous peine de travailler en vain ".

[2] **Bellarm.**, op. cit., l. II, c. 12 sq.; **Ballerini**, *de vi ac ratione Primatus*, c. I sq., *Migne, Theol. Curs.*, III, 905 sq.; **Regnier**, *op. cit.*, ed. *Migne*, IV, p. 874 sq.; **Veith**, *De primatu et infallibilitate R. Pontificis*, Posit. 7-11; **Franzelin**, th. 11-12; **Palmieri**, th. 7-11; **Wilmers**, n. 107-133; **Pesch**, n. 313-317 et 464-506; **Brugère**, p. 114 sq.; **Wiseman**, op. cit., lect. VIII; **Livius**, p. 334 sq. Recentiores libros in diversis thesis partibus indicabimus.

[3] Ex *conc. Vaticano*, **D. B.**, 1824-1831; *Lugdunensi* II°, **D. B.**, 466; *Florentino*, **D. B.**, 694; cf. *Decretum Lamentabili*, prop. 56, **D. B.**, 2056.

matus romanus jure tantum ecclesiastico per aliquod tempus prævaluit.

Ad thesim probandam, tria probabimus : I° Christum voluisse primatum jurisdictionis, Petro collatum, ad ejus successores transire; II° Petrum Romam venisse Romæque suam sedem fixisse; III° Successores Petri esse Romanos Pontifices, eisque igitur competere primatum.

I. Christus voluit primatum esse perpetuum et ad Petri successores transire.

703. I° *Scriptura.* Ex textibus in thesi præcedente expositis, Petrus creatus est *petra* et *fundamentum* totius Ecclesiæ, ut eam securam et invictam servaret contra hostium impugnationes, et portæ inferi contra eam non prævalerent. Accepit *claves* regni cælorum, potestatemque *ligandi atque solvendi* omnia vincula ab ingressu cæli fideles retardantia. Munus suscepit fratres in fide confirmandi, et totum gregem pascendi eumque in viam salutis dirigendi.

Atqui Ecclesia, ex dictis n. 611, usque in finem mundi manebit; aliunde subsistere nequit sine fundamento, — nec cælum aperire fidelibus sine potestate clavium, — nec in fide perseverare nisi a supremo pastore accipiat salutaris doctrinæ pabulum, et legibus opportunis dirigatur in viam salutis. Ergo usque in finem mundi permanere debet primatus Petro collatus. Cum autem Petrus e vita discessurus erat, primatus ad ejus successores transmittendus erat. Quod confirmatur forma absoluta quo Dominus in collatione primatus usus est [1].

Nec dicatur hæc munera aliis modis adimpleri posse; Ecclesia enim in suo regimine substantialiter talis manere debet qualis a Christo constituta fuit; atqui Christus supremum rectorem instituerat ad regendam Ecclesiam, ex dictis; ergo supremus rector, etiam nunc, esse debet.

Objiciunt etiam Protestantes ex textibus allatis nil probari, quia jura Apostolorum propria, ut personalis infallibilitas, cum ipsis desierunt. — Sed immerito; nam Deus omnes simul Apostolos allo-

[1] Quod fatetur **Loisy***, *Synoptiques*, II, p. 9-10. "Simon-Pierre n'est pas que le fondement historique de l'Eglise, il en est le fondement actuel et permanent".

quitur tanquam *collegium*, ideoque perpetua fore promittit illa solum jura, quæ ad *totum collegium*, non ad singulos spectant; jamvero *personalis* infallibilitas et apostolatus erant quid singulis *proprium*, et cum eis cessaturum; dum primatus Petri, utpote essentialis ad unitatem cœtus apostolici servandam, ad *ipsum collegium* apostolicum spectabat ideoque in perpetuum permansurus erat [1].

704. 2° *Ratione suadetur* [2]. (**A**) *Ex ipso fine Ecclesiæ.* Ideo Ecclesia a Christo instituta fuit ut Christiani tutius et efficacius ad salutem æternam pertingere possent. Atqui ad hoc desideratur auctoritas *tuta* simul et *permanens*, qua omni tempore ad finem suum supernaturalem dirigi valeant; hæc autem auctoritas non in *collegio* tantum, sed etiam in *Supremo Duce* residere debet.

(**a**) Collegium enim est corpus quoddam morale, quod sine *centro* et *capite* diu subsistere vel feliciter suum opus perficere nequit. Nisi enim commune adsit *centrum* et *caput*, ex quo omnis motus ultimo procedat, aliquando erunt divisiones : non enim omnes eodem modo semper et ubique doctrinam revelatam intelligent et exponent, neque omnes eadem media ad eumdem finem attingendum præscribent, sed haud raro in varias abibunt sententias. Quod eo verius est, quo universalior erit societas, major inter membra requiretur unitas, profundior doctrina custodienda erit. Hoc autem posito, necesse est ut supremus adsit rector, qui exorta *dubia auctoritative* solvere valeat, *legesque* generales determinare quibus fideles tuto ad suum finem dirigantur *et unitas servetur;* secus enim quisque cogeretur, privati examinis ope, ad discernendum quanam ex parte in controversiis stet veritas, quænam ex variis legibus propositis sint maxime ad salutem conducentes, sicque maxima exorietur divisio et insecuritas [3].

---

[1] Exinde tolli potest æquivocatio, quæ in nonnullorum mentibus haud raro existit. Aliquando prærogativæ Petri dicuntur *personales;* et hoc quidem verum est eo sensu quod non sunt communes aliis Apostolis; dici tamen potest eas *non esse personales*, quia illi concessæ fuerunt non ut personæ privatæ, sed ut personæ publicæ, ita ut non moriantur cum ipso, sed ad successores in officio transmittantur. Cf. **Palmieri**, *op. cit.*, p. 395.

[2] Hæc demonstratio, ut jam notavimus, est veluti complementum thesis II^{æ} capitis I^{i}, n. 583, de necessitate magisterii infallibilis.

[3] Quod jam animadverterat **S. Thomas** (*C. Gent.*, l. IV, c. 76) : "Ad unitatem Ecclesiæ requiritur quod omnes fideles in fide conveniant. Circa

(b) Nec dicatur Christianos in hoc casu majoritati legitimorum Pastorum adhærere posse; 1) cum enim Pastores sint per orbem dispersi, difficile admodum est invenire ex qua parte sit majoritas. 2) Etiam, quando simul in Concilio congregantur, aliquis desideratur qui eos *ex officio* convocandi jus habeat, cœtui præsideat, et decretorum promulgationi et exsecutioni invigilet : hoc autem commode fieri nequit, nisi adsit episcopus majori dignitate ac potestate ornatus. 3) Aliunde non semper nec frequenter haberi possunt Concilia, dum continuo requiritur auctoritas suprema ad regendam Ecclesiam : hæc enim, utpote societas semper agens atque militans, constanter fideles in recto veritatis virtutisque tramite dirigere debet, eosque contra hostiles impugnationes protegere.

4) Et sane, si, viventibus adhuc Apostolis, aliquod caput necesse fuit, cui omnes adhærerent et a quo dependerent, nonne id multo magis necessarium est posterioribus sæculis, cum episcopi, jam non amplius personali infallibilitate præditi, sed humanis infirmitatibus obnoxii, nec jam duodecim numero sed multo numerosiores facti, et in longinquas regiones per totum orbem dispersi, vix unitatem spiritus et vinculum pacis servare queant, nisi communi centro uniantur et a communi capite motum et directionem accipiant [1]?

---

vero ea quæ fidei sunt, contingit quæstiones moveri; per diversitatem autem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conservaretur. Exigitur ergo ad unitatem Ecclesiæ conservandam, quod sit unus qui toti Ecclesiæ præsit. Manifestum est autem quod Christus Ecclesiæ in necessariis non deficit, quam dilexit, et pro ea sanguinem suum fudit... Non est igitur dubitandum quin ex ordinatione Christi unus toti Ecclesiæ præsit".

[1] Quod dilucide exponit **Wiseman** (l. c., p. 280) : " Ut Ecclesiæ suæ unitatem servaret, primatus institutionem divinus Redemptor noster necessariam duxit, cum Christiani maxima ardoris vi et puritate pollerent; cum adhuc per orbem terrarum dispersi Apostoli viverent, singulari adsistentia Spiritus Sancti donati; cum Christianorum relativus numerus adhuc exiguus esset; cum fere omnia Ecclesiæ membra ad eamdem pertinerent regionem, eamdemque loquerentur linguam, nec ullo politico aut nationali distraherentur præjudicio. Jam quæro : cautelam istam minus necessariam faciemus, cum cælesti caritate frigescente, luce supernaturali in pastoribus diminuta, per loca adeo dissita fidelibus dispersis, statuum regnorumque divisione, humana subsidia ad fidei morumque unitatem servandam maxime defecerint? Si unitas igitur veræ fidei character essentialis est, et si ad eam tutandam primatus institutus fuit, sicut ejusdem institutionis natura et sanctæ Ecclesiæ testimonia luculenter probant, sequitur

(c)Nec dicatur *Christum ipsum Ecclesiæ caput*, ducem et rectorem in perpetuum esse. Hic enim, jam ad Patrem reversus, nonnisi *invisibili* modo in terris manet. Porro dux *visibilis* omnino desideratur; secus enim cuilibet facile persuasum erit se huic invisibili Capiti adhærere, ejusque mandatis parere, dum revera proprias opiniones propriamque voluntatem sequitur [1].

705. (B) Quod certe historia Ecclesiarum ab Ecclesia separatarum atque Protestantium exemplo luculenter illustrari potest.

(a) *Ecclesiæ orientales schismaticæ*, ut supra demonstratum est, neque independentiam, neque unitatem servare potuerunt, deficiente duce. Nec eis possibile est professionem fidei constituere omnibus probatam.

(b) *Protestantes*, quamvis omnes Jesum ut invisibilem ducem agnoscant, unitatem fidei in vinculo pacis nunquam servare potuerunt, sed in sectas innumeras divisi sunt atque etiam quotidie dividuntur, quæ non solum de accessoriis sed etiam de *rebus ad salutem necessariis*, de divinitate Christi, de trinitate personarum, de baptismi necessitate aliisque hujusmodi acriter inter se disputant. 1) Ad quamdam unitatem servandam, multi, ut Anglicani, Lutherani, in Cæsarismum prolapsi sunt, et dum auctoritatem spiritualis Capitis pertinaciter rejicerent, sæcularis principis tyrannidi sese subjicere non erubuerunt, infelici tamen exitu : auctoritas enim civilis in rebus ad fidem pertinentibus sese incompetentem plerumque declaravit, aut decreta edidit aliena a mente Christi; unde novæ ortæ sunt dissensiones. 2) Frustra pariter Anglicani quemdam honoris primatum Archiepiscopo Cantuariensi concesserunt; quotiescumque enim Angliæ episcopi ab eo convocantur, dissensiones etiam doctrinales de rebus maximi momenti oriuntur, nullusque est qui jus sibi vindicare audeat has controversias auctoritative finiendi. Hinc hodie, inter Anglicanos, multi divinitatem Christi tanquam necessarium fidei articulum propugnant, dum alii id ut punctum non essentiale in dubium revocant; non pauci baptismi necessitatem etiam pro parvulis proclamant, dum alii eamdem rejiciunt; quidam præsentiam realem Christi admittunt, dum plerique eam negant; et sic de ceteris. 3) Frustra pariter in *conventus* conveniunt : sæpe fit enim ut hi sint occasio novi schismatis, prout v. g. contigit in conventu dicto "*Evangelical Alliance*", Octob. 1873

primatum hunc ita veræ Christi religioni esse necessarium, ut unitatem quam tueri debet, et ideo perpetuo mansurum ".

[1] Quod breviter, sed feliciter, pro more, exponit **Card. Gibbons**, *Faith of our Fathers*, IX, p. 120.

Neo-Eboraci habito, ex quo nova orta est secta, scil. Reformata Episcopalis Ecclesia [1].

Ad unitatem fidei igitur, requiritur Supremus animarum Pastor et quidem visibilis.

II. Petrus Romam venit, Romæque suam definitivam constituit sedem [2].

706. Status quæstionis. Ut Romanis Pontificibus competeret primatus Petri, stricte necesse non erat Petrum Romam venisse, ibique definitive suam constituisse sedem. Deus enim, immediate aut per Petrum, determinare potuisset ut Episcopus Romanus tanquam Petri successor haberetur, licet hic nunquam Romam venisset : hoc enim a voluntate Christi unice pendebat. Strictior tamen erit demonstratio Romani primatus, cum probatum fuerit Petrum ipsum personaliter Romanam condidisse sedem.

Hic agimus de Romano Petri episcopatu, non de ejus *duratione :* de hoc enim non concordant catholici [3], sed dissensio de tempore non incertum reddit ipsum factum.

---

[1] Cf. **Schaff***, *Creeds*, vol. I, p. 665 sq. ; **Tanquerey,** ap. *Vacant, Dict. de Théologie*, vocibus *Alliance Evangélique, Alliance presbytérienne.*

[2] **J. Fisher,** Roffensis ep., *Convulsio calumniarum Ulrichi Veleni*, Paris, 1522; **Foggini,** *De Romano divi Petri itinere et episcopatu*, Florentiæ, 1742; **H. Hagemann**, *Die Römische Kirche etc.*, Freiburg in Breisg., 1864, p. 627; **Sanguinetti**, *De Sede Romana S. Petri*, Romæ, 1867; *Resoconto autentico della disputa avvenuta in Roma fra sacerdoti cattolici e ministri evangelici intorno alla venuta di S. Pietro in Roma*, Roma, 1872; **P. Martin**, *Saint Pierre, sa venue et son martyre à Rome*, apud *Revue des Questions historiques*, (XIII, 1873, p. 5 sq. ; XV, 1874, p. 5 sq. ; XVIII, 1875, p. 202 sq.) ; **id.**, *S. Pierre et S. Paul dans l'Eglise Nestorienne*, apud *Revue des Sciences eccl.*, 1875; **De Smedt**, *op. cit. ;* **Jungmann**, *op. cit. ;* **Livius**, *S. Peter, bishop of Rome*, London, 1888; **Fouard**, *S. Pierre*, Append. IV; **Semeria**, op. cit., 7e-9e Conf. ; *Dublin Review*, apr. 1897, p. 386 sq. ; **J. Guiraud**, *La venue de S. Pierre à Rome*, in *R. P. A.*, 1 nov. 1905 ; p. 97-109 ; **A. Flamion**, *St Pierre à Rome*, in *Rev. d'Hist. eccl.*, 15 ap. et 15 jul. 1913; **Duchesne***, *Histoire de l'Eglise*, I, p. 61-63; **Vacandard**, *Etudes de crit. et d'hist. rel.*, 4e Série, Paris, 1922, I, L'Apostolat de S. Pierre à Rome. **A. d'Alès**, art. *Pierre à Rome* (*Saint*) in *D. A.*

[3] Quatuor distinguuntur sententiæ. Prima, cum **Baronio** et aliis communiter, tenet Petrum Romæ episcopum fuisse per 25 et amplius annos; secunda, quam propugnavit **A. Pagi,** docet Petrum Romam venisse exordio imperii Neronis ac ibidem episcopali munere functum fuisse duodecim circiter annis; tertia, duce **Papebrochio,** existimat eum Romæ sedisse quindecim circiter annis; quarta, quam pauci Catholici cum multis Protestantibus sequuntur, statuit Petrum nonnisi paucis mensibus ante obitum suum Romam venisse, ideoque minus quam integro anno ibi commoratum esse. De quibus vide

Jamvero huic facto primi contradixere *Waldenses* (sæc. XIII), deinde *Marsilius Patavinus* [1] (sæc. XIV), posteaque *Protestantes* ac *Rationalistæ* multi [2]. Doctiores tamen Protestantes, præsertim hodierni, libenter admittunt Petrum Romæ prædicasse ibique mortuum fuisse, quamvis plerique simul negent eum fuisse Romæ episcopum. Cum autem omnes eruditi, etiam acatholici, fateantur Romanum Petri episcopatum, jam a medio sæculo tertio, in universo orbe christiano fuisse admissum, satis erit testimonia adducere huic epochæ anteriora.

707. Demonstratur propositio. Directe. Probatur episcopatus romanus Petri, ex *Patribus*, ex *I^a Petri*, ex *monumentis*, et ex *consensu Ecclesiarum Orientalium.*

I° Ad *Patres* quod spectat : (**A**) *priori parte tertii sæculi*, plures sunt testes omni exceptione majores. (**a**) *Cyprianus* et *Firmilianus*, etsi Apostolicæ Sedi aliquamdiu restiterint, manifeste supponunt Petri sedem Romæ collocatam fuisse. *Cyprianus* enim de quibusdam schismaticis Romam petentibus scribit [3] : "Navigare audent et ad *Petri cathedram* atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est..."; item *Firmilianus* [4] : "Stephanus (Rom. Pontifex) qui per successionem *cathedram Petri* se habere prædicat". (**b**) Præterea *Caius* adversus Proclum scribens, de tropæis seu tumulis Apostolorum Petri et Pauli, ait [5] : "Ego

---

De Smedt, *Dissert. selectæ in I^am ætatem*, Gandavi, 1876, diss. I, cap. II, p. 29 sq.; **Jungmann**, *Dissertat. selectæ*, Ratisbonæ, vol. I, 1880, diss. I, n. 42 sq.; **Guiraud**, l. c.; **d'Alès**, *l. c.*

[1] In opere cui titulus *Defensorium pacis.*

[2] Inter quos **Udalricus Velenus**, *Tractatus quo XVIII argumentis asseritur Petrum nunquam Romæ fuisse*, 1520; **F. Spanheim**, *Dissert.*, Lugduni Batav., 1629, et *Opera*, 1700, t. II, p. 301; **F. C. Baur**, *Kirchengesch. der drei ersten Jahrh.*, Tübingen, 1863; **R. A. Lipsius**, *Chonologie der röm. Bisch.*, Kiel, 1869; *Die apokryphen Apostelgeschichte und Apostellegenden*, Brunswick, 1883-1887.

[3] Ep. 55 *ad Cornelium*, n. 14 (*P. L.*, III, col. 818, **R.**, 580); cf. ep. 52 *ad Antoniam.*, n. 8 (*P. L.*, III, col. 770, **R.**, 575.)

[4] Ep. *ad Cyprian.* (*P. L.*, III, col. 1169). Romanos Pontifices in episcopatu *Petro* successisse, et privilegia Petro concessa ad eos transiisse, manifeste supponunt *Callistus* (ap. **Tertullianum**, *De pudicitia*, XXI, 9, *P. L.*, II, 1025, **R.**, 387); et *Hippolytus* (ap. **Eusebium**, *H. E.*, V, 20).

[5] Ap. **Eusebium**, *H. E.*, II, 25 (*P. G.*, XX, col. 207, **K.**, 137, 138). Hic agitur de *tumulis* ubi reconduntur corpora Petri et Pauli non de *cellis* seu *memoriis* in eorum honorem erectis; nullum enim haberet valorem Caii argumentatio, ad Romanam sedem exaltandam, si de memoriis tantum ageretur, et ex contextu patet hunc locum ab Eusebio ita intellectum fuisse.

vero *Apostolorum tropæa* possum ostendere. Nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrunt tibi tropæa eorum qui *Ecclesiam illam fundaverunt*". (c) Eodem fere tempore, auctor libri adversus Artemonis hæresim, scribit[1] : "Qui (Victor) tertius decimus *a Petro Romanæ urbis episcopus* fuit". (d) Nec aliter *Tertullianus*[2] : "Percurre *ecclesias apostolicas*, apud quas ipsæ adhuc *cathedræ Apostolorum* suis locis præsident... Si autem Italiæ adjaces, habes *Romam*... cui totam doctrinam *Apostoli* cum sanguine suo profuderunt; ubi *Petrus* passioni dominicæ adæquatur..." (e) Quibus accedit *Catalogus Liberianus*, cujus prima pars, sæc. tertio confecta, Petrum recenset ut primum Romæ episcopum[3]; (f) *Origenes* tandem de *Petro* loquitur qui "*ad extremum Romam veniens* cruci suffixus est capite deorsum demisso"[4].

708. (B) *Sæc. secundo*, habemus : (a) *Clementem Alex.*, qui de prædicatione Petri in Urbe Roma loquitur[5]; (b) *Irenæum*, qui diserte asserit Ecclesiam Romanam ab *Apostolis Petro et Paulo* fuisse fundatam : "Matthæus Hebræis ipsorum lingua Scripturam edidit Evangelii, cum Petrus et Paulus *Romæ evangelizarent et fundarent Ecclesiam*"[6]. Et infra (c. 3) declarat eosdem Apostolos, post fundatam Romanam Ecclesiam, ejus administrationem et episcopatum Lino reliquisse : "Fundantes igitur et instruentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino *episcopatum administrandæ Ecclesiæ* tradiderunt"; (c) *Dionysium Corinthium*[7], qui ad Romanos scribens, de Petro et Paulo ait : "In Italiam simul profecti, *cum vos instituissent*, eodem tempore martyrium pertulerunt".

709. (C) Inter Patres *apostolicos* : (a) *S. Ignatius*, ad Romanos scribens (c. 4), ait : "Non ut *Petrus et Paulus* vobis præcipio. Illi *apostoli*, ego condemnatus; illi liberi, ego usque nunc servus"[8]. Porro verba hujusmodi bene quidem explicantur, si Petrus et Paulus Romæ apostolicam auctoritatem exercuerint : secus autem, vix intelliguntur. (b) *S. Clemens Papa* loquitur de martyrio Petri et

---

[1] Ap. **Eusebium**, H. E., V, 58 (*P. G.*, XX, col. 511).

[2] *De Præscript.*, c. 36 (*P. L.*, II, col. 49, **R.**, 297; **K.**, 194); cf. c. 32, 2; **R.**, 296; **K.**, 192; cf. etiam *Adv. Marc.*, lib. IV, c. 5 (*ib.*, col. 366, **R.**, 341; **K.**, 210); *Adversus Gnosticos Scorpiace*, c. 15 (*ib.*, col. 151, **K.**, 216); *de Baptismo*, c. 4 (*P. L.*, I, 1203).

[3] Ap. **De Smedt**, Append., K, p. 90; cf. **Duchesne**, *Liber Pontificalis*, vol. I, Introd., p. VI; **K.**, 545.

[4] Ap. **Eusebium**, *H. E.*, III, 1 (*P. G.*, XX, col. 215).

[5] Ap. **Eusebium**, *H. E.*, II, 15; VI, 14 (*P. G.*, XX, col. 171 et 552, **K.**, 150, 426, 434).

[6] *Adv. Hæres.*, l. III, c. 1 (*P. G.*, VII, col. 844, **R.**, 208, 210, 211; **K.**, 123, 125, 126, 186); cf. **Eusebium**, *H. E.*, V, 6, 8 (*P. G.*, XX, col. 446, 450).

[7] Ap. **Eusebium**, *H. E.*, II, 25 (*P. G.*, XX, col. 210, **K.**, 60).

[8] *Rom.*, IV (**Funk**, *op. cit.*, I, p. 257; **K.**, 26; **R.**, 54).

Pauli tanquam Romæ consummato (ἐν ἡμῖν), ut ex contextu patet [1]. Quibus positis, constat tertio et secundo sæculo diserta esse testimonia de Romano Petri episcopatu, eademque firmari verbis implicitis Patrum apostolicorum, nemine contradicente; quod sane ad certitudinem historicam sufficit [2].

710. 2° Hoc autem argumentum non parum corroboratur verbis Petri in fine primæ suæ epistolæ : "*Salutat vos ecclesia, quæ est in Babylone collecta*"; siquidem nomine Babylonis designari Romam constat ex eo quod Joannes eodem nomine usus est ad Romam designandam, ex eo quod nulla erat tunc temporis christiana communitas apud Babylonem, nec ullum testimonium inveniri potuit de Petri prædicatione in hac regione, tandem ex consensu doctiorum inter Protestantes [3].

711. 3° Huic accedunt varia *monumenta*, quibus Petri memoria Romæ affixa remansit [4] : sepulcrum ubi ejus corpus repositum est, locus *ad catacumbas* ubi ejus reliquiæ sæc. III° translatæ fuerant [5], *picturæ* catacumbarum, et *scyphi vitrei* quibus effigies S. Petri sæpe exhibetur, *inscriptiones* (præsertim in catacumba Priscillæ) in quibus de Petro, jam initio secundi sæculi, fit mentio.

712. 4° Tandem his omnibus vim addit *consensus omnium ecclesiarum orientalium*. Siquidem variæ civitates gloriari solent quod nati vel mortui sint apud ipsas viri celebres; ita multæ civitates de patria Homeri inter se olim certabant, ita Panormitani et Catanenses S. Agatham concivem suam esse contendunt. Si igitur S. Pe-

[1] *I Clem.*, c. 5-6 (**Funck**, *op. cit.*, I, p. 104-106; cf. testimonium probabile **Papiæ** apud *Eus. H. E.*, II, 14, 6-15, 2; **K.**, 426.)

[2] Liber apocryphus, cui titulus *Testamentum Ezechiæ*, (nunc in alio apocrypho inclusus, *Ascensio Isaiæ* vocato) clare loquitur de morte Petri in urbe Roma : hoc autem documentum, secundum editorem anglicum **Charles**, ex fine I^{i} sæc. est, (**Tisserant**, *L'Ascension d'Isaïe*, Paris, 1909).

[3] Hæc enim leguntur in *The* **Speaker's** *Commentary* (in *I Petr.*, V, 13) : "Animadvertere licet civitatem Babylonis nullius christianæ communitatis fuisse sedem, neque in ullo veteri documento aliquid inveniri de commoratione Petri in Chaldæa, dum e contra juxta vetustissima documenta, ultimos vitæ annos in occidentali parte Romani imperii transegit. Aliunde nomine Babylonis metaphorice designabatur, tempore Joannis, ipsa civitas Romæ..., proindeque, *juxta unanimem consensum veterum, Babylon hic Romam significat*". Ita etiam *Bishop* **Ellicott's*** *Commentary*, in h. loc.; **Farrar***, *Early Days of Christianity*, vol. II, p. 236, aliique apud **Livius**, *op. cit.*, p. 451 sq. — "En ce passage, Babylone désigne évidemment Rome" (**Renan***, *L'Antéchrist*, Paris, 1873, p. 122, note 2.)

[4] Argumentum archæologicum late prosequitur **Livius**, *op. cit.*, p. 105 sq.; **Marucchi**, *Le memorie dei SS. Apostoli Pietro e Paolo nella citta di Roma*, 2ª ed., Roma, 1900; **Vigouroux**, *Dict. de la Bible*, V, 1187-1193, v° *Rome*.

[5] Cf. **de Jerphanion**, in *Etudes*, 5 avril 1922, p. 60-68.

trus in aliqua Orientis civitate mortuus esset, hujus rei traditio servata fuisset, et si dubium de ejus sepulcro ortum fuisset, variæ civitates inter se de honore ejus tumulem possidendi certarent, prout fit quoad sepulcra nonnullorum Apostolorum. Jamvero nulla Orientis civitas sibi Petri sepulcrùm vindicavit, nec ulla fuit hac de re dissensio; Orientales enim, sive Catholici, sive ab Ecclesia separati, Petri prædicationem, episcopatum et martyrium Romæ consummatum in suis liturgiis celebrant [1]. Ergo Orientales simul ac Occidentales de Romano Petri episcopatu consentiunt; quod veritatis indicium est validissimum.

713. Exinde solvi possunt *difficultates* a Protestantibus propositæ. Imprimis arguunt ex *silentio Lucæ* in Actibus Apostolorum, *Pauli* in Ep. ad Romanos vel in epistolis *Fl. Josephi*, quas Romæ degens scripsit, ubi de Neronis crudelitate scribens, nihil de crucifixione Petri dicit. — *Resp.* Argumentum hujusmodi est *mere negativum* ac sufficienter enervatur rationibus positivis supra allegatis; præterea hoc silentium facile explicari potest. (a) *Lucas* in Actibus exordia Ecclesiæ christianæ satis accurate describit usque ad cap. XII, sed a cap. XIII, solos Pauli labores narrat, immo multa ad ejus historiam spectantia omittit, v. g., reprehensionem Cephæ, quam Paulus ipse commemorat. Aliunde quamvis Petrus, juxta communem opinionem, vigesimo sexto ante obitum suum anno Romam probabiliter venerit, non continue ibi mansit, sed inde potuit in alias civitates excurrere. (b) *Paulus*, in epistolis civitatum episcopos salutare non solebat; ergo ex ejus silentio in ep. *ad Romanos* nil deduci potest; forsan speciales ad hos episcopos mittebat litteras per personam quæ epistolam ad ecclesiam deferebat [2]. (c) *Josephus* autem expresse declarat se pleraque Neronis scelera silentio præterire voluisse; unde tacet de incendio Romæ, de nece Senecæ etc.; non est mirum igitur nil in ejus scriptis de crucifixione Petri inveniri.

714. **Indirecte** probatur Petri romanus episcopatus ex *catalogis* romanorum episcoporum, qui omnes usque ad S. Petrum retrogradiuntur, et ex quibus patet Romanam

[1] Quod fuse probat **P. Martin**, l. c.; cf. **Livius**, *op. cit.*, p. 349 sq., ubi plures invenies hymnos a **Card. Pitra** editos in opere *Hymnographie de l'Eglise grecque*. Unum exemplum afferre sufficiat ex festo vinculorum Petri : "Καί γέγονας Ρώμης τε πρῶτος ἐπίσκοπος τῆς ὀρθόδοξου των πόλεων κρηπίς καί στύλος"; i. e., "et tu *Romæ effectus es primus episcopus*, maxime orthodoxæ civitatis lapis angularis ac fundamentum".

[2] Alii dicunt Petrum nonnisi paucis mensibus ante obitum suum Romam venisse, et proinde post redactionem *Actuum* (60-63), Epistolæ ad *Romanos* (57), et epistolarum Romæ scriptarum (*Coloss.*, *Ephes.*, *Philip.*, *Philem.*).

Ecclesiam, statim post S. Petrum, ab episcopo monarchico rectam fuisse [1].

1° Hunc catalogum nobis tradiderunt S. Irenæus, S. Epiphanius, Eusebius. (a) S. *Irenæus*, circa an. 180, statim post Petrum et Paulum, Linum ponit Romæ episcopum, et post hunc Anencletum, Clementem, Evaristum, Alexandrum, Sixtum, Telesphorum, Hyginum, Pium, Anicetum, Soterem, Eleutherium [2]. (b) *Eusebius* (c. 324) eumdem catalogum, auctoritate Irenæi, Hegesippi, Julii Africani fulcitus, adhibuit [3]. (c) *S. Epiphanius* (c. 376), ex antiquo documento, eamdem seriem tradit [4].

2° Hunc autem catalogum, ex *antiquiori* depromptum fuisse, omnes concedunt, sed quisnam fuerit hujusmodi primævus catalogus, non omnes conveniunt. Probabilius tamen ab *Hegesippo* redactus est [5] qui Romam venit sub Aniceto (c. 155) et ibidem (sub Eleutherio), catalogum episcoporum juxta documenta usque ad Anicetum contexuit [6]. Quidquid est, usque ad S. Petrum He-

[1] Contra **Lipsius**, *Chronologie der römischen Bischöfe*, p. 263; **Wordsworth***, *The ministry of grace*, London, 1903, c. I, p. 125-128; **Harnack***, *Chronologie*, I, p. 114-202, Leipzig, 1897, et alios qui ex silentio *I Clementis*, *S. Ignatii*, et *Hermæ*, contendunt primum episcopum Romæ fuisse Anicetum (c. 160), vel Pium (c. 150). — Quam opinionem solide confutant **Duchesne**, *Liber pontificalis*, I, introd., p. I-XXV; *Hist. anc.**, I, p. 92; **Lightfoot***, *Early roman succession*, in *S. Clement of Rome*, I, p. 201-345; **J. Flamion**, *Les anciennes listes épiscopales des quatre grands sièges*, in *Revue d'Histoire ecclésiastique*, 1900, p. 645-678; 1901, p. 209-238, p. 503-528; **Dom J. Chapmann**, *La chronologie des premières listes épiscopales de Rome*, in *Revue bénédictine*, XVIII (1901), p. 399-417; XIX (1902), p. 13-37 et 145-170; **Michiels**, *op. cit.*, p. 306-336; **H. Boehmer**, *Zur altrömischen Bischofsliste*, in *Zeitschrift für die neu testam. Wissenschaft*, 1906, p. 333-339. Vide infra n. 715.

[2] *Adv. Hær.*, lib. III, c. 3 (*P. G.*, VII, col. 849). Cf. **Euseb.**, *Hist. eccles.*, lib. V, c. 6 (*P. G.*, XX, col. 445) qui textum græcum affert; et lib. V, c. 24, (*P. G.*, XX, col. 505) ubi in epistola Irenæi ad Victorem, plures romani episcopi II[i] sæculi enumerantur. Cf. **R.**, 211; **K.**, 186.

[3] *Hist. eccles.*, l. c., et lib. III, c. 2, 4, 13, 15, 34; lib. IV, c. 1, 4, 10, 19 (*P. G.*, XX, col. 215, 226, 247, 250, 286, 307...) *Chronic.*, an. 70, 82, 94, 102 (*P. L.*, XXVII, col. 590, 598, 602, 606).

[4] **S. Epiphanius**, *Hæres.*, XXVII, 6, *P. G.*, XLI,, 372 (**R.**, 1092); cf. **Lightfoot***, *Apostolic Fathers*, I, p. 327-333.

[5] **Chapman**, l. c., contra **Funk**, l. cit. infra.

[6] Γενόμενος δὲ ἐν Ρώμῃ διαδοχὴν ἐποιησάμην μέχρις Ἀνικήτου, in libro *Memorialium* apud **Euseb.**, *Hist. eccles.*, lib. IV, c. 22 (*P. G.*, XX, col. 377-378; **K.**, 69, 70). Post *Valesium* (XVII° s., cf. Migne, l. c., not. 12), **Harnack*** (*Chronol.*, I, p. 180-187) contendit Hegesippum Romæ fecisse *mansionem* (διατριβήν), et non *successionem* (διαδοχήν) episcoporum : quam opinionem criticam solide confutant **Michiels**, *op. cit.*, p. 309-313; **Funk**, *Kirchengeschichtlichte Abhandlungen*, I, p. 373-390; **Chapman**, *Rev. bénéd.*, 1901, p. 411; 1902, p. 13. Utrum vero legendum sit successionem *feci* (ἐποιησάμην)

gesippi catalogus retrogradi debebat, nam Hegesippus varias ecclesias percurrebat ad eorum *apostolicas* origines investigandas [1], et aliunde Eusebius, qui ejus *Commentariis* sæpe utitur, Petrum sedem suam Romæ fixisse narrat, et non corrigit dicta Hegesippi quoad hoc factum.

Hinc patet, jam a medio secundo sæculo, indubitanter ab omnibus agnosci episcopatum romanum monarchicum a S. Petro originem habere. — Insuper, non solum episcoporum nomina, sed eorum gesta tunc narrabantur, et tam certa erat eorum series ut juxta illam eventuum et hæreseon tempus definiretur : usque ad initium tertii sæculi, saltem viginti sunt textus in quibus eventus secundum chronologiam Romanorum Pontificum indicantur [2].

715. *Objicit* Harnack hujusmodi Pontifices non fuisse vere episcopos, sed potius præsides presbyterii : et hoc arguit ex silentio Iæ Clementis (96), Epist. Ignatii ad Romanos (107), et Pastoris Hermæ (140), circa *episcopatum* romanum *monarchicum*, ex quo concludit verum episcopum Romæ non extitisse ante Anicetum.

Resp. Prædicti auctores non loquuntur expresse de episcopatu romano monarchico, sed illum non excludunt, et ex eorum silentio nihil concludi debet. Nam : — (**a**) *Pastor Hermæ* non loquitur nisi de presbyteris, et tamen ex fragmento *Muratoriano*, scimus illum scripsisse "sedente cathedra Urbis Romæ Pio *episcopo* fratre ejus" [3]. Insuper, Clementi videtur tribuere auctoritatem quamdam personalem in Ecclesia Romana [4].

(**b**) Ex silentio *S. Ignatii* in ep. ad Romanos nihil concludere licet. Ignatius enim nullibi in hac epistola de presbyteris vel diaconis romanis loquitur : et tamen nemo est qui concludat presbyteros et diaconos tempore Ignatii Romæ non extitisse. A pari, cum silet de episcopo romano, non negat ejus existentiam. Præterea ad Romanos scribens ne hi eum a morte eriperent, ad fideles et non ad pastorem epistolam dirigere debebat : soli enim fideles sufficienti auctoritate apud gubernantes præditi erant ut liberationem captivi obtinere valerent.

(**c**) Non mirari debemus epist. *I Clem.* dici ab Ecclesia Romana scriptam esse et de episcopo tacere. Anno 170, Dionysius

---

an successionem *cognovi* (ἐνοησάμην), parum refert : cf. **Ehrhard**, *Die altchristl. Litteratur*, I, p. 256 sq. — Secundam tamen lectionem alius catalogus antiquior exigere videtur.

[1] **Euseb.**, *Hist. eccles.*, lib. IV, c. 8.

[2] Cf. **Irenæus**, *Adv. Hær.*, III, 3 ; III. 4 ; I, 25 ; I, 27 ; *Ep. ad Vict.*, apud **Euseb.**, V. 24 ; **Frag. Murator.**, lin. 73 etc. : quod concedit **Harnack**, *op. cit.*, p. 164 sq. — [3] **K.**, 162.

[4] *Vis.*, II, 4, n. 3. In Herma *propheta* non debemus inquirere textus hierarchiæ multum faventes.

Corinthius *ad Romanos* (non ad Soterem) responsionem mittit : ex quo concludere licet Soterem *nomine ecclesiæ romanæ* ad Dionysium misisse epistolam [1]. Et tamen Soter erat certo, juxta Harnack, episcopus vere monarchicus. A pari, anno 96, existebat Romæ episcopus monarchicus (Clemens) qui tamen nomine Ecclesiæ Romanæ ad Corinthios misit epistolam : sic opinati sunt Dionysius Corinthius [2], Hegesippus [3], Irenæus [4], quibus consenserunt pleræque ecclesiæ qui hanc epistolam tanquam a Clemente scriptam publice legebant [5]. Hæc autem epistola non loquitur expresse de episcopo, quia hoc finis intentus non requirebat.

(d) Præterea, si in Ecclesia Romana nullus fuisset *monarchicus* episcopus ante Anicetum, quomodo, paucis annis post ejus mortem, auctor quidam incognitus potuisset persuadere non solum plebi, sed etiam viris eruditis, quales fuerunt Hegesippus, Irenæus, Tertullianus, Hippolytus, Anicetum fuisse successorem plurium episcoporum. Hæc sane hypothesis viro critico indigna est.

Conclusio. Remanet igitur ut Romanus Petri episcopatus, tot ac tantis testibus probatus, et a nullo antiquo auctore negatus, tanquam factum historice certum admittatur.

III. Romani Pontifices sunt successores Petri in primatu, et quidem jure divino [6].

716. Status quæstionis. Hanc propositionem sic declarat *Vaticanum* : " Quicumque in hac (sc. romana) cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet " [7]. Ad hoc vero necesse non est ut Christus ipse Romam designaverit tanquam sedem primatus; sed sufficit ut voluerit ibi esse primatum *ubi Petrus suam sedem definitive collocaverit*. Hanc vero sedem esse Romam jam historice demonstravimus.

Cum jam supra probaverimus *Ecclesiam docentem* esse infallibilem (n. 664 sq.), thesis nostra theologice simul et

---

[1] Apud **Euseb.**, *H. E.*, VI, 23, n. 9-11.
[2] **Eus.**, *H. E.*, IV, 23, n. 13. (**R.**, 107).
[3] Ap. **Euseb.**, *H. E.*, IV, 22.
[4] *Adv. Hær.*, III, 3. Cf. **Euseb.**, *H. E.*, III, 38, 1; III, 16. (**R.**, 655.)
[5] **Euseb.**, *H. E.*, III, 15, 16, 38.
[6] **d'Alès,** Art. *Papauté* in *D. A.*, col. 1371-1388; **d'Herbigny,** II, p. 115-197; **Duchesne,** *Eglises séparées*, ch. IV; **Batiffol,** *L'Eglise naissante; Le catholicisme et la paix constantinienne; Le catholicisme de S. Augustin; le siège apostolique.* — [7] *Sess.* IV, cap. II, **D. B.**, 1824.

historice constabit si ostendimus primatum episcopi Romani semper ab universali Ecclesia fuisse admissum.

Prænotamus tamen non exspectanda esse testimonia tam explicita et diserta prioribus sæculis ac posterioribus; doctrina enim christiana est veluti semen quod in agro fertili seminatur, et, tum divinæ Providentiæ tum circumstantiarum loci et temporis influxu, paulatim crescit, ut jam diximus ubi de episcopatu. Ostendere igitur satis erit doctrinam de primatu Romani Pontificis in operibus Patrum antiquiorum inveniri, eamdemque gradatim expolitam fuisse, ita tamen ut explicita Patrum quarti et quinti sæculi testimonia nihil aliud sint nisi legitima explicatio eorum quæ minus diserte, licet vere, prioribus sæculis jam tradita fuerant [1].

Res autem ita probabitur : 1° *Tribus prioribus sæculis*, præeminentia *Ecclesiæ Romanæ* primum *obscure*, deinde magis *nitide* tum *scriptis* tum præcipue *factis* asseritur; 2° *quarto et quinto sæculis*, primatus *episcopi Romani* jam diserte a romanis pontificibus vindicatur et ab Ecclesia agnoscitur; 3° a *quinto* sæculo hic primatus *ex consensu totius Ecclesiæ in Conciliis* adunatæ aperte proclamatur.

717. Probatur thesis. 1° *Tribus prioribus sæculis, præeminentia Romanæ Ecclesiæ scriptis et factis agnoscitur.*

(**A**) *Circa finem primi sæculi* (93-97), ortis dissidiis inter Corinthios (juniores quidam in presbyteros insurrexerant eosque dejecerant), Ecclesia Romana jus et officium sibi incumbere Corinthios ad pacem revocandi censuit. Quare, per *Clementem*, antistitem [2], epistolam scripsit, in qua non obscure *Romanæ Cathedræ præeminentia* asseritur. Clemens enim tanquam *auctoritatem habens* loquitur, mandans ut dissidentes peccatum suum confiteantur et presbyteris se subjiciant : " si autem quidam *non obtemperaverint iis quæ Ille* (Christus) *per nos dixit*, cognoscant *offensioni et periculo non parvo sese implicaturos esse*, nos autem innocentes erimus ab hoc peccato " [3]. Duo ibi declarat, Christum loqui per os suum, et eos qui sibi non obediunt gravis culpæ reos

[1] Quod egregie ostendit **J. H. Newman.**, *Development*, p. 148-165.

[2] Epistolam fuisse per *Clementem* exaratam testantur, ut jam diximus, *Hegesippus* (ap. **Euseb.**, *H. E.*, IV, 22), *Dionysius Corinthius* (ap. **Euseb.**, *H. E.*, IV, 23, 13), *S. Irenæus*, *Adv. hæres.*, III, 3, 3; *Eusebius*, *H. E.*, III, 38, 1; *Hieronymus*, *Catal.*, c. 15. Cf. **Funck**, *Patres Apost.*, t. 1, p. XXXIII. Vide textus **D. B.**, 41; **R.**, 29. — [3] *I ad Corinth.*, c. 59.

esse. Infra eos hortatur ut obediant eis quæ per *Spiritum Sanctum* scripsit [1]. Præterea ad eos mittit *delegatos* " qui et testes erunt inter vos et nos ", ut sciant Corinthii " omnem curam nostram id et spectasse et spectare, ut vos brevi ad pacem perveniatis " [2]. — Id autem præstitit Episcopus Romanus, *vivente adhuc Joanne Apostolo;* et ejus epistola, nedum rejecta fuerit, reverenter accepta et inter divina officia per plurimos annos lecta fuit, quasi canonicam auctoritatem præ se ferret [3].

718. (B) *Ineunte sæculo secundo*, Romanæ Ecclesiæ præeminentia, a Clemente asserta, ab *Ignatio* agnoscitur. Hic enim, ad *Romanos* scribens, multo majorem reverentiam erga eorum ecclesiam exhibet quam erga alias : " Ecclesiæ misericordiam consecutæ in magnificentia Patris altissimi et J. Christi, filii ejus unici; Ecclesiæ dilectæ et illuminatæ voluntate ejus qui vult omnia... quæ etiam *præsidet* in loco regionis Romanorum, digna Deo, digna decore... digne casta et *caritatis cætui præsidens*, Christi legem habens " [4]... Vox autem *præsidet*, προκάθηται, significat alicujus rei præsidium exercere ad eam custodiendam et tuendam; *cætus caritatis* ἀγάπης, ex contextu et locis parallelis [5], universam designat Ecclesiam; ergo, juxta mentem Ignatii, Romana ecclesia ceteris præsidet ecclesiis. — Aliunde, ex toto stylo

[1] *Ibid.*, c. 63. — [2] *Ibid.*, c. 63.

[3] Non pauci Protestantes fatentur hac epistola manifestari prima pontificiæ auctoritatis initia; inter quos : **G. Salmon**, *Introd. to the study of the N. Testament*, p. 646; **P. Schaff**, *op. cit.*, vol. II, p. 158; **Sohm**, *Kirchenrecht*, p. 160; **A. Harnack**, *Dogmengesch.*, I, 4ª Ed., p. 485. Sed, cum A. Harnack, contendunt hanc actoritatem non ex Christi institutione, sed ex naturali præeminentia Romæ, ortam esse; immerito tamen, cum Patres hanc præeminentiam tribuant successioni apostolicæ.

[4] *Rom.*, Inscriptio, ap. **Funk,** I, p. 253. (**R.**, 52; **K.**, 25) Ratio autem cur *S. Ignatius* non magis explicite de Romano Pontifice loquitur est quia, ad sedandas locales dissensiones quæ in particularibus ecclesiis tunc temporis vigebant, non requirebatur Pontificis interventus, sed sufficiebat Episcopi auctoritas, ut acute animadvertit **J. H. Newman**, *op. cit.*, p. 149-150, ubi, inter alia, hæc habet : " In medium Papam proferre, cum de rebus ab episcopis optime componendis ageretur, idem fuisset, ut ita dicam, ac exercitum ad furem deprehendendum mittere ".

[5] Ita, v. g., in ep. ad *Trallenses*, scribit : " Salutat vos *caritas* ἀγάπη Smyrnæorum ", id est, fraternitas seu ecclesia Smyrnæorum. (13, 1; cf. *Rom.*, 9. 3; *Philad.*, 11, 2; *Smyrn.*, 12, 1).

epistolæ constat quanti faciat Romanam Ecclesiam, ejusque auctoritatem : "Nemini unquam invidistis, *alios docuistis*. Ego vero illa quoque *firma esse volo, quæ docetis et præcipitis*" [1].

719. (**C**) Quam præeminentiam testantur etiam illustres viri qui, decurrente *sæculo secundo, Romam venerunt* ut ejus episcopum inviserent ejusque judicium de rebus fidei et disciplinæ exquirerent [2]. Ita *S. Polycarpus*, Smyrnensis ep. et S. Joannis discipulus, ex remoto Oriente ad Anicetum Rom. Pontificem venit, ut ejus ope nonnullæ sedarentur controversiæ [3]; pariter martyres *Lugdunenses* apud Eleutherium legatione functi sunt, ut pacem reddere vellet ecclesiis Asiæ Montani erroribus turbatam [4]; item *Abercius*, ep. Hieropolitanus, Romam venit, inspirante Christo, "ut regiam contemplarer et reginam viderem stola aurea et calceis aureis indutam, et populum vidi ibi habentem sigillum splendidum" [5]; immo hæretici, quales fuere *Marcion* et *Montanistæ*, Romam confugerunt, ut a Sede apostolica agnoscerentur [6]. Præterea *documenta Ecclesiæ Romanæ* religiosissime a cœteris Ecclesiis recipiebantur [7]; *scriptores* tandem *christiani*, ab anno 170, secundum annos regni pontificum romanorum, historiam conficiebant [8].

720. (**D**) *Exeunte sæculo secundo*, (**a**) præclarum habemus testimonium *S. Irenæi*. Hic enim, qui de regula fidei et apostolica traditione toties disseruerat (supra, n. 660, 674 seq), volens medium tradere quo veræ traditiones a falsis secerni possint, ait eas esse veras, quæ apostolicæ sunt, nec necessarium esse omnes traditiones omnium ecclesiarum investi-

---

[1] *Rom.*, III, 1. (**R.**, 53) Per "alios docuistis" alluditur forsan ad Clementem.

[2] Cf. **Harnack***, *Mission und Ausbreitung*, I, 3ª Ed., p. 354.

[3] **Euseb.**, *H. E.*, l. V, 24, *P. G.*, XX, 494 sq. (**K.**, 100).

[4] **Euseb.**, *H. E.*, l. V., 3, *P. G.*, XX, 438.

[5] Apud **de Rossi**, *Inscript. christ.*, II, 17; **Leclercq**, *Dict. d'Archéol. (Cabrol)*, t. I, p. 66-87. (**R.**, 187.)

[6] **Epiphanius**, hæres. 42, n. 1; **Tertull.**, *Adv. Praxeam*, c. 1, *P. L.*, II, 155.

[7] Sic *Symbolum Apostolorum*, ubique receptum, Romæ definitive redactum est; Ecclesiæ orientales *prima sua documenta juridica* ad Clementem referunt (Documenta clementina, a II° sæculo redacta).

[8] **d'Herbigny**, II, n. 295.

gare, sed sufficere eas amplecti quæ in Ecclesia Romana accipiuntur, quia omnes ecclesiæ cum ea, propter potiorem ejus principalitatem, concordare debent [1] : " Quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones, *maxime et antiquissimæ et omnibus cognitæ*, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ Ecclesiæ eam, quam habet ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos qui quoquo modo... præterquam oportet, colligunt. *Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem* (alias potentiorem) *principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio...*" Postea rationem explicat cur traditio integra servata fuerit in Ecclesia Romana : hæc enim a duobus Apostolis Petro et Paulo fundata fuit, et successio Episcoporum a Lino usque ad Eleutherium, Irenæo coævum, non interrupta fuit : " hac ordinatione et succesione, inquit, ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia *traditio* et veritatis præconatio pervenit usque ad nos ". Jamvero hic primatus Rom. Ecclesiæ diserte affirmatur, cum hæc sit norma quam ceteræ ecclesiæ sequi debent, simulque declaratur rationem hujus primatus in eo sitam esse quod Romani Pontifices sint S. Petri successores [2].

---

[1] **S. Iren.**, *Adv. Hæres.*, lib. III, c. 3, *P. G.*, VII, 848-849 (**R.**, 210-211; **K.**, 125). De quo testimonio vide **Massuet**, in prævia dissert. III, art. 4, ad opera S. Iren.; **Schneemann**, *S. Irenæi de Eccles. Rom. principatu testimonium*, Friburgi, 1870; **L. Rivington**, op. cit., c. 3, p. 32 sq; **Batiffol**, *op. cit.*, p. 249-253; **L. Duchesne**, *Les Eglises séparées*, p. 119, ubi totum argumentum sic contrahit : " Il est difficile de trouver une expression plus nette : 1° de l'unité doctrinale dans l'Eglise universelle; 2° de l'importance souveraine, unique de l'Eglise romaine comme témoin, gardienne et organe de la tradition apostolique; 3° de sa prééminence supérieure dans l'ensemble des chrétientés ". Cf. **Roiron**, *Sur l'interprétation d'un passage de S. Irénée*, *R. S. R.*, 1917, p. 36-51; **Louis Saltet**, *S. Irénée et S. Cyprien sur la primauté romaine*, in *Bulletin de litt. ecclésiastique* de Toulouse, mai-juin 1920, p. 179 seq.; **d'Herbigny**, *Sur le second " qui sunt undique " dans Irénée*, III, 3, 2, in *Rev. bénédictine*, 1910, p. 103-108.

[2] Vim hujus testimonii senserunt Protestantes, et ad eam enervandam, contendunt mentem S. Irænæi esse, " fideles Romam convenire propter negotia tractanda, quia hæc civitas erat inter alias principalis, et traditiones apostolicas ibi servari non per auctoritatem Ecclesiæ Romanæ, sed per vigilantiam fidelium

721. (**b**) Doctrina S. Irenæi de primatu Romanæ Ecclesiæ confirmatur agendi ratione *Victoris papæ* (189-198) in *controversia de Paschate.* Ecclesiæ in Asia Minore jam ab antiquissimis temporibus Pascha celebrabant die 14 Nisan, sicut ipsi Judæi, dum alibi, præsertim Romæ, hoc festum agebatur die dominica proxima post æquinoctium. Jam S. Polycarpus hac de re cum Aniceto tractaverat. Victor I, finem huic controversiæ imponere volens, ne forte ritus judaici christianis ritibus miscerentur, Episcopis mandavit ut, coactis synodis, de Paschate disceptarent. Fere omnes declararunt servandum esse usum romanum. Sed Asiæ minoris episcopi usum suum tenaciter retinuerunt. Contra quos Victor excommunicationem pronuntiavit; sed, propter bonum pacis, rogante S. Irenæo, eam exsequendam non mandavit. Mox tamen usus romanus etiam in Asia minori prævaluit, — tanta erat Romanæ sedis auctoritas! — Hic certo apparet primatus exercitium tum ex ipsa convocatione conciliorum per totum orbem catholicum, tum ex obtemperatione omnium episcoporum : nullus enim alius episcopus, præter Romanum, nullus patriarcha tale jus unquam sibi vindicavit, nulli talis obedientia præstita fuit[1].

Romam undequaque venientium"; ita *Grabbius*, *Febronius*, *Janus* et recenter *Puller*, op. cit., lect. I, p. 31 sq. Sed hanc esse textus distorsionem nemo est qui non videat. Hic enim S. Irenæus non loquitur de *urbe*, sed de *ecclesia* Romana; vox *principalitas* 23 locis apud Irenæum significat potestatem, dominationem, ideoque ludunt, qui hoc unico loco eamdem vocem de Urbis amplitudine interpretantur; significat enim spiritualem præeminentiam et primatum Ecclesiæ Romanæ, ut ex tota concatenatione textus colligitur; ratio enim assignata cur hæc Ecclesia immaculatas servet traditiones est quia a successoribus Petri gubernatur; tandem vox *convenire ad* multo probabilius significat *concordare* cum, ita ut sensus sit omnem ecclesiam teneri cum Ecclesia Romana concordare in rebus fidei; non enim intelligi potest de *locali conventione*, quasi omnes fideles Romam venire teneantur, ut per se patet et a multis Protestantibus conceditur.

[1] **Euseb.**, *H. E.*, V, cap. 23 et 24 (**K.**, 91 seq; 97 seq; **R.**, 265). Contendit **Puller*** (*op. cit.*, p. 236 sq.) Victorem conatum esse Asiaticos a communione universalis Ecclesiæ abscindere, sed ejus auctoritatem agnitam non fuisse. Sed immerito : licet enim *Polycrates*, episcopus Ephesinus, cum aliis, Victori restiterit, et S. Irenæus, propter bonum pacis, reverenter Papam rogaverit ne excommunicationem urgeret, ex hoc non sequitur eos Pontificis auctoritatem negasse; sed potius ex Irenæi epistola colligitur hanc potestatem fuisse recognitam, cum solummodo admoneat Victorem non expedire integras ecclesias, morem sibi a majoribus traditum servantes, a communione abscindere. — Quod sane intellexit **A. Harnack*** *Dogmengeschichte*, vol. I, 4ª Ed. p. 489.490 :

722. (E) *Tertio* sæculo *factis* lucidius etiam quam *scriptis* asseritur Romanæ Sedis primatus.

(a) *Tertullianus*, adhuc catholicus, libenter agnoscit *primatum Petri*, qui claves regni cælorum et solvendi ligandique potestatem consecutus est [1]; necnon quamdam præeminentiam Romanæ ecclesiæ, "cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur"; ejusque doctrinam maximi facit : "videamus quid didicerit (Ecclesia Romana), quid docuerit, cum Africanis quoque ecclesiis contesserarit" [2]. Immo fatetur Christum Petro et Petrum Ecclesiæ reliquisse potestatem clavium [3]. Minus tamen lucide quam Irenæus primatum Romani episcopi propugnat. — Montanista factus, contendit potestatem clavium *solis spiritualibus* competere, ideoque non episcopis. Deridet itaque auctoritatem S. Callisti Romani episcopi, quem ironice vocat *pontificem maximum, episcopum episcoporum* : "Audio etiam edictum esse propositum, et quidem *peremptorium*, *Pontifex* scilicet *Maximus*, quod est, *Episcopus Episcoporum*, edicit" [4]... Quibus tamen verbis clare manifestat *apud Catholicos* edicta Episcopi episcoporum, seu Rom. Pontificis, esse *peremptoria*, (licet ipse jam eis obedire nolit, quia jam ab unitate Ecclesiæ secesserat), Callistumque auctoritative pro tota Ecclesia leges statuisse.

723. (b) *S. Cyprianus* [5], Tertulliani discipulus, etsi ejus errores minime amplexus fuerit, totus est in propugnanda unitate Ecclesiæ, quæ, juxta ipsum, ex unitate corporis episcoporum oritur [6]; sed non diserte asserit episcopos unum corpus efficere ex eo quod episcopo

---

"Quomodo potuisset Victor tale excommunicationis edictum minitari, nisi jam fuisset *communiter agnitum* ad Romanam potius spectare Ecclesiam definire conditiones *communis unitatis*, in iis rebus in quibus de fide agebatur". — Fusiorem hujus paschalis controversiæ expositionem invenies apud **De Smedt,** Diss. II, c. 1 sq.; **Jungmann,** *Dissertat. selectæ*, Ratisbonæ, 1880, diss. II, p. 155 sq.; **Duchesne,** *La Question de la Pâque*, *Revue des Quest. historiques*, jul. 1880; vel * *Hist. ancienne de l'Eglise*, I, c. XVI; **P. Schaff,** * op. cit., vol. II, § 62; **L. Rivington,** op. cit., c. 4, p. 39 sq.

[1] *De præscript.*, c. 22, *P. L.*, II, 34.

[2] *Ibid.*, c. 36, *P. L.*, II, 49 (**R.**, 297).

[3] *Scorpiace*, 10, *P. L.*, II, 142.

[4] *De pudicitia*, c. 1; 21; *P. L.*, II, 980-981, (**R.**, 383, 387, **K.**, 219-221).

[5] Cf. **Saltet,** l. c.; **A. d'Alès,** *La théologie de S. Cyprien*, Paris, 1922, p. 91-223; Art. *Baptême des hérétiques*, in *D. A.*

[6] *De unitate Ecclesiæ*, *P. L.*, IV, 493 sq. — Duplex videtur fuisse editio hujus libelli, utraque a S. Cypriano exarata, ut probat **D. Chapman,** *Rev. bénédictine*, t. XIX, 1902 et t. XX, 1903; cfr. **P. Batiffol,** *op. cit.*, p. 440-447. Discrimen præcipuum inter utramque invenitur in cap. IV; in una editione legitur : "Hoc erant utique et ceteri (apostoli) quod fuit Petrus, sed *primatus Petro datur* et una ecclesia et cathedra una monstratur"; — in altera vero : "Hoc erant uti-

Romano subdantur : magis directe agit de unitate *cujuslibet ecclesiæ* sub regimine episcopi quam de unitate *totius Ecclesiæ* sub Romano Pontifice. — Attamen plane fatetur Ecclesiam super *solum* Petrum fundatam esse, et Ecclesiam Romanam esse principium et centrum unitatis, "ecclesiam principalem unde unitas sacerdotalis exorta est". — Quod quidem sua agendi ratione confirmat. Cum enim Novatianus Romanam sedem usurpare tentasset, singulos hortabatur Romam navigantes ut "Ecclesiæ catholicæ *radicem ac matricem* agnoscerent ac tenerent"; et statim ac novit legitimam fuisse Cornelii electionem, studuit per litteras "communicationem ejus, id est, *catholicæ Ecclesiæ unitatem* pariter et caritatem probare firmiter ac tenere" [1], existimans scilicet unitatem Ecclesiæ nonnisi per *communionem cum Rom. Pontifice* servari posse. — Alibi indignatur eo quod asseclæ pseudo-episcopi Fortunati "navigare audent *ad Petri cathedram* atque ad *Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est*... nec cogitare eos esse Romanos quorum fides Apostolo prædicante laudata est, *ad quos perfidia habere non possit accessum*" [2]. — Alias rogavit Pontificem Stephanum ut Martianum excommunicaret, Arelatensem episcopum, qui partes Novatiani secutus fuerat, et alium in ejus locum substitueret [3]; quibus verbis clare agnoscitur jurisdictio Rom. Pontificis super alios episcopos.

724. *Objiciunt* quidem Protestantes postea S. Cyprianum, simul cum episcopis Africæ, et Firmiliano Cæsariensi aliosque episcopos in Asia minori, decreto S. Stephani Pontificis de baptismo hæreticis non iterando restitisse quamvis eis Pontifex romanus excommunicationem minatus fuisset, ideoque ejus primatum non agnovisse.

Resp. Etiamsi duo illustres episcopi auctoritati Rom. Pontificis in casu quodam particulari restitissent, non exinde sequeretur hos ejus auctoritatem omnino rejecisse; experientia enim compertum est aliquando pios ceteroquin viros, qui bona fide errorem amplexi sunt, eidem per aliquod tempus firmiter adhærere, licet a suprema auctoritate damnatus fuerit, dummodo eis persuasum fuerit rem de qua agitur *non fuisse adhuc tanquam de fide propositam;* ita, v. g.,

---

que et ceteri apostoli quod fuit Petrus, pari consortio prædíti et honoris et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia Christi una monstretur". — In prima haud obscure innuitur primatus Petri et Romanæ Cathedræ; in altera æqualitas Petri et ceterorum Apostolorum asseritur.

[1] Ep. 44, seu 4 ad Cornelium.

[2] Ep. 55, seu 12 ad Cornel., n. 14 (**R.**, 580; **K.**, 294). In hunc locum **Harnack*** scribit : "Dans une crise grave, que Cyprien eut à subir dans sa propre église, il en appela à l'église romaine (à l'évêque de Rome), comme si la communion avec cette église était en soi la garantie de la vérité". (*Dogmengesch.*, I, 4ª Ed., p. 420). — [3] Ep. 67.

Bossuet, et cum eo multi gallicani episcopi, licet primatum Rom. Sedis libenter agnoscerent, propositionibus damnatis adhærebant, quia judicium Pontificis ut definitivum minime habebant. Immo fieri potest ut quidam episcopi, qui alias virtutis specimina exhibuerunt, superbia vel præjudiciis victi, auctoritati quam legitimam agnoscunt, propria culpa resistant [1].

Quibus prænotatis, fatemur in Epistolis S. Cypriani, prout hodie exstant, quædam inveniri quæ stricte sumpta ægre cum primatu Rom. Pontificis conciliari possint. Sed (**a**) ex contextu patet ipsi persuasum fuisse rem, de qua agebatur, esse magis disciplinarem quam dogmaticam, et quemlibet episcopum retinere posse praxim quæ in sua ecclesia vigebat absque fidei dispendio; ad Stephanum enim scribit : "qua in re, nec nos vim cuiquam facimus aut legem damus, cum habeat in Ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbitrium liberum unusquisque præpositus, rationem actus sui Domino redditurus" [2]. (**b**) Non obstante Cypriani et Firmiliani aliorumque vehementi oppositione, decretum S. Stephani ab Ecclesia universali paulatim acceptum est, etiam ab illis provinciis quæ eidem prius obstiterant [3]. Quod quidem magis ac magis Rom. Pontificis primatum demonstrat; utquid enim successores Cypriani Firmilianique romanam consuetudinem, sicut alii episcopi, aliquando tamen acceperunt, nisi quia sibi persuasum erat Supremi Pontificis decreta ubique vim legis habere? Ex hac igitur controversia probatur, nedum infirmetur, primatus existentia [4].

725. (**c**) Eodem sæculo, *factis* non paucis agnoscitur Romanæ Sedis primatus : ex variis provinciis ad episcopum Romanum multi, etiam episcopi, recursum habent sive ad reddendam rationem fidei suæ, sive ad controversiam componendam, aut consilii causa, vel ad exquirendam approbationem particularium conciliorum. Ita *Origenes* ad Fabianum Romanæ urbis episcopum, et ad complures alios ecclesiarum antistites epistolas scripsit, ad reddendam rationem fidei suæ, ita agnoscens R. Pontificis auctoritatem [5], licet Alexandriæ viveret; item *Dionysius*, ep. Alexandr., qui, dum

[1] Quod egregie declarat **J. H. Newman,** op. cit., p. 26.

[2] Ep. 72, *P. L.*, III, 1050. — Ibidem, col. 1273 sq. invenies dissertationem historico-dogmaticam de hac controversia. Cyprianus videtur plene consequentias quæ a primatu Romano defluunt non intellexisse, quamquam verbis et factis hunc primatum agnoverat; cf. **d'Alès,** *La théol. de S. Cyprien*, p. 220-222.

[3] Cfr. **Freppel,** *S. Cyprien*, leç. XVIII, circa finem; **L. Rivington,** *op. cit.*, p. 115-116.

[4] Ita concil. *Arelatense*, 314, cui non pauci aderant Africani, decretum S. Stephani suum fecit (**D. B.**, 53).

[5] **Eusebius,** *H. E.*, l. VI, 36, *P. G.*, XX, 597; cfr. **S. Hieronymus,** ep. 84, n. 10.

contra Sabellii hæresim scriberet, verbis usus fuerat, quæ a nonnullis ut hæretica habebantur, apud Dionysium Romanum Pontif. accusatus, eidem scripsit, mentem suam exponendi gratia [1]; *Cyprianus* pariter, ut jam diximus, pluries ad S. Pontificem recursum habuit [2]. Item episcopi sede sua pulsi, ut Basilides et Martialis a concilio provinciali in Hispania habito depositi, eorumque successores, Sabinus et Felix, Romam recurrerunt ut Sedes Apostolica litem componeret [3]. Schismatici etiam, qui partes Felicissimi secuti fuerant, ad Petri cathedram confugerunt, solliciti retinendæ communionis cum Sede Apostolica [4]. Adeo notus erat hic primatus, ut imperator Aurelianus jusserit reddere domum ecclesiæ Antiochenæ iis quibus Italici christianæ religionis antistites et Romanus episcopus scriberent [5]. Ergo tum catholici tum hæretici vel schismatici primatum Rom. Pontificis jam agnoscebant.

Addi potest Romanos pontifices per totum orbem *eleemosynas* misisse, sicque sollicitudinem suam in universam affirmavisse Ecclesiam [6].

726. Conclusio. Attenta paucitate documentorum christianorum quæ tribus prioribus sæculis scripta sunt, satis magna apparet copia sive verborum, sive factorum ex quibus primatus Romani Pontificis demonstratur. Roma, ut adversarii ipsi fateri coguntur [7], jam ab initio Ecclesiæ, tutrix et præservatrix fuit unitatis christianæ, columna veritatis a Christo suæ Ecclesiæ commissæ. Tanquam successori Petri, Romano pontifici Ecclesiæ obediunt, non ut episcopo capitis orbis romani [8]. Valor autem hujus testimonii eo major est, quo propiores sumus Christi et Apostolorum temporibus.

---

[1] **S. Athanasius,** *ep. de sententia Dionysii*, n. 19, *P. G.*, XXV, 500.

[2] Epist. 59, n. 14; 67, n. 5; 68, n. 3 (Edit. *Hartel*, II, 683, 639, 745).

[3] **Héfélé-Leclercq**, *op. cit.*, t. I, p. 171.

[4] **S. Cyprian.,** Ep. 59, (*Hartel*, II, 666).

[5] **Eusebius,** *H. E.*, VII, 30, *P. G.*, XX, 719 (**K.**, 443, 19).

[6] **Harnack***, *Mission und Ausbreitung*, 3ª Ed., I, p. 184-185; II, p. 135.

[7] V. g., **Harnack***, *Mission...* I, 3ª Ed.. p. 358; cf. p. 456; *Dogmengeschichte*, I, 4ª Ed., p. 496.

[8] Semel, in omnibus nobis notis documentis, de civili Romæ excellentia agitur, et quidem magis modo litterario, in epistolis scilicet Dionysii Corinthii ad Romanos (**Eus.**, *H. E.*, IV, c. 23, 10; **K.**, 61): "Per hæc, quæ ab initio transmittere consuevistis, munera, morem institutumque Romanorum a majoribus vestris acceptum Romani retinentes". Recte igitur **Duchesne** scribit: Les papes "n'avaient guère d'autres arguments que le tombeau de S. Pierre, sa succession épiscopale et l'Evangile". (*Eglises séparées*, p. 159.)

727. 2° *Quarto et quinto sæculis, primatus Romanæ Cathedræ tam clare et diserte scriptis et factis asseritur, ut de ejus existentia et agnitione dubitari nequeat.*

(**A**) Imprimis episcopi Romani *loquuntur* et *agunt* tanquam *sui primatus plene conscii*. (**a**) *Sylvester*, an. 325, per legatos suos Nicæno concilio præfuit. — *Julius I*, an. 345, docuit episcoporum causas Romæ esse judicandas [1]; ab hæreticis advocatus ut arbitri partes susciperet, in gratiam Athanasii litem terminavit, eumque in sedem Alexandrinam restituit [2]. — Pariter Marcellus Ancyranus, Paulus Constantinopolitanus, Asclepas Gazenus et Lucius Adrianopolitanus ad Sedem Apostolicam appellarunt. — *Liberius*, ab ipso imperatore Constantio rogatus ut Athanasium deponeret, id præstare noluit, proptereaque in exilium missus fuit [3]; sed exinde apparet *jus episcopos deponendi* ad Romanam Sedem spectare. Item plurimi episcopi Ægyptii, in causa Athanasii, ad Julium et Liberium recursum habuerunt, ut eum contra falsas accusationes episcoporum Ario faventium defenderent; *Ariani* ipsi, sive fraudibus sive aperta vi, Liberium in suam trahere sententiam conati sunt, rati videlicet nil sibi profuturum, nisi Romanus Pontifex cum ipsis consentiret [4].

(**b**) *Damasus*, post synodum Ariminensem, episcopis orientalibus *regulam fidei* subscribendam proposuit : quam revera multi subscripserunt et ita in Ecclesiam recepti sunt [5]. Quam frequenter vero ad eum recurrerent episcopi Orientis et Occidentis, testatur Hieronymus, ejus scriba [6]. "Cum in chartis ecclesiasticis juvarem Damasum Romanæ urbis episcopum, et Orientis Occidentisque synodicis consultationibus responderem"... Revera *S. Basilius* ad Damasum scribens, tristissimum Orientis statum exponit atque addit [7] : "Horumce malorum unicum esse remedium duximus vestræ commiserationis visitationem"; ab eodem Pontifice [8] postularunt Orientales episcopi ut Timotheum, Apollinaris discipulum, damnare vellet. Orientalibus respondens, Damasus episcopos *filios* et *non fratres* vocat [9].

---

[1] Ap. **Athanasium**, *Apol. contra Arianos*, n. 33, *P. G.*, XXV, 304; **Héfélé-Leclercq**, *Hist. des Conciles*, t. I, p. 699-702.

[2] "Ne præter sententiam Romani Pontificis quidquam ab Ecclesiis decernatur". (**Socrat.**, *H. E.*, II, c. 17, 5. Cf. **K.**, 852; **D. B.**, 3003; **Batiffol**, *Le cathol. et la paix const.*, p. 426-428).

[3] **Athan.**, *Hist. Arianorum*, 35, *P. G.*, XXV, 733; **Héfélé-Leclercq**, op. cit., p. 866. — [4] **Athan.**, *op. cit.*, n. 9, *P. G.*, XXV, 704.

[5] Apud **Mansi**, *Concil.*, VIII, 158. — [6] Ep. 123, n. 10, *P. L.*, XXII, 1052.

[7] Epistola 70. Cf. **d'Herbigny**, II, p. 182-183.

[8] **S. Damasus**, ep. 7, *P. L.*, XIII, 370.

[9] **Harnack**, *Dogmengesch.*, 4ª Ed., II, p. 102, n. 1.

728. (c) *Siricius*, an. 385, ad Himerium, Tarraconensem episcopum, responsum mittens, scribit : "*Portamus onera omnium qui gravantur;* quin immo *hæc portat in nobis beatus Apostolus* Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suæ protegit et tuetur heredes"[1].

Sæpius etiam episcopi Africani ad *Anastasium*, 399-401, recurrerunt, posteaque Domino gratias reddiderunt eo quod illi optimo ac sancto antistiti tam piam curam pro membris Christi, quamvis in diversitate terrarum sparsis, inspirare dignatus est[2].

(d) *Innocentius I*, an. 417, episcopos concilii Carthaginiensis congratulabatur quod, antiquæ traditionis exempla servantes, recursum habuerint ad Apostolicam Sedem, et patrum instituta custodierint, nempe "ut quidquid, quamvis de disjunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate, justa quæ fuerit, pronuntiatio firmaretur"[3]... Idem Pontifex S. Hieronymum a Pelagianis molestatum auctoritate sua protexit[4]; ad eum pariter confugit S. Chrysostomus[5].

729. (e) *Zozimus*, an. 418, ad episcopos africanos scribit[6] : "Quamvis Patrum *traditio Apostolicæ Sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de ejus judicio disceptare nullus auderet*, idque per canones semper regulasque servaverit, et currens adhuc suis legibus ecclesiastica disciplina Petri nomini, a quo ipsa quoque descendit, reverentiam quam debet exsolvat"... — Idem Pontifex in Epistola quæ *Tractoria* dicitur, non solum pelagianos errores damnavit, sed omnibus mandavit episcopis ut hoc decretum subscriberent[7].

(f) *Cælestinus* (422-432) in epistola ad suos legatos euntes ad synodum *Ephesinam* scribit : "Auctoritatem Sedis apostolicæ custodiri debere mandamus"[8].

(g) *S. Leo Magnus* (440-461) ad metropolitanos per Illyricum constitutos scribit[9] : "*Et quia per omnes Ecclesias cura nostra distenditur, exigente hoc a nobis Domino*, qui apostolicæ dignitatis beatissimo Petro primatum fidei suæ remunerationem commisit,

---

[1] Ap. **Coustant**, *Ep. Rom. Pontif.*, Parisiis, 1721, I, 624. Cf. **D. B.**, 87.

[2] *Codex canonum ecclesiæ africanæ*, 56, 65, 68.

[3] **Coustant.**, op. cit., p. 888; aut **D. B.**, n. 100.

[4] **S. Innocent.**, ep. 34. Vide alios Innocentii textus : **D.B.**, 100; **R.**, 2014; **K.**, 720-721; 724-726.

[5] *Ep. Chrysost. ad Innocent.*, ap, **Coustant**, p. 771.

[6] **Coustant**, l. c., 974; cfr. **D.**, n. 109.

[7] Cfr. **Prosper**, *Adv. collator.*, c. 21. — [8] Ep. 14. Cf. **R.**, 2018.

[9] Ep. 5, *P. L.*, LIV, 615; S. Leonis affirmationes vide ap. **K.**, 891 seq., 896 seq. Cf. **Tixeront**, *Hist. des dogmes*, III, p. 363-364; **Batiffol**, *Le siège apostolique*, p. 416-492.

universalem Ecclesiam in fundamenti ipsius soliditate constituens, necessitatem sollicitudinis, quam habemus, cum his, qui nobis collegii caritate conjuncti sunt, sociamus ".

730. (h) Disertius etiam *S. Hormisdas Papa* (514-523) eamdem doctrinam asserit in Formula, Constantinopolim missa, ut ab episcopis subscriberetur, et cui de facto subscripserunt *omnes episcopi Orientales* (519), quamque *multi Occidentales episcopi* approbarunt, et non pauca *Concilia Imperatorumque rescripta* confirmarunt : " Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, et a Patrum traditione nullatenus deviare. Et quia non potest D. N. Jesu Christi prætermitti sententia dicentis : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, etc. Hæc quæ dicta sunt rerum probantur effectibus, *quia in Sede Apostolica citra maculam semper est catholica servata religio...* Suscipimus autem et probamus epistolas b. Leonis Papæ universas... sequentes in omnibus Apostolicam Sedem et prædicantes ejus omnia constituta. Et ideo spero ut in una communione vobiscum, quam Sedes Apostolica prædicat, esse merear, *qua est integra et veræ christianæ religionis et perfecta soliditas* : promittentes in sequenti tempore sequestratos a communione Ecclesiæ catholicæ, id est non consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria "[1]. Ex quibus duo præsertim constant : Sedem Apostolicam, id est Romanam, esse inviolabilem fidei catholicæ custodem, et eos qui non consentiunt in omnibus huic Sedi, a communione Ecclesiæ catholicæ esse sequestratos.

731. Contendunt quidem *Protestantes*[2] Romanos episcopos non veritatis amore, sed *ambitione* ita locutos fuisse. Quam injusta sit talis accusatio paulum attendenti patebit. (a) Si pauci tantum inter Rom. Pontifices sibi hanc supremam potestatem vindicavissent, possent forsan ut ambitionis rei haberi; sed *omnes* a S. Clemente ad Pium X eodem sensu locuti sunt, inter quos fatentibus, ipsis Protestantibus, sanctos vere humiles invenire licet; omnes pariter primatum quasi *onus* et *officium*, non honorem, sibi vindicant, et quidem cum plena confidentia, in medium adducendo Scripturæ vel prædecessorum effata. (b) Præterea multæ ex epistolis, in quibus primatum sibi asserunt, sunt *synodicæ*, i. e. cum approbatione multorum episcoporum conscriptæ; ita *Julius I* ad Eusebianos scribens, ait[3] : " Necessum est vobis notum facere, etiamsi solus scripserim, non ideo mei solius esse illam sententiam, sed et omnium qui in Italia sunt, et qui in his partibus degunt

[1] *Migne*, P. L., LXIII, 460; **D. B.**, 171.
[2] Ita **Puller***, et alii supra n. 684.
[3] Ap. **Athanasium**, *Apol. contra Arianos*, 26, *P. G.*, XXV, 291.

episcoporum". (c) Tandem, ut infra patebit, hunc primatum agnoverunt plerique saltem episcopi totius Ecclesiæ, inter quos numerantur viri non minus doctrina quam zelo et fortitudine conspicui; jamvero testimonium tam multis auctoritatibus innixum, a nemine sanæ mentis rejici potest; secus enim, ut acute animadvertit *Bossuet*, pari jure diceretur ne episcopis quidem aut presbyteris esse adhibendam fidem, cum sacerdotii sui honorem prædicant; quod contra est. Nam quibus Deus singularem honoris dignitatisque prærogativam contulit, iisdem inspirat verum de sua potestate sensum, ut ea in Domino, cum res poposcerit, libere et confidenter utantur, fiatque illud quod ait Paulus: "Accepimus Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis"[1].

732. (B) *Primatus Romani episcopi, a pontificibus ipsis vindicatus, a cuncta Ecclesia recognitus est.*

(a) Nulla *hæresis*, nullum *schisma* apparuit, sive in Occidente sive in Oriente, quin ad sedem Romanam appellatum fuerit ab hæreticis vel ab orthodoxis, Romaque judicium emiserit[2]. (b) Decurrentibus quarto et quinto sæculis, multi episcopi, a conciliis etiam œcumenicis depositi, *ad Romam appellant*: ita, inter Orientales, Athanasius, Chrysostomus, Flavianus, Joannes Talaïa, etc. Formulæ vero appellationis sæpe explicite primatum Romanæ sedis profitentur[3]. Communio Romani pontificis signum legitimitatis apparet[4].

(c) Sæpissime Romanus episcopus a cæteris Ecclesiis consulitur, ejusque *litteræ decretales* ab ecclesia ad ecclesiam transmittuntur[5].

733. (C) *Primatum Romani episcopi Patres quarti et quinti sæculi in scriptis suis indubitanter agnoverunt:*

(a) *S. Optatus Milevitanus* contra Donatistas arguens, qui contendebant Ecclesiam e *solis justis* constitui, ideoque *sanctitatem* esse primariam Ecclesiæ notam, ostendit duas esse alias notas, nempe catholicitatem et unitatem. Hanc vero *unitatem* repetit *ex Cathedra Petri Romæ constituta*, quia videlicet Petrus est caput omnium Apostolorum; ceteras cathedras ab hac manasse docet, et necessarium esse, sub pœna peccati et schismatis, *communionem servare cum hac Petri cathedra*, quæ usque ad nos, per seriem Romanorum

---

[1] *I Cor.*, II, 16. Cf. **L. Rivington**, *op. cit.*, p. 927 sq.

[2] Sic de Donatismo, Arianismo, Origenismo, Pelagianismo, Priscillianismo, Nestorianismo, Monophysismo. Cf. **Batiffol**, l. c.; **Tixeront**, *Hist. des dogmes*, II et III; **d'Herbigny**, II, l. c.

[3] Cf. **Bricout**, *Où en est l'histoire des religions*, II, p. 326-330; **Duchesne***, *Hist. anc. de l'Eglise*, III, p. 669-671, 674.

[4] Sic in schismate antiocheno: cf. **d'Herbigny**, II, p. 181-182.

[5] **Duchesne***, l. c., p. 29.

Pontificum, perseveravit : "Negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus; unde et Cephas appellatus est; in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Ergo cathedram unicam, quæ est prima de dotibus i.(e. *notis Ecclesiæ*), sedit prior Petrus; cui successit Linus (*hic traditur catalogus Rom. Pontificum a Petro ad Damasum*)... Damaso Siricius, hodie qui noster est socius : cum quo nobiscum totus orbis *formatarum*[1] in una communionis societatis concordat... Probatum est nos esse in Ecclesia sancta catholica... et *per Cathedram Petri*, quæ nostra est, per ipsum, et ceteras dotes apud nos esse"[2].

734. (b) *S. Ambrosius* pariter tenet Petrum esse Ecclesiæ centrum, Romanam Ecclesiam esse caput totius orbis catholici, et *signum veræ fidei esse communionem cum Romana Ecclesia :* "Ipse est Petrus cui dixit : Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia;* ubi Ecclesia, ibi nulla mors, sed vita æterna"[3]. Et alibi : "*Totius orbis Romani caput Romanam Ecclesiam*, atque illam sacrosanctam Apostolorum fidem, ne turbari sineret, obsecranda fuit clementia vestra : inde enim in omnes venerandæ communionis jura dimanant"[4]. Narrat insuper fratrem suum Satyrum, ad ignota littora tempestate propulsum, advocasse ad se episcopum, nec ullam veram putasse nisi veræ fidei gratiam, et inquisivisse utrum "*cum episcopis catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conveniret*"[5].

735. (c) Item *S. Augustinus*[6] adversus Donatistas scribit, Carthaginis episcopum potuisse non curare conspirantem multitudinem inimicorum, "cum se videret et *Romanæ Ecclesiæ, in qua semper apostolicæ cathedræ viguit principatus*, et ceteris terris, unde Evan-

[1] Nomine *formatarum* intelligebantur *litteræ communionis*, certa quadam forma redactæ, quas episcopi sibi invicem mittebant, in testimonium unitatis Ecclesiæ, ad ostendendum videlicet omnes episcopos sibi invicem copulatos esse in unitate ejusdem Ecclesiæ. Cf. **Martigny**, *Diction. des Antiq. chrét.*, vocabulo *Lettres ecclésiast.*, p. 422 ed. 1877.

[2] **S. Optat.**, *De schismate Donatist.*, lib. II, c. 2, 3, 9, *P. L.*, XI, 947. Cf. **R.**, 1241; **Tixeront**, *Hist. des dogmes*, II, p. 301-302; **Batiffol**, *Le cath. de S. Augustin*, pp. 100, 103, 135, 205.

[3] In Ps. 40, n. 30, *P. L.*, XIV, 1081.

[4] Ep. XI ad Imperatores, n. 4, *P. L.*, XVI, 946.

[5] De excessu fratris sui, l. I, n. 47, *P. L.*, XVI, 1306. Cf. **Tixeront**, l. c., p. 305; **Batiffol**, l. c., p. 123-124.

[6] **S. August.**, Ep. 43, n. 7, *P. L.*, XXXIII, 163. De S. Augustino, cf. **Batiffol**, *Le catholicisme de S. Augustin.*

gelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse conjunctum". Alibi [1] agnoscit a sententia sua appellationem dari ad Apostolicam Sedem; immo et concilia provincialia suam præcipuam auctoritatem ex approbatione S. Pontificis desumere [2]: "Jam enim de hac causa duo concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam; inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est".

Nec aliter *S. Hieronymus*, qui ad Damasum Papam scribit: "Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. *Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est.* Si quis in Noe arca non fuerit, peribit regnante diluvio... Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. *Quicumque tecum non colligit, spargit;* hoc est, qui Christi non est, Antichristi est" [3]. Nil sane clarius desideratur ad primatum Rom. Sedis declarandum, et adversarii nil aliud dicere habent nisi S. Hieronymum tunc *juvenem* fuisse, ejusque testimonium, utpote *unicum*, magni ponderis non esse [4]; quod manifeste falsum est, cum hic nihil aliud fecerit nisi disertis verbis exprimere quod S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Optatus aliique supra laudati etiam alio modo luculenter docuerunt [5].

736. (d) Nec aliter in *Ecclesia orientali*. Ita *S. Athanasius* refert et *approbat* verba Julii I episcopis eusebianis exprobrantis quod, inconsulta Sede Apostolica, episcopos et ipsum Alexandrinum episcopum deponere ausi fuerint: "An ignoratis hanc esse consuetudinem ut primum nobis scribatur (ait Julius), et hinc quod justum est decernatur? Sane si qua hujusmodi suspicio in illius urbis episcopum cadebat, ad hanc Ecclesiam illud rescribendum fuit [6]". — Pariter *Socrates* et *Sozomenes*, dum referunt verba Julii I asserentis nil in orientalibus conciliis fieri debere sine episcopi Romani consensu, id minime improbant [7]. — *S. Gregorius Nazianzenus* Romam vocat *totius orbis christiani præsidem* [8].

Quod confirmatur ex testimonio ipsius *Imperatoris Justitiani* ad

---

[1] Ep. 209, *P. L.*, XXXIII, 953-957.

[2] Sermo 131, n. 10, *P. L.*, XXXVIII, 734; **R.**, 1507; **K.**, 745.

[3] **S. Hieronymus**, Epist. 15, 16, alias 57, 58 (**R.**, 1346).

[4] Ita recentissime **Puller***, op. cit., p. 170. — Falsum est S. Hieronymum tunc temporis fuisse *juvenem*: jam enim illam ætatem attigerat qua potuisset episcopus fieri, ejusque nomen jam in omnibus ecclesiis celebrabatur. Cf. **L. Rivington**, *op. cit.*, p. 228.

[5] Cf. etiam testimonium **S. Petri Chrysologi, R.**, 2178; **K.**, 902.

[6] *Apol. contra Arianos*, 35, *P. G.*, XXV, 307.

[7] **Socrates**, *H. E.*, II, 8, 15, 17; **Sozom.**, *H. E.*, III, 8. De his duobus scriptoribus, quoad primatum romanum, cf. **Harnack***, *Dogmengesch.*, II, 4ª Ed., p. 103, n. 1.

[8] *Carmen de vita sua*, *P. G.*, XXXVII, 1068.

Joannem II Pontificem (534) scribentis[1] : "Nec enim patimur quidquam quod ad Ecclesiarum statutum pertinet, quamvis manifestum et indubitatum sit, quod movetur, ut non etiam vestræ innotescat Sanctitati, quæ caput est omnium Ecclesiarum"; necnon testimonio Conciliorum Ephesini, Chalcedonensis et Constantinopolitani III, quibus multi Orientales interfuerunt.

737. 3° *A quinto sæculo primatus Romani pontificis ex consensu totius Ecclesiæ, in conciliis adunatæ, aperte proclamatur*[2]. Episcopi universalis Ecclesiæ, in concilium coadunati, non semel, sed pluries unanimiter[3] agnoverunt primatum Rom. Pontificis. (**a**) Ita in Conc. *Ephesino* (431); quamvis enim Nestoriana hæresis in Oriente solo nata et propagata esset, S. Cyrillus, patriarcha Alex., qui ab initio inter ceteros Orientis patriarchas primum obtinuerat locum, a Rom. Pontifice sententiam et definitionem rogavit, ut fidei unitas servaretur; S. Pontifex Cælestinus Cyrillum vicarium suum creavit, ut Concilio præsideret, legatosque misit quorum unus, Philippus presbyter, Patres Concilii, nullo reclamante, sic allocutus est : "Nulli dubium, immo sæculis omnibus notum est quod *sanctus beatissimusque Petrus Apostolorum princeps et caput, fideique columna, et Ecclesiæ catholicæ fundamentum*, a D. N. Jesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, *claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est : qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit, et judicium exercet. Hujus itaque secundum ordinem successor et locum tenens* sanctus beatissimus *Papa noster Cœlestinus episcopus*, nos ipsius præsentiam supplentes, ad hanc sanctam synodum misit... Quamobrem intelligat Nestorius se a communione sacerdotali Ecclesiæ catholicæ alienum esse"[4].

(**b**) Nec minus diserte in Conc. *Chalcedonensi* (451), in quo sexcenti circiter adfuerunt episcopi, qui *fere omnes Orientales* erant. Leo videlicet celebrem illam scripsit epistolam[5], in qua Eutychetis errores diserte damnabantur,

[1] *Codex* (Justiniani), sub titulo de S. Trinitate.

[2] Vide ante omnia **d'Herbigny, II**, *l. c.*

[3] Hic agitur tantum de unanimitate *morali*, quæ existit paucis etiam contradicentibus, ut infra declarabitur.

[4] Apud **Mansi**, *Concil.* IV, 1295; **Harduin, I**, 1478; **D. B.**, 112.

[5] **S. Leo**, Ep. 28, *P. L.*, LIV, 763-781.

legatosque misit qui nomine suo Concilio præsiderent; postquam autem ejus Epistola coram Patribus lecta fuit, episcopi clamaverunt : " Hæc Patrum fides; hæc Apostolorum fides. Omnes ita credimus; orthodoxi ita credunt. Anathema ei qui ita non credit. *Petrus per Leonem ita locutus est* " [1]. Postea autem relationem omnium in Concilio actorum ad Leonem miserunt, in qua hæc inter alia leguntur : " Quam (fidem) veluti auro textam seriem ex veste Christi et præcepto legislatoris venientem usque ad nos ipse servasti, *vocis beati Petri omnibus constitutus interpres*... Quibus (episcopis in Concilio congregatis) tu quidem, *sicut membris caput*, præeras per eos qui tuum tenebant ordinem (i. e. legatos)... Rogamus igitur, et *tuis decretis nostrum honora judicium;* et sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic et summitas tua filiis, quod decet adimpleat " [2].

738. (**c**) Similia legere est in Conc. *Constantinopolitano III* (680) ad Agathonem Pontificem scribente : " Itaque tibi, ut primæ Sedis *Antistiti universalis Ecclesiæ, quid agendum sit, reliquimus* stanti super firmam fidei petram, libenter acquiescentes veræ confessionis litteris a vestra paterna beatitudine ad piissimum Imperatorem missis, *quas ut a summo Apostolorum vertice divine perscriptas* agnoscimus ". Hinc in sermone acclamatorio Patres exclamarunt : " *Per Agathonem Petrus loquebatur* " [3].

739. (**d**) In Conc. *Lugdunensi II* (1274) et *Florentino* (1438-45), ubi utriusque Ecclesiæ Romanæ et Græcæ convenerant episcopi, primatus jurisdictionis Rom. Pontificis disertis verbis definitus est : " *Definimus* Sanctam Apostolicam Sedem et *Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum*, et ipsum Pontificem Rom. successorem esse B. Petri, Principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. Jesu

[1] **Harduin**, *op. cit.*, II, 305-306.
[2] **Harduin**, l. c., 655, 659; **D. B.**, 149.
[3] **Harduin**, III, 1422, 1438; **Mansi**, XI, 665.

Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Œcumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur "[1].

740. Conclusiones. (a) Extra dubium est igitur ab universali Ecclesia primatum Rom. Pontificis fuisse agnitum et definitum; ideoque huic veritati adhærere debent illi omnes Christiani qui aliquam auctoritatem in Ecclesia admittunt, præsertim vero illi Anglicani et Græci qui indivisæ Ecclesiæ definitiones ut fidei normam habent[2] : supra enim probavimus corpus episcoporum esse infallibile.

(b) Ut vero eos etiam perstringamus qui, auctoritate Ecclesiæ rejecta, Apostolorum collegii infallibilitatem admittunt, *præscriptionis argumento* utimur. Historice constat, ex documentis supra allatis, saltem a sæculo sexto Rom. Pontifices ab universali Ecclesia, tum Orientali tum Occidentali, ut Petri successores agnitos fuisse, et jure divino primatum jurisdictionis in tota Ecclesia legitime exercuisse. Atqui talis persuasio *nonnisi ab Apostolis dimanare potuit.*

Si enim temporibus apostolicis universaliter credebatur omnes episcopos jure divino æquales esse, ut contendunt adversarii, necesse est magnam in fide et praxi totius Ecclesiæ intervenisse mutationem. Jamvero talis mutatio, omnibus attentis, *moraliter impossibilis erat.* Mutatio enim de qua agitur, summi erat momenti, in materia, non pure dogmatica et obscura, sed *practica* atque *plane obvia, ad Ecclesiæ essentialem constitutionem* spectante; ergo mutatio fieri non potuit quin *ubique* et *a multis* præsertim *episcopis* cognosceretur. Si vero talis mutatio cognita fuerit, sane reclamationes atque contentiones oriri debuerunt : nam agebatur de re ad *omnes episcopos pertinente*, qua eorum *jura* et *privilegia aperte minuebantur :* porro his temporibus multi sane erant episcopi quibus puritas fidei et institutionum Christi integritas maxime cordi habebatur; alii erant plus minusve ambitiosi, jurium suorum studiosi; utrisque talis mutatio odiosa fuisset, nec proinde sine contentionibus et reclamationibus accepta. Harum autem contentionum nulla exstant vestigia : pauca siquidem facta, ab adver-

[1] Ita *Florent.*, **Labbe**, vol. XIII, p. 515; **D. B.**, 694.

[2] Fides communis Ecclesiæ de primatu Rom. Pontificis probari potest etiam e variis ecclesiarum liturgiis. Quoad liturgias orientales, cfr. **Tondini**, *La primauté de S. Pierre prouvée par les titres que lui donne l'Eglise russe dans sa liturgie*, Paris, 1867; anglice, *The Primacy of St Peter demonstrated from the Liturgy of the Greco-Russian Church*, 1879; **Livius**, *op. cit.*, p. 378 sq.

sariis congesta, ut disputatio de celebratione Paschæ et rebaptizantium controversia, clare ostendunt Rom. Pontificis supremam auctoritatem communiter fuisse tunc temporis acceptam, etsi, propter quorumdam episcoporum præjudicia, ejus decreta non fuerunt fideliter ab omnibus exsecutioni mandata; notatu autem dignum est etiam eos qui Papæ mandatis restituerunt, nunquam explicite ejus auctoritatem denegasse; quod certe fecissent, si ipsis persuasum fuisset omnes episcopos esse jure divino æquales.

Ergo nulla reapse intervenit mutatio; ergo doctrina de Rom. Pontificis primatu vere apostolica est, ideoque ab omnibus Christianis admittenda.

741. Scholion. *Utrum jure divino an ecclesiastico primatus sit Sedi Romanæ annexus, utrum proinde a Sede Romana disjungi possit an non.*

Porro hac de re nihil est proprie definitum, ut ait *Mazzella* (n. 912)[1]. Communior tamen sententia est *jure divino* summum Pontificatum cum Episcopatu Romano conjunctum fuisse. Quod duplici modo explicatur : (**a**) alii dicunt Christum ipsum Romam designasse ut ecclesiam cui primatus adnectendus esset[2] : quæ tamen opinio neque Scriptura neque Traditione sufficienter probatur. (**b**) Alii vero multo probabilius tenent Christum solummodo determinavisse primatum *huic Sedi conjungendum esse quam Petrus definitive seligeret*, ita tamen ut Sedes a Petro electa, non possit amplius ab ejus successoribus mutari. Fatentur tamen non requiri *jure divino* ut *Rom. Pontifex* Romæ degat, licet id convenientius fiat, sed sufficere ut *titulum* episcopi Romani servet; unde, si Civitas destrueretur, quicumque eligeretur Romæ episcopus, cum jure Romanam ecclesiam regendi, verus esset Petri successor ac primatum in universam obtineret Ecclesiam. Ad factum quod spectat, Romæ mansit Sedes Apostolica non solum tempore persecutionum, sed etiam quando Romani Pontifices ab Urbe exsulare coacti sunt, vel Avenione degere maluerunt : semper enim ut episcopi Romani electi sunt, et spiritualem hujus ecclesiæ administrationem retinuerunt. Unde saltem maxime probabile est rem ita se habituram usque ad finem mundi.

(**c**) Attamen nulla censura digna est opinio veterum theologorum

---

[1] Cf. **Granderath**, *Constit. dogmat. Conc. Vatic.* (1892), p. 137-150; **J. Hollweck**, *Der apostolische Stuhl und Rom*, 1895.

[2] Ita **Bellarminus**, l. IV, c. 4, qui ait Deum ipsum jussisse Romæ figendam esse Apostolicam Petri sedem; quod firmare nititur testimonio (apocrypho) S. Marcelli, Papæ et Martyris, et S. Ambrosii. Hic enim, inquit, "refert, Christum omnino voluisse ut Petrus Romæ moreretur; et idcirco ei fugienti dixisse : Venio Romam iterum crucifigi. Quod est manifestum signum, Deum voluisse per mortem Petri Romæ firmari ejus Sedem".

qui putarunt conjunctionem primatus cum Sede Romana sola auctoritate Petri constitutam fuisse, ita ut Supremus Pontifex posset, si vellet, primatum ab episcopatu Romano disjungere. Hanc autem mutationem perficere nequeunt neque Concilium, absque Papa, neque a fortiori populus christianus, ut constat ex hac propositione Nuytzii in Syllabo condemnata (prop. 35) : "Nihil vetat alicujus concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum a Romano Episcopo atque Urbe ad alium episcopum aliamque civitatem transferri "[1].

Cum *Leone XIII* [2] concludimus : "Nec sine speciali Dei numine, ad illam idololatræ Orbis Μητρόπολιν B. Petrus Apostolorum Princeps gressus egit, ut ejusdem Pastor evaderet, eique supremi Apostolatus auctoritatem in perpetuum transmitteret". Nam conveniebat ut Deus suam potestatem magis ostenderet in ipsa Roma, quæ caput mundi erat, ideoque caput Ecclesiæ suæ ibi statueret in signum perfectæ victoriæ, ut exinde fides derivaretur ad universum mundum [3].

§ III. De infallibilitate Petri et Romanorum Pontificum.

742. *Thesis :* **Romanus Pontifex, cum ex cathedra loquitur, infallibilitate pollet in definienda doctrina de fide vel moribus, ita ut ejus definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ, sint irreformabiles** [4]. *Historice certum, theologice de fide ex decreto Vaticano* mox citando [5].

---

[1] **D. B.**, 1735. Fuse hac de re disputant **Bellarminus**, op. cit, l. IV, c. 4; **Mazzella**, n. 911 sq., 941 sq.; **Franzelin**, th. 12; **Palmieri**, th. 9-10; **De Groot**, q. XIV, a. 5, p. 103 sq.; **Billot**, th. XXVIII, p. 586-622.

[2] *Litteræ ad Em. Card. Rampolla*, 15 jun, 1887, *A. S. S.*, XX, p. 15.

[3] **S. Thomas**, 3, q. 35, a. 7 ad 3; *de Regimine principum*, l. I, c. 14.

[4] **D. B.**, 1832-1840.

[5] **S. Thom.**, 2ª 2æ, q. I, a. 10; **Bellarm.**, *de Rom. Pontif.*, l. IV, c. I sq.; **Perrone**, *De Rom. Pontificis infallibilitate*, Taurini, 1874; **Brugère**, n. 39 sq.; **Mazzella**, n. 1039 sq.; **De Groot**, q. XVI, a. 5 sq.; **Pesch.**, n. 507; **Palmieri**, *de Rom. Pontifice*, th. 25 sq.; **Newman**, *Letter to the Duke of Norfolk*, in opere *Diffic. of Anglicans*, vol. II, ed. 1888; **Manning**, *The Vatican Council*, New York, 1887; **Fessler**, *True and false infallibility;* **D. Lyons**, *Christianity and Infallibility*, New York, 1892; **Dom Guéranger**, *La Monarchie Pontificale;* **Bottalla**, *De la souveraine et infaillible autorité du Pape dans l'Eglise;* **Schrader**, *de Unit. Rom.*, part. II; **Hugueny**, *Critique et catholique*, II, ch. 1; **d'Herbigny**, II, p. 312-322; **Stéph. Harent**, Art. *Papauté* in *D. A.*, col. 1422-1534, Infaillibilité pontificale.

743. 1° **Status quæstionis.** (**A**) **Errores.** (a) Infallibilitatis dogma *Protestantes* unanimi ore rejiciunt, ejusque notionem variis modis pervertunt. Multi adhuc existimant infallibilitatem nihil aliud esse nisi impeccabilitatem [1]; alii dicunt Pontificem posse, vi hujus privilegii, declarare bonum id quod revera malum est, ita ut ejus voluntas sit regula boni et mali [2]; nonnulli contendunt infallibilitatem idem esse ac omniscientiam [3], vel involvere inspirationem [4], immo quasi hypostaticam unionem S. Spiritus cum Papa [5], aut potestatem continuo miracula patrandi [6].

(**b**) *Orientales schismatici*, primatum jurisdictionis Romani Pontificis rejicientes, a fortiori infallibilitatem dogmaticam ipsi denegant. Item *Veteres Catholici* qui, præsertim in Germania et Helvetia, post concilium Vaticanum ab unitate catholica secesserunt.

(**c**) *Gallicani* [7] non tam longe procedebant, sed tenebant definitiones S. Pontificis *non esse irreformabiles nisi accedente Ecclesiæ consensu.*

Hic error tempore magni Occidentalis schismatis ortum habuit. Cum enim dubitaretur quis esset Papa, multi censuerunt supremam auctoritatem ad Concilium generale devolutam esse. Exinde natus est error *Concilium, etiam jure ordinario, esse supra Papam*, nec proinde hunc esse infallibilem nisi cum Concilio generali rem definiat, vel saltem accesserit Ecclesiæ consensus.

Hic error, a *Gerson* propugnatus, postea fere exstinctus, renovatus est ab *E. Richer*, doctore Sorbonico [8], et *P. de Marca;* urgente Ludovico XIV, qui, occasione jurgiorum cum Papa, eidem resistere volebat, a Facultate Parisiensi licet reluctante receptus fuit, posteaque (a. 1682) ab ipso clero gallicano in famosa *declaratione*

---

[1] Quod non solum a *popularibus*, sed etiam a *sapientibus* audivimus, dum inter Protestantes conversaremur.

[2] Ita **Kingsley***, apud *Macmillan's Magazine*, Jan. 1864, p. 216-217. Cf. **Newman**, *Apologia*, p. 3.

[3] "Infallibilitas omniscientiam significat". (**Draper***, *Conflict between Religion and Science*, p. 225).

[4] **Littledale***, op. cit., n. 80, p. 184, scribit infallibilitatem supponere omnes Pontificias decisiones esse *inspiratas*, proindeque his novas paginas canonicis Scripturis addi.

[5] Cfr. **Pusey***, *Eirenicon*, p. 326-327. — [6] **Draper***, *op. cit.*, p. 284.

[7] Cf. **Dubruel et Arquillière**, Art. *Gallicanisme* in *D. A.*

[8] Cf. **Puyol**, *Edmond Richer, étude histor. et crit. sur la rénovation du Gallicanisme au XVII^e s.*, 1876.

quatuor articulis comprehensa[1]. Exinde plus minusve traditus fuit in gallicis universitatibus, paucis tantum reluctantibus; et etiam extra Galliam, præsertim in Austria, sub nomine Josephismi, sparsus fuit, donec tandem a *C. Vaticano* explicite fuerit condemnatus.

744. (B) **Doctrina catholica** ita exponitur a Concilio *Vaticano*[2]: "Definimus *Romanum Pontificem*, cum *ex cathedra* loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate, *doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit*, per assistentiam divinam ipsi in beato Petro promissam, ea *infallibilitate pollere*, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis *definitiones ex sese*, non autem ex consensu Ecclesiæ, *irreformabiles esse*".

Quam definitionem libenter acceperunt omnes Catholici episcopi, etiam ii qui huic dogmatis definitioni in ipso Concilio restiterant. Huic tamen parere noluerunt nonnulli sacerdotes et laici, præsertim in Germania qui sese *Veteres Catholicos* vocant, sed melius *Neo-Protestantes* dici possent; inter quos *Döllinger*, *Reinkens* episcopus a Jansenistis Hollandiæ episcopis creatus, *Von Schulte*, *H. Loyson* aliique pauci, qui, non obstante civilis auctoritatis favore, vix ullos fideles ad se trahere potuerunt, fatentibus ipsis Protestantibus.

---

[1] **Gérin,** *Recherches sur l'Assemblée de 1682.* Hæc est substantia quatuor articulorum: "1. Reges et principes in temporalibus nulli ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione subjici, neque auctoritate clavium Ecclesiæ, directe vel indirecte, deponi, aut illorum subditos eximi a fide atque obedientia, ac præstito fidelitatis sacramento solvi posse... 2. Valeant atque immota consistant S. Œcumen. synodi Constantiensis a Sede Apostolica comprobata decreta de auctoritate Conciliorum generalium... nec ad solum schismatis tempus concilii dicta detorqueant... 3. Hinc Apostolicæ potestatis usum moderandum per canones Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos; valere etiam regulas, mores et instituta a regno et Ecclesia gallicana recepta... 4. In fidei quoque quæstionibus præcipuas S. Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere, *non tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit*". Juxta *Bossuet*, *tacitus* sufficiebat consensus. — Hæc declaratio ab Alexandro VIII improbata fuit in Bulla *Inter multiplices* (1690), et ab ipso Ludovico XIV aliquo sensu retractata; sed paulatim tamen errores in ea contenti clerum gallicanum pervaserunt, favente auctoritate regia, quæ hac utebatur tanquam clypeo ad vim enervandam Pontificiarum decisionum. — Cfr. **D. B.,** 1322-1326.

[2] *Vatic.*, sess. IV, cap. 4; **D. B.,** 1839.

745. 2° **Declaratur thesis.** Ad quod præstandum præfatæ definitionis verba exponemus ad mentem Patrum Concilii [1].

(**A**) Imprimis *non* agitur hic de *impeccabilitate*, sed de *infallibilitate in docendo*, ut constat ex ipso titulo capitis, et ex verbis "*doctrinam definit... definitiones* ex sese *irreformabiles esse*"; jamvero impossibilitas errandi in docendo a sanctitate disjungi potest; ideoque Papa peccare potest, etiam graviter, etsi errare non possit cum ex cathedra loquitur.

Quod illustratur exemplis : Balaam, ipso tempore quo prophetabat, graviter peccabat, cum populo judaico injuste maledicere vellet; item Caiphas, dum Christi mortem advocaret in Concilio, prophetabat et simul grave peccatum committebat [2]; ergo S. Pontifex, etiam tempore quo veritatem de fide definit, peccator esse potest. Immerito igitur huic dogmati opponunt Protestantes quorumdam Pontificum crimina : hæc enim probant Pontifices esse *peccabiles*, non autem *fallibiles* in docendo.

746. (**B**) Hoc autem infallibilitatis privilegio R. Pontifex gaudet non in omnibus sermonibus, sed cum loquitur *ex cathedra;* quod quatuor præsertim importat : —

(**a**) Ex parte *Pontificis*, ut *omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungatur.*

Hinc, ut *doctor privatus*, non gaudet pontificia infallibilitate, sive in colloquiis familiaribus, sive in concionibus exhortatoriis ad populum, sive in libris a se editis, ut id aperte declaravit *Benedictus XIV* de operibus quæ ipse scripserat vel emendaverat dum esset Pontifex [3]. Immo si loquitur ut *episcopus urbis Romæ*, vel ut *Princeps sæcularis*, non est necessario infallibilis [4], sed solum quando docet ut totius Ecclesiæ Pastor et Doctor. — Infallibilitas igitur dici potest *personalis*, quatenus Petro ejusque successoribus directe promissa est, ideoque directe *sedenti, non Sedi*, competit : et ita excluditur Gallicanorum distinctio inter sedem et sedentem; est etiam *personalis*, quatenus ita personæ Pontificis competit, ut non possit

---

[1] Utemur proinde explicationibus datis a Relatore DD. Gasser, *Acta et Decreta C. Vatic.* (ed. Lac.), 1890.

[2] *Joan.*, XI, 49 sq.

[3] Scribit siquidem in Præfat. operis de *Synodo diœcesana :* "Libentique animo subscribimus doctrinæ scriptoris egregii M. Cani, qui *Lib. 6 de Locis theol., c. 8*, in responsione ad nonum argumentum, de libris agens qui a Summis Pontificibus conscripti publicantur, hæc ait : "Cum edunt libros de re qualibet, R. Pontifices sententiam suam ut homines alii docti exprimunt, non tanquam Ecclesiæ judices de fide pronuntiant".

[4] **H. E. Manning**, *The Vatican Council*, New York, 1887, ch. II, p. 64.

ab eo aliis delegari. Sed *non est personalis*, quatenus R. Pontifici convenit, tamquam personæ privatæ; Papa enim infallibilis est non ut persona privata, sed ut persona publica, id est ut caput Ecclesiæ universalis[1].

(b) Ex parte *objecti*, seu *materiæ*, ut Pontifex *doctrinam de fide vel moribus* definiat : id est *veritates revelatas* quæ ad salutem credi aut in praxim adduci debent, et veritates *intime cum revelatis connexas*, v. g., spiritualitatem et immortalitatem animæ, quæ necessariæ sunt ad fidei depositum custodiendum.

747. (c) Ex parte *modi*, seu *formæ*, ut *pro suprema sua Apostolica auctoritate*, doctrinam *definiat*, i. e., *finaliter determinet* quæ sunt credenda, ut recte ait *S. Thomas*[2].

Non igitur sufficit sententia quæ, *adhortandi* causa, absque credendi obligatione, proferatur; neque satis est ut obligatio imponatur quæ absque fide interna impleri possit, v. g., abstinendi a tali vel tali doctrina prædicanda vel docenda; sed requiritur verum præceptum doctrinam *interne credendi*. Iterum infallibilitas non extenditur ad ea quæ definitionem præcedunt, neque ad rationes propter quas doctrina definitur, sed solum ad rem ipsam definitam[3]. Non tamen necesse est ut quæstio antea ab aliquo proposita fuerit, cui S. Pontifex finem imponat, sed satis est ut Papa, etiam *motu proprio*, suam sententiam de rebus fidei et morum directe et determinative proferat.[4]

---

[1] Ita Episcopus Brixinensis (*Acta C. Vaticani*, p. 398 sq.). Qua occasione arrepta, theologi disputant num Papa, *ut privata persona*, possit in hæresim incidere, *scienter* et *obstinate* adhærendo errori contra fidem. Eum posse errare in fide ex ignorantia omnes fere concedunt, sed multi negant, attenta divina Providentia, eum posse *pertinaciter* errare, ita ut vere fiat hæreticus. Libenter hac in re assentimus opinioni quam sic eximie **Suarez** exponit (*De fide*, disp. X, sect. VI, n. 11) : "Licet multi verisimiliter affirment, mihi tamen et magis pium et probabilius videtur posse quidem Papam, ut privatam personam, errare ex ignorantia, non tamen ex contumacia. Quamvis enim efficere Deus possit ut hæreticus Papa non noceat Ecclesiæ, suavior tamen modus divinæ Providentiæ est ut, quia Deus promisit Papam definientem nunquam erraturum, consequenter provideat ne unquam ille hæreticus sit. Adde : quod hactenus in Ecclesia nunquam accidit, censendum ex Dei ordinatione et providentia accidere non posse". Si autem de facto Papa in hæresim pertinaciter incideret, probabilius ipso facto Pontificatu privaretur, et a corpore episcoporum sua dignitate privatus *declarari* posset. Cfr. **Wernz**, *Jus decretalium*, II, n. 615; **Bouix**, *De papa*, I, 546-549.

[2] **S. Thom.**, 2ª 2æ, q. 1, a. 10. Cf. *Acta C. Vaticani*, ed. Lacens., pp. 288, 414 sq.

[3] Quod egregie exponit **J. H. Newman**, *Diffic. of Anglicans*, vol. II, p. 325 sq. — [4] Cf. *Acta C. Vatic.*, ed. Lac., p. 474-475.

(d) Ex parte *termini*, requiritur ut definitio *universam obliget Ecclesiam* : "doctrinam de fide vel moribus *ab universa Ecclesia tenendam*", nam fides una eademque esse debet, nec fieri potest ut alii in Ecclesia aliquid credere teneantur ad quod non obligantur alii.

Non videtur tamen necessarium ut Papa directe et immediate totam Ecclesiam alloquatur; etiam quando ad particularem Ecclesiam scribit, definitionem intendere potest pro universali Ecclesia; ita quando *Innocentius I*, in causa Pelagiana, ad Africanos episcopos decretum suum misit, rem definire volebat non pro sola ecclesia Africana, sed pro universali Ecclesia. Inspiciendum est igitur non solum *ad quem* dirigatur Pontificia definitio, sed *pro quo* : etsi ex contextu evidenter constet illum *pro omnibus* loqui, nil ex hoc capite prohibet quin hæc definitio sit infallibilis. Theologi tamen fatentur intentionem omnes obligandi fideles clare manifestandam esse : quod hodie vix ullam patitur difficultatem; quando enim Papa vult veritatem definire, ut factum est quoad dogma de Immaculato Conceptu B. Mariæ Virginis, ita clare loquitur ut de ejus mente nemo dubitare possit.

748. (C) Pontifex est infallibilis *non* per *inspirationem* vel *revelationem*, sed "per *assistentiam divinam* ipsi in B. Petro promissam", i. e., per auxilium divinum quo error efficaciter præcaveatur [1].

"Hinc Papa pro officio suo et rei gravitate tenetur media apta adhibere ad veritatem rite indagandam et apte enuntiandam; et ejusmodi media sunt Concilia, vel etiam consilia episcoporum, Cardinalium, theologorum etc... Sed ideo nihil timendum est, ac si per malam fidem et negligentiam Pontificis universalis Ecclesia in errorem circa fidem induci posset. Nam tutela Christi et assistentia divina Petri successoribus promissa, est causa ita efficax, ut judicium S. Pontificis, si esset erroneum et Ecclesiæ destructivum, impediretur; aut si reapse Pontifex ad definitionem deveniat, illa infallibiliter vera existat" [2]. Nec pariter timendum est ne forte Pontificia definitio *vi* aut *metu* extorqueatur : assistentia enim divina ita efficax erit, ut hoc impedire valeat; ceteroquin theologi communiter tenent definitionem vi aut metu exortam, si talis esset, irreformabilem non fore.

---

[1] Quod in eodem capite *Vaticanum* aperte declarat : "Neque enim Petri successoribus Spiritus S. promissus est, ut *eo revelante* novam doctrinam patefacerent, sed ut *eo assistente* traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent". Cfr. J. H. Newman, *op. cit.*, p. 328.

[2] Ita Episcopus Brixinensis, *Acta C. Vatic.*, ed. Lac., pp. 400, 401.

749. (**D**) Definitiones autem Pontificiæ, præfatis conditionibus vestitæ, sunt irreformabiles, seu infallibiles, "*ex sese*, non autem ex consensu Ecclesiæ"; quæ verba contra Gallicanos explicite diriguntur, qui contendebant hujusmodi definitiones irreformabiles non esse, nisi *accedente consensu Ecclesiæ*. Hic consensus, quando antecedit definitionem, est quidem unum ex mediis quibus Pontifex uti potest ad cognoscendum doctrinam esse definibilem; sed, cum ipse sit *Judex* et *Doctor infallibilis*, non requiritur Ecclesiæ seu episcoporum consensus sive antecedens, sive concomitans aut consequens per modum *judicii concurrentis cum judicio ipsius Pontificis :* ipse enim pascit oves, fratresque suos confirmat in fide, non ab eis pascitur aut confirmatur. Hinc Pontificia infallibilitas est *independens*, non quidem a Spiritu Sancto a quo oritur, sed ab acceptatione episcoporum [1].

750. 3° **Thesis probatur : — Scriptura.** (**A**) Ex textu superius citato : "Tu es Petrus et super hanc petram..." Unde sic : (**a**) Ibi Petrus, ejusque successores Romani Pontifices, dicuntur *petra*, cui tanquam *fundamento* tota innixa est Ecclesia, et quidem tam *firmiter*, ut portæ inferi contra eam prævalere nequeant. Atqui si Supremus Pontifex *ex cathedra* loquens, falsam doctrinam Ecclesiæ tanquam fidei objectum proponere potest, certe Ecclesia non est firma.

Vel enim Pontifici erranti Ecclesia obedit, vel non : si *prius*, cum eo in errorem fidei nocivum labitur, et portæ inferi contra eam prævalent, cum societati spirituali revelatione fundatæ, nihil magis perniciosum sit quam error in fide; si *posterius*, jam perit Ecclesiæ unitas; nam, ex dictis, Petri successores suprema auctoritate docendi atque regendi pollent, ac proinde si huic legitimæ auctoritati episcopi et fideles resistunt, jam non una est Ecclesia, sed variæ efformantur sectæ sibi invicem oppositæ, prout apud Novatores, et iterum portæ inferi contra Ecclesiam prævalent.

Nec dicatur satis esse si definitiones Pontificis irreformabiles

[1] Minus recte autem a quibusdam hæc infallibilitas dicta est *absoluta*. Nam, ut aiebat Episcopus Brixinensis ad Patres Vaticanos (*Acta C. Vat.*, p. 400), nullo in sensu infallibilitas pontificia est absoluta; nam infallibilitas absoluta competit soli Deo, primæ et essentiali veritati, qui nullibi et nunquam fallere et falli potest. Omnis alia infallibilitas, etiam Pontificia, utpote communicata ad certum finem, suos habet limites et suas conditiones, sub quibus adesse censetur.

fiant *ex consensu Ecclesiæ;* cum enim ipse sit fundamentum toti ædificio soliditatem conferens, non potest id præstare nisi *ex se* sit solidum; nam Ecclesia, quæ super Petrum fundatur, non potest esse firmior in fide quam Petrus ipse, et si Petrus seu Papa deficiat in fide, Ecclesia ipsa deficit.

(**b**) Quod confirmatur ex *collatione potestatis clavium :* " Et tibi dabo claves regni cælorum ". Hæc enim potestas includit supremum magisterium, seu jus docendi obligandique fideles ad credendum ea quæ docentur, ut colligitur ex iis quæ Christus postea dixit : " Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur "[1]. Porro potestas docendi cum auctoritate obligandi fideles, sub pœna damnationis, ad credendum ea quæ traduntur, dari nequit ei qui, in docendo res ad fidem spectantes, errare potest; secus enim obligatio adesset errori firmiter adhærendi; quod sane nemo sanæ mentis dicet.

751. (**B**) *Ex oratione Christi pro Petro :*[2] " Ait autem Dominus : Simon, Simon, ecce Satanas expetivit *vos* ut cribraret sicut triticum[3] : Ego autem rogavi *pro te*, ut non deficiat[4] fides *tua;* et *tu* aliquando conversus[5] confirma fratres tuos ". Hic Christus, omnes Apostolos primum alloquens, annuntiat omnes variis et gravibus tentationibus cribrandos seu agitandos fore; deinde *solum* Petrum alloquens, declarat se pro *solo* Petro rogavisse, ne a fide deficeret; cum enim hic sit *primus* et *caput* aliorum, ipse debet fratres suos in fide confirmare[6]. Unde sic arguere datur :

---

[1] *Marc.*, XVI, 16. — [2] *Luc.*, XXII, 31-32.

[3] *Cribrare sicut triticum* est metaphora qua significatur vehementes tentationes; in cribratione enim omnia sursum deorsum vertuntur et vehementer agitantur.

[4] Græca vox ἐκλείπῃ significat " ut non pereat, destruatur " fides tua.

[5] Græcum verbum ἐπιστρέψας quatuor significare potest : (**a**) postquam a lapsu resipueris; (**b**) *vicissim (in turn)*, quasi esset : et tu vicissim confirma fratres tuos; sed hic sensus vix admitti potest, cum græca vox citata nullibi in Scriptura talem sensum habere probetur; (**c**) *converte te* ad fratres eosque in fide confirma; (**d**) *denuo*, occasione data (ποτε), confirma fratres. (*Maldonatus*, *d'Herbigny*, interpretantes " conversus " ad modum hebraismi. Cf. *Ps.*, LXXXIV, 7.)

[6] Quod **S. Franciscus Salesius** pulcherrima comparatione illustrat, *op. cit.*, p. 247 *(anglice, Catholic Controv.*, p. 258-259) : Hortulanus, quando videt sitientes et arescentes plantas, non omnes ramos, sed solum radicem irrigat, quia e radice humiditas omnes et singulos ramos pervadit; ita Dominus, post

(a) Nulli sane dubium est orationem Christi fuisse *efficacem* cum pro sua reverentia semper exaudiatur; atqui oravit ut fides Petri ita firma esset ut non deficeret, sed potius ut soliditatem ceteris discipulis, fidelibus et Apostolis seu toti Ecclesiæ conferre posset; ergo fides Petri ita firma erit ut nunquam, saltem in docendo *ex cathedra*, errare possit : si enim docens erraret, ejus fides periret, aliosque in errorem induceret, nedum eos in fide firmaret [1].

(b) Aliunde hoc infallibilitatis privilegium ad *Petri successores* extenditur, ut patet ex iis quæ diximus de Primatu Rom. Pontificum (n. 703 sq.) et ex ipso contextu; nam nihil exigit hujus privilegii limitationem ad tempora apostolica [2] : oppugnationes enim Satanæ nunquam cessaturæ sunt; ergo nunquam cessare debet impositum officium fratres in fide confirmandi; præterea qui jubetur esse confirmator fratrum, jam constitutus est Ecclesiæ caput et fundamentum, et quidem in perpetuum, ne portæ inferi adversus eam prævaleant; ergo in perpetuum fratres in fide confirmare debet; tandem traditio catholica hanc conclusionem certam reddidit [3].

752. (C) *Ex potestate totum pascendi gregem* : " Pasce agnos meos, pasce oves meas "... Vi horum verborum, Petrus ejusque successores constituti sunt supremi et universales Ecclesiæ pastores, ut supra (n. 696) probavimus, ideoque jus et officium habent totum gregem, episcopos et fideles, verbo veritatis pascendi; ita ut omnes teneantur huic magisterio obedire. Atqui hoc admitti nequit, nisi tale magisterium sit infallibile; si enim supremus Pastor docendo fallitur et fallit, oves non jam nutrit, sed venenoso

---

quam Ecclesiæ arborem plantavit, pro Capite et radice oravit, ne aqua seu fides illi deficeret, qui reliquos confirmare debebat, ut Capitis subsidio fides semper in Ecclesia subsisteret.

[1] Cfr. **S. Franc. Sales.**, *op. cit.*, p. 246; *Catholic Controversy*, p. 296.

[2] " Le concile du Vatican a cité ce texte pour établir le dogme de l'infaillibilité pontificale. Et en effet, si les Apôtres pour lesquels Jésus a prié avaient besoin d'être fortifiés dans la foi par Pierre, les successeurs des Apôtres doivent être dans le même rapport avec les successeurs de Pierre, puisque ce dernier est établi à jamais fondement de l'Eglise ". (**M. J. Lagrange,** *L'Evangile selon S. Luc*, p. 555.)

[3] Patrum testimonia, quæ brevitatis causa omittimus, legere potes apud **Manning,** *The Vatican Council*, p. 85 sq., aliosve cit. auctores.

cibo occidit : porro quis unquam admittat Christum oves suas, pretioso sanguine suo redemptas, pascendas commisisse pastori, qui erroribus contra fidem easdem perdere potest? Ergo Petri successores vere infallibiles sunt docendo, et quidem absque Ecclesiæ consensu : si enim infallibilitas ex Ecclesiæ consensu oriretur, jam Pontifices non pascerent oves, sed ab eis pascerentur [1].

753. Probatur Traditione [2]. (**A**) *Quatuor prioribus sæculis*, infallibilitas Romani episcopi *implicite* sed *vere* traditur, dum affirmatur aut supponitur Ecclesiam romanam ejusque caput esse *centrum unitatis fidei* et *tutam orthodoxiæ normam*, sive *ad delendas hæreses*, sive *ad solvendas quæstiones* ortas *de fide et moribus.*

(a) Exeunte sæculo *secundo*, *S. Irenæus*, in textu superius citato, n. 721, tanquam *tutam fidei normam* assignat consensionem cum Ecclesia Romana; supponit igitur hanc Ecclesiam esse infallibilem, ideoque ejus episcopum, cum teste Irenæo (supra, n. 660), quælibet ecclesia suam doctrinam ab episcopo accipiat [3].

(b) *Tertio* sæculo, *Victor*, 190-198, excommunicat Theodotum qui divinitatem Christi negabat, ejusque sententia ut definitiva habetur. *Zephyrinus*, 198-207, Montanismum condemnat, et ex hoc tempore Montanistæ tanquam ab Ecclesia ejecti censentur [4]. Pariter Sabelliani a *Callixto*, 217-222, damnati, ceu hæretici habiti sunt. Quando Dionysius Alexandrinus de hæresi fuit suspectus, res delata est ad Dionysium, Romanum episcopum, 259-268, qui definitivam tulit sententiam : quam minime impugnavit patriarcha Alexandrinus, sed solum explicare conatus est errorem sibi imputatum a sua mente alienum esse [5]. Id etiam probant multa ex testimoniis supra allegatis, n. 723 sq. — Uno verbo, in rebus ad fidem spectantibus, recursus habetur ad episcopum Romanum, et ejus sententia tantam auctoritatem præ se fert ut pro tuta fide norma habeatur.

754. (**B**) Jam a sæculo *quinto*, magis diserte affirmatur infallibilis auctoritas Sedis Romanæ et Pontificis, non solum

---

[1] Cfr. **S. Franciscus Sales.**, *op. cit.*, p. 249; *Catholic Controversy*, p. 297.

[2] Cf. **Hettinger**, *Fundamental theologie*, p. 701-723.

[3] Cf. etiam **S. Cypriani** textum (supra n. 723) : " navigare audent (schismatici) ad Petri cathedram..., nec cogitare eos esse Romanos... ad quos perfidia (i. e., fides corrupta) habere non possit accessum ".

[4] **Tertul.**, *Adv. Praxeam*, c. 1, *P. L.*, t. II, 155-156.

[5] **S. Athanasius**, *De sententia Dionysii*, *P. G.*, XXV, 479-522.

ab ipsis Rom. Pontificibus, sed ab episcopis sive singulatim sive collegialiter sumptis.

(a) An. 417, *Innocentius I*, post verba superius relata, n. 728, ubi declarat nil inconsulta Sede Apostolica definiendum in rebus dogmaticis, hæc addit : " Ut tota *hujus auctoritate justa quæ fuerit pronuntiatio* firmaretur, indeque sumerent ceteræ ecclesiæ (velut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederent et per diversas totius mundi regiones *puri latices capitis incorrupti* manarent), quid præcipere deberent "[1]... Ratio proinde cur ad S. Sedem recursus haberi debeat est quod exinde dimanat pura et incorrupta doctrina.

Pariter S. *Zosimus*, 418, declarat sententias S. Sedis esse *irreformabiles :* " Cum tantum nobis esset auctoritatis ut nullus de nostra possit retractare sententia, nihil egimus quod non ad vestram notitiam nostris ultro litteris referremus "[2]... Idem asserit *S. Bonifacius I*, 422, declarans de nostro non esse judicio retractandum : nunquam enim licuit de eo rursus quod semel statutum est ab Apostolica Sede, tractari "[3]. — Nec aliter *S. Simplicius*, 476 : " Quod apostolicis manibus cum Ecclesiæ universalis assensu acie meruit evangelicæ falcis abscindi, vigorem sumere non potest renascendi "[4]... —.Clarius etiam *S. Gelasius*, 493 : " Nunquidnam licet nobis a venerandis Patribus damnata dissolvere et ab illis excisa nefaria dogmata retractare "[5]?... Jamvero, si decreta dogmatica semel edita non possunt retractari aut reformari, eo ipso sunt infallibilia. Quam conclusionem infert *Hormisdas* in formula fidei superius tradita, n. 730 : " Hæc quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica citra maculam semper est catholica servata religio "[6].

755. (b) Hanc fuisse sententiam non solum Rom. Pontificum, sed etiam episcoporum et fidelium, constat *ex variis Patrum testimoniis*. Jam retulimus quid *S. Optatus* et *S. Ambrosius* de necessitate cathedræ Petri adhærendi ad veram fidem servandam, scripserint, (n. 733-736), quid *Augustinus* dixerit de sententia S. Pontificis approbantis decreta conciliorum[7] : *Causa finita est* (supra, n. 735). *Sozomenus* narrat Pontificem Damasum, orta controversia de consubstantialitate Spiritus S., scripsisse ad Orientis ecclesias

[1] **Coustant, D. B.**, 100. — [2] **Coustant, D. B.**, 109.

[3] **Coustant, D. B.**, 110.

[4] **Thiel**, *Epistolæ Rom. Pontificum*, 182; **D. B.**, 160.

[5] **Thiel**, 321; **D. B.**, 161. — Et alibi, apud **Jaffé**, *Regesta Pont. rom.*, t. I, n. 664 : " Neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio : siquidem ad illam (Sedem Apostolicam) de qualibet parte canones appellari voluerint, ab ea autem nemo sit appellare permissus ".

[6] **Thiel**, 795; **D. B.**, 171. Quam formulam **Conc. Vat.** adoptavit; **D. B.**, 1833.

[7] Cf. **Batiffol**, *Le cathol. de S. Augustin*, p. 409-410.

ut rem definiret; et postea addit [1] : " Quo facto, utpote controversia judicio Rom. Ecclesiæ terminata, singuli quievere; eaque quæstio finem tandem accepisse videbatur ". Ita etiam *Maximus*, Græcus Monachus et Martyr, in epistola ad Pyrrhum Constantinop., scribit (circa 645) : " Itaque si vult hæreticus non esse neque audire, non isti aut isti satisfaciat... festinet præ omnibus Sedi Romanæ satisfacere. Hac enim satisfacta, communiter ubique omnes pium hunc et orthodoxum prædicabunt "; rationem addit, quia videlicet Sedes Apostolica " habet imperium, auctoritatem et potestatem ligandi atque solvendi " [2].

Hæc testimonia Patrum confirmantur ex eo quod *in omnibus controversiis* appellatur ad Romanum Pontificem, tanquam ad veritatis judicem (Cf. supra n. 732).

756. (c) Sed id præcipue constat *ex agendi ratione Conciliorum œcumenicorum.* Patres enim *Ephesini* (an. 431), Nestorii hæresim condemnando, aperte declararunt se ad id coactos fuisse, " per sacros canones et epistolam SS. Patris nostri... Cælestini Rom. Ecclesiæ Episcopi " [3], quasi videlicet jam irreformabile esset judicium a S. Pontifice latum. — Iterum S. Leo M. Patribus *Chalcedonensibus* (451) præscripsit quid de Incarnatione credendum esset : hi autem, lecta epistola, clamarunt : " Omnes ita credimus... *Petrus per Leonem locutus est* "; et improbatus est Dioscorus, qui " contra ipsum, cui vineæ custodia a Domino commissa est, extendit insaniam " [4].

Nec aliter Concil. œcumenicum VI, *Constantinopolitanum* III (680-681), quod Agathoni scripsit : " Tibi ut primæ Sedis antitisti universalis Ecclesiæ quid agendum sit relinquimus, stanti super firmam fidei petram "; Agatho autem respondit fidem Ecclesiæ Romanæ illibatam permansisse, secundum ipsius Domini divinam promissionem, ideoque omnes ecclesias catholicas semper ejus auctoritatem secutas fuisse; et Patres, accepto responso, dixerunt : *Petrus per Agathonem loquebatur* [5]. — Concilium vero œcumeni-

---

[1] *Hist. eccles.*, l. VI, c. 22, *P. G.*, LXVII, 1347.

[2] Doctrinam Maximi aliorumque Græcorum de primatu et infallibilitate S. Pontificis erudite exponit **L. Andrieux**, *La primauté romaine et le clergé oriental au VII^e siècle* (thèse), Le Puy, 1903.

[3] Apud **Harduin**, I, 1471, 1506.

[4] Cf. **Héfélé-Leclercq**, *Histoire des Conciles*, t. II², § 190, p. 685-690.

[5] **Héfélé-Leclercq**, *op. cit.*, vol. III, § 314 sq., p. 477 sq. Ex his aliisque hujusmodi factis constat omni fundamento carere hanc difficultatem olim a Gallicanis propositam et ab hodiernis Protestantibus recoctam : " Patres S. Pontificis infallibilitatem admisissent, non existimassent Concilia adeo necessaria esse, nec in his sententiam tulissent, sed potius S. Pontificis judicium statim accepissent ". Etsi enim Papa est infallibilis, Concilia sunt *valde utilia*, si non absolute necessaria, tum ut facilius dignoscatur traditio ecclesiastica, tum ut

cum VIII, *Constantinopolitanum* IV (869-70) plane accepit *Hormisdæ* fidei formulam (supra, n. 730), in qua dicitur fidem in Sede Apostolica *semper immaculatam* servatam fuisse, vi promissionis divinæ, et in ea *integram et veracem* inveniri christianæ *religionis soliditatem*.

Tandem *C. Florentinum* (1438-1445) definivit Romanum Pontificem non solum tenere primatum in universum orbem, sed etiam "ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. Jesu Christo *plenam* potestatem traditam esse; *quemadmodum etiam* in gestis œcumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur"[1].

Porro hæc omnia infallibilitatem S. Pontificis supponunt; non enim haberet plenam potestatem docendi, nec servasset integram fidem, nec cum Petri auctoritate loqueretur, nisi esset vere infallibilis in docendo.

757. Neque dicere juvat in his omnibus casibus Papæ definitiones solummodo ex consensu Ecclesiæ irreformabiles factas fuisse; nam inerrantia Pontificis, ut constat ex allatis testimoniis, non huic consensui tribuitur, sed auctoritati ipsius Pontificis, qui, utpote Petri successor, est unitatis centrum et fidei authenticus interpres.

Nec valet famosa distinctio Gallicanorum inter *Sedem* et *Sedentem*, vi cujus quilibet Pontifex potest, etiam definiendo, errare *transitorie*, licet tota series Pontificum sit indefectibilis, quatenus non potest a fide deficere *permanenter;* hac enim admissa, auctoritas pontificia esset inane figmentum vacuumque simulacrum, cum cuique eam eludere liceret, dicendo sese Cathedræ Petri adhærere, non autem huic Pontifici obedire teneri, cum ipse sit fallibilis. Aliunde talis distinctio aliena est omnino a mente Patrum, qui non

---

judicetur de opportunitate definiendi, ut infra exponemus. Aliunde Patres in Conciliis, etiam post acceptam S. Pontificis definitionem, rem quasi de novo tractare non dubitarunt, ut veritas melius pateret et ab adversariis facilius acciperetur. Hinc, etiam post *C. Vaticani definitionem*, concilia œcumenica utilia erunt, et Pontifex consilia episcoporum exquiret, ut merito notarunt Helvetiæ episcopi in Pastorali Epistola a Pio IX approbata (an. 1871).

[1] Cfr. **D. B.**, 694. Gallicani quidem contenderunt vocem *quemadmodum* (græce καθ' ὅν τρόπον) sensum restrictivum præ se ferre, et significare auctoritatem Pontificis *limitari* per Concilia et Canones; quod textu græco Conc. Florentini probare conabantur. Sed textus latinus authenticus, prout legitur in manuscriptis antiquioribus, talem interpretationem non patitur; textus autem græcus potest intelligi eodem modo ac latinus; et sane contextus id postulat, nam Florentinum, postquam definierat S. Pontifici plenam potestatem traditam esse, non poterat logice declarare hanc plenam potestatem limitari per Conciliorum decreta. Aliunde *Vaticanum*, formulam Florentini referendo sine clausula *quemadmodum*, controversiam authentice dirimit. Cf. **T. Granderath**, *Constitut. dogmat. SS. C. Vaticani*, Friburgi, 1892, p. 150 sq.

solum Cathedræ Petri in abstracto, sed regnanti Pontifici obediebant, ut ex allatis testimoniis colligi potest.

Ergo Pontificia infallibilitas jam antiquitus a Patribus Conciliisque agnita fuerat, et Vaticanum nihil aliud fecit nisi disertius eamdem affirmare, et conditiones ejus exercitii determinare.

758. *Opponunt* tamen Protestantes vel Schismatici nonnulla facta, ex quibus periclitari videatur dogma supra expositum; de his pauca dicemus, lectores remittendo, pro fusiori harum difficultatum solutione, ad historiam ecclesiasticam.

(**A**) *Liberius* Papa dicitur formulæ Sirmiensi arianæ vel semiarianæ subscripsisse, et Athanasium condemnasse, ut ab Imperatore licentiam Romam redeundi obtineret, ideoque *in fide errasse.*

Resp. Breviter facta exponamus necesse est. (**a**) Liberius primum Arianos condemnaverat, et Athanasium anathematizare strenue recusaverat, proptereaque in exsilium missus fuerat a Constantio imperatore qui Arianis favebat. Post duos tamen annos, facultas ei facta est Romam revertendi. Qua vero de causa hæc licentia eidem concessa fuerit, non concordant coævi auctores; nonnulli enim dicunt Liberium formulæ hæreticæ subscripsisse [1], alii vero Constantium, a civibus Romanis exoratum, ei libertatem reddidisse [2]. Rufinus rem incertam relinquit [3] : "Liberius, inquit, urbis Romanæ episcopus, Constantio vivente, regressus est; sed hoc *utrum quod acquieverit voluntati suæ ad subscribendum, an ad populi Romani gratiam*, a quo proficiscens fuerit exoratus (Constantius), indulserit, *pro certo compertum non habeo*".

(**b**) Hodie tamen a pluribus admittitur Liberium, tædio victum exilii, *tertiæ formulæ* Sirmiensi subscripsisse, quæ, etsi minime hæretica, vocem ὁμοούσιος (*consubstantialis*) non continebat [4], in suam communionem recepisse episcopos semi-arianos, ideoque ita hæresi favisse. Attamen ipse hæresim non docuit; nam, teste *Sozomeno*, subscribendo declaravit ab Ecclesia alienos esse eos qui Filium secundum substantiam et per omnia Patri similem non esse assererent [5].

---

[1] "Liberius tædio victus exilii, in *hæreticam pravitatem subscribens* Romam quasi victor intravit". (**S. Hieronymus**, *Chronicon*, *P. L.*, XXVII, 683).

[2] **Theodoretus**, *H. E*, II, 17, *P. G.*, LXXXII, 301; **Sozom.**, *H. E.*, IV, 15, *P. G.*, LXVII, 1149; **Sulpicius Severus**, *H. S.*, II, 39, *P. L.*, XX, 145. — [3] *H. E.*, I, 27.

[4] Quatuor sunt formulæ *Sirmienses*, quarum *secunda* manifeste arianæ hæresi favet; huic non subscripsit Liberius. Ad rem **L. Duchesne**, *Hist. anc. de l'Eglise**, t. II, p. 281 : "Il n'abandonna pas le concile de Nicée. Il signa peut-être une formule; mais au moment où nous sommes, les formules que les Orientaux présentaient aux Occidentaux n'avaient rien de contraire à la foi; on ne pouvait leur reprocher que de n'être pas assez précises".

[5] **Sozom.**, *H. E.*, IV, 15, *P. G.*, LXVII, 1151.

(c) Tandem, dato, non concesso, eum formulæ ex se hæreticæ subscripsisse, non exinde periclitaretur pontificia infallibilitas, quia, juxta documenta ab adversariis allegata, Liberii subscriptio vi et metu exorta, non illas præ se fert notas, quæ necessariæ sunt ad definitionem ex cathedra. Teste enim *S. Athanasio*[1], "Liberius extorris factus, post biennium denique fractus est, minisque mortis perterritus subscripsit".

759. (B) Objicitur pariter *Honorium* docuisse monothelitarum *hæresim* in duabus epistolis ad Sergium, ideoque tanquam *hæreticum* a Leone II et duobus Concil. œcumenicis damnatum fuisse[2].

Antequam directe hanc difficultatem solvamus, *facta exponantur*. An. 634, Sergius, C. P. Patriarcha, monothelicis erroribus favens, ad Honorium I astute scripsit *duarum operationum* et *unius operationis* vocabula multos fideles turbare et scandalizare, ita ut *opportunius* esset, ob bonum pacis, talia verba devitare. Quibus litteris deceptus, Honorius prudentiam Sergii laudavit, et rescripsit se nolle unam vel duas operationes definiendo prædicare, sed, pro una quam quidam dicunt operatione, unum operatorem intelligendum esse, pro duabus autem operationibus duas potius naturas intelligi oportere. Hac æquivoca scribendi ratione inscius hæresi monothelitarum favebat. Quare concilium œcumenicum VI, Const. III, a. 681, Honorium jam defunctum inter *hæreticos* recensere non dubitavit. Quod decretum approbando, Leo II prædecessorem suum anathematizavit quidem, sed quia fidem subverti permiserat. — Quibus prænotatis, hæc statuimus :

(a) Certum est Honorium in his litteris *nullam ex cathedra definitionem* edidisse; nam Sergius nullam fidei definitionem postulaverat, sed solum approbationem *prudentis silentii* quoad distinctionem duplicis operationis. Aliunde Honorius ea adhibet verba, quæ definitionem omnino excludunt; in prima siquidem epistola ait : "Utrum autem propter opera divinitatis et humanitatis *una an*

[1] *Hist. Arian. ad monachos*, c. 41, *P. G.*, XXV, 742. — Quod fatebatur *Bossuet*, licet gallicanus (*Deuxième instr. pastorale*, n. 105-110). Cfr. **J. H. Newman** (*Historical sketches*, vol. II, p. 340, note, ed. 1885). — Ad fusiorem hujus quæstionis solutionem, vide, præter auctores citatos, **Jungmann**, *Dissertat. in hist. eccles.*, vol. II, 1881, p. 31 sq.; **Héfélé-Leclercq**, *Hist. des Conciles*, t. I^r, § 81, p. 908-928, ubi copiosam invenies bibliographiam; **L. Duchesne**, *op. cit.*, et *Libère et Fortunatien* in *Mélanges d'Archéol. et d'Histoire publiés par l'Ecole française de Rome*, t. 28, p. 31-50; **L. Saltet**, *Bulletin ecclés. Toulouse*, 1905, p. 222 sq.; 1909, p. 128; **J. Zeiller**, *La chute du Pape Libère*, in *R. P. A.*, t. III, p. 580-608; **d'Alès**, Art. *Libère* in *D. A.*; **Batiffol**, *La paix constantinienne et le catholicisme*, ch. IX; **Tixeront**, *Histoire des dogmes*, II; **d'Herbigny**, II, p. 178-181.

[2] **Lepage Renouf***, *Condemn. of Pope Honorius*, London, 1868; **E. F. Willis***, *Pope Honorius*, London, 1879.

geminæ operationes debeant derivatæ dici vel intelligi, *ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis"*; in secunda autem : "*Non nos oportet unam* vel duas operationes *definientes prædicare*"[1]... Præterea Honorii litteræ non fuerunt promulgatæ, sed ignotæ manserunt usque ad ejus mortem; ergo nullo modo haberi possunt ut definitio *ex cathedra*. Non sunt tamen, ut quidam dicunt, *privatæ* litteræ, sed documentum ad Ecclesiæ administrationem spectans, quo datur consilium de prudenti modo loquendi circa fidei mysterium.

(b) Non constat Honorium docuisse errorem contra fidem : affirmat quidem unam esse voluntatem in Christo, sed, ex contextu, loqui videtur de sola voluntate humana, prætermittendo divinam voluntatem, quam existere supponit, et solum excludendo duas illas contrarias voluntates quæ in nobis pugnant (scil. voluntatem *spiritus* et voluntatem *carnis*), ut colligitur ex ejus verbis : "Unde et *unam* voluntatem fatemur D. N. Jesu Christi, quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa... Non est itaque assumpta a Salvatore vitiata natura, quæ repugnaret legi mentis ejus, sed venit quærere et salvum facere quod perierat, id est vitiatam humani generis naturam. Nam lex alia in membris aut *voluntas diversa* non fuit vel *contraria* Salvatori, quia super legem natus est humanæ conditionis".

Quod confirmatur authentica interpretatione Joannis IV, Honorii secundi successoris, qui scribit : "Prædictus ergo decessor meus docens de mysterio Incarnationis Christi dicebat, non fuisse in eo, sicut in nobis peccatoribus, *mentis et carnis contrarias voluntates*. Quod quidam ad proprium sensum convertentes, divinitatis ejus et humanitatis unam eum voluntatem docuisse suspicati sunt. Quod veritati omni modo est contrarium". Fatemur tamen hunc dicendi modum, ab Honorio usurpatum, valde obscurum esse, et ambagibus plenum[2].

(c) Hinc Honorius damnatus est a Concilio VI tanquam *hæreticus*, non quia hæresim proprie docuerat, sed quia ejus propagationi faverat, inopportunum silentium utrique parti imponendo, tempore quo doctrinam catholicam diserte exponere oportebat. Quidquid est enim de mente Patrum qui hanc sententiam tulerunt, certe hæc fuit mens Leonis II, dum hoc Concilium confirmavit; scripsit

---

[1] Epistolas Honorii legere est apud **Migne**, *P. L.*, LXXX, p. 470-476; vel **Héfélé**, *op. cit.*, vol. IV, Appendice, p. 505 sq., ubi collecta invenies documenta ad hanc quæstionem spectantia; **D. B.**, 251-252.

[2] "Honorius se laissa circonvenir. Cet homme "humble et doux", ainsi que l'appelle son contemporain Jonas, pécha sans doute par un excès de condescendance; mais vraisemblablement, comme le pense Héfélé, III, 27, il faillit surtout par ignorance; il ne vit pas la portée théologique de la question". (**F. Mourret**, *Hist. générale de l'Eglise*, t. III, p. 110.)

enim : " Pariterque anathematizamus... necnon et Honorium, qui hanc apostolicam ecclesiam non apostolicæ traditionis doctrina lustravit, sed profana proditione immaculatam maculari permisit [1]... qui flammam hæretici dogmatis non, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem exstinxit, sed *negligendo* confovit " [2]. Revera appellatio hæreticus eo tempore extendebatur etiam ad fautores hæreticorum, suspectos de hæresi et eos omnes qui suo agendi modo hæresim promovebant [3]. Aliunde, si ut hæreticus proprie dictus damnatus fuerat, sane ut privata persona, non ut Pontifex *ex cathedra* loquens, ut ex dictis constat [4].

760. (C) Addunt insuper *Paulum V*, approbando decreta Indicis et Inquisitionis, quæ systema Galilæi condemnabant ut erroneum in fide, et *Urbanum VIII*, promulgationem hujus decreti præscribendo, in fide erravisse [5].

Resp. Fatemur equidem præfatas Congregationes errasse, Galilæum condemnando, ut colligitur ex authenticis documentis quæ recenter publici juris facta sunt [6]; pariter admitti potest duos præ-

---

[1] Apud **Labbe**, VI, p. 1109. — [2] Apud **Labbe**, VI, p. 1246.

[3] Quod fuse demonstrat **Bolgeni**, *Fatti dommatici*, vol. I, c. 4.

[4] Cf. **Héfélé-Leclercq**, op. cit., § 296 sq., III, pp. 347-387, 501, 515 sq., ubi, p. 347, multi allegantur auctores; **J. Pennachi**, *de Honorii causa in Concil. VI*, Romæ, 1870; **Bottalla**, *Reply to Renouf on Pope Honorius :* **Jungmann**, *op. cit.*, p. 383 sq.; **J. H. Newman**, *Diffic. of Anglic.*, vol. II, p. 317; **J. Chapman**, *The condemnation of Pope Honorius*, London, 1907; **D. Cabrol**, Art. *Honorius*, in *D. A;* **Tixeront**, *Hist. des dogmes*, III.

[5] Cf. **Littledale** *, op. cit., p. 181; et insuper **W. Roberts** *, *The Pontifical Decrees against the doctrine of the earth's movement*, Oxford, 1885.

[6] Hæc documenta legere est apud **Bouix**, *de Papa*, vol. II, p. 447 sq.; **H. de L'Epinois,** *Les Pièces du procès de Galilée*, Paris, 1877; **Von Gebler** *, *Les Actes du Procès de Galilée*, Stuttgard, 1887; **Grisar,** *Galileistudien*, Ratisbon., 1882; compendiose apud **Jaugey,** *Dictionnaire d'Apologétique*, verbo *Galilée. Consultores Congreg. S. Officii*, die 24 Febr. 1616, judicium tulerunt de his duabus propositionibus : " 1) Sol est centrum mundi et omnino immobilis motu locali. 2) Terra non est centrum mundi, nec immobilis, sed secundum se totam movetur et motu diurno ". De priori dixerunt : " Dictam propositionem esse stultam et absurdam in philosophia, et *formaliter hæreticam*, quatenus contradicit expresse sententiis sacræ Scripturæ in multis locis, secundum proprietatem verborum et secundum communem expositionem et sensum SS. Patrum, et theologorum doctorum "; de posteriori : " Hanc propositionem recipere eamdem censuram in philosophia et, spectando veritatem theologicam, ad minus esse *in fide erroneam* ". Pariter *Cong. Indicis*, 5 mart. 1616, tanquam *Scripturæ omnino adversantem* damnavit doctrinam pythagoricam et copernicam de mobilitate terræ et immobilitate solis. Galilæus ipse, judicibus *S. Officii*, 22 jun. 1633, hanc abjurationis formulam recitare et subscribere debuit : " Ego Galilæus Galilæi... corde sincero et fide non ficta abjuro, maledico, et detestor supradictos *errores et hæreses...* " Attamen, a. 1757 et 1820, *S. Cong. Indicis* sententiam de motu terræ propugnari permisit; et decreto *S. Officii*, 17 sept.

fatos Pontifices errasse, non solum quatenus personas privatas, sed etiam quatenus *Congregationum capita*, cum decreta vim habere non potuerint sine eorum approbatione [1]. Sed Congregationum decisiones, etiam a S. Pontifice approbatæ, non sunt infallibiles, nisi Papa easdem suas faciat, et nomine proprio promulget cum conditionibus quæ ad definitionem *ex cathedra* requiruntur. Quod certe in casu præsenti non verificatur : nihil enim tanquam ab universali Ecclesia tenendum S. Pontifex definivit, nec ulla producitur Bulla, ullum Breve, quo Paulus V aut Urbanus VIII dictam condemnationem modo speciali confirmaverit; nec ullus theologus alicujus nominis unquam affirmavit hanc fuisse *ex cathedra* definitionem.

Hinc eruditi Protestantes libenter fatentur nil ex hoc facto contra Pontificiam infallibilitatem deduci posse. Documenta enim contra Galilæum lata non sunt stricte documenta pontificia sed congregationum romanarum; non sunt stricte dogmatica, sed imprimis disciplinaria. Insuper agnoscunt periti errorem Cardinalium excusabilem esse, quia, illo tempore, copernicum systema nondum validis argumentis probatum fuerat, et Galilæus ipse imprudens fuit [2], nimis audacter suum systema propugnando non solum scientificis sed biblicis argumentis. Cæteroquin non sævissime, ut olim contendebant Protestantes, sed humane exceptus est [3], et studia sua prosequi potuit.

761. Ratione suadetur [4]. Sane *una* fides debet esse in Ecclesia, et quidem tam *certa* ut, sine prudenti formidine, *prompte* ac *secure* cognoscere valeamus ea quæ necessaria sunt ad finem nostrum supernaturalem attingendum. Atqui illa fidei *unitas* et *certitudo* sine infallibili Pontifice vix haberi possunt.

1822, Romæ permissa est impressio ac publicatio librorum in quibus eadem propugnatur. Tandem, a. 1833, ex catalogo librorum prohibitorum expuncta sunt opera prius damnata ob hanc opinionem de motu terræ.

[1] Revera utrumque decretum jussu S. Pontificis editum fuit, ut ex documentis constat, *Pièces du Procès*, pp. 40, 75, 92; **Jaugey**, l. c., p. 1347.

[2] *Library of Universal Knowledge*, voce *Galilee;* cf. *Encycl. Britanica*, ibid.

[3] Ita Protestans **Von Gebler*** (*Galileo Galilei und die Römische Curie*, 1876, pp. 202, 261). — Præter auctores jam citatos, vide **H. de L'Epinois**, *Galilée, son procès, sa condamnation*, Paris, 1867; *La Question de Galilée, les faits et leurs conséquences*, Paris, 1878; **Funk**, *Zur Galilei-Frage*, Paderborn, 1899; **Pieralisi**, *Urbano VIII e Galileo;* **Müller**, *Galileo Galilei*, Roma, 1908; **Vacandard**, *Le procès de Galilée* in *Rev. du Cl. franç.*, t. XL, 1904, p. 225-259 et 358-394, et in *Etudes de critique et d'histoire religieuse*, 1re série, 3e éd., Paris, 1907, p. 295-387; **L. Choupin**, *Valeur des décisions du S. Siège*, Paris, 1907, p. 123-149; **J. Gerard**, in *The Cath. Encyclop.*, Appleton, 1909, t. VI, p. 342-346; **Pierre de Vregille**, Art. *Galilée* in *D. A.*

[4] Hæc probatio demonstrationem jam n. 582 inceptam complet.

(a) Unitas enim servari nequit, nisi controversiæ circa fidem ab eo definiantur qui toti Ecclesiæ præest; omnes siquidem ei obedire tenentur, ac proinde si infallibilis sit, unitas fidei facile obtinetur : si autem errare possit, ac de facto erret, tunc disrumpitur unitas; nam alii ejus definitiones sequentur, alii autem despicient, et in utroque casu adest simul periculum erroris in fide et schismatis.

(b) Præterea, ut lites de fide prompte ac secure finiantur, requiritur tribunal *infallibile* ac *permanens;* secus enim infallibilitas non continue, sed transitorie in Ecclesia existeret, proindeque errores aliquando in ejus sinum serpere possent. Atqui tribunal hujusmodi nihil aliud esse potest nisi tribunal Pontificis; concilia enim œcumenica non possunt *prompte* nec *facile* congregari, quotiescumque novus oritur error, ideoque spargi potest hæresis antequam conciliare decretum edatur. Aliunde consensus totius Ecclesiæ sæpe nec exspectari nec cognosci facile potest; ergo maxime convenit ut Pontifex ipse sit infallibilis, etiam absque Ecclesiæ consensu, ut statim hæreses damnare et omnibus fidelibus quid sit tenendum præscribere valeat[1].

762. *Objicitur* quidem auctoritatem Pontificis, si sit infallibilis, vere *despoticam* esse, et eos qui ei subduntur omni *libertate cogitandi carere.*

Resp. Auctoritas infallibilis *Pontificis* non magis despotica est quam infallibilis *Scripturæ* auctoritas : si Catholici libertate carent

[1] Quod rite intellexit **W. H. Mallock***, qui, licet acatholicus, scribit (*Is Life worth living*, New-York, 1879, c. XII, p. 313, *gallice* versum "*La Vie vaut-elle la peine de vivre*", Paris, 1882, p. 287) Ecclesiam catholicam solam esse inter omnes dogmaticas religiones, quæ plane intellexerit quid importet religio vere dogmatica : "Quid valeat dogmata possidere, quænam exinde obligationes contrahantur, Ecclesia tantum catholica inter religiones dogmaticas percepit; eaque sola hujusmodi obligationibus satisfacere potest. Ipsa tantum intellexit quod, si in hoc mundo infallibile oraculum adesse debet, ipsum vivens sit oportet, ab omnibus in præsens sicut olim percipiendum, et quo mundus intelligentior aut cognoscendi magis cupidus evadit, hoc suæ disciplinæ major amplitudo danda est a magistro. Inter religiones quæ historiam habent, Ecclesia catholica unica est quæ in se eadem remanens, temporis necessitatibus accommodanda concipi potest; unica quæ vivere sine mutatione, suam doctrinam sine adulteratione evolvere, eadem semper manere et tamen progredi possit". Integrum legatur caput, cum præcedenti, c. XI; alia convenientiæ argumenta pro infallibilitate dilucide exposita invenies apud **Lyons**, *op. cit.*, ch. II, p. 31 sq. Cf. **A. Sabatier***, *Religions d'Autorité*, p. 42.

dum irreformabili Papæ judicio obediunt, majori libertate non gaudent qui Scripturæ ineluctabili auctoritate ligantur [1]. Protestantes dicunt quidem libertatem non destrui Scriptura, quia hæc est Verbum Dei; ergo non destruitur pariter infallibili Pontificis definitione, quæ nihil aliud est nisi *authentica interpretatio verbi Dei*, divino Spiritu assistente, ideoque plurimum affert luminis securamque tutelam [2]. Deus nunquam permittet Pontificem Romanum infallibilitatis privilegio abuti.

Vera siquidem cogitandi libertas non consistit in facultate errorem amplectendi, sed in firma adhæsione veritati cognitæ. Jamvero quando infallibili decreto obedimus, nihil aliud facimus nisi libere veritati certo cognitæ adhærere. Nec in hoc minuitur, sed potius augetur libertas inquirendi [3]; cum enim certi simus de veritatibus definitis, jam harum ope, in aliarum investigationem libere incedere possumus.

Quod comparatione illustratur. Certe non minuitur vera mentis libertas novarum veritatum inventione in ordine scientifico, sed potius investigationis campus extenditur; ita pariter quando Pontificia definitione, de veritate fidei certiores efficimur, novus inquisitionis campus nobis aperitur tum circa argumenta, quibus demonstrari possit, tum circa consectaria quæ ex eadem deduci valeant; firmatur ergo libertas nostra, nedum limitetur : "cognoscetis veritatem et veritas liberabit vos". Hæc pariter notentur verba *Leonis XIII* : "Denique prætereundum non est, immensum patere campum, in quo hominum excurrere industria, seseque exercere ingenia libere queant : res scilicet quæ cum doctrina fidei morumque christianorum non habent necessariam cognationem, vel de quibus Ecclesia, nulla adhibita sua auctoritate, judicium eruditorum relinquit integrum ac liberum" [4].

763. Conclusio. Constat igitur Ecclesiam a Christo institutam esse societatem non solum *Collegio episcoporum*, sed etiam *Supremo Pontifice* regendam; et insuper *infallibilitatis privilegio* gaudere non solum *corpus episcopale collegialiter definiens*, sed etiam ejus Caput, nempe *Romanum Pontificem* quando ex cathedra loquitur.

764. Corollarium. Episcopalismus rejiciendus est. Episcopalismus contendit Ecclesiam a solis episcopis inter

[1] Quod acute exponit **O. Brownson**, (*Works*, vol. VII, p. 537-538). Quod etiam alibi declarat, *Works*, vol. VII, pp. 301, 382-383, 586-589; vol. III, p. 265-266. — [2] **Leo XIII**, Encycl. *Libertas*, 20 jun. 1888.

[3] Cfr. **W. H. Mallock***, *op. cit.*, p. 310; gall. vers., p. 284.

[4] Loc. cit.; cf. **Sertillanges**, *L'Eglise*, I, ch. IX et XI.

se æqualibus gubernandam esse, ita ut quisque in sua diœcesi a nemine pendeat nisi a Deo et a collegio episcoporum in concilium generale convocatorum. Quod systema ab Ecclesiis orientalibus schismaticis, necnon ab Anglicanis episcopalistis propugnatur, ut jam vidimus, nn. 555-563-566.

Verbis Christi et universæ catholicæ traditioni adversatur episcopalismus, dum a Christo ipso in Ecclesia monarchica auctoritas constituta est, a qua non solum fideles sed et fidelium pastores dependent.

Conclusio totius capitis : Ecclesia romano-catholica et quidem sola est vera Ecclesia Christi.

765. 1° Historice probatum est Christum Ecclesiæ, societati visibili, Revelationem quam a Patre attulit simulque suam potestatem, reliquisse; et in Ecclesia non omnes triplicem potestatem regendi, docendi et sanctificandi, a Christo derivatam, sortitos esse, sed tantum Apostolos, eorumque successores, episcopos scilicet, et, speciali modo, Petrum, ejusque in primatu successores, Romanos Pontifices. *Ea ergo vera et sola vera est Christi Ecclesia, quæ visibilitatem, episcopatum* et *supremum pontificatum Romanum retinuit; quod certe de sola Ecclesia Romano-catholica prædicari potest.*

Omnis ergo qui aliter de Ecclesia Christi sentit Christi ipsius voluntati et institutioni contradicit; omnis prælatus, ab episcopatu catholico et a Romano pontifice independens, frustra Christi nomine docere et regere contendit; omnis Ecclesia ab Ecclesia Romana separata, titulum Ecclesiæ Christi sibi vindicare nequit.

Signum autem perfectum adhæsionis Christo et veræ Ecclesiæ est *communio cum sede Petri.* Hic enim unica petra est supra quam Ecclesia ædificatur, solus pastor cui oves commissæ sunt : " Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia; ubi Ecclesia, ibi nulla mors, sed vita æterna " [1].

766. 2° His principiis innixi, expendamus quid *de Ecclesiis separatis* dicendum sit.

(**A**) *Ecclesia orientalis schismatica* vera Ecclesia Christi esse non potest, quia : 1) propter humanas rationes ab Ec-

[1] **S. Ambrosius,** *In psalm.* 40, 30. (**R.**, 1261.)

clesia universali secessit; 2) primatum Romani Pontificis, a Christo institutum, jam non agnoscit; 3) saltem de facto, cæsarismo locum dedit, et Ecclesiam potestati laicæ subjicit : quod ex constitutioni diversarum ecclesiarum nationalium clare apparet [1]; 4) principio ecclesiarum nationalium admisso, unitas visibilis Ecclesiæ non solum destruitur, sed impossibilis redditur. Cum tamen ecclesia orientalis separata hierarchiam episcopalem et septem sacramenta retinuerit, qui *bona fide et inculpabiliter* ei adhærent in ea invenire possunt media sufficientia ad salutem [2].

767. (B) *Ecclesiæ protestantes* veram Christi Ecclesiam constituere nequeunt; etenim : 1) Motivis humanis ducti, et principibus sæcularibus plus quam Deo obedientes, illegitime in decursu temporum ab unitate Ecclesiæ secesserunt; 2) rejiciendo simul primatum Romanum, et episcopatum [3] (saltem quatenus *jure divino* institutum), vel etiam quam-

[1] Cf. **d'Herbigny**, II, p. 217-218. Ita episcopi Russiæ, dum consecrabantur, hoc edebant juramentum : " Promitto... omnibus diebus vitæ meæ *obediendo* morem gesturum *Sanctæ dirigenti totius Russiæ Synodo*, uti *legitimæ* potestati, a pie defuncto et æterna memoria digno Petro M. constitutæ, et a feliciter imperante Imperatoria majestate cum bono jussu confirmatæ... Obediam quoque reliquis mandatis et statutis, quæ deinceps adstipulatione SS. Synodi *ad libitum Imperatoriæ Majestatis* constituentur". Apud **Haigold** *, *Beilagen zum neuveranderten Russland*, Riga, 1769-70, vol. I, pp. 107, 144; cf. **Tondini**, *The Pope of Rome and the Popes of the Oriental Orthodox Church*, London, 1871, c. I; **L. Gondal**, *L'Eglise russe*, 1903 (Sc. et Rel.); **Wladimir Guettée**, (prêtre russe), *Exposition de la doctrine de l'Eglise catholique orthodoxe*, Paris, Fischbacher, 1884. Similes sunt propositiones quas, an. 1833, subscripserunt episcopi regni Hellenici : " Orientalis orthodoxa et apostolica Græciæ Ecclesia, quæ nullum aliud spirituale caput agnoscit nisi Caput fidei christianæ, Jesum Christum D. N., a nulla pendet externa auctoritate, sed immotam servat fidei unitatem cum omnibus Orientalibus orthodoxis ecclesiis. In rebus Ecclesiæ gerendis, quæ ad Statum pertinent, ut *supremum caput* agnoscitur *Rex Græciæ*. Permanens instituetur *Synodus*, archiepiscopis ac episcopis constans a *Rege selectis*, quæ suprema ecclesiastica auctoritate gaudebit, ut fit in Ecclesia Ruthena ". (Apud **Neale** *, *op. cit.*, Gen. Introd. I, p. 60).

[2] Cf. infra, n. 807 seq. Valde dolendum est multos episcopos orientales recenter apud protestantes liberales in Germania vel Anglia theologiæ studuisse; timendum enim ne fides in episcopalem hierarchiam paulatim evanescat, et ita via paretur invalidis ordinationibus ex defectu rectæ intentionis.

[3] Ii etiam qui episcopatum retinuerunt, successionem apostolicam interruperunt (etiam seposita quæstione de validitate ordinationum apud Anglicanos), jurisdictionem episcopalem a gubernio temporali accipiendo non a hierarchia, cui soli commissa est. Cf. Art. *Eglise*, in *D. A.*, col. 1923; **De Poulpiquet**, *L'Eglise cath.*, p. 264-269.

libet auctoritatem, eo ipso Christo aperte contradicunt; 3) insuper, etiam nulla ratione habita Ecclesiæ a Christo institutæ, si saltem in Providentiam et in assistentiam Spiritus Sancti operi Christi promissam credis, impossibile est admittere Ecclesiam per sexdecim sæcula essentialiter erravisse et homines decepisse, ut aiunt Protestantes, et nonnisi a Reformatoribus (et qualibus!) ad veritatem rediisse [1]; 4) ut jam sæculo XVII° Bossuet probavit, ecclesiæ protestantes sibi invicem contradicunt, et decursu temporum in multis doctrinam a primis reformatoribus admissam mutarunt; atqui revelatio esse non potest nisi una, semperque eadem. Attamen cum, saltem apud protestantes orthodoxos, veritates saluti necessariæ et baptisma retenta sint, qui ignorantia invincibili in his ecclesiis degunt, salvi fieri possunt [2].

A fortiori *protestantismus liberalis* et *modernismus* alieni sunt a mente et ab institutione Christi, simulque a traditione christiana; nihil aliud sunt enim nisi figmentum philosophicum, falsi nominis critica historiam evertentes. Ex erroribus autem multis, in quos inciderunt, plane constat quam necessaria sit aliqua auctoritas viva ad revelationem integre servandam. Insuper ex eorum conatibus ad aliquid christianæ religionis retinendum, merito infertur quantum homo aliqua religione indigeat, et quam potenter Christus omnium oculos, etiam incredulorum, in se convertat.

Scholion. De christianis separatis ad unitatem Ecclesiæ reducendis [3].

768. (a) Cum Christus unam tantum Ecclesiam instituerit, in eaque sola media salutis ordinaria posuerit, cuique officium incumbit reditum separatarum communionum ad Ecclesiam optandi et, in quantum potest, operandi.

Quotannis multi dissidentes individualiter ad *Matrem Ecclesiam* reducuntur. Sed optari sane potest ecclesias integras ad cathedram Petri, unitatis centrum, mox reversuras esse.

---

[1] Hoc argumentum theologi "*argumentum præscriptionis*" vocant; vide **de Poulpiquet**, *l'Eglise catholique*, ch. VI. — [2] Cf. infra n. 807 seq.

[3] Cf. **d'Herbigny**, I et II, passim; **Id.**, *L'unité dans le Christ*, in *Correspondant*, 20 fév. 1923, p. 385-407; **Batiffol**, *Le mouvement pour l'union des Eglises*, in *Documentation catholique*, 3 fév. 1923; **Quénet**, *L'Unité de l'Eglise*; cf. **Brunhes**, *Christianisme et catholicisme*, 4e partie. Multa invenies hac de re in periodicis, v. g., *Etudes*, *Revue des Jeunes*, *Echos d'Orient*, *L'Union des Eglises*, *Documentation catholique*, etc.

Etiam apud separatas communitates hoc unitatis desiderium crescit et varii conatus tentati sunt ad unitatem promovendam [1]. Sæpe Summi pontifices ad dissidentes *verbum pacis* locuti sunt; sic ultimis temporibus *Pius IX* et *Leo XIII;* sic etiam *Benedictus XV* qui specialem Congregationem et Institutum pontificium de rebus orientalibus instituit.

(b) Hæc unio, tam desiderabilis, *veram unitatem fidei requirit*, sine qua nihil esset nisi vana et instabilis coadunatio. Unitate autem fidei stabilita, nihil obest quin diversis ecclesiis diversi ritus vel diversæ observantiæ disciplinares relinquantur : quod sæpe sæpius Romani promiserunt antistites.

(c) Nemo non videt hanc unitatem maximas involvere difficultates, ex circumstantiis politicis, historicis, ethnicis, etc. Nuperrime tamen, in variis christianis communionibus, viri præclaro ingenio et concordiæ spiritu prædíti, intellexerunt mutuam cooperationem necessariam esse ad efficacius impietati et indifferentismo resistendum; conventus inter Protestantes et Orientales habiti sunt ad quærenda optima reconciliationis media. Maximi igitur interest ut exculti catholici et præsertim præsbyteri de omnibus curent quæ ad hanc quæstionem spectant, et tota anima, totisque viribus ad unitatem Christicolarum anhelent. Cum vero hoc opus essentialiter *supernaturale* sit, oportet ut cuncti ad Patrem per Jesum Christum *orent*, qui solus mentes et corda conjungere valet; ut nomen dent confraternitatibus unionem Ecclesiarum per preces promoventibus; ut adsocientur orationibus quæ in diversis locis a 18ª ad 25ªm januarii diem pro unitate fiunt [2], et ita quamprimum fiat unum ovile et unus pastor [3].

[1] Cf. e. g., *quoad orthodoxos*, **d'Herbigny**, in *Etudes*, 5 et 20 oct. 1920; **Id.**, *L'Anglicanisme et l'orthodoxie gréco-slave*, 1922; *quoad protestantes*, **Batiffol**, in *Rev. des Jeunes*, 25 mai 1920; 10 sept. 1920; **d'Alès**, *Vers l'unité*, in *Etudes*, 20 nov. 1920.

[2] Quæ preces, ab Anglicanis primum propositæ, postea a **Benedicto XV** probatæ, sic leguntur **(d'Herbigny**, II, p. 233) :

" *Ant.* Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint : ut credat mundus quia tu me misisti.

℣. Ego dico tibi quia tu es Petrus.

℟. Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.

Oremus : Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis : Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiæ tuæ, eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris. Qui vivis et regnas, Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen ".

[3] *Joan.*, X, 16.

CAPUT III.

DIVINA ECCLESIÆ CATHOLICÆ INSTITUTIO NOTIS EXTERNIS CONFIRMATUR [1].

769. Status quæstionis. Ex præcedenti capite *historice* constat solam Ecclesiam Romano-catholicam esse veram Ecclesiam a Salvatore institutam, quippe quæ sola respondeat constitutioni a Christo delineatæ. Ulterius vero inquiri potest utrum necne sint *externæ notæ* quibus in ea agnosci possit vera Christi Ecclesia.

Hæc confirmatio divinæ missionis Ecclesiæ catholicæ forsan pluribus mentibus magis obvia erit quam probatio historica, quæ longam disquisitionem supponit.

Jamvero hæc demonstratio duplici modo fieri potest [2].

(**A**) Animadvertunt theologi unumquodque ens habere qualitates essentiales quibus ab aliis secernitur et dignoscitur. Simili modo vera Ecclesia Christi refulgere debet *dotibus essentialibus*, *visibilibus*, *evidentibus*, quæ eam a falsis Ecclesiis secernant. Atqui hæ notæ sunt illæ quatuor quas assignat Symbolum *Nicæno-Constantinopolitanum* : " Credimus... *unam*, *sanctam*, *catholicam* et *apostolicam* Ecclesiam " [3]; apparent enim ex verbis Christi cum de Ecclesia sua loquitur [4], et respondent quatuor causis constitutivis uniuscujusque entis [5]. Porro Ecclesia Romano-catholica et quidem sola has notas possidet. Ergo ipsa sola est vera Ecclesia Christi [6].

Quæ methodus, quamvis in se omnino valida sit, ho-

---

[1] **De Poulpiquet**, *L'Eglise catholique*, ch. I, IV-VII; cf. **Brunhes**, *Christianisme et catholicisme*, 2e partie, ch. IV. — [2] **de Poulpiquet**, *l. c.*, p. 28-52.

[3] Aliæ notæ propositæ, facile ad has quatuor reducuntur.

[4] Cf., e. g., *Matth.*, XVI, 18-19; XXVIII, 19-20; *Joann.*, XVII, 11, 17, 19, 20, etc.

[5] Ecclesia, societas perfecta, sicut et cætera entia, quatuor causis constituitur, nempe : causa materiali (hominibus qui Christo adhæserunt, unde *unitas* et *catholicitas*), causa efficiente (conditoribus Ecclesiæ, unde *apostolicitas*), causa formali et causa finali (finem Ecclesiæ determinantibus, unde *sanctitas*). Cf. **de Poulpiquet**, *l. c.*, p. 147 seq.

[6] Cfr. **d'Herbigny**, II, p. 17-114, 201-233; **de la Brière**, in *D. A.*, Art. *Eglise*, col. 1268-1297 : hic tamen notas Ecclesiæ ut *signa ejus transcendentia* proponit : ita mediam sequitur viam inter duos modos argumentum exponendi.

die Protestantes minime convincit : nam in assignandis veræ Ecclesiæ notis, adversarii nobiscum minime consentiunt [1] : demonstratio ergo suum finem complete non attingit; insuper in demonstratione peragenda non pauca quæ antea dicta sunt de divina institutione Ecclesiæ repetenda essent.

(**B**) Ad quod vitandum, argumentum alio modo proponi valet : quemadmodum in *Tr. de Christo Legato divino* ostensum est Christum esse Messiam per signa visibilia quibus Dei digitus apparet, ita pariter inquirimus num in *Ecclesia Romano-catholica, qualiter hodie existit, sint visibilia signa divini interventus*, quæ eam ut divinam confirment. Hac methodo utemur, quam *Vaticanum* [2] his verbis proponit : " Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quæ ad evidentem fidei christianæ credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, *eximiam sanctitatem* et inexhaustam in omnibus bonis *fecunditatem*, ob *catholicam unitatem*, *invictamque stabilitatem*, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile. Quo fit ut ipsa, veluti *signum levatum in nationes*, et ad se invitet eos qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem quam profitentur ". Itaque Ecclesia ipsa præ se fert divini interventus signa : (**a**) admirabilem suam *propagationem;* (**b**) eximiam *sanctitatem* et *fecunditatem;* (**c**) *catholicam unitatem;* (**d**) *invictam stabilitatem.* Cum jam de admirabili christianismi propagatione dixerimus, n. 473 seq., de tribus aliis in duplici articulo agemus : in primo, ostendemus Ecclesiam Romano-catholicam, esse *catholicam* seu universalem, simulque perfecta *unitate* et *stabilitate* præditam; in altero, ejus *sanctitatem* et *fecunditatem* exponemus; in utroque casu *divinum interventum* haud ægre agnoscemus [3].

---

[1] Protestantes enim notas Ecclesiæ, quales a theologis catholicis exponuntur, prorsus rejiciunt, et contendunt eam esse veram Christi Ecclesiam quæ Christi doctrinam integram servavit et sacramenta ab eo instituta retinet. Ut recte animadvertit **P. de la Brière** (l. c., col. 1269-1277), hæc duo non possunt esse Ecclesiæ notæ distinctivæ, cum nonnisi post longa studia integritas doctrinæ et sacramentorum determinari valeat. — [2] Sess. III, cap. 3, **D. B.**, 1794.

[3] Hujus methodi utilitatem exponit **H. Ligeard,** *Le fait catholique*, in

770. Hæc argumentatio a *Cardinali Dechamps* multoties exposita est, eoque suggerente a concilio Vaticano proposita fuit [1]. Sed apud multos Patres jam invenitur, præcipue apud *S. Augustinum* [2].

Argumentum ex Ecclesia ipsa sumptum non solum per se valet, sed etiam argumentum complet ex prophetiis sive Prophetarum sive Christi depromptum : ostendit enim diffusionem monotheismi qualiter a Prophetis prædicta fuit, et Evangelii in universum mundum qualis a Christo annuntiata est [3], vere peractam esse et hodie subsistere. Nemo est qui non videat hoc argumento manifestari Ecclesiæ præclaras dotes et coætaneis maximam utilitatem præbere.

Art. I. De catholica unitate et invicta stabilitate Ecclesiæ catholicæ.

771. *Thesis :* **Ecclesia Romano-catholica, ob suam catholicam unitatem invictamque stabilitatem, divinæ suæ legationis præbet testimonium irrefragabile** [4].

Hæc tria simul jungimus, nempe catholicitatem, unitatem et stabilitatem, quia ex his tribus *simul consideratis* luculentius apparet Dei interventus.

R. P. A., t. I, 1906, p. 557-567. Cf. **Card. Dechamps** : " Quiconque cherche sincèrement Dieu le reconnaîtra à son grand signe pour toutes les intelligences, l'unité, et à son grand signe pour tous les cœurs, la sainteté ; et Dieu, par sa grâce, dirige toujours notre esprit vers l'une, incline toujours notre cœur vers l'autre." (*Entretiens sur la démonstration cath. de la vérité chrétienne.* Ed. Vivès, 1857, p. 462). — [1] Cf. **F. Mourret**, *Le concile du Vatican*, Paris, 1919, ch. VIII, La constitution *Dei Filius*.

[2] *Serm.* 116, 6, 6 ; 256, 9, 3. *Migne*, XXXVIII, col. 659-660, 1126. Ostendit Augustinus hanc demonstrationem etiam ad Christum sese referre. " Prædicat ergo Christus Christum, prædicat corpus caput suum et tuetur caput corpus suum. " (Serm. 351, 1).

[3] Cf. n. 326, etc. *Joan.*, XII, 23-24 ; XIV, 12-14 etc.

[4] Præter theologos, qui de notis Ecclesiæ disserunt, cfr. **Moehler**, *L'unité dans l'Eglise*, ap. **G. Goyau**, *Moehler*, p. 53-134 ; **Balmès**, *Le Protestantisme comparé au Catholicisme*, ch. 3-4 ; **Card. Dechamps**, *Entretiens sur la démonstration catholique*, 3e et 4e Ent. ; *La Question religieuse résolue par les faits ;* **H. Perreyve**, *Entretiens sur l'Eglise catholique*, Paris, 1865, t. I, ch. 3-5, t. II, ch. 8 ; **M. J. Spalding**, *Lectures on the Evidences of Catholicity*, Louisville, 1857, let. VI sq. ; **Newman**, *Difficulties of Anglicans*, lect. X-XII ; **G. Goyau**, *Le Vatican, — Vue générale de l'Histoire de la Papauté*, Paris, Didot, 1895 ; **A. D. Sertillanges**, *L'Eglise*. I, l. II, ch. I et III ; **de Poulpiquet**, *La notion de catholicité* (*Sc. et Rel.*, n° 560) ; **Id.**, *Le dogme, source d'unité et de sainteté dans l'Eglise* (*Sc. et Rel.*, n° 639-640) ; **P. Buysse**, *L'invincible stabilité de l'Eglise* (*Etudes religieuses*, n° 42) ; **G. Kurth**, *L'Eglise aux tournants de l'histoire.*

772. I. Facta exponuntur. 1° *Ecclesia Romano-catholica non est individualis aut nationalis, sed est vere internationalis seu universalis.*

Duo enim sunt quæ catholicitati obstant : *individualismus*, quo quisque suam religionem sibi fingit, et *nationalismus*, quo religio ita alicui nationi aut regimini conjungitur ut vix extra hujus nationis limites subsistere valeat, Ecclesia autem Romana sedulo *individualismum* et *nationalismum* devitans, est vere *catholica*, et quidem sive *jure*, sive *facto*[1].

773. (**A**) *Jure universalis* est, seu *aptitudine* gaudet ad universalem inter omnes gentes extensionem; nam, sua *doctrina* et *constitutione* omnem *individualismum* et *nationalismum* excludit.

(**a**) *Sua doctrina.* In Ecclesia Romana nulla est distinctio Judæi et Gentilis, Græcorum aut Barbarorum, principum ac subditorum, ingenuorum ac servorum, dominorum et opificum, divitum aut pauperum : omnes et singuli æque evangelizantur[2]. Nec cuique licet suam conficere religionem : omnes idem symbolum profitentur, iisdem sacramentis sanctificantur, iisdem legibus subduntur. Ceteroquin fides quam Ecclesia prædicat, sacramenta quæ ministrat, omnibus hominibus cujusvis status et conditionis optime aptantur, quippe quæ altissimis humanæ naturæ aspirationibus respondeant. Ejus præcepta pariter regulam agendi tutam et completam, necnon stimulos efficaces omnibus præbent (n. 352 et seq.) Si nova oriuntur problemata ex mutatis rerum conditionibus, sapienter solvuntur æterna justitiæ et caritatis principia his novis conditionibus applicando[3].

(**b**) *Sua constitutione.* Romana siquidem Ecclesia non nationalis, sed vere *internationalis* est; nulli Regi aut Cæ-

---

[1] Quod eximie declarat **A. de Poulpiquet**, *l. c.* vel in *Rev. des Sc. Philos. et Théol.*, t. III, 1909, p. 17-36.

[2] Ita adimplentur quæ Paulus dixerat (*Gal.*, III, 28); "Non est Judæus, neque Græcus; non est servus neque liber; non est masculus neque femina : omnes enim vos unum estis in Christo Jesu".

[3] Cujus rei exemplum habes in Encycl. Leonis XIII *Rerum novarum* de mutuis juribus et officiis dominorum et opificum, quam exponimus in *Tr. de Justitia.*

sari subditur, nulli nationi exclusive aggregatur; sed verba Christi exsequens : " Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo ", a quolibet Statu libera manet [1], immo cuilibet civilis regiminis formæ se accommodat, ideoque omnibus civibus cujuslibet regionis portas suas latissime aperit. Summus Pontifex non a Cæsare designatur, sed a Cardinalibus inter omnes nationes selectis eligitur; Episcopi pariter, a quocumque seligantur, suam jurisdictionem non a sæcularibus principibus, sed ab Ecclesiæ Capite recipiunt. Nihil igitur exclusive nationale in hujusmodi constitutione, nil quod Ecclesiam prohibeat quominus ad omnes gentes sese extendat.

774. (**B**) Ad *factum* quod spectat, Ecclesia Romana vere catholica est, ut constat ex ejus extensione *geographica* et *sociali*.

(**a**) *Extensio geographica.* Non enim, ut in politicis societatibus aut Protestantium Græcorumve ecclesiis, unius tantum regni terminis aut uno hominum genere continetur, sed *in omnibus regionibus late diffunditur*.

Protestantismus in Anglia et septentrionali Europa, necnon in *Anglicis coloniis* viget; sed, extra has regiones, paucos tantum recenset asseclas. Græcæ aut Orientales ecclesiæ in Asia Minori, Ægypto et Abyssinia, necnon in Russico Imperio diffunduntur, sed alibi vix pauca numerant membra. — Acatholicæ igitur societates, inter se divisæ, *nationalem* characterem præ se ferunt, nec plerumque missionarios mittunt ad prædicandum Evangelium nisi in eas regiones quæ suo nationali vexillo proteguntur.

Romano-catholica autem Ecclesia *per omnes et singulas regiones* divulgata est. Complectitur hodie circiter 270-300 milliones hominum [2].

In *Europa* omnino prævalet, necnon in *America meridionali* et centrali; in *America septentrionali*, ubi ceteroquin dominatur stirps

[1] Quod non potuit non mirari **A. Harnack***, *Essence du Christianisme*, 1902, p. 279, ubi ait : " Par la situation indépendante de cette Eglise, la religion de l'Occident n'est point devenue captive de l'Etat, de la police et des nations. Elle a, dit-on, conservé la grande pensée de l'indépendance absolue de la religion, qui ne doit pas avoir de contact avec l'Etat. On peut le reconnaître "... Cf. *Ed.* 1907, p. 314.

[2] Juxta **d'Herbigny**, II, p. 13, dantur 300 milliones; **Batiffol**, in *Rev. des Jeunes*, 25 mai 1920, proponit 270 milliones. Alios numeros vide infra.

anglica, late sparsa est, et circa 25.000.000 fidelium computat; per plura Asiæ regna, non solum in catholicis coloniis, sed inter paganas gentes, ut in India, Sina et Japonia propagata est, ibique plures milliones recenset fidelium [1]; in variis Africæ et Oceaniæ plagis et insulis non paucos sectatores habet [2], et quotidie novos ad se trahit, opitulante ferventi zelo missionariorum quos ubique mittit. Immo, in ipsis regionibus Protestantium et Græcorum, ubicumque saltem floret libertas catholicam fidem prædicandi, v. g., in Anglia et America, in Germania, Hollandia et Helvetia [3], Romana Ecclesia paulatim ad se trahit et in sinum suum recipit non paucos ex eis qui hæresi aut schismati addicti erant.

Missionarii multi quotidie laborant in prædicando evangelio : 6000 circiter sacerdotes, 3800 fratres, 13.500 moniales; quibus addi debent catechistæ indigenæ circiter 17.000. Quorum zelo et industria in dies extenditur regnum Dei [4].

775. (**b**) *Extensio socialis.* Romana Ecclesia hodie, sicut primis sæculis (supra, n. 479), omnes societatis ordines pervadit.

1) *Pauperes* et *proletarii* evangelizantur, servi liberantur; nigritæ, immo et leprosi suos missionarios habent. 2) Nec tamen *divites* prætermittuntur : multi, hortante Ecclesia, fidem catholicam operibus manifestant : suis opibus catholica collegia, universitates,

---

[1] In Sina numerantur plusquam 2.000.000 catholicorum (cf. *Etudes*, Bulletin des missions, 20 avril 1921) et in India fere 3.500.000 (*Nouvelles religieuses*, 1920, p. 172, 364, 460).

[2] In *Africa* computantur circiter 3.000.000; in *Oceania*, 2.000.000; in *Philippinis* insulis, 6.000.000. Certe hodie hi numeri veritati inferiores sunt.

[3] In *Majori Britannia* inveniuntur 5.200.000 catholici; in *Germania*, 20.321.000; in *Hollandia*, 1.790.000; in *Helvetia*, 1.380.000.

[4] Si *numerica* comparatio instituitur, catholici multo superant Græcos et Protestantes. Juxta **O. Werner**, *Orbis terrarum Catholicus*, p. 4, ed. 1890, computabantur Catholici 230.000.000, Acatholici autem (Protestantes et Schismatici) 215.000.000. — Secundum **P. Krose**, *Stimmen aus Maria Laach*, jul. et aug. 1903, recensebantur Catholici 264.000.000, Protestantes 166.000.000, Græci schismatici 109.000.000.

Protestantes ipsi agnoscunt Catholicos numero excedere ceteras sectas; ita, juxta **Behm et Wagner**, 1880 (apud *Schaff-Herzog*, *Encyclop.*, p. 2058, not. 2), aderant Romani Catholici 215.938.500; Protestantes 130.329.000, Græci 84.007.000; ita ut, juxta eos, Catholici exæquent omnes Protestantium Græcorumque sectas simul sumptas. Non est mirum igitur Ecclesiam Romanam, ubique, etiam apud Protestantes, nomine *Catholicæ Ecclesiæ* decorari.

De catholicis missionibus vide **Marshall**, *Christian Missions, their agents and results*, London, 1863; **L. Louvet**, *Les missions catholiques au XIX^e s.*, Lyon, 1895; **Piolet**, *Les missions catholiques françaises au XIX^e s.*, Paris, 1901, 1903; *Nos missions et nos missionnaires*, 1904; in *Etudes* lege articulos : *Bulletins des Missions*.

ephemerides, orphanorum asyla, hospitalia aliaque caritatis opera promovent.

3) Inter sapientes qui scientia, et eruditione floruerunt, multi computantur catholici, inter quos :

Cauchy, *C. Hermite*, *C. Weierstrass*, *Binet*, *Buoncompagni*, *Ludovisi*, *C. Dupin*, aliique in rebus *mathematicis* versatissimi ; *P. Piazzi*, *P. Denza*, *A. Secchi*, *J. J. Le Verrier*, *H. Faye*, *J. Plateau*, *G. Santini*, *C. Kreil*, *E. Heis*, *J. de Lamont*, in re *astronomica* acutissimi ; *A. Volta*, *A. Ampère*, *L. Palmieri*, *J.-B. Dumas*, *M. E. Chevreul*, *H. Sainte-Claire Deville*, etc. in rebus chimicis peritissimi ; *L. Elie de Beaumont*, *Ch. Sainte-Claire Deville*, *A. de Lapparent*, *J. d'Omalius d'Halloy*, *Lossen*, *Waagen*, etc. in geologia magistri ; *J. Müller*, *Cl. Bernard*, *Pasteur*, *Carnoy*, *Laënnec*, *Schwann* de physiologia bene meriti ; *Van Beneden*, *vicomte du Bus*, *Bernard Altum*, *Armand David*, *P. Heude*, *A. Latreille*, *Förster*, *Von Schrank*, *etc.*, in botanica versatissimi [1].

Itaque Ecclesia Romana non intra limites unius gentis, neque intra unum civium ordinem circumscribitur, sed omnium gentium et cujusvis conditionis homines complectitur : merito igitur *catholica* dicitur.

776. 2° *Ecclesia Romana, et quidem sola, perfecta gaudet unitate fidei, regiminis et cultus.*

Quo universalior est aliqua societas, eo difficilius servatur unitas, cum homines naturaliter suis privatis opinionibus pertinaciter adhærere soleant.

(**A**) Quæ quidem unitas apud *Protestantes* omnino deficit. Hi enim principium unitatis a Christo institutum, nempe magisterium supremum vivum et infallibile, non retinuerunt, ideoque *formali unitate* carent. Neque apud eos existit *materialis unitas*. Inter se enim differunt *doctrina*, *regimine* et *cultu* [2] : *doctrina*, non solum in accidentalibus, sed etiam in *essentialibus*, v. g., quoad trinitatem personarum in Deo,

[1] Cfr. **K. A. Kneller**, *Das Christentum und die Vertreter der neueren Naturwissenschaft*, Freiburg Br., 1903 ; cujus operis synopsim invenies in *Ami du Clergé*, t. XXXI, 1909, pp. 209, 305, 421, 517 ; **Antonin Eymieu**, *La part des croyants dans les progrès de la Science*, 4e Ed., Paris, 2 vol., 1920.

[2] Quod ingenue fatentur non pauci Protestantes, inter quos : **E. Morris***, *Ecclesiology*, New-York, 1885, p. 153-154 ; **P. Schaff***, *The reunion of Christendom*, in opere *The World's Parliament of religions*, Chicago, 1893, t. II, p. 1192 ; **Latané***, *Christian unity and the Chicago-Lambeth articles*, Baltimore, 1895, p. 6 sq.

divinitatem Christi, ejusque satisfactionem pro peccatis nostris; *regimine*, cum episcopaliani putent auctoritatem in *episcopis* rite consecratis residere, alii autem in *presbyteris* aut *ministris ab ipso populo electis; cultu*, cum alii liturgicis quibusdam formulis adhæreant, alii vero omnes hujusmodi formulas respuant.

Nec ipsa *spiritualis unitas per caritatem*, de qua tam frequenter loquuntur, apud eos servatur : non enim tantum inter se differunt, sed etiam digladiantur[1]. Non solum nulla est unitas, sed nec ulla unquam esse potest. Omnes eorum conatus fore vanos jam XVII° sæculo prænuntiabat *Bossuet*, et eventus dictum confirmavit. Novæ efformantur associationes, v. g., *Evangelicum Fœdus*, *Reformatarum ecclesiarum Fœdus*, novæ proponuntur viæ ad unionem tam desideratam; et hæc sine felici exitu[2], immo, juxta quosdam Protestantes, sine ulla spe optatum finem unquam attingendi. Divisiones non minuuntur, sed e contra quotidie augentur, et si quæ efformatur unio, hæc est sæpius ad impugnandam Romanam Ecclesiam[3].

---

[1] **Morris***, p. 159; **E. Naville***, *L'Unité du monde chrétien*, p. 406. Dissidia inter Galliæ Reformatos jam ante separationem a Statu vigentia, multo acerbiora facta sunt postea; de quo vide **J. Bricout,** *Religions et Eglises*, in *Rev. cl. fr.*, t. XLIII, 1905, p. 115 sq.; *Les Eglises réformées de France*, scissions récentes, ibid., t, LIII, 1908, pp. 156, 286 sq.; **A. Dossat,** *La crise doctrinale du Protest. français*, in *Rev. augustinienne*, 15 déc. 1908, et *Quest. Actuelles*, 19 déc. 1908. — Hinc populus, his contradictionibus merito pertæsus, nec intelligere valens cur tot sint diversa Evangelia, omnem religionem gradatim relinquit, ut animadvertit protestans *de Wette*, apud **Treacy,** *Tributes of Protestant Writers...* New-York, 1885, p. 227.

[2] Cf. Many voices concerning Dr Shields' Book apud *Christian Litterature*, March 1894; **Th. H. Weil***, *The comprehensive Church*, New-York, 1879, Preface; *Independent*, March 1, 8, 15, April 12, 19, 26, 1894; **J. Field Spalding,** *The World's Unrest*, New-York, 1898, p. 3-7, 45-47. — Vide etiam quæ scripsimus ap. **Vacant,** *Dict. de Théologie*, vocabulis *Alliance Evangélique*, *Alliance presbytérienne*.

[3] Cf. **E. Naville***, *op. cit.*, p. 102; *Evangelical Alliance*, 1873, p. 427. — Sectæ quædam evangelicales in Anglia, videlicet Baptistæ, Congregationalistæ, Methodistæ, Presbyteriani et Biblici Christiani *(Bible Christians)* communem acceperunt catechismum, Londini mense januarii 1899 editum, in quo 52 responsa invenire licet quæ summam continent eorum quæ communiter ab his sectis creduntur ut, sepositis variis quibus dividuntur differentiis, commune symbolum habeant. Optimum sane consilium, sed post paucos menses jam a multis derelictum! Si enim periodicis credamus, quæ de hoc catechismo judicium tulerunt, etiam multi ex iis qui Evangelicales se dicunt, hanc fidei summam rejiciunt, alii quidem ut nimis completam et explicitam, alii vero ut nimis

777. Neque apud *Græcos* invenitur *organica unitas*. Quamvis enim consentiant circa præcipuas veritates revelatas, deest semper *unio formalis* cum Supremo Pastore, super quem, tanquam fundamentum, ædificata est Ecclesia, ut esset centrum et principium unitatis. Hinc inter ipsos adsunt patriarchatus ab invicem sejuncti[1] (supra, n. 554 seq.); in ipsa ecclesia Russica, plurimæ sunt sectæ, multis membris constantes (circiter 20.000.000) quæ ab auctoritate ecclesiastica secesserunt; quæ quidem schismata a Revolutione adhuc aggravata sunt[2]. Deest igitur *regiminis* unitas.

778. (**B**) *Ecclesia vero Romana perfecta unitate gaudet*, quippe quæ principium auctoritatis agnoscat, et supremæ auctoritati a Christi constitutæ, nempe Romano Pontifici, in rebus fidei et morum prompte obediat. In ea proinde habetur unitas *fidei*, *regiminis* et *cultus*.

(**a**) *Una est fides.* Omnes namque fideles credunt, saltem implicite, omnes veritates revelatas, quales traduntur ab eis quibus dictum est : " Docete omnes gentes, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis "; *eadem fidei symbola* accipiunt *eodem modo interpretata.* Quoad alia, quæ nunquam ut dogmata definita sunt, diversitas est inter Catholicos, sed diversitas omnino licita, immo necessaria, attenta humana natura[3]. Christus enim nos omnes credere vult ea quæ docet auctoritas quam ipse constituit, sed circa alia nos liberos omnino relinquit. — Non possunt

---

brevem ac vagam. Nec mirum : hoc enim nihil aliud est nisi logicum privati judicii exercitium. — Notandum tamen est, specialiter in Anglia et præsertim a fine belli 1914-1918, sinceros conatus factos esse ut aliqua unitas inter Ecclesias imperii britannici oriretur. Hæc autem unitas difficile obtinebitur et servabitur, quamdiu diversitas doctrinæ et regiminis durabit. Cf. **Batiffol**, in *Rev. des Jeunes*, 25 mai 1920; **d'Alès**, *Vers l'unité*, in *Etudes*, 20 nov. 1920. Cf. n. 768.

[1] Cfr. **P. Cyrille Charon**, *Le quinzième centenaire de S. Jean Chrysostome*, Rome, 1909, p. 197-205; **Sésostris Sidarouss**, *Des Patriarcats*, Paris, 1907; auctores supra allegati, n. 555.

[2] **Tondini**, op. cit., c. 2-3, p. 116 sq.; **E. Tavernier**, *L'Eglise russe et le Raskol*, in *Rev. cathol. des Eglises*, t. I, 1904, p. 1-14; **J. Wilbois**, *L'Avenir de l'Eglise russe*, Paris, Bloud, 1907, p. 231-275; **d'Herbigny**, *La tyrannie soviétique*, Paris, 1923.

[3] Quod egregie declarat **J. H. Newman**, (*Difficulties of Anglicans*, vol. I, lect. X, p. 261 sq.), ubi animadvertit controversias inter varias theologorum ac Religiosorum scholas, signum esse vitalis illius principii quod totam pervadit Ecclesiam; controversiæ enim hujusmodi unitatem fidei non disrumpunt, sed dogmatum meliorem intelligentiam præbent. Integrum legas locum, et exinde intelligas quomodo confutari possint difficultates recenter a **J. Martineau** * propositæ in opere *The seat of Authority in Religion*, Book II, c. I, p. 132 sq.

ergo objici *controversiæ* inter theologos diversosque religiosos ordines existentes; non sunt enim circa dogmata quæ *Apostoli* "docent nos servare"; nec *dissensiones* in rebus dubiis inter varia membra : istæ enim, si contrariæ sunt spiritui caritatis, essentialem fidei unitatem non destruunt; sed ostendunt tantum perfectos non esse homines eo ipso quod intra veram ecclesiam sint : quod omnes concedunt.

(b) Habetur etiam *unitas regiminis;* nam fideles Episcopis, Episcopi autem Romano Pontifici subjiciuntur; omnes iisdem generalibus legibus obediunt, et, si lites oriuntur, adsunt tribunalia ab omnibus agnita, quibus componi valeant : et sic pulcherrimus servatur ordo.

(c) Regnat *unitas cultus :* septem ab omnibus admittuntur sacramenta, nec plura nec pauciora, et, *receptione eorumdem sacramentorum*, Catholici per orbem dispersi tanquam perpetuo vinculo uniuntur. — Eodem pariter *sacrificio* Deum colunt, et, licet diversi ritus admittantur, eadem est victima Deo oblata, eadem incruento modo immolatur, eosdemque effectus in fideles producit.

Nec tamen illa unitas omnem destruit libertatem : nam Ecclesia Romana, ut sapiens mater, in omnibus quæ ab ipso Christo determinata non sunt, variis temporibus variisque Gentibus sese libenter accommodat, ut libertas sine licentia, et unitas sine tyrannide præservetur : quod Protestantes nonnulli candide agnoscunt atque mirantur [1].

779. 3° *Sola Ecclesia Romana, inter omnes rerum vicissitudines, invicta gaudet stabilitate.*

(A) Omnia humana instituta caduca esse lugenda constat experientia. Religiones, sicut imperia, sua fata habent, et,

[1] Ita, inter alios, **L. W. Bacon***, qui in periodico *Christian Literat.*, Octob. 1895, p. 303, episcopis protestantibus tanquam exemplum imitandum proponit rationem agendi Ecclesiæ catholicæ, quæ ubique variis populorum aspirationibus se accommodat, in iis omnibus quæ ad veritates fidei non spectant. "C'est bien la même foi que partagent les esprits à tendance mystique ou scientifique, conservatrice ou progressiste ou les représentants des écoles théologiques. C'est la même hiérarchie que reconnaissent les conservateurs et les progressistes; celle-ci n'a qu'à édicter une mesure qui oblige à une soumission pleine et entière, les adversaires de la veille se retrouveront unis dans l'obéissance. — Le culte catholique peut être interprété ou pratiqué de différentes façons, mais les exagérations auxquelles il donne parfois lieu soit par excès, soit par défaut, n'en altèrent pas les traits essentiels. Enfin, personne ne s'avisera de contester le titre de catholique à tous ceux qui pratiquent, ou ont pratiqué, avec des méthodes si évidemment variées et pourtant d'un particularisme si accusé, la piété ordinaire et extraordinaire". **De Poulpiquet,** *L'Eglise cath.*, p. 292.

postquam per sæcula floruerunt, paulatim senescunt et labuntur : ita Mahumetismus, ita Arianismus et variæ orientales sectæ. Protestantismus ipse non subsistit tanquam societas, sed quotidie in novas sectas discerpitur, et in vagum deismum paulatim prolabitur a mente Christi omnino alienum [1]. Græcæ ecclesiæ subsistunt quidem, sed, ut jam notavimus, tanquam dispersa membra, non tanquam corpus organicum, tanquam frigida et non plena vita prædita [2].

780. (B) Ecclesia vero Romana, non obstantibus externis persecutionibus quas diu passa est et hodie etiam patitur, essentialiter eadem manet, nec ulla præbet indicia futuræ dissolutionis.

Jam supra ostendimus, n. 474 seq., quomodo, per tria priora sæcula, non obstantibus sævis persecutionibus quas subiit, per totum orbem terrarum celerrime propagata fuerit. Nec minus mirabilis est ejus *conservatio* et *progressus* sequentibus sæculis.

(a) Quando *Barbari* Romanum imperium invaserunt, episcopi catholici, duce Romano Pontifice, eos ad Christianismum et humaniorem agendi modum converterunt, sic de humanitate non minus quam de religione optime merentes, ut ipsi adversarii confitentur [3]. Augustinus, Anglo-Saxonum apostolus, a S. Pontifice Gregorio Magno mittitur; in Germania, Christianismus propagatur præcipue a Bonifacio quem Gregorius II dirigit et adjuvat. Idem dici posset de præcipuis ac fere de omnibus religionis christianæ prædicatoribus qui tunc temporis barbaros evangelizaverunt, ut videre est apud historiæ ecclesiasticæ scriptores [4].

(b) *Versus sæculum nonum*, Photius notabilem numerum Christianorum a Romana Ecclesia abducit, sed dum Græca confessio

---

[1] De quo lege J. **Bricout**, *Sont-ils encore chrétiens?* in *Rev. du Cl. français*, t. LIX, 1909, p. 5-35, ubi ostenditur Protestantes liberales, quorum numerus quotidie crescit, non solum divinitatem, sed etiam magisterium Christi rejecisse, ideoque christianos non posse legitime vocari.

[2] "Toutes ces Eglises séparées du Saint-Siège, au commencement du XII[e] siècle, peuvent être comparées à des cadavres gelés dont le froid a conservé les formes". **De Maistre**, *Du Pape*, l. IV, ch. II. Item scribit **de Poulpiquet**, *l. c.*, p. 303 : "Ces Eglises, confondant l'immutabilité avec l'immobilité, ont brusquement arrêté l'évolution doctrinale au septième concile. Or, il est clair que, depuis cette époque reculée, une foule de questions dogmatiques, cultuelles, disciplinaires, se sont posées devant la conscience chrétienne, questions auxquelles la règle de foi orthodoxe ne peut apporter aucune solution".

[3] Cf. **Guizot***, *Histoire de la civilisation en Europe*, Paris, 1872 (opus anglice redditum : History of civilization, N.-York, 1892), leç. II-III.

[4] **F. Mourret**, *L'Eglise et le Monde Barbare*, p. 129-282.

socors permanet ac nullum fere zelum ostendit ad convertendos paganos, Ecclesia Romana nihil de vigore ac fecunditate sua amittens, vulnus sanat et amissa cito reparat. Tunc enim Evangelium annuntiatur populis septentrionalis Europæ, in Scandinavia, Bulgaria, Moravia, Bohemia et Hungaria, etc.; tunc etiam duo fratres Cyrillus et Methodius Russiæ gentes veræ Ecclesiæ convertunt; adeo ut dici possit numerum catholico-Romanorum nunquam minutum fuisse, nisi forsan ad breve tempus, sed potius, non obstante schismate, semper crevisse.

(c) *Tempore Reformationis*, finem Romanæ Ecclesiæ proximum esse homines credere potuissent, tanta fuit prima rebellionis diffusio apud populos et præsertim apud principes! Sed exinde clarius apparuit Romanam Ecclesiam æternitatis habere promissiones. Primo enim ardoris impetu collapso, Reformatores ad paucas provincias reducuntur, ac, dum in internis dissidiis omnem activitatem suam consumunt, Romana Ecclesia nova fecunditatis suæ signa exhibet. Ramus a trunco excisus arescit, nec quidquam producit: truncus autem, licet paucis ramis orbatus, denuo virescit, immo novos ramos et vegetiores profert.

Tunc novæ terræ civilitati aperiuntur : missionarii autem catholici magnos ubique navigatores comitantur, ut barbaras gentes edoceant [1]. Sæculo XV labente, Vasco da Gama nova via *Indiam* et orientales insulas petierat, et cum illo erant Franciscani Crucem Christi ibidem plantaturi. Postea, ipso tempore quo in Europa maxime fervebat ardor rebellionis, Franciscus Xaverius in India et Japonia millia hominum ad fidem Romanam adducebat, quorum numerus ab ejus successoribus etiam auctus est. Si ad *Occidentem* spectamus, Americam simul attingunt exploratores et sacerdotes catholici, et sane unum erat ex primariis Columbi propositis fidem barbaris populis deferre. Ita etiam Mexicanam regionem Franciscani ingrediuntur, ubi, juxta Torribio, unum ex missionariis, 29.000.000 hominum intra 20 annos a paganismo ad Christianismum conversi sunt [2]. Mox tota America, sive septentrionalis, sive meridionalis, a missionariis, quos Romanus Episcopus ipse mittebat, evangelium accepit [3], quin Protestantes hac de re vix aliquid tentassent. Sic quod amissum erat per Angliæ et Germaniæ defectionem, novæ acquisitiones compensaverunt [4].

Nec fuit ille zelus mere transitorius : sæculis XVII et XVIII, idem opus Ecclesia Romana prosecuta est; sæculo XIX, novus

[1] Cf. **Alzog**, vol. III, §349; **Fisher**, Period VIII, ch. XI; **Wiseman**; **Spalding**, l. c.

[2] **Prescott***, *Conquest of Mexico*, vol. III, p. 267.

[3] **T. O'Gorman**, *Roman Catholics*, in *Amer. Church' History*, B. I.

[4] Quod fatetur **Macaulay***, *Essays*, *Von Ranke*, l. cit.

vigor addi visus est, ut patebit, si considerantur labores apostolorum, qui in omnes mundi accessibilis partes mittuntur, et perpenduntur innumeræ conversiones ab ipsis effectæ, apud diversissimas gentes, non obstantibus omnis generis difficultatibus.

781. (d) Nostris etiam diebus non desunt acatholicorum impugnationes. In *Italia*, Romanus Pontifex a dominio civili, quod per decem sæcula detinuerat, injuste spoliatus est, Regulares et Moniales a conventibus expulsi sunt, bonisque suis orbati. In *Germania* per aliquod tempus catholici injuste oppressi sunt, nec jura sua vindicare potuerunt nisi strenue viribus unitis potestati civili resistendo. In *Gallia*, non solum Regulares et Moniales, sed Episcopi et Parochi, immo et juniores clerici injuste a monasteriis, collegiis aut ædibus suis ejecti, bonisque omnibus spoliati, vix *habentes alimenta et quibus tegantur*, invicte persecutionem passi sunt propter justitiam, et *cultuales consociationes* rejecerunt, ne videlicet a centro unitatis divellerentur. — Præter istas persecutiones temporales, aliæ sunt magis improbæ : sub ementito prætextu *neutralitatis*, indifferentismus religiosus et aliquando agnosticismus junioribus in scholis traditur; in ephemeridibus quotidianis religio deridetur; honores et munera iis qui catholicam impugnant religionem plerumque conceduntur, dum fideles qui aperte et publice fidem profitentur haud raro suis muneribus orbantur. — Secretæ societates efformantur, quarum primarius finis est catholicam Ecclesiam per fas et nefas evertere. — Nec desunt catholici, qui sub specie fidem efficacius propugnandi, novos errores diffundunt.

Et nihilominus *invicta stat Ecclesia.* 1) Externas oppugnationes patienter, sed strenue superat. Regulares, ab una regione ejecti, in aliam transeunt ubi veram fidem prædicant; episcopi et sacerdotes, paupertatem et opprobria patienter tolerantes, eo magis strenue laborant et veritatem magis aperte annuntiant quo sævior est legalis persecutio. — Dum acatholici philosophi rationalismum, positivismum et atheismum ubique spargunt, doctissimi catholici non solum istos errores confutant, sed ex scientiis physicis et naturalibus nova trahunt argumenta ad propugnandas veritates fundamentales quibus tota religio innititur, nempe

Dei existentiam, animæ humanæ spiritualitatem et immortalitatem. Dum liberales critici omne supernaturale expellere nituntur, catholici scriptores ostendunt non pauca facta historice explicari non posse sine divino interventu. Injustis adversariorum detractionibus respondet Ecclesia ingenue suam doctrinam exponendo. — Contra societates secretas instituuntur virorum et adolescentium sodalitates, quæ non occulte, sed palam profitentur et propugnant catholicam fidem. — Uno verbo, undique impugnata et lacessita, Ecclesia, humanis auxiliis destituta, sed spem novam in Deum concipiens, totis viribus cœptum opus prosequitur et auget.

2) Nec minus invicte resistit impugnationibus quæ *intus* oriuntur. Recenter quidam catholici, *Modernistæ* dicti, in scientiis philosophicis et criticis eruditi, sub prætextu doctrinas fidei hodiernis mentibus accommodandi, easque efficacius contra adversarios propugnandi, *Liberalium* theorias sensim et sine sensu in ipsam Ecclesiam insinuare nitebantur. Quorum fallacias nonnulli, etiam inter sacerdotes, incaute amplexi fuerant. Quapropter S. Sedes primum Modernistarum duces paterne monuit, posteaque eosdem pertinaces publice damnavit in Encycl. *Pascendi*, 8 sept. 1907. Mox de Modernismo actum est, et Ecclesia suam doctrinam integram retinuit.

782. II. **Ex factis superius expositis legitime infertur Deum Ecclesiæ Romanæ specialiter assistere**[1]. Probatur.

1° **Ex ipsa indole harum notarum.** (**A**) *Ex Ecclesiæ Romanæ catholicitate.* (**a**) *Catholicitas*, utpote individualismo et nationalismo opposita, tanquam aliquid *transcendens* haberi debet. In *sola* enim *Ecclesia Romana* invenitur. *Judæorum* multitudo suam religionem ut nationalem habebant, et nonnisi ægre ferebant vaticinia Prophetarum qui, divino lumine illustrati, ejus extensionem ad omnes Gentes annuntiabant; *Protestantes* sectæ pleræque in Germania, Anglia, Scandinavia, a Statu dependent ideoque nationales sunt; idem dic de Ecclesiis græcis quæ in qualibet regione plus minusve potestati civili subduntur. Nonne igitur spiritus catholicus qui Romanam Ecclesiam pervadit Deo ipsi

[1] **Abbé de Broglie**, *Problèmes et conclusions*, ch. X.

tribuendus est, qui est omnium Pater et vult omnes salvos fieri?

(b) Idem divinus interventus apparet in *modo mirabili* quo Romana Ecclesia in omnes gentes diffunditur. Media enim adhibita *ex se* non sufficiunt ad hanc diffusionem explicandam. Catholici missionarii certe minoribus opibus fruuntur quam protestantes, et minus efficaciter a Guberniis civilibus proteguntur [1]; attamen multo plures paganos ad veram fidem convertunt, et multo perfectiorem morum immutationem obtinent, ut fatentur ipsi adversarii [2]. Hodie, sicut et primis Ecclesiæ sæculis, pagani convertuntur mediis omnino supernaturalibus, nempe *prædicatorum abnegatione*, *miraculis* et *martyrio*. 1) Virtutes quas catholici missionarii colunt, eorum zelus, abnegatio, paupertas mirationem excitant etiam acatholicorum [3]. 2) *Miracula* non pauca ab eis, aut eorum intercessione patrata sunt, ut videre est in vita S. Francisci Xaverii aliorumque sanctorum. 3) Multi sive missionarii sive fideles pro fide sævissima tormenta et mortem ipsam invicta fortitudine subierunt, et vix ulla est regio quæ ad christianismum conversa fuerit quin prius martyrum sanguine fecundata fuerit [4].

783. Fatemur equidem Protestantes, qui per tria sæcula nihil fere peregerant ad prædicandum Evangelium inter paganos, recenter multos missionarios misisse præsertim in regiones ubi Britannicum agnoscitur imperium; immo et seminaria instituisse ubi adolescentes ad hoc opus promovendum præparantur; ideoque hodie non paucos esse inter eos qui zelum catholicorum imitantur [5].

---

[1] Quotannis Protestantes missionarii circiter 200.000.000 fr. accipiunt, catholici autem vix 20.000.000.

[2] Cfr. **Canon Taylor*** in *Fortnigtly Review*, oct. 1888; *Dublin Review*, jan. 1889, *A protestant criticism of Protestant missions.*

[3] Ita protestans *Cust*, qui in India diu vixerat, recenter virtutes catholicorum missionariorum tanquam exemplum protestantibus sic proponebat (*The philosophie and imperial aspect of the missionary movement of the XIX^th^ century*, p. 6) : "A life-service, a whole-hearted service, a self-sacrificing service is required. The Church of Rome has for three centuries exhibited this amount of self-sacrifice".

[4] De quo vide, præter *Marshall*, *Louvet* et *Piolet : La Salle des Martyrs*, *Vie de Théophane Vénard; Les martyrs de l'Ouganda*, etc.

[5] **Pisani**, *Les Missions protestantes à la fin du XIX^e^ siècle*, Paris, Bloud, 1908; cfr. **Warneck***, *Abriss einer Geschichte der protestantischen Missionen*, Berlin, 1900; *Ecumenical missionary conference*, London and New-York, 1901.

Sed, etsi immensas opes quotannis expendunt, et auctoritate civili multum juvantur, pauciores paganos ad fidem convertunt, nec eos de veritatibus credendis aut præceptis implendis accurate instruunt. Conversiones igitur quas peragunt partim naturalibus causis tribui possunt, partim vero gratiæ divinæ quæ conceditur iis qui, extra veram Ecclesiam, bona fide regnum Dei propagare conantur. Et revera bonos fructus tantummodo proferre cœperunt quando methodum et virtutes catholicorum imitati sunt [1]. Exinde tamen non probatur integrum eorum systema esse divinum.

784. (B) *Ex Ecclesiæ Romano-catholicæ unitate.* Cum homo ad proprias opiniones sibi fingendas pronus sit, eisque pertinaciter adhæreat, quo universalior est aliqua societas, eo difficilior evadit omnium membrorum unitas. Quæ quidem unio in rebus *religiosis* majores præ se fert difficultates : agitur enim non solum de concordia *in agendis*, sed de perfecta consensione *in credendis*, de interno assensu veritatibus dato quæ non sunt *per se* evidentes, sed *indirecta* et *morali* tantum certitudine constant, de assensu proinde qui bonam voluntatem aliasque morales dispositiones præsupponat (supra, n. 31 et seq.), et maximos conatus in bonum post se trahat.

Atqui humana natura sibi relicta tantas difficultates per

[1] *DD. A. Le Roy*, qui per multos annos in Africa nigritis Evangelium annuntiavit, ibique multos anglicos missionarios invenit, eorum agendi modum ita describit : "Sans doute, chez les Protestants, l'apostolat est une carrière : carrière excellente en somme, qui permet de donner cours au zèle en l'honorant et en le rétribuant. Avec le traitement qu'il reçoit, le missionnaire protestant peut se faire une vie facile, élever sa famille et se ménager une retraite pour ses vieux jours. C'est une des différences qui le distinguent du missionnaire catholique, et plusieurs trouvent que cette différence est sensible. Mais il n'est pas moins certain que son dévouement est réel, son succès souvent appréciable et son argent bien gagné. — Le missionnaire protestant excelle surtout à se servir des indigènes, à les mettre en mouvement : il en fait des prédicants, des maîtres d'école, des agents de toutes sortes. Peu importe que de temps à autre les néophytes interprètent mal le dogme ou la morale : les erreurs de doctrine ne tirent pas à conséquence, à moins qu'elles ne se rapprochent trop de la vérité catholique; et, quant aux erreurs de conduite, si elles sont trop criantes, on remplace le délinquant et tout est dit... Il faut aussi convenir que dans la religion *réformée*, les obligations de conscience sont réduites à leur strict minimum; la somme des devoirs requise pour faire un excellent Protestant ne suffirait pas à faire un détestable catholique. C'est un point qui a son importance pour l'humaine nature". (Apud **P. Ragey**, *Les Missions anglicanes*, Paris, Bloud, 1900, p. 2-4; in quo opere multa de anglicanis missionibus invenies). — Cf. *Nouvelles religieuses*, 1 mai 1921. *Le protestantisme anglo-saxon et sa propagande*, p. 206-209.

longum tempus superare non solet : id sane jam difficile est quando agitur de hominibus singulatim sumptis; sed quando quæstio est de ingenti multitudine (270.000.000) per totum orbem dispersa, res moraliter impossibilis dici potest. Revera, præter catholicam Ecclesiam, nulla est societas late diffusa, sive philosophica sive religiosa, quæ, per longum tempus, perfectam unitatem retinuerit : discipuli Socratis, Aristotelis et Platonis mox in diversas scholas disjuncti sunt; Protestantismus in innumeras sectas divisus est; inter Græcos et Orientales adsunt magna dissidia; Græci ipsi quamvis idem symbolum fidei profiteantur, carent unitate regiminis, et unitatem fidei non servant nisi adhærendo septem Conciliis quæ, auspice Romana Ecclesia, habita sunt. — Si igitur sola Ecclesia Romana, quamvis per totum orbem terrarum diffusa, perfectam unitatem per viginti sæcula retinuit, hoc factum omnino *transcendens*, non solis humanis viribus, sed *divino interventui* tribuendum est.

Hæc conclusio confirmatur ex eo quod Ecclesia cum strictissima unitate tamen legitimum particularismum servavit, sese magnifice omnibus mentibus adaptando, quin unitas rumpatur[1].

785. (C) *Ex Ecclesiæ Romano-catholicæ stabilitate.* Cum omnes societates in hoc mundo sint mutabiles et caducæ, et quidem eo magis quo universaliores sunt majoribusque impugnationibus obnoxiæ, perfecta Ecclesiæ Romanæ stabilitas naturaliter explicari nequit. Hic enim recurrit argumentum quod in *Tr. de Christo divino Legato* exposuimus, n. 499 et seq. Hodie enim, sicut in primis sæculis, *multa*

[1] "... Le simple fait que l'Eglise ait su adopter son dogme, sa hiérarchie, son culte à tous les particularismes des esprits et des cœurs, sans pourtant s'absorber dans chacun d'eux, constitue une preuve efficace de sa transcendance". En effet "Dieu seul, disait Bossuet, ayant créé l'homme, est capable de le reconnaître à fond". Aussi bien, qu'une religion donnée soit capable de s'adapter, dans son dogme, sa morale, son culte, sa hiérarchie, à toutes les facultés d'un individu déterminé, cela suppose déja une science exhaustive de sa nature. Que cette science exhaustive individuelle se répète à travers l'infini du temps et de l'espace, voilà ce qui constitue pour l'esprit une énigme indéchiffrable, si on la résout en dehors du divin... Nonobstant sa plasticité merveilleuse, la religion catholique sait découvrir dans la multitude infinie des divergences un élément commun à tous et réaliser l'unité dans l'universalité". (**De Poulpiquet,** *L'Eglise catholique*, p. 293-295).

et *gravia externa* impedimenta conservationi et diffusioni catholicæ religionis obstant; impedimenta *intrinseca* eadem manent. Hodie pariter auxilia adhibita *in se* spectata, sine Dei interventu, fini obtento inæqualia sunt : si enim inter Catholicos dantur viri eloquentia, dialectica et eruditione clarissimi, qui fidem nostram propugnent, plures sunt in omni regione, nec minori ingenio prædíti, qui quotidie et acerbissime eam oppugnent. Quapropter non pauci adversarii aperte proclamant, sicut antea Domitianus et Julianus Apostata, jam actum esse de catholica religione. Id fidenter asserebant tempore quo Sancta Sedes injuste dominio suo temporali spoliata est, an. 1870; id fidentius repetunt nostris diebus, propter acerbam perfidamque persecutionem qua in Gallia religionem penitus opprimere conantur. Alii tamen, præteritorum sæculorum experientia edocti, inviti fatentur nullum proximæ ejus ruinæ signum adhuc manifestari, quippe quæ validior appareat quam unquam fuit. Quod sane humanæ industriæ tribuunt [1]. Id vero impossibile esse concedere debent qui divinam Providentiam admittunt : Deus enim permittere nequit falsam religionem per multa sæcula in toto orbe terrarum florere et fructus optimos proferre.

786. 2° **Ex prophetiis præfatas notas annuntiantibus.** Divinus interventus haud parum confirmatur ex eo quod hujusmodi catholica unitas et invicta stabilitas ab antiquis *prophetis* et ab ipso *Christo* tanquam *opus divinum prænuntiatæ fuerant.* Prophetæ prædixerant regnum Dei fore simul *universale* et *stabile* (supra, nn. 326 seq.); id pariter *psalmi messianici* annuntiabant : " Postula a me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam et possessionem tuam terminos terræ " [2]. Quas prophetias confirmans, Dominus apostolis prædixit *portas inferi contra Ecclesiam non prævalituras;* eisdem commisit potestatem et officium prædicandi evangelium *omnibus gentibus, omni creaturæ,* atque promisit se *cum eis* prædicantibus *fore usque ad consummationem sæculi,* ita universalitatem et stabilitatem novi regni prædicens, et quidem tanquam effectum *specialis suæ assisten-*

[1] Ita præsertim **Macaulay***, l. cit. — [2] *Ps.* II, 8; cfr. *Ps.* LXXI, 17.

tiæ. Unitatem vero hujus regni comparatione *unius ovilis* et *unius pastoris* declaravit : " Et alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet *unum ovile* et *unus pastor*" [1]. Catholica igitur unitas et invicta Ecclesiæ Romanæ stabilitas nihil aliud sunt nisi *adimpletio prophetiæ*, ideoque irrefragabile *testimonium divinæ assistentiæ*.

Hæc demonstratio ex unitate et stabilitate Ecclesiæ fieri posset etiam pro primatu Romano, seorsum sumpto, ostendendo scilicet efficacem fuisse ejus actionem ad fidem conservandam, non obstantibus hominibus et circumstantiis. Hæc continuitas, per tot sæcula, argumentum est non spernendum assistentiæ Spiritus Sancti [2].

Art. II. De eximia sanctitate et inexhausta fecunditate Ecclesiæ catholicæ.

787. *Thesis :* **Ecclesia Romano-catholica, ob suam eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis** [3].

Principium cui nostrum innititur argumentum, ex his verbis Domini desumitur : " Attendite a falsis prophetis... A fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvas aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit; mala autem arbor malos fructus facit " [4]. —

[1] *Joan.*, X, 16.

[2] Cf. **P. Batiffol,** *La papauté vue d'Allemagne*, in *Correspondant*, 25 juin 1920; **G. Neyron,** in *D. A.*, Art. *Papauté*, Rôle historique de la papauté, col. 1388-1422; **Harnack** * ipse *(Dogmengesch.*, I, 4ª Ed., p. 772) hanc unitatem agnovit. Sic, de S. Dionysii papæ litteris scribit : " Si confers ejus scriptum cum littera Leonis I ad Flavianum et Agathonis ad imperatorem, certe miraberis internam affinitatem quæ inter hæc tria existit documenta : formaliter vere identica apparent ".

[3] **Balmès,** op. cit., ch. 13 sq.; **Card. Dechamps,** *La Question religieuse*, ch. 15-16; **H. Perreyve,** op. cit., t. II, ch. 6; **M. J. Spalding,** op. cit.; **J. H. Newman,** op. cit., lect. VIII-IX; **C. S. Devas,** *The Key to the World's Progress*, London, 1906; gallice, *L'Eglise et le Progrès du Monde*, Paris, 1909, ch. V, VI, XI; **E. Hugueny,** op. cit., I, ch. XI-XII; **de Tourville,** *Lumière et vie*, p. 236-266; **A. D. Sertillanges,** *L'Eglise*, t. I, l. II, ch. II; t. II, l. IV, ch. V, VI, VII; **de Poulpiquet,** *L'objet intégral de l'Apologétique*, p. 245-263; **Id.,** *Le Dogme source d'unité et de sainteté dans l'Eglise (Science et rel.*, n. 639-640); **Longhaye,** *Les saints dans l'histoire*, in *Etudes*, 5 janv. 1909. Cfr. theologos, ubi de Ecclesiæ sanctitate. — [4] *Matth.*, VII, 15-17.

Ecclesia Romana protulit et quotidie profert fructus sanctitatis et caritatis; ergo vere est arbor bona ab ipso Deo plantata.

788. I. **Facta exponuntur.** 1° Romano-catholica Ecclesia est *eminenter sancta* tum quia membris suis *media sanctitatis* præbet, tum quia in sinu suo *heroicos sanctos* indesinenter fovet, ideoque sanctitate fulget *de jure* et *de facto*.

(**A**) *Sanctitatis media omnibus præbet* sua *doctrina*, suo *cultu*, suis *legibus*, ut constat ex jam dictis, n. 351 seq.

(**a**) *Sua doctrina* quæ versatur circa *credenda* et *agenda*. Ecclesia Romana hodie, sicut et primis sæculis, docet *totam doctrinam* Christi, qualiter in Scriptura et Traditione invenitur. Illius integritatem semper defendit et mediam viam tenere curavit inter contrarios errores quibus, a prima die, resistere debuit [1]. Quoad *agenda*, semper docuit ac docet præcepta Domini, hominibus præbet codicem moralem completum, certum ac clarum, quo vitantur excessus nimiæ laxitatis ac nimiæ rigiditatis, cum sufficienti et efficaci sanctione [2]. Insuper, *consilia Evangelica* nobilioribus animabus proponere non cessavit, illis ostendens viam crucis, quam Christus primus ingressus est, et idealem perfectionem ad quam pervenire possint.

(**b**) *Suo cultu*. Per *sacrificium Missæ* in memoriam revocatur Passio Christi, illiusque merita hominibus applicantur. *Septem sacramenta* totam vitam Christiani sanctificant, et specialem gratiam pro qualibet necessitate suppeditant [3]; sacramentum *Pœnitentiæ* speciatim adjuvat hominem ad peccata fugienda et expianda. *Oratio*, tam frequenter commendata, hominem ad Deum elevat, et Dei benedictiones obtinet. Non solum anima, sed et corpus in catholico cultu suas partes habet, in externis ceremoniis, naturæ humanæ adeo accommodatis, et tam idoneis ad internam pietatem fovendam.

(**c**) *Leges* Ecclesiæ ad hoc tendunt ut legis divinæ adimpletionem promoveant : ita præceptum audiendi Missam promovet spiritum religionis; præcepta circa jejunium et abstinentiam, Christianam mortificationem et abnegationem inculcant.

---

[1] Cf. **Newman**, *Development of Christian doctrine*, Part. II, ch. VI, VII, VIII.

[2] Ecclesia pugnare debuit contra potentissimos principes ad servandam Evangelicam legem integram, v. g., matrimonii unitatem, independentiam Ecclesiæ, libertatem conscientiæ.

[3] Cf. **Gœthe***, de mirabili œconomia sacramentorum, *Œuvres*, t. XVIII, p. 162, vel anglice *Auto-Biography of Gœthe*, Bohns' transl., vol. I, p. 245-248.

789. (B) In Ecclesia Romana heroicæ virtutis multa reperiuntur exempla in *institutis*, in *individuis*, ac in *societate* in genere.

(a) *In institutis.* Nulla in historia invenitur institutio quæ comparari possit *sacerdotio catholico*, cujus membra, in Occidente, cælibatui perpetuo sunt addicta, ut totaliter Dei et hominum servitio se devovere valeant [1] : perpetua enim continentia, quæ a plerisque sacerdotibus fideliter servatur, heroicos actus supponit.

Præterea, in *religiosis ordinibus*, Ecclesia hominibus asylum præbet, ubi perfectionem prosequi possint per praxim evangelicorum consiliorum et imitationem Christi. Nec solum de propria sanctitate ac gloria Dei curant religiosi, sed etiam de proximi tum spirituali tum temporali prosperitate. Apud eos invenimus homines, qui decus sunt et honos humanitatis propter suam moralem ac intellectualem excellentiam; qui se totos devovent Christianismi propagationi et barbarorum hominum educationi, civilitatem simul cum religione foventes et præservantes [2]. Alia sunt instituta, quæ caritatis operibus magis directe se consecrant nec minorem heroismum manifestant : *sorores Caritatis*, quæ omnibus renuntiant ut infirmorum et pauperum necessitatibus inserviant; aliæque moniales permultæ, quæ senibus alendis totas se tradunt; *fratres S. Joannis a Deo*, qui in nosocomiis ægrotis inserviunt; *fratres S. Vincentii a Paulo* qui educandis opificum filiis operam navant; multique alii [3]. Quæ instituta etiam adversariorum admirationem excitaverunt et eorum imitationem provocaverunt [4].

(b) Inter Ecclesiæ *membra individua*, *invenimus*, præter magnum numerum fidelium virtutes superiores colentes, *sanctos proprie*

---

[1] Cf. **J. De Maistre**, *Du Pape*, anglice *The Pope*, l. III, c. 3; **Hettinger**, *Apologie*, vol. V, ch. XX, p. 219; **Allies**, *The formation of Christendom*, p. 355.

[2] Quod in memoriam revocabat **Leo XIII** in Apost. Litteris 22 Januarii 1899 *Testem benevolentiæ* : "Nunc vero, hoc ipso tempore, quam alacrem, quam frugiferam catholicæ rei religiosi cœtus, ubicumque sunt, navant operam! Quam pergunt multi novas oras Evangelio imbuere et humanitatis fines propagare, idque per summam animi contentionem summaque pericula". — Cfr. **Montalembert**, *Les Moines d'Occident*, *The Monks of the West*; **Bancroft's**, *History of the United States* V. III, ch. XX; **Neander**, t. II, part. II; **A. Belanger**, *Les Méconnus : ce que sont les Religieux*, Paris, Lecoffre, 1900; **Thierry**, *Histoire du Tiers-Etat*, ch. I.

[3] In Gallia sola, initio hujus sæculi, florebant 800 Ordines aut Congregationes mulierum, 95 virorum, simul computantes 150,000 membra. Cfr. **Mgr Baunard**, *Un siècle de l'Eglise de France*, 1902, p. 141-152.

[4] Cf. **Voltaire**, *Essai sur les mœurs*, t. III, p. 139; **Huber**, *Mission à l'intérieur*, 1864, apud Hettinger, vol. V, p. 58; **Card. Baluffi**, *The Charity of the Church*, ch. XIII.

dictos, quorum virtus superat quidquid natura humana unquam producere potuit. Catholicæ Ecclesiæ filii sunt SS. Patres, et Doctores, qui non minus sanctitate quam ingenio claruerunt; innumeri apostoli, qui heroico zelo impulsi, Evangelium ad barbaros detulerunt, et eos mirabili sua sanctitate magis quam prædicatione Christo genuerunt : tales fuere Augustinus, Bonifacius, Cyrillus et Methodius. Neque, a tempore quo Protestantes secesserunt, cessavit Ecclesia sanctitatis fructus proferre : testes sunt Franciscus Salesius, Franciscus Xaverius, Philippus Neri, Carolus Borromæus, Vincentius a Paulo, P. Claver, Alphonsus de Ligorio, Vincentius Palotti, Franciscus Libermann, J. B. de Rossi, Don Bosco, Hofbauer, J. B. Vianney, Germana Cousin multique alii. Id testantur frequentes canonizationes, quæ non fiunt nisi post accuratissimam investigationem de heroica sanctitate personæ [1]. *Maximæ* autem *differentiæ* inter sanctos inveniuntur [2], ita ut cujusvis ætatis, conditionis aut indolis sancti reperiantur.

(c) *Societatem* in genere Romana Ecclesia omnino instauravit, virtutes inculcando quæ extra eam vix cognoscantur. *Tres sunt virtutes*, essentialiter christianæ : *humilitas*, *castitas*, et *caritas :* quæ, mores reformando, societatem etiam instaurant : *humilitate* enim expelluntur sui inordinatus amor et ambitio, quibus tot dissidia inter cives foventur; *castitate* edomantur libidines, quæ, nisi frenentur, ipsius vitæ fontes corrumpunt; *caritate* tandem æque componuntur sociales dissensiones inter dominos et opifices, ad quas componendas sola justitia non sufficit. Atqui nulla est societas quæ tam vehementer prælaudatas virtutes inculcet in sua prædicatione, earumque exempla præbeat in suis membris [3].

---

[1] Ad sciendum quam accurata immo et severa sit hæc investigatio de heroicis sanctorum virtutibus, legere sufficit eximium opus **Benedicti XIV**, *De Servorum Dei Beatificatione*. Nihilominus, decurrente sæculo XIX, in album Beatorum relatæ sunt 310 personæ, in album Sanctorum 78 personæ. Cfr. **Mgr Baunard**, *Un siècle de l'Eglise de France*, p. 486-507. De sanctitate ipsa cfr. **H. Joly**, *Psychologie des saints*, Paris, 1897.

[2] Cf. **de Poulpiquet**, *L'Eglise cath.*, p. 290; **Charles**, *La robe sans couture*, p. 134 seq.

[3] Cf. **Hettinger**, *op. cit.*, vol. V, ch. XX; **Balmès**, *Le Protestantisme comparé au Cathol.*, anglice *Protestantism and Catholicity compared*, ch. XXIV sq. **Lacordaire**, *Conférences de N.-Dame*, 21e, 36e Conf. Legantur pariter Encyclicæ **Leonis XIII** " *Immortale Dei* ", " *Rerum Novarum* " etc., ubi dilucide exponuntur ea quæ ad societatis mala corrigenda necessaria sunt. — Quod et ipsi Protestantes mirantur. Ita **Sabatier** *, *Relig. d'autorité*, p. 249 : " Il y a deux choses dans le catholicisme : une religion profonde et belle, une sève de vie chrétienne, une source d'élans mystiques et d'héroïques dévouements que ne peuvent oublier les âmes qui en ont été rafraîchies et renouvelées. N'est-ce point par cette piété qu'elles ont été engendrées à la vie supérieure et idéale du devoir et de l'amour "?

790. 2° Neque minori admiratione digna est *inexhausta ejus fecunditas in omnibus socialis caritatis operibus* quæ instituit et fovet. Jam a primis sæculis nota erat propter suam caritatem, et hodie nulla est necessitas cui non generose opituletur [1].

(A) *Infantium et juniorum educationi* providet multis modis : conceptæ prolis vitam protegit, excommunicando procurantes abortum, et societates fovendo quæ pauperum matrum et infantium necessitatibus succurrunt. Orphanis aut derelictis infantibus orphanotrophia aperit, ubi maternam curam inveniant. De eorum religiosa educatione magis etiam curat : magnis expensis instituuntur scholæ, collegia et universitates ad juventutem christiane educandam. Parentes hortatur et urget ut filios suos religiosa officia verbis et exemplis doceant : si quandoque id negligant, ope sacerdotum et catechistarum pabulum spiritualis doctrinæ parvulis præbet. Quando hi jam adoleverunt, præsto sunt confraternitates aut consociationes, quarum ope non solum ad perseverandum in bono sed etiam ad alios ad religionem trahendos, non parum juvantur.

(B) *Pauperum necessitatibus* generose providet. In toto orbe catholico inveniuntur *Conferentiæ a S. Vincentio* nuncupatæ, quarum sodales domi pauperes visitant, eisque cibum corporis et animæ præbent. Aliæ sunt societates ad opifices juvandos qui, ex inopinatis casibus aut morbis, vel ex cessatione a labore aliave causa ad extremam inopiam rediguntur. Aliæ sunt quæ salubres domos ædificant opificibus modico pretio locandas aut vendendas; vel eis gratis locant hortos quos propriis manibus excolere valeant, fructusque ex eis percipere quibus in re domestica non parum juvantur.

(C) *Ægrotorum curam maternam habet* non solum in publicis nosocomiis, sed etiam in privatis domibus, ubi moniales aut piæ feminæ eos invisunt eisque remedia diligenter afferunt. Specialia instituta pro surdis mutis, pro phtisi laborantibus aliisque morbis quotidie fundantur. Pro *senibus* derelictis erecta sunt hospitalia, in quibus devotæ moniales, collectis undique eleemosynis, solatium afferunt corporale simul et spirituale.

(D) *Opificum miseram conditionem meliorem efficere* conatur : id præstitit *Leo XIII* in variis Encyclicis ubi jura eorum invicte tue-

[1] **L. Lallemand,** *Histoire de la Charité*, Paris, Picard, 1902 sq.; **Maxime du Camp***, *La charité privée à Paris;* **Lefébure,** *L'organisation de la charité privée en France; Paris charitable et prévoyant*, 1900; **E. Chénon,** *Le rôle social de l'Eglise;* **L. Prunel**, *Pauvres (les) et l'Eglise*, in *D. A.*

tur[1], simulque varia proponit media quibus paulatim, absque læsione jurium dominorum, tolerabilior fiet proletariorum conditio : æqui salarii solutionem quod sufficiat ad propriam et filiorum honestam sustentationem, collegia opificum (syndicats) quibus efficacius eorum jura vindicari valeant, consociationes ut mutuo opem sibi ferre possint; sed præcipue reverentiam erga operarios christiano charactere nobilitatos, ita ut non plus imponatur operis quam vires, attentis ætate et sexu, ferre valeant, eisque concedatur idoneum temporis spatium ad religionis officiis vacandum.

Uno verbo, nulla est ætas, nulla conditio hominum de qua materna sollicitudine non curet Romana Ecclesia, vestigiis inhærens divini Magistri, qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes[2].

791. II. **Ex factis hucusque expositis constat Ecclesiam Romanam divinitus esse adjutam.** Quod probatur :

1° *Ex ipsa natura sanctitatis.* (**a**) Vitæ sanctitas est quid arduum, quod non sine maximis et continuis conatibus obtinetur : data enim humanæ naturæ propensione ad malum, strenue et sæpe contra graves tentationes certandum est ad vitandum peccatum; data ejus proclivitate ad incuriam et pigritiam, virtutes nonnisi ægre et repetitis actibus acquiruntur[3]. Jamvero si cuilibet individuo speciale Dei auxilium necessarium est ad tantos conatus frequenter faciendos, quanto magis requiritur pro *magna hominum multitudine* qui in Ecclesia Romana ad perfectionem tendunt?

(**b**) Id evidentius est quando agitur de *actibus heroicæ virtutis* quos non pauci catholici sæpe perficiunt, ut supra dictum est : ibi sane specialis Dei interventus maxime elu-

[1] Legantur præcipue Encycl. *Rerum novarum* 16 maii 1891, *Graves de Communi*, 18 jan. 1901, quas confirmavit **Pius X**, Motu proprio *Fin dalla prima*, 18 dec. 1903, in *A. S. S.*, t. XXXVI, 1904, p. 339-345. Quæ documenta fusius exponimus in *Tr. de Justitia*, n. 791-863; cfr. **Max Turmann**, *Le Catholicisme social*, Paris, 1900.

[2] Facta ab ipsis Protestantibus agnoscuntur (e. g. **Harnack***, *L'essence du christianisme*, ed. 1907, p. 293-295, 316-317), quamquam injuste discrimen instituant inter hos fructus et hierarchiam, quæ tamen hos fructus produxit vel saltem provocavit.

[3] Quare ex eo quod non pauci Catholici in peccata et vitia miserrime cadant, inferri nequit Spiritum Sanctum ab Ecclesia recessisse, ut sapienter declarat **J. H. Newman**, *Difficulties of Anglicans*, 1888, lect. VIII-LX.

cet. Virtus enim heroica postulat actus repetitos, connexionem omnium virtutum, rectitudinem perfectam intentionis, promptitudinem, delectationem et constantiam in actibus heroicis patrandis [1] : quod naturaliter fieri nequit. — Idem dicendum est de *martyrio* quod subierunt atque etiam nunc haud raro subeunt, inter barbaras gentes, missionarii eorumque neophyti : hic enim recurrit argumentum supra expositum de heroica martyrum constantia, n. 509 seq.

(c) Tandem, etiam nostris diebus, genuina *miracula* a quibusdam sanctis, aut mediante eorum intercessione, patrantur. Revera nullus hodie in album sanctorum recensetur quin quædam saltem miracula peregerit, et aliunde nullum admittitur miraculum nisi post severam investigationem [2]. Jamvero miracula præsertim frequentia, clarissima sunt signa Spiritus Sancti habitantis in Ecclesia in qua patrantur. Ergo Ecclesia Romana vere est habitaculum Spiritus Sancti.

Minime quidem negatur *vitia et scandala apud Ecclesiam romanam* inveniri : hoc jam Christus annuntiaverat, et vitari nequit, cum Ecclesia hominibus constet; sed relative pauca sunt. Insuper qui mali sunt, tales sunt quia Ecclesiæ præceptis non obediunt, nec mediis sanctitatis ab ea oblatis utuntur; ii autem qui sunt sancti, tales fiunt quia ejus mandata sequuntur. Tandem, non obstantibus vitiis, Ecclesia semper crevit et virtutem seipsam reformandi invenit: quod magis argumentum auget quam minuit [3].

792. 2° *Ex comparatione inter Ecclesiam Romanam et acatholicas societates.* Non diffitemur quidem apud Græ-

[1] Cf. **Benedictus XIV**, *De canonizatione sanctorum*, l. III, c. XXI.

[2] Ut aliquot afferamus exempla, miraculum a S. Vincentio patratum erga A. E. Sackville, quod a pluribus Protestantibus ut vere divinum agnitum fuerat, non ut tale admissum fuit a S. Rituum Congregatione, propter defectum sufficientium probationum; iterum Anglus protestans, qui Romæ legerat quasdam miraculorum relationes, declaravit se libenter accipere omnia miracula, quæ tam validis demonstrabantur argumentis, nec parum stupuit cum audivit hæc eadem facta a Romanis Congregationibus tanquam miraculosa non fuisse habita, utpote non sufficienter probata. Cfr. **Perrone**, *De Vera Religione*, n. 187, not. 1.

[3] " Cette préservation constante du bon grain qui continue de croître à côté de l'ivraie sans jamais être étouffé par elle, cette résurrection qui succède invariablement aux pires décadences, ce fait de l'Eglise se réformant elle-même et guérissant ses propres blessures, cette intervention invisible arrêtant à point nommé les chutes irréparables, tout cela, multiplié à l'infini à travers le temps et l'espace, manifeste aux yeux de l'observateur attentif et désintéressé qu'il y a en elle autre chose qu'elle. " (**De Poulpiquet**, *L'Egl. cath.*, p. 138).

cos et Protestantes quosdam reperiri viros eximia virtute præditos [1]. Hi enim, utpote bonæ fidei, divino non destituuntur auxilio. Deus, qui vult omnes homines salvos fieri, gratiam suam non denegat iis qui addicti manent ecclesiæ quam veram esse prudenter putant et quæ saltem aliqua media sanctitatis retinuit. Quapropter dari possunt, et, ex testimoniis fide dignis, dantur revera inter schismaticos et hæreticos viri egregiis virtutibus præditi. — Sed *societas* cujus sunt membra non exinde *sancta* dici potest. Plura enim desunt societatibus schismaticis aut hæreticis ut nota sanctitatis præfulgeant.

793. (A) *Ecclesia græca*, quamvis omnia fere sanctitatis media a Christo instituta retinuerit, non multis sanctis a tempore peracti schismatis decorata fuit. *Photius* ipse, schismatis auctor, in Concilio Constantinopolitano IV anathemate perculsus est tanquam dissidiorum fautor, mœchiæ reus, pauperum clericorum et orphanorum res consumens. Clerus plerumque a fidelibus contemnitur propter ignorantiam, ebrietatem aut alia vitia; sæpe zelo caret, et religio languescit; aliqua media, ut cultus SS^æ^ Eucharistiæ, valde negliguntur.

794. (B) Protestantes sectæ, quanquam membra habent christiano spiritu imbuta, mundo exhibere nequeunt sanctos heroica virtute præditos quales in Ecclesia catholica inveniuntur.

(a) *Multa ex mediis sanctitatis* quæ Christus instituit *apud eos desunt.* 1) Dissidia quæ apud eos vigent, etiam in *doctrinis essentialibus*, certo sanctitati non favent, sed potius ad rationalismum et indifferentismum trahunt, teste experientia. Pariter doctrina de

[1] Ita recenter in Russia *Jean de Cronstadt* fama sanctitatis gaudebat. Cf. de sanctitate apud separatas sectas : **L. de Grandmaison,** *Le sadhu Sundhar Singh et le problème de la sainteté hors de l'Eglise catholique*, in *Recherches de science rel.*, janv.-avril 1922. Præclarus auctor ostendit Deum posse extra Ecclesiam, pro bono fine, sive sanctitatem sive etiam miracula operari (cf. supra n. 279), dummodo connexio directa non adsit inter sanctitatem et errorem. Optime notat **de Poulpiquet,** *L'Egl. cath.*, p. 242 : "... Toutes les fois qu'on se trouvera en présence de la vertu supérieure ou de la vertu héroïque dans les Eglises séparées, on devra nécessairement conclure que cette vertu supérieure et cette vertu héroïque s'expliquent par ce qui subsiste, dans ces communions, de dogme et de morale catholiques". Et en effet "l'hérésie consiste essentiellement à *nier* ce que l'Eglise romaine affirme; elle n'existe qu'à la condition de *supprimer* quelque chose dans la révélation intégrale apportée par Jésus au monde. Comment une pure *négation* pourrait-elle être un principe de vie? Le néant est éternellement stérile". De sanctitate etiam apud infideles, cf. **J. Maréchal,** *Le problème de la grâce mystique en Islam*, in *R. S. R.*, mai-août 1923, p. 244-292.

inutilitate operum ac justificatione per *solam* fidem, *ex se* minime tendit ad virtutes fovendas, sed potius ad vitia augenda, et, licet prava hujus doctrinæ consectaria communiter hodie a plerisque Protestantibus rejiciantur, doctrina ipsa a multis retinetur. Præterea, si præcepta evangelica retinuerunt, Reformatores tamen *consilia rejecerunt*, virginitatem, a Christo et Apostolis commendatam, condemnantes, mortificationem et abnegationem de medio tollentes, sicque etiam genuinum typum sanctitatis christianæ ab oculis removentes; ex quo sequitur præcepta ipsa sæpe violari; qui enim licitis nunquam se privat, mox ad illicita trahitur. Etiam nunc notio veræ sanctitatis ignota videtur multis Protestantibus theologis et prædicatoribus, qui virtutes Christianismo proprias fere nunquam annuntiant, sed solum eas quæ *naturales* dicuntur, et ut tales ad salutem non sufficiunt.

2) Quoad *cultum*. Sacramenta, quæ apud Catholicos sanctitatis fontes sunt efficacissimi, ab illis fere omnia rejiciuntur; et quæ servantur, Baptismus et Cœna, plerumque tanquam mera signa considerantur, non ut fontes gratiæ. Cultus proprie dictus, omni sacrificio orbatus, valde frigidus est; consistit in quibusdam prædicationibus, Scripturæ lectionibus et aliis hujusmodi, quæ nec ad Deum honorandum nec ad hominem sanctificandum multum prodesse videntur [1]. Equidem non agitur hic de sectis quæ Romanam Ecclesiam in cultu suo imitantur : hæ siquidem suo modo agnoscunt Protestantici cultus inopiam et defectum.

(b) Quoad *sanctitatis effectus :* 1) Nullam *institutionem* creavit Protestantismus, quæ *supernaturalem* notam præ se ferat; immo vero omnes illas rejecit et in sinu suo destruxit quæ gloria Christianismi fuerant, v. g., ordines religiosos, qui tam excellentes et sanctos effectus exhibuerant et a nobilissimis Christianorum, in omnibus sæculis, habiti fuerant tanquam unus e pretiosissimis fructibus religionis Christi [2]. Opera caritatis quæ apud Catholicos florent, imitari recenter conati sunt et certe magnas pecuniæ summas illis contulerunt, sed spiritus deest, quia desunt abnegatio et caritas.

---

[1] Quod nonnulli Protestantes candide fatentur; ita inter alios **Gœthe***, *Auto-Biography*, Bohn's translat., vol. I, p. 245 sq., ait Protestanticum cultum minime fidelium aspirationibus accommodari, ita et paulatim templa relinquant, et alias efforment sectas, vel nulli adhæreant, Deum suo proprio modo colentes, et ita in naturalismum labentes. Integrum locum legere potes apud **Schanz**, op. cit., p. 322 sq.

[2] Hinc Puseyistæ recenter ordines hujusmodi instituere conati sunt, ita agnoscentes Protestantismi auctores pessime egisse eosdem abolendo. De his autem Protestanticis ordinibus merito scribit *The Independent** (nov. 28, 1895). p. 15) eos florere non posse in regionibus Protestantium, et eos qui religiosos ordines efformare volunt, ad Romanam Ecclesiam confugere debere. — Cf. etiam **Charles**, *La robe sans couture*.

2) In *individuis*, Protestantismus nihil protulit quod æquiparari possit sanctis Ecclesiæ Romanæ. Si quæ sanctitas apud eos esset, hæc in primis temporibus invenienda esset, ac præsertim apud fundatores. Legantur autem eorum vitæ et opera, ac testimonia quæ ipsi Protestantes de illis ferunt; et constabit eos, nedum sancti fuerint, nec ordinarias christianas virtutes coluisse. Lutherum invenimus infidelem suis promissis, conviciosum in proximum, insignem superbia; Calvinum crudelem, ut alia taceantur; Zwinglium, libidinis servum; Henricum VIII, crudelem et luxuriæ addictum. Si tales Reformatores, mirum non est eorum discipulos non fuisse egregia virtutis exemplaria, præsertim eos qui Reformatoribus propinquiores fuerunt : de hoc querebatur ipse Lutherus : "Mundus in dies fit deterior; sunt nunc homines magis vindictæ cupidi, magis avari, magis ab omni misericordia remoti, magis immodesti et indisciplinati, multoque deteriores quam fuerint in papatu"[1]. Si autem postea viri, in Protestantismo nati et in eo bona fide remanentes, aliquot virtutes etiam supernaturales coluerint et hodie etiam colant, hoc tribuendum est misericordiæ Dei, qui, etiam extra veram Ecclesiam, hominibus bonæ voluntatis gratiam suam largitur; sed ex hoc minime inferri potest sectam, cui bona fide adhærent, esse veram Ecclesiam, vel veræ Ecclesiæ partem.

3) Pro *societate*, effectus Reformationis feliciores non fuerunt quam pro individuis : ab ea exulant virtutes propriæ Christianismo, humilitas et obedientia, nam spiritus privatus fit suprema regula, nec ulla superest auctoritas; virginitas, quam Reformatores condemnant; abnegatio, quia inutilia ab eis existimantur bona opera. Multa testimonia ostendunt protestantes nationes catholicis inferiores esse sub respectu morum[2], quamvis hoc difficile sit cum

[1] **Lutherus**, *Postilla in Evang. dom. I. Adv.* Idem fatetur Melanchthon. Ad fusiorem hujus rei probationem vide **Döllinger**, *Die Reformation* (opus gallice translatum); **J. Janssen**, *Geschichte des deutschen Volkes*, B. II et III; vel *L'Allemagne et la Réforme par J. Janssen*, traduit de l'allemand par E. Paris, vol. II, liv. III, p. 417 sq.; **A. Baudrillart**, *L'Eglise catholique, La Renaissance, Le Protestantisme* (opus *anglice* redditum), VIII^e Conf. Quod fatetur **Harnack***, *L'essence du christianisme*, Ed. 1907, p. 340-341.

[2] Cf. **A. Young**, *Catholic and Protestant Countries compared*, New-York, 1894, ubi ex ipsorum Protestantium testimoniis ostenditur apud Catholicos pauciora inveniri crimina, majoremque virtutem et felicitatem quam apud Protestantes. Hic tamen animadvertimus non posse hac de re æquum ferri judicium, nisi ratio habeatur naturalium qualitatum et defectuum apud varias gentes vigentium; unde comparatio accuratior est quando fit inter Catholicos et Protestantes *ejusdem regionis* : tunc enim differentiæ quæ notantur non nationis genio sed religionis influxui merito tribuuntur. Pariter non ad *externa* tantum attendendum est, quum nonnulli sint qui exterius gloriantur de criminibus, quæ nunquam commiserunt, dum alii sedulo celant crimina vere commissa.

certitudine determinare, propter varias causas quæ in mores influere possunt. Dubitari saltem nequit apud Protestantes spiritum christianum minutum esse et locum dedisse indifferentismo ac rationalismo.

Cum res ita se habeant, mirum non est *nulla miracula* apud eos inveniri; quod ipsi confitentur, ideoque contendunt, sed prorsus gratuito, miracula cessasse morte Apostolorum, fundato Christianismo, perinde ac si Christianismus non fundaretur quotidie in diversis regionibus. Ergo apud Protestantes nullus est effectus qui sanctitatem socialem *vere supernaturalem* manifestet.

Multa certe apud eos bona sunt, sed eorum virtutes sufficienter explicantur ex eo quod aliquid Christianismi servaverint, in eoque inveniant puriorem doctrinam et efficaciora incitamenta quam in qualibet religione pagana. Sed non manifestatur specialis actio Spiritus Sancti in societate ipsa.

795. *Objicitur* sæpe majorem esse *temporalem prosperitatem* protestantium quam catholicarum nationum [1].

(**A**) Dato, non concesso, factum verum esse, non inde sequitur religionem protestanticam præstantiorem esse catholica : religio enim *directe* bonum animarum promovet, et *indirecte* tantum bonum temporale, in quantum videlicet ad bonum spirituale concurrit; unde fieri potest ut populus, falsæ religioni addictus, majorem prosperitatem attingat quam populus veram profitens religionem, cum hæc prosperitas ex causis naturalibus maxime pendeat. Quod certe luculenter constat exemplo populi judaici, qui, per longum saltem tempus, non attigit civilisationis gradum apud nonnullas finitimas gentes vigentem. Manifestius etiam patet ex evangelica doctrina, præsertim vero sermone in Monte, quem tot encomiis extollunt Protestantes; hic enim *beati* declarantur non divites, nec potentes, neque ii qui voluptatibus fruuntur, sed *pauperes*, *mites*, *lugentes*, *esurientes justitiam*, *misericordes*, *persecutionem patientes*, etc. [2]. Quam insulse igitur agunt qui religionis veritatem ex eo præsertim demonstrant quod temporali prosperitati ac divitiarum acquisitioni inservit!

(**B**) Ad factum autem quod spectat, hæc notamus, post *Brugère* (nn. 77, 90). Tria præsertim ad bonum sociale concurrunt : opum terrenarum productio et æqua repartitio; ingeniorum cultura intellectualis; voluntatum recta ordinatio et animorum satisfactio interior. (**a**) Jamvero hoc tertium elementum, quod præcipuum est, maxime fovetur a Catholicismo, tum *præceptis* puris et omnino determinatis quæ tradit, tum *sacramentis*, quibus præceptorum

[1] Ita, inter alios, **E. de Laveleye***, *L'Avenir des peuples catholiques*, 1875.
[2] *Matth.*, V, 3 sq.

adimpletio facilior evadit : quod multi Protestantes ipsi fatentur [1]. (b) Quoad *culturæ intellectualis* studium, fatemur equidem theoriam *judicii privati* vividius forsan stimulare quarumdam mentium activitatem sed simul multiplicium *errorum pullulationem* maxime fovet, ut ex operibus Protestantium luculenter colligitur. Ex alia autem parte Catholicismus, auctoritati infallibili innixus, mentis aberrationem ac laboris dispérditionem prævenit, necnon abnegationem et caritatem promovet, cum ardenti desiderio minimis fratribus impertiendi cognitionem eorum quæ ad bonum spirituale et temporale conducunt. (c) Quoad *opes terrenas*, earum *productioni* (quæ præsertim a conditionibus socialibus et historicis, et non a religione pendet), efficacius forsan favet Protestantismus, quia, animos ad cælestia minus erigens, eo ipso *in terrena ardentius incitat;* sed Catholicismus eorum *æquam repartitionem* multo melius procurat, e spiritu propriæ abnegationis et fraternæ caritatis. Jamvero ad veram civilisationem et populorum felicitatem magis conducit æqua opum repartitio, quam febrilis productio, ac ingen tium divitiarum a paucis *plutocraticis* possessio, ut sæpius apud acatholicas gentes occurrit. Hinc etiam Protestantes scriptores, per regiones catholicas iter facientes, non potuerunt non mirari felicem sortem etiam eorum qui ceteroquin hujusmodi bonis carebant, dum *pauperismi plagam* et miserabile fatum pauperum in protestanticis regionibus degentium vividis coloribus depingunt [2]. Nil igitur contra nostram thesim ex prosperitate temporali Protestantium desumi potest [3].

Conclusio totius capitis.

796. Qui igitur sincere, absque præjudicio, Ecclesiam Romanam contemplatur, ejus nempe catholicam unitatem, invictam stabilitatem et in omni opere bono fecunditatem, eamque cum acatholicis societatibus diligenter comparat,

---

[1] Præter testimonia jam allata, cf. *Naville* apud **de Baudry**, *La Religion du cœur*, p. 84 sq.

[2] Cf. **C. E. Lester***, *The Glory and Shame of England*, ed. 1876, vol. I, pp. 141, 161, 181 et alibi passim ; **Thieblin***, *Spain and the Spaniards*, pp. 58, 95, 323 sq., 377 sq., 383 sq., etc. ; **S. Laing***, *Notes of a Traveller*, pp. 42, 64, 78, etc. ; *Contemporary Review*, 1880, p. 329 sq. ; **Young**, *op. cit.*, ch. I-VIII.

[3] Ad fusiorem hujus quæstionis solutionem, vide **Balmès**, op. cit., ch. XI sq. ; **A. Nicolas**, op. cit., vol. II, l. III, c. 5, p. 394 sq. ; **F. Martin**, *de l'Avenir du Protestantisme*, l. IV, p. 200 sq., l. V, p. 321 sq., l. VIII, p. 477 sq. ; **J. H. Newman**, *Diffic. of Anglicans*, lect. VIII-IX ; **Baudrillart**, op. cit., p. 361-398 ; **P. Flammérion**, *De la prospérité comparée des nations cathol. et des nat. prot.*, Paris, Bloud, 1908.

divinam ejus legationem, gratia Dei juvante, haud reluctanter agnoscet [1].

Quod argumentum sic breviter contrahit *Augustinus* [2] : "In catholica enim Ecclesia, ut omittam sincerissimam sapientiam, ad cujus cognitionem pauci spirituales in hac vita perveniunt... multa sunt alia quæ in ejus gremio me justissime teneant. Tenet consensio populorum atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem episcopatum successio sacerdotum; tenet postremo ipsum *catholicæ* nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia *sola* obtinuit, ut cum hæretici se catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad *catholicam* conveniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere".

Scholion I. De argumento ex conversionibus sumpto [3].

797. 1° **Status quæstionis.** Conversio dicitur interna mutatio hominis, per quam mens, plus minusve a Deo et a veritate catholica aversa, ad Dominum et ad Ecclesiam sese vertit seseque totaliter eis subjicit [4].

Cum Apologetica ad hanc conversionem operandam argumenta

---

[1] Opponuntur aliquando fructibus qui in Ecclesia catholica inveniuntur *fructus* sive *paganismi*, sive *societatis modernæ*. Fructus morales a paganismo producti nil sunt in comparatione cum fecunditate Ecclesiæ (cf. supra n. 212 seq. et 483 seq.); paganismus vitiis indelebilibus affectus erat (cf. **Hugueny**, l. c., I, p. 237-244). Quoad societatem modernam, ample statisticis probatur cum religione etiam minui et mores et natalitatem (vide v. g., **Hugueny**, *Ib.*, p. 250-266; **P. Bureau**, *L'indiscipline des mœurs*, Paris, 1921). Ecclesia quidem directe non favet progressui materiali, sed indirecte, cum vitio obstet et moralitatem producat, prosperitati quam maxime cooperatur. Nullo modo opponitur Ecclesia veritati, beatitudini hominum vel libertati, sed solummodo erroribus, licentiæ quæ aliquando falso sub nomine "modernæ civilisationis" comprehenduntur. (cf. *Syllabus*, prop. 80; **D. B.**, 1780; **Sertillanges**, l. c., II, p. 148-151).

[2] *Contra ep. Manichæi*, cap. 4, *P. L.*, XLII, 175. Cfr. **M. d'Herbigny**, *Les arguments apologétiques de S. Augustin*, in *R. P. A.*, t. IX, 1910, p. 575-589.

[3] **Th. Mainage, O. P.**, *Introduction à la Psychologie des convertis*, Paris, 1913; **Id.**, *La Psychologie de la conversion*, 3e éd., Paris, 1919; **J. Huby**, *La conversion*, Paris, 1919; **L. Roure**, *La conversion*, in *Etudes*, 5 février 1916.

[4] "La conversion est un phénomène religieux dont le point de départ est en dehors ou à l'intérieur du catholicisme, et dont le terme est une initiation nouvelle et inattendue du sujet à la vie du catholicisme". (**Mainage**, *Introduction*, p. 25).

proponat, evidens est horum factorum investigationem aliquod lumen demonstrationi catholicæ addere. Multi sane conversi narrationem sui accessus ad veritatem reliquerunt, ideoque possibilis est, quamquam difficilis, talis investigatio [1].

Sed quomodo institui potest? et in quo consistit vis argumenti?

798. 2° Expositio argumenti. (A) Quæ *certa* sunt primum exponimus. (a) Omnes auctores concedunt in conversionibus verificari posse *valorem argumentorum credibilitatis.* Non omnes eadem via ad veritatem pervenerunt; sed apud plerosque invenimus unum vel plura ex motivis apologeticis, quamquam conversus ipse non semper clare motiva intellexit vel exposuit [2].

(b) In *omnibus* casibus conversionis, si vera est, notatur *mira morum mutatio;* argumentum ex hac mutatione sumptum, interventum divinum patefacit et reducitur ad demonstrationem ex sanctitate et fecunditate Ecclesiæ [3].

(c) In *quibusdam* casibus invenitur *verum miraculum* ordinis sive physici, sive moralis, v. g., quando Paulus sine ulla præparatione antecedente, in via ad Damascum a Christo redivivo ad fidem et apostolatum vocatus et conversus est.

(B) *Controvertitur* autem num in plerisque conversionibus *interventus specialis gratiæ Dei* in mente hominis *psychologice constare* possit?

1) Affirmat *Mainage* ex testimonio conversorum in qualibet conversione constare aliquem dualismum [4] : mens velut *ab alio* ad Ecclesiam ducitur. Hic dualismus explicari nequit motivis intellectualibus, aut familiæ vel societatis interventu, cum sæpissime neutra parum vel nihil ad conversionem contulit; neque morbido statu cum multi conversi perfecta sanitate gaudeant, nec subconscientia, quæ apud mentes sanas conscientiæ dualismum non provocat. Remanet ergo ut Deus agnoscatur simul *auctor* conversionis ad Ecclesiam et consequenter ut *testis* hujus Ecclesiæ divinitatis. Conversio igitur est argumentum credibilitatis *speciale.*

---

[1] **Huby**, p. 36-38; **Mainage**, *Introduction...*, ch. II. — [2] Cf. **Huby**, p. 40.

[3] "Il doit apparaître entre le païen, l'incrédule ou l'impie d'hier et le catholique d'aujourd'hui, un tel changement qu'il se place en dehors des lois d'une psychologie purement naturelle et suppose en faveur du catholicisme une intervention unique de Dieu. La présentation de l'argument tiré des conversions ne sera qu'un mode particulier de la mise en relief de cette sainteté et de cette fécondité inépuisables de l'Eglise catholique, que célèbre le concile du Vatican". (**Huby**, p. 110-111). Cf. **Mainage**, *Introduction*, p. 39-40.

[4] "Le converti n'est pas seul sur le chemin qui le conduit à la vie catholique. Il est deux. Il se sent deux. Et ce dualisme est tellement universel que je n'hésite pas à y reconnaître l'un des traits fondamentaux, sinon essentiels de la conversion". (*Psychologie...*, p. 195).

2) Negat *Huby* hunc dualismum saltem plerumque demonstrari posse; aliunde hic dualismus sæpe subjectivus est, ut constat ex historia sectarum protestantium, quæ ad actionem Spiritus Sancti appellant.

Veritas forsan inter hæc duo extrema consistit : ex testimoniis conversorum apparet, saltem aliquando, actio velut agentis a subjecto distincti, quam conscientia conversi vere experitur. Hanc autem actionem Deo adscribendam esse nonnisi ex variis circumstantiis probari potest, quales sunt absentia omnis explicationis naturalis, fructus virtutum post conversionem, etc.

Argumentum ex conversione sumptum, sicut argumentum ex martyrum constantia depromptum, considerari ergo potest sive ut argumentum *speciale*, sive ut forma quædam argumenti ex sanctitate Ecclesiæ desumpti.

799. *Objici* possunt *conversiones ad falsas religiones.* Hic distinguere oportet. (**a**) Cum fides *libera* sit, semper possibile est homini de veritate ad errorem transire. Qui ergo de veritate catholica ad hæresim vel ad incredulitatem transiit, hic male libertate usus est : sine sufficienti ratione veritatem reliquit : quod contra demonstrationem nihil probat[1]. (**b**) Qui bona fide de incredulitate ad hæresim transit, vel in hæresi manens meliorem amplectitur vitam gratia adjuvari potuit[2]. Nil prohibet hanc gratiæ interventum, sicut nil prohibet aliquod miraculum vel aliquam sanctitatem extra Ecclesiam inveniri posse (cf. supra n. 279 et 292), dummodo interventus Dei cum doctrina hæretica non connectatur : Deus enim errorem commendare nequit.

Scholion II. De argumento ex hodiernis miraculis sumpto[3].

800. 1° **Status quæstionis.** Ut supra notavimus (n. 179, c) in decursu temporum Sancti, membra Ecclesiæ catholicæ, miracula

---

[1] Cf. **Mainage,** *Le témoignage des Apostats*, Paris, 1916; **J. Dutilleul,** *Convertis et Apostats*, in *Etudes*, t. 124 (1910), p. 317-345, 507-530. Quoad quæstionem : num fides inculpabiliter amitti possit? vide theologos in *Tractatibus de Fide*, vel **Hugon**, *Hors de l'Eglise pas de salut*, 2e éd., 1914, p. 323-327.

[2] "Le protestantisme ayant gardé quelques parcelles de vérité, où la grâce divine trouve un point d'appui, il se peut que tout ne soit pas supercherie ou hallucination dans ces manifestations religieuses (protestantes), et que certains de ces convertis fassent vraiment un acte de charité ou de contrition". (**Huby,** p. 110).

[3] Præter innumeros libros hac de re conscriptos, cf. **G. Bertrin,** *Histoire critique des événements de Lourdes*, 40e éd., Paris, 1914; **Id.,** *Lourdes* (*le fait de*) in *D. A.*; **Docteur de Grandmaison de Bruno,** *Vingt guérisons à Lourdes*

patrarunt quæ historice certa sunt, supra vires naturæ et divina apparent, necnon implicite saltem cum catholica veritate connectuntur. De quibus hic non agimus, sed de miraculis quæ in oppido *Lourdes* etiam nunc quotannis peraguntur. Demonstrantne originem divinam Ecclesiæ catholicæ?

801. 2° **Expositio argumenti.** *Miracula in Lourdes patrata collective sumpta vere auctoritatem Ecclesiæ catholicæ probant.* Etenim :

(A) Hæc miraculo *historice constant.* Quotannis multi ægroti, utriusque sexus, diversis affecti morbis non solum nervosis, sed etiam organicis, in Lourdes modo extraordinario curantur [1]. Sanationes istæ, fatentibus etiam quibusdam rationalistis [2], a medicis scientifice, prævia inquisitione instituta, expenduntur. Hæc facta ergo, saltem multa ex illis, certo constant.

(B) Istæ sanationes *viribus naturæ explicari nequeunt. Aqua* enim quæ in Lourdes ex fonte sacro manat, non semper adhibetur, et nulla proprietate speciali gaudet, ut ex recentiore chemica analysi constat; *suggestio* in morbos organicos nullum influxum habet et etiam erga morbos nervorum sæpe deficit; *vires ignotæ* excluduntur, quia in his sanationibus desunt conditiones quas quæcumque lex naturalis exigit, nempe tempus, proportio inter causam et effectum, necessitas effectus quando causa ponitur [3]. Quæ conclusiones a multis medicis admissæ sunt.

(C) Hæc facta extraordinaria *Deo tribuenda sunt. Revelant* namque *causam liberam* quæ agit quando et quomodo vult et in

---

discutées médicalement, 2e éd., Paris, 1912; **Docteur Le Bec**, *Preuves médicales du miracle*, 4e éd., Paris, 1918.

[1] Des guérisons de maladies nerveuses, "au total, on en compte 285 sur un ensemble de 4.445 cas divers, observés depuis l'origine" (i. e., a 1858 ad 1913); les tuberculoses diverses "ont donné lieu à 892 guérisons... On trouve 694 cas pour les maladies de l'appareil digestif, 106 pour les maladies de l'appareil circulatoire..., 182 pour les maladies de l'appareil respiratoire, 69 pour les maladies de l'appareil urinaire, 143 pour celles de la moëlle, 530 pour celles du cerveau, 155 pour les affections des os, 206 pour celles des articulations, 42 pour celles de la peau, 119 pour les tumeurs..., 22 pour les cancers, et 54 pour les plaies..., 55 aveugles..., 24 muets..., 32 sourds..." **Bertrin**, in *D. A.*, col. 50.

[2] Sic **Dr. Bernheim**, israëlita : "Toutes ces observations ont été recueillies avec sincérité, et contrôlées par des hommes honorables". (Apud **Bertrin**, in *D. A.*, col. 45-46.)

[3] "Si les faits prodigieux de Lourdes étaient dus à une loi, encore ignorée de nous, il faudrait, pour les produire en provoquant l'action de cette loi, certaines conditions précises, déterminées, toujours les mêmes, et, en retour, chaque fois que ces conditions seraient réalisées, ils apparaîtraient avec une régularité rigoureuse, constante, invariable. Or c'est exactement le contraire que l'on peut constater". (**Bertrin**, in *D. A.*, col. 55).

quem vult. Aliunde omnes *circumstantiæ morales* Deum indicant, v. g., fides quæ crescit in sanatis vel populo circumdante, natura operis ex quo elucet agentis bonitas, preces fusæ, conversiones quæ sæpissime ex miraculis fluunt [1].

(**d**) Tandem existit *connexio inter hæc miracula et Ecclesiam catholicam ejusque doctrinam.* Fideles enim qui miraculum impetrant vel obtinent, plerique saltem, catholici sunt, suis episcopis ad sacrum specum ducti, approbante Summo Pontifice. Implorant interventum Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, cujus immaculata conceptio a Pio IX anno 1854 infallibiliter proclamata est [2]. Probatur ergo his apparitionibus non solum revelatio christiana in genere, sed specifice catholicismus qualiter a Summo Pontifice infallibiliter definitur.

Conclusio totius Apologeticæ : Extra Ecclesiam nulla est salus [3].

802. I. Status quæstionis. (**A**) Ex tractatu *de Christo legato divino* concludimus necessitatem, ad salutem consequendam, Christo adhærendi ejusque doctrinam amplectendi; cum autem a Christo hæc doctrina Ecclesiæ catholicæ commissa fuerit, ut illam legitime interpretaretur, custodiret et propagaret, simulque omnes Christi fideles amplecteretur, doceret et regeret, ex tractatu *de Ecclesia Christi* logice concluditur : *Extra Ecclesiam catholicam nullam esse salutem.*

803. (**B**) Ad rectam hujus conclusiones intelligentiam, necesse est *prævias* tradere *definitiones.*

(**a**) Dupliciter aliquid necessarium esse potest ad salutem. Illud siquidem necessarium est necessitate *medii*, quod est

---

[1] Cf. quæ de miraculo in primo tractatu scripsimus.

[2] Nihil diximus de apparitionibus Beatæ Virginis, in anno 1858, in quibus Dei Genitrix se tanquam "*Immaculatam conceptionem*" manifestavit, definitionem pontificalem miraculose confirmans. De objectivitate hujus apparitionis vide, v. g., **Bertrin**, in *D. A.*, col. 37-44.

[3] **S. Thomas**, *in I Decretalem* (opusc. XIX, ed. Vivès), c. 3; **Bellarm.**, *De Eccles. milit.*, l. III, c. 3; **Murray**, disp. VII, vol. I, p. 731 sq.; **Mazzella**, n. 490 sq.; **Franzelin**, th. 24; **Zigliara**, *Propædeutica*, l. IV, c. 12; **Pesch**, n. 391 sq.; **Schanz**, *op. cit.*, vol. III, c. 9; **J. Buroni**, *De Intolerantia cathol.*, Taurini, 1868; **E. Dublanchy**, *De Axiomate : Extra Ecclesiam nulla salus*, Barri-Ducis, 1895; **Id.**, Art. *Eglise* in *D. T.*, col. 2155-2175; **d'Herbigny**, I, p. 123-137; II, p. 239-254; **E. Hugon**, *Hors de l'Eglise point de salut*, 2ª ed., Paris, 1914; **J. V. Bainvel**, *Hors de l'Eglise pas de salut*, 1913; **Capéran**, *Le problème du salut des Infidèles, Essai théologique*, Paris, 1912.

medium et quidem necessarium justificationis, ac proinde sine quo, etiam *inculpabiliter* omisso, salus obtineri nequit; id autem necessarium est necessitate *præcepti*, quod ita præscribitur ut scienter et volenter omitti nequeat sine peccato; si igitur culpabiliter omittatur, est causa damnationis; si autem inculpabiliter omittatur, ob ignorantiam vel impotentiam, absque eo salus obtineri valet.

(**b**) Insuper in Ecclesia duo distingui solent a recentioribus theologis, *corpus* et *anima*[1] : corpus est elementum visibile, seu collectio eorum qui *exterius* in unam societatem christianam coadunantur *sub regimine Episcoporum Romanique Pontificis;* anima vero est elementum invisibile seu collectio eorum qui *interius* in unam societatem spiritualem conveniunt per internum *fidei et caritatis vinculum.* Itaque ad corpus Ecclesiæ pertinent ii omnes qui exterius doctrinam christianam profitentur sub Romani Pontificis magisterio et regimine; ad animam vero, ii omnes qui internam fidem et caritatem habent, ideoque in statu gratiæ versantur.

(**c**) Tandem dupliciter quis *pertinere* potest *ad corpus Ecclesiæ*, sive *in re*, sive *in voto. In re* quidem, quando quis baptizatus est et a communione catholica neque discessit neque excommunicatione separatus est; *in voto* autem, quando quis, sive explicite (ut catechumenus) sive implicite desiderat Ecclesiæ catholicæ communionem amplecti : talis est qui perfecte Deum diligens, paratus est ad omnia ejus præcepta adimplenda, inter quæ certe eminet præceptum Ecclesiam ingrediendi.

804. (**C**) Quibus positis, sic *sensus prædictæ conclusionis* declarari potest : 1° *Qui culpabiliter extra corpus Ecclesiæ usque ad finem vitæ manet, salvus fieri non potest.* Culpabiliter autem extra Ecclesiam versatur : (**a**) qui *sciens* et *volens* ab Ecclesia secedit propter superbiam, voluptatem aliamve hujusmodi causam : hic enim aperte extra viam salutis ambulat; (**b**) qui sciens Catholicam Ecclesiam esse veram,

[1] Hæc distinctio est aliquantulum *ambigua*, cum plerique theologi appellent *corpus* Ecclesiæ formam ipsius exteriorem, *animam* autem summam donorum supernaturalium a Christo Ecclesiæ collatorum, quorum majus est gratia per baptismum vel justificationem concessa.

propria culpa eam ingredi recusat, cum scienter et volenter grave divinum præceptum contemnat. (c) Si quis autem dubitat quænam sit vera Ecclesia, *inquirere* et *orare* debet cum sincera voluntate veritatem amplectendi, donec tandem aliquando omne rationabile dubium excusserit : secus culpabili negligentia laborat in re gravi. Hac de re instruendi sunt Protestantes et schismatici, ut, divino adjuvante lumine, facilius veritatem inveniant et inventam amplectantur [1].

2° *Qui inculpabiliter extra Ecclesiæ corpus manet salvus esse potest, dummodo pertineat ad corpus Ecclesiæ in voto, vel* (quod est æquivalens) *dummodo pertineat ad animam Ecclesiæ* [2]. Ab obligatione corpus Ecclesiæ ingrediendi excusant : *ignorantia invincibilis* et *impotentia.* Prior multiplici modo contingere potest, v. g., quando invincibiliter ignoratur revelatio christiana, vel ipsa existentia Ecclesiæ, vel obligatio ei adhærendi, vel quæ sit vera Ecclesia; posterior occurrit quando quis, etsi veram cognoscens Ecclesiam, propter obstacula, pro præsenti insuperabilia, eam ingredi non valet : talis est catechumenus, qui ante baptismum, citra culpam dilatum, repentina morte corripitur.

805. II. Probatur axioma. 1° Qui culpabiliter extra corpus Ecclesiæ usque ad finem vitæ manet, salvus fieri nequit.

(A) *Ex Scriptura* constat *Christum* instituisse Ecclesiam ad doctrinam suam tuendam prædicandamque; hanc Eccle-

[1] Cf. **J. H. Newman**, *Diffic. of Anglicans*, vol. I, p. 358 sq. ; **J. Field Spalding**, *op. cit.*, p. 201-213, ubi dilucide exponuntur obstacula quæ acatholicorum conversioni obstant.

[2] Ut notamus, prædictæ formulæ sunt *æquivalentes.* Supponunt tamen *duas hypotheses theologicas diversas :* secundum *priorem, ingressus in corpus Ecclesiæ* est *necessitate medii*, sed sufficit ingressus *in voto ;* ingressus *in re* suppleri potest, sicut baptismus (qui tamen necessarius est necessitate medii) per *votum* ingrediendi Ecclesiam suppleri potest. *Secundum* alteram opinionem, (Tournely, Mazzella, Pesch, Hugon in 1ª ed.), *ingressus in corpus Ecclesiæ* est tantum de *necessitate præcepti ;* pertinere autem *ad animam* est *de necessitate medii.* Hæc quidem solutio vulgo intelligibilior est; illa autem communior inter theologos (Suarez, Bainvel, Hugon in 2ª ed., etc.), doctrinæ de necessitate baptismi (qui est velut janua ad Ecclesiam) conformior, traditioni (quæ de anima Ecclesiæ parum loquitur) et schematibus præparatoriis concilii vaticani propinquior (cap. VI ; cf. **Bainvel**, *l. c.*, p. 27) : unde nobis præferenda videtur.

siam ingredi debere eos qui ad vitam æternam ingredi desiderant [1]. Quare in ea constituit præpositos qui jus habent docendi, regendi et sanctificandi omnem creaturam; aliunde, sub pœna damnationis, omnibus præcepit ut his præpositis obedirent : " Prædicate Evangelium omni creaturæ; qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; *qui vero non crediderit, condemnabitur...* Euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos *servare omnia quæcumque mandavi* vobis " [2].

Post Ascensionem, *Petrus* docet in solo nomine Jesu salutem obtineri posse, credentesque Ecclesiæ per baptismum adscribit [3]. Idem Apostolus baptismum, qui est Ecclesiæ janua, describit tanquam medium ad salutem necessarium, sicut arca medium salutis ab aquis diluvii olim fuit [4].

Tandem *Paulus* ostendit vitam in solo Christi corpore, quod est Ecclesia, inveniri. (Vide infra n. 812 seq.)

Ergo qui *sciens et volens*, extra corpus Ecclesiæ manet, obedientiamque denegat præpositis in ea constitutis, nempe Episcopis et Pontificibus Romanæ Ecclesiæ, graviter peccat et periculo damnationis sese exponit.

(B) Idem docuit *christiana antiquitas.* Jam enim vidimus quam strenue *S. Ignatius* affirmaverit necessitatem communionis cum Ecclesia, n. 653; quam sæpe *S. Irenæus* idem inculcaverit, addens eos qui sunt *extra Ecclesiam* eo ipso esse *extra veritatem*, n. 660. *Origenes* autem primus esse videtur qui *propriis terminis* hoc axioma expresserit : " Nemo ergo sibi persuadeat, nemo semetipsum decipiat : extra hanc domum, id est, *extra Ecclesiam nemo salvatur* " [5]. Sed post eum multi Patres idem inculcârunt; ita *S. Cyprianus* [6] : " Quisque ab Ecclesia segregatus adulteræ jungitur, a promissis Ecclesiæ separatur : nec perveniet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi... *Habere* (jam) *non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem* ". *S. Augustinus* supponit hoc axioma omnibus esse notum,

[1] *Joan.*, III, 5, 15; X, 26 seq.

[2] *Marc.*, XVI, 15; *Matth.*, XXVIII, 19-20. Cf. *Matth.*, X, 14-15, 40; XVIII, 17; *Luc.*, X, 16.

[3] *Act.*, IV, 11-12; II, 41; VIII, 36-38. — [4] *I Pet.*, III, 20-21.

[5] **Origen.**, *homil. III in Josue.*, n. 5, *P. G.*, XII, 841-842; **R.**, 537.

[6] **S. Cyprian.**, *de Unit. Ecclesiæ*, n. 6, *P. L.*, IV, 503; **R.**, 557.

dum scribit[1] : "Salus extra Ecclesiam non est. Quis negat? et ideo quæcumque ipsius Ecclesiæ habentur extra Ecclesiam non valent ad salutem".

(**C**) *Romani Pontifices* tandem et *Concilia œcumenica* sæpissime affirmant extra corpus Ecclesiæ nullam esse salutem. Ita *Innocentius III*[2], *Bonifatius VIII*[3], *Pius IV*[4], *Benedictus XIV*[5], *Gregorius XVI*[6], *Pius IX*[7]; ita etiam concilia *Lateranense IV*[8], *Florentinum*[9].

Immo, non solum Orientales, sed et Protestantes plus minusve explicite necessitatem ad Ecclesiam pertinendi docent[10].

806. 2° **Qui vero inculpabiliter extra Ecclesiæ corpus manet, salvus esse potest,** *dummodo per fidem et caritatem vel contritionem perfectam, ad animam Ecclesiæ pertineat,* vel, melius, *dummodo in votò ad Ecclesiæ corpus pertineat*[11].

(**A**) Revera *Scriptura* satis clare inculcat Gentiles non paucos apud Deum gratiam invenisse et fuisse salvatos : siquidem Job, qui ut Dei amicus exhibetur, extra Synagogam, seu hujus temporis Ecclesiam, versabatur; ex quo concludit *Augustinus* quosdam alios inter Gentiles Deo pla-

---

[1] **S. August.**, *de Baptismo*, l. IV, c. 17, *P. L.*, XLIII, 170. Cf. *Sermo ad Cæs. eccl. plebem*, 6, **R.**, 1858. Cf. etiam textus **Lactantii, R.**, 637; **S. Hieronymi, R.**, 1346; **S. Fulgentii, R.**, 2269, 2273, 2275.

[2] In *professione fidei ad Waldenses*, **D. B.**, 423.

[3] Bulla *Unam sanctam*, **D. B.**, 468-469.

[4] In *professione fidei*, **D. B.**, 1000.

[5] In *prof. fid. ad Maronitas*, **D. B.**, 1473.

[6] Encycl. *Mirari vos*, **D. B.**, 1613.

[7] Alloc. *Singulari quadam*, **D. B.**, 1646; Encycl. "*Quanto conficiamur mœrore*", **D. B.**, 1677; *Syllabus*, prop. 16-17, **D. B.**, 1716-1717.

[8] **D. B.**, 430. — [9] *Decret. ad Jacobitas*, **D, B.**, 714.

[10] Cf. **d'Herbigny,** I, p. 133-134. Vide e. g., **Karl Müller***, *Die Bekenntnissschriften der ref. Kirche*, p. 198 (confessio helvetica post.), p. 256 (confessio regni Scotiæ), p. 663 (conf. Francfordensis) etc.

[11] Hæc pars thesis tantummodo applicatur *adultis :* hi enim soli actum caritatis, fidei et contritionis elicere possunt. Infantes vero (sive ætate, sive ratione) solo baptismo salvi esse possunt; sine vero hoc medio, quod pro eis nisi sanguine suppleri potest, æternam vitam adipisci nequeunt, quamquam in vita futura pro peccato actuali non commisso puniendi non sint. (vide *Tract. de Deo remuneratore*, et specialiter, **Capéran,** *l. c.*, et **EE. Card. Billot,** *La Providence de Dieu et le nombre infini d'hommes en dehors de la voie normale du salut*, in *Etudes*, 1919-1922. De fide, caritate, et pœnitentia ad salutem requisitis, cf. *Tr. de Gratia.*

cuisse [1]; Ninivitæ pariter, etsi extra synagogam manentes, pœnitentiæ gratiam acceperunt. Fatemur equidem sub N. Lege præceptum adesse Ecclesiam ingrediendi; sed ex hoc minime sequitur salutis viam ita coarctatam fuisse ut qui ignorant Evangelium vel veram Ecclesiam, eo ipso damnandi sint; inconcussum enim stat principium, Scriptura, Patribus et theologis constanter inculcatum, Deum scilicet sincere velle salutem omnium, etiam Infidelium [2], nullumque adultum damnari posse nisi scienter et pertinaciter contra conscientiæ dictamen graviter offenderit [3].

(B) Hic fuit constans Ecclesiæ sensus, quem authentice declaravit *Pius IX* : "Tenendum quippe ex fide est, extra Apostolicam Romanam Ecclesiam salvum fieri neminem posse, hanc esse unicam salutis arcam, hanc qui non fuerit ingressus, diluvio perituram; sed tamen *pro certo pariter habendum est qui veræ religionis ignorantia laborent, si ea sit invincibilis, nulla ipsos obstringi hujusce rei culpa ante oculos Domini. Nunc vero quis tantum sibi arroget, ut hujusmodi ignorantiæ designare limites queat, juxta populorum, regionum, ingeniorum aliarumque rerum tam multarum* rationem et varietatem?" [4]. Et alibi addit nullum "æternis puniri suppliciis, qui *voluntariæ culpæ* reatum non habeat" [5]. Doctrinam igitur catholicam falso exponunt qui contendunt acatholicos etiam bona fide versantes, omni spe salutis destitui.

---

[1] "Divinitus autem provisum fuisse non dubito, ut ex hoc uno (Job) sciremus etiam per alias gentes esse potuisse qui secundum Deum vixerunt eique placuerunt, pertinentes ad spiritualem Jerusalem". (**S. August.**, *De Civit. Dei*, l. XVIII, c. 47, *P. L.*, XLI, 609). Alios Patrum textus videre est apud **Dublanchy**, *De axiomate...*, p. 291 sq.

[2] *I Tim.*, II, 1-6.

[3] Quod *ex professo* probabimus in *Tr. de Deo Uno.*

[4] Ex allocutione "*Singulari quodam*", **D. B.**, 1647; cf. 1646.

[5] Ex Encycl. : "*Quanto conficiamur mœrore*", **D. B.**, 1677. Totus textus sic sonat : "Notum Nobis Vobisque, eos qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant, quique naturalem legem ejusque præcepta in omnium cordibus a Deo insculpta sedulo servantes, ac Deo obedire parati, honestam rectamque vitam agunt, *posse, divinæ lucis et gratiæ operante virtute, æternam consequi vitam;* cum Deus... pro summa sua bonitate et clementia, *minime patiatur quempiam æternis puniri suppliciis, qui voluntariæ culpæ reatum non habeat*".

807. Hæc secunda pars thesis primæ parti minime contradicit, sed eam explicat et complet.

Ecclesia catholica nempe, et ea sola, est *medium ordinarium*, a Deo institutum, ad salutem consequendam; non vult tamen Deus ut, per hominum ignorantiam vel culpas, innocens quis pereat. Servavit ergo *aliquot mediorum extraordinariorum*, quibus salvari valeant qui inculpabiliter ad corpus Ecclesiæ non pertinent [1].

Hi enim, extra corpus Ecclesiæ de facto existentes, aliquo modo tamen, *saltem in voto, ad hoc corpus pertinent.* Omnes enim (et antiquæ Legis justi ipsi) nonnisi ex meritis Christi, qui est caput corporis Ecclesiæ, gratiam accipiunt, et sic ad Ecclesiam pertinent [2]. Christiani, ab Ecclesia inculpabiliter separati bonis Ecclesiæ, quamquam imperfecte, communicant [3].

808. Conclusio. Omni igitur argumentorum genere constat Ecclesiam Romanam, eamque solam, vere esse Ecclesiam a Christo institutam, quam omnes ingredi debeant qui æternam salutem consequi volunt.

Festinent ergo cuncti ad hanc Ecclesiam; fratres absentes adjuvent qui jam sub custodia Christi hoc ovile ingressi sunt, sive precibus, sive pœnitentia, sive verbo, ut omnes simul per Ecclesiam agnoscant et honorificent Patrem et quem ipse misit Jesum Christum : hæc est enim vitæ æternæ inchoatio [4].

HIC EXPLICIT PARS APOLOGETICA.

---

[1] **S. Augustinus** jam hunc duplicem operandi modum Dei agnoscebat : "Quoniam igitur divina providentia, non solum singulis hominibus quasi *privatim*, sed universo generi humano tanquam *publice* consulit : quid cum singulis agatur, Deus qui agit atque ipsi cum quibus agitur sciunt; quid autem agatur cum genere humano, per historiam commendari voluit, et per prophetiam". (*De vera rel.* 46, 25, *P. L.*, t. 34, col. 142).

[2] Sic de suo patre, olim pagano, **S. Gregorius Nazianzenus** scribit : "Ille, ante etiam quam ad nostram aulam se contulisset, noster erat. Mores quippe ipsum nobis adsciscebant. Ut enim multi ex nostris nobiscum non sunt, quos scilicet a communi corpore vita removet, sic contra multi exterorum ad nos pertinent, quicumque nimirum fidem moribus antevertunt ac solo nomine carent, cum rem ipsam teneant." (*Oratio* 18, **R.**, 982). Cf. celebrem textum S. Ambrosii, in oratione de obitu Valentiniani (n. 51, **R.**, 1328).

[3] De Donatistis scribit **S. Augustinus** : "Bona vero quæ in illis agnoscimus non sunt sua; Domini nostri habent bona, Ecclesiæ habent bona. Baptismus non est ipsorum, sed Christi. Invocatio Dei super caput ipsorum quando ordinantur episcopi, invocatio illa Dei est, non Donati". (*Sermo ad plebem Cæsar.*, 2; *P. L.*, t. 43, col. 691). — [4] *Joan.*, XVII, 3.

TRACTATUS IV

DE CONSTITUTIONE ECCLESIÆ CATHOLICÆ

Scopus et Divisio tractatus.

809. Hucusque probavimus Ecclesiam Romanam, et quidem solam, esse veram Ecclesiam a Christo fundatam; eamque esse visibilem, indefectibilem et hierarchicam, ab Episcopis, sub Romani Pontificis auctoritate, gubernatam. Remanet igitur ut paulo fusius et accuratius hujus Ecclesiæ *essentiam* et *potestatem* expendamus, necnon ejus *relationes cum societate civili.*

Qua in parte uti valemus non tantum Scriptura et Traditione, ut documentis historicis, sed etiam *infallibili auctoritate Ecclesiæ*, quæ, ex jam probatis, in Romano pontifice ex cathedra loquente residet, et in corpore episcopali, prout unitum manet cum Romano Pontifice. Immo cum auctoritas Ecclesiæ Scripturam tamquam inspiratam et Traditionem tamquam divinitus traditam definierit (ut apparet ex sequenti Tractatu), ex iisdem tanquam *fontibus Revelationis* argumentabimur.

In triplici capite dicemus :

I. *De intima Ecclesiæ* constitutione, seu de relationibus Christi cum Ecclesia.

II. *De potestate Ecclesiæ*, scilicet de ejus objecto, exercitio et termino.

III. *De relationibus inter Ecclesiam et Statum.*

In conclusione agemus de natura et excellentia Ecclesiæ.

Ut jam supra notatum est, n. 11, hic tractatus logice *tractatum de Verbo Incarnato* sequitur : Christus siquidem Ecclesiam instituit ut super terram vices gereret Verbi Incarnati

homines docendo, gubernando et sanctificando; logice igitur *tr. theologicus de Ecclesia* post tr. de *Verbo Incarnato* et ante tr. *de Deo sanctificante* ponendus est.

CAPUT I

DE INTIMA ECCLESIÆ CONSTITUTIONE, SEU DE RELATIONIBUS CHRISTUM INTER ET ECCLESIAM [1]

810. Status quæstionis. (a) Christus, ex supra dictis, est Ecclesiæ institutor et fundamentum. Sed intimiores sunt relationes inter Ecclesiam et tres SS. Trinitatis personas, a S. Paulo et S. Augustino expositæ; scilicet relationes non tantum exteriores vel juridicæ, sed etiam *interiores* et *mysticæ*, quibus gratia in animas diffunditur et regnum Dei internum promovetur. Quas relationes breviter declarare oportet, tum ut removeantur Protestantium præjudicia qui falso supponunt Ecclesiam catholicam esse societatem politicam, de rebus externis, non autem de intimis animarum relationibus cum Christo curantem; tum ut et ipsi Catholici majorem concipiant reverentiam erga matrem Ecclesiam, quatenus est *corpus Christi mysticum* ejusque *sponsa* [2].

---

[1] **S. Thomas**, III, q. 8, a. 1-6; **F. Prat.**, *La théologie de S. Paul*, I, 5ª ed., p. 412-433; 7ª ed., p. 335-370; II, 3ª ed., p. 401-429; 7ª ed., p. 331-362; **Lebreton**, *Les origines du dogme de la Trinité*, 4ª ed., L. III, ch. III et VI; **d'Herbigny**, I, p. 95-100; II, p. 234-239; **Leo XIII**, *litt. Encycl. Satis cognitum* (29 jun. 1896) et *Divinum illud munus* (9 maii 1897); **Batiffol**, *Le catholicisme de S. Augustin*, p. 252-256 et passim; **F. X. Jansen S. J.**, *L'Eglise corps mystique du Christ* (*Et. rel.*, n. 22); **R. Plus**, *Dans le Christ Jésus*, 1923; **Schwalm, O. P.**, *Le Christ d'après S. Thomas d'Aquin*, ch. III; **J. Duperray**, *Le Christ dans la vie chrétienne d'après S. Paul*, 2ª ed., 1922; **Petavius**, *Dogmata theologica*, De Incarnatione, XII, 17; **Thomassinus**, *Dogmata theologica*, De adventu Christi, c. XV, 10-27; **D. C. Marmion**, *Le Christ vie de l'âme;* **Passaglia**, l. III, c. 41, n. 742 sq.; **Franzelin**, th. 18; **Dom A. Grea**, *De l'Eglise et de sa divine constitution*, l. I, c. 3.

[2] Vox *Ecclesia* hic latius sumitur quam in cæteris capitibus hujus tractatus, Ecclesia enim *lato* sensu intellecta, in triplici statu spectari potest : *militans* in terra, *patiens* in purgatorio, *triumphans* in cælo. *Ad militantem* Ecclesiam

811. (b) Hujusmodi doctrinæ via parata est tum in Vetere tum in Novo Testamento.

1) In lege antiqua, *populus Israël*, specialiter a Deo electus sæpissime vocatur *populus*, *regnum*, vel *familia* seu *domus Dei*, quatenus *Yahweh* ejus dux, rex vel pater consideratur. In aliis locis Israëlitica natio prædicatur ut *sponsa* Dei [1], vel ut *vinea electa* a Deo ipso plantata [2].

2) Quæ comparationes profundiori sensu applicantur Ecclesiæ Christi, quæ nempe appellatur *domus Dei*, vel *familia* ejus, in qua Christus exhibetur ut *primogenitus inter multos fratres* [3]; est *regnum Dei*, *populus Dei* [4]. Specialiter dicitur *sponsa* Dei, et præsertim sponsa Christi, ut mox declarabitur.

In ultimo Evangelio denique Ecclesia *vineæ veræ* comparatur, suo fundatori, tanquam palmes stipiti, unita, et ab eo et ex eo totum influxum recipiens, gratiam scilicet, sine qua nihil in ordine supernaturali facere possumus. Qui separatur a vinea vera, foras mittetur et ardet, i. e., damnabitur [5].

(c) Sed, juxta *S. Paulum*, Ecclesia est *corpus Christi mysticum*, et hæc appellatio præcipua est, cum ceteræ appellationes, hac recte intellecta, clarius intelligantur. Hæc igitur paulo fusius declaranda est; postea exponemus quo sensu Ecclesia sit *sponsa* Christi et mater nostra.

812. *I^a Thesis:* **Ecclesia est corpus Christi mysticum, quam vivificat Spiritus Sanctus.** De fide divina, ex doctrina S. Pauli.

Tria sunt declaranda et probanda : 1° Ecclesiam esse *corpus mysticum;* 2° Christum esse *caput* hujus corporis; 3° *animam* hujus corporis esse *Spiritum Sanctum.*

1° *Ecclesia est corpus Christi mysticum.* (a) Christus ipse hanc doctrinam Paulo insinuavit ipso instanti ejus conversionis; persecutori christianorum apparens, eum sic alloquitur : " Saule, Saule, quid me persequeris? — Qui dixit : Quis es, Domine? — Et ille : Ego sum Jesus, quem tu perseque-

pertinent qui, viventes in carne, ecclesiasticis superioribus obediunt, et cum infensissimis hostibus, mundo, carne et diabolo bellum indesinenter gerunt; ad Ecclesiam *patientem*, qui, e vita defuncti in statu gratiæ, aliquid luendum habent in Purgatorio; ad Ecclesiam *triumphantem*, qui, omnibus expiatis, jam cum Christo sine fine regnant.

[1] *Os.*, II; *Cant.* — [2] *Is.*, V, 1-7; *Ps.*. LXXIX, 11, 12.

[3] *Rom.*, 8, 29; cf. *Heb.*, III, 6; *I Tim.*, III, 15.

[4] Cf. supra, n. 608 seq. — [5] *Joan.*, XV, 1-8.

ris "[1]. In decursu vitæ suæ Paulus hujus verbi sensum magis ac magis intellexit eumque declaravit præsertim in epistolis ad *Rom.*, *Corinth.*, *Ephes.* et *Coloss.*[2].

813. (**b**) Summa autem ejus doctrinæ hæc est. Ut homines redimeret et vitæ suæ intimæ per gratiam participes efficeret, Deus misit Filium suum natum ex muliere[3]. *In Christo* habitat plenitudo divinitatis corporaliter[4]. Spiritus Sanctus animam Christi tota sua virtute gratiis implevit, ut de plenitudine ejus omnes homines accipiant[5]. Christum enim Redemptorem decet ut redemptos post se trahat; Domino congruit ut subditos regat : *Christus ergo Salvator incompletus esset* nisi ipsi consociarentur fideles ab eo redempti.

Fideles, Christo adjuncti, cum Ipso efformant aliquod *corpus*, non solum moraliter, sicut fit de quacumque societate, sed *realiter;* non tamen materialiter, sed *mystice.* Corpus siquidem efformant, cujus singuli sunt membra, eadem vita spirituali viventes qua Christus vivit, quam Christus nobis suo sanguine acquisivit. Habemus ergo cum Eo et cum fratribus nostris unionem realem, spiritualem, quamvis unusquisque suam propriam personalitatem servet.

2° *Hujus corporis caput est Christus :* " Et ipsum (Christum) dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius et plenitudo ejus "[6]... Revera Christus ad Ecclesiam refertur, sicut caput ad corpus. Sicut enim caput naturale sibi conjungit omnia membra, eisque præsidet et in ea motum et vitam influit, pariter Christus : 1) *sibi jungit arctissimo vinculo* omnia Ecclesiæ membra, ita ut jam non amplius dispersa maneant, sed unius fidei, unius caritatis, unius baptismi nexu simul uniantur, juxta illud : " Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt; ita et Christus. Etenim in uno Spiritu omnes

[1] *Act.*, IX, 4-5. Cf. **S. Augustinum**, in Ps. 142 : " Nisi enim Christus et in membris suis, hoc est fidelibus suis, pressuram et ipse pateretur, Saulus in terra Christum in cælo sedentem non persequeretur ".

[2] *Rom.*, XII, 4-5; *I Cor.* XII, 12-31; *Eph.*, I, 22-23; II, 19-22; IV, 1-16; V, 22-33; *Col.*, I, 17-20. — [3] *Gal.*, IV, 4. — [4] *Col.*, II, 9.

[5] *Joan.*, I, 16; cf. *Col.*, II, 9-10. — [6] *Eph.*, I, 22.

nos in unum corpus baptizati sumus "[1]...; 2) *eis pariter præsidet*, quatenus fideles docet ac regit; 3) *in eos* tandem *spiritualem motum et vitam influit;* nam, sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso; et de plenitudine ejus nos omnes accepimus : hic est enim fons gratiæ, a quo quidquid boni accipimus, juxta illud : " Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant "[2]; hic est vitis cujus nos palmites sumus[3], et sicut palmes a vite succos vitales accipit, ita et nos a Christo vitam spiritualem habemus.

3° *Anima autem Ecclesiæ est Spiritus Sanctus.* Sicut Spiritui per appropriationem adcribitur Incarnatio Christi, ejusque visibilis in Baptismo missio[4], sic etiam in Ecclesia ipse renovat corda, gratiam singulis infundendo[5].

Hæc autem gratia, saltem generaliter et regulariter, non communicatur directe omnibus et singulis membris. Sicut in corpore materiali existunt juncturæ, nervi, venulæ, ita in corpore mystico vita infunditur et communicatur "*per nexus et conjunctiones*", scilicet *per hierarchiam*[6] a Christo institutam, et *per sacramenta*[7] quæ sunt media gratiæ ordinaria. Et sic singuli, et sic Ecclesia, per Christum et in Christo, omnibus tamen cooperantibus, crescunt in fide et caritate, donec occurramus "*in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*", quando nempe in cælo cunctis visio Dei immediata benignissime tribuetur[8].

814. Consectaria hujus doctrinæ. Doctrina de corpore Christi mystico, quæ est veluti centrum theologiæ S. Pauli, tractatum de Ecclesia luculenter illustrat. Etenim :

(a) Ex eo quod Ecclesia sit corpus Christi, patet *nullam esse salutem extra hanc Ecclesiam;* quicumque ergo ab ea

---

[1] *I Cor.*, XII, 12-13. — [2] *Joan.*, X, 10. — [3] *Joan.*, XV, 1 sq.

[4] Cf. *Luc.*, I, 35; *Marc.*, I, 10

[5] " Quod est anima corporis humani, hoc est Spiritus Sanctus corpori Christi quod est Ecclesia ". **S. Augustinus,** *Serm.* 267; quapropter, teste **Leone XIII**, Spiritus Sanctus Apostolis infunditur ut peccata remittant : *Joan.*, XX, 21-23. Quapropter etiam Spiritus in Symbolo Nicæno *Vivificans* appellatur.

[6] *I Cor.*, XII, 28-31; cf. **S. Thom.**, III, q. 8, a. 6 conclus.

[7] *Rom.*, VI, 1-11; *Gal.*, III, 27-29; *I Cor.*, XII, 4, 11, 12, 13; *Joan.*, VI, 53-56. — [8] *Col.* II, 18-19; *Eph.*, IV, 12-16.

culpabiliter separatur, damnabitur. Quicumque autem, apparenter extra Ecclesiam degens, gratiæ sanctificantis est particeps, aliquo modo ad Ecclesiam pertinet (supra, n. 807).

(b) *Ecclesia est supernaturalis* non solum quoad originem, sed quoad intimam suam constitutionem (n. 622).

(c) *Ecclesia essentialiter, ut corpus Christi* ipsum, est *una, catholica*[1], et *sancta;* quapropter fideles jure dicuntur *sancti* et de facto ad sanctitatem tendere tenentur (n. 769 seq).

(d) Ecclesia non solum est congregatio sanctorum, sed coadunatur in *corpus visibile*, hierarchia et sacramentis constitutum (cf. n. 599 seq).

(e) Ex hac denique doctrina fulcitur *dogma Sanctorum communionis.* Omnes qui sunt *in Christo Jesu*[2], cum Redemptore unam efformant personam moralem, sive adhuc vivant, sive jam defuncti sint. Omnes in Christo uniuntur ejusque meritorum sunt participes : singuli in terris degentes pro ceteris, etiam in purgatorio detentis orare, mereri, pati possunt et debent[3]; sancti autem jam Deum videntes, pro fratribus adhuc certantibus Deum invocare queunt[4].

815. Conclusio. Liceat his *S. Gregorii Magni* verbis rem concludere[5] :

"Christus cum tota sua Ecclesia, sive quæ adhuc versatur in terris, sive quæ jam cum eo regnat in terris, una persona est. Et sicut est una anima, quæ diversa corporis membra vivificat, ita totam simul Ecclesiam unus Spiritus Sanctus vegetat et illustrat. Sicut namque Christus, qui est caput Ecclesiæ, de Spiritu Sancto conceptus est, sic Sancta Ecclesia quæ corpus ejus est, eodem spiritu repletur ut vivat : ejus virtute firmatur, ut in unius fidei et charitatis compage subsistat; unde dicit Apostolus : ex quo totum corpus, per nexus et conjunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei. Istud est corpus extra quod non vivificat Spiritus. Unde dicit beatus Augustinus : *Si vis vivere de Spiritu Christi, esto in corpore Christi*".

---

[1] Cf. *Gal.*, III, 26-28; *Col.*, III, 11.

[2] Hæc expressio, quæ velut synthesim doctrinæ expositæ complectitur, occurrit in 164 locis S. Pauli, in 24 S. Joannis.

[3] *Col.*, I, 24.

[4] Quod fusius declaravimus in opusculo : *Les dogmes générateurs de la piété*, Paris, 1924, p. 9-27.

[5] *In psalm. V pœnit.*, v. 1. *P. L.* LXXIX, 602.

816. *II^a Thesis :* **Ecclesia est sponsa Christi et mater nostra,** sensu tamen *analogico.* Certum est.

(**A**) Merito *sponsa Christi* dicitur, quia Christus Ecclesiam quam ipse fundavit et sanguine suo redemit, dilexit sibique univit ut ex ea et per eam filios spirituales gigneret.

(**a**) Quam doctrinam aperte tradit *S. Paulus,* christianum matrimonium comparans unioni Christi cum Ecclesia ratione *subordinationis, dilectionis* et *fecunditatis :* 1) ratione *subordinationis :* nam "sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus"[1]; 2) *dilectionis :* "Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam... ut sit sancta et immaculata"[2]; 3) *fecunditatis :* sicut enim ex Adamo et Eva propagatum est genus humanum, ita ex mystico connubio Christi et Ecclesiæ nascuntur christiani : Ecclesia enim, sanguine Christi fecundata, per dispensationem verbi divini et sacramentorum, nos parturit donec formetur Christus in nobis, "quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus"[3]. Unde merito concludit Apostolus : "Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia"[4].

(**b**) Idem docet *Joannes,* dum describit Ecclesiam "tanquam Jerusalem novam descendentem de cælo a Deo, *paratam sicut sponsam viro suo*"[5].

(**B**) Exinde sequitur Ecclesiam esse *matrem nostram.* Jam S. Paulus de cælesti Jerusalem, cujus atrium est Ecclesia, dixerat : "quæ est *mater nostra*"[6]. *S. Augustinus* sæpe commemorat *sanctam matrem Ecclesiam catholicam*[7]. Recte quidem; gerit enim Ecclesia vices matris "cujus in sinu,

---

[1] *Ephes.*, V, 24. — [2] *Ephes.*, V, 25-27. — [3] *Ephes.*, V, 30. — [4] *Ephes.*, V, 32.

[5] *Apoc.*, XXI, 1-6; XXII, 17. Confirmatur ex *Joan.*, XIX, 34-35; quem locum Patres de Ecclesiæ desponsatione intelligunt, v. g., **S. Augustinus**, *In Joannem*, tr. 120, n. 2, *P. L.*, t. XXXV, 1953 : "Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, et appellata est vita materque vivorum. Magnum quippe significavit bonum ante magnum prævaricationis malum. Hic secundus Adam inclinato capite in cruce dormivit, ut inde formaretur ei conjux, quod de latere dormientis effluxit".

[6] *Galat.*, IV, 26.

[7] Vide textus ap. **Batiffol**, *Le Cathol. de S. Augustin*, p. 270-276.

renati per gratiam... lacte verbi pascimur, pane vitæ roboramur, misericordiæ (Dei) subsidiis confovemur "[1].

Corde igitur filiali hanc almam genitricem amemus, ut infra exponemus.

CAPUT II

DE ECCLESIÆ POTESTATE[2].

817. Cum potestas omnis societatis ex ejus *fine* præcipue deducatur, hic recolendum est Ecclesiam a Christo institutam fuisse ut *in ea, et per eam homines salutem æternam consequerentur*. Ad hunc autem finem attingendum, Ecclesia imprimis pollere debet potestate *magisterii*, ad docendum veram fidem, et potestate *ordinis* seu *ministerii* ad ministranda Christi sacramenta[3]. — Insuper, cum omni societati competat potestas *regendi* suos cives eosque ad finem intentum dirigendi, Christus contulit quoque suæ Ecclesiæ potestatem *jurisdictionis proprie dictæ*, seu *imperii*, ut fideles ad finem supernaturalem dirigantur per pastores quibus in Ecclesia auctoritatem suam commisit[4].

Quam triplicem potestatem *magisterii*, *ministerii*, et *imperii* a Christo suæ Ecclesiæ collatam, et ab Apostolis jam a primis temporibus exercitam fuisse, multis argumentis supra demonstratum est. Ex dictis etiam constat episcopos in hac triplici potestate Apostolis successisse, dependenter tamen a Romano Pontifice, cui, tanquam Petri successori, competit suprema potestas in fideles et pastores. Ne ergo in jam dicta redeamus, hic non intendimus denuo probare existentiam in Ecclesia hujus triplicis potestatis, sed potius *determinare quisnam sit ejus ambitus, quomodo exerceatur* et *in quos subditos*.

---

[1] Præfat. missæ Dedicat. Ecclesiæ in *proprio Parisiensi*.

[2] In sequentibus capitibus recognoscendis multum mihi profuerunt notæ manuscriptæ quas benigne utendas tradidit **F. Cimetier**, Juris canonici professor in Seminario Issiacensi.

[3] *Matth.*, XXVIII, 19; *Marc.*, XVI, 16.

[4] *Luc.*, X, 16; *Matth.*, XXVIII, 18-19; *Matth.*, XVIII, 17; *Joan.*, XX, 21.

Unde triplex articulus :

De *objecto* potestatis Ecclesiæ;
De *exercitio* potestatis Ecclesiæ;
De *membris* Ecclesiæ.

Cum spécialis *tractatus de Ordine* in decursu Theologiæ habeatur, de potestate ordinis hic nihil dicendum est.

Art. I. De objecto potestatis Ecclesiæ.

§ I. De objecto magisterii doctrinalis Ecclesiæ[1].

818. Status quæstionis. Amplitudine magisterii doctrinalis Ecclesiæ continentur omnia jura quæ necessaria sunt ad revelationem edocendam, et ad depositum fidei custodiendum et defendendum. Hinc, non solum potest *definire* infallibiliter doctrinam revelatam de fide et moribus, et infallibile judicium proferre de veritatibus intime connexis cum doctrina revelata, sed etiam valet, jure divino et prorsus independenti, hominibus tradere christianam doctrinam, ad hoc mittere *prædicatores*, sive apud fideles, sive apud infideles, *scholas* aperire pro religiosa institutione puerorum. Merito etiam *prohibet libros* fidei vel moribus periculosos, damnat errores, symbola fidei conficit, etc. : quæ omnia a canonistis fusius exponuntur[2]. Ad theologum præcipue spectat disserere de objecto *infallibilitatis* Ecclesiæ : quod in sequenti thesi determinatur.

Thesis : **Ecclesiæ infallibilitatis objectum directum amplectitur omnes et singulas veritates religiosas in fontibus revelationis formaliter contentas; indirectum vero omnes res quæ necessario requiruntur ut revelationis depositum integrum custodiatur.**

Thesis est *de fide quoad primam partem;* est tantum *certa, quoad secundam partem* [3].

---

[1] Cf. **Van Noort,** Sect. I, cap. III, art. I, § II; **Pesch,** Pars II, sect. V; **Hurter,** th. 54-55; **Mazzella,** Disput. IV, art. VIII; **Wilmers,** l. IV, c. IV; **Billot,** th. XVI-XIX; **d'Herbigny,** II, p. 300-306; **Franzelin,** *De Traditione*, th. XII; **Palmieri,** *Prolog.*, § XL.

[2] Cf. **Wernz,** *Jus decretalium*, III, p. 2-150 et novum *Codicem*.

[3] *Certa* dicitur doctrina quæ non formaliter in Revelatione continetur, sed certe deducitur e veritate revelata.

819. 1° Explicatur et probatur principium generale thesis. Infallibilitas Ecclesiæ commissa est ut doctrinam Christi custodiret. Jamvero hujus infallibilitatis objectum duplex esse potest, scilicet : *directum*, quod complectitur omnes veritates explicite vel implicite a Deo revelatas, prout continentur in verbo Dei scripto vel tradito; *indirectum*, quod comprehendit omnes veritates quæ, licet revelatæ non sint, ita tamen cum revelatis connectuntur, ut necessariæ sint ad ipsum fidei depositum integre custodiendum, rite explicandum et efficaciter definiendum [1].

De fide est Ecclesiam infallibilem esse in definiendis veritatibus revelatis; nec necesse est id probare, cum argumenta superius allata n. 664 sq., id saltem demonstrent. — Insuper *certum est* Ecclesiam infallibilem esse quoad veritates cum revelatis intime connexas. Etenim fidei depositum non potest integre custodiri vel efficaciter defendi, nisi simul error vitetur in rebus cum hoc deposito necessario connexis; si enim errores admittuntur qui *indirecte*, sed tamen efficaciter, fidei ædificium labefactent, mox fides ipsa peribit.

Magnum tamen est discrimen inter objectum infallibilitatis directum et indirectum; quando veritas *directe* revelata definitur, est objectum fidei *divinæ et catholicæ* [2], quia creditur directe propter auctoritatem Dei revelantis; quando autem auctoritas infallibilis exercetur circa veritates *connexas* cum revelatione, hujusmodi veritates non sunt objectum fidei divinæ aut catholicæ, sed solum fidei *ecclesiasticæ*,

[1] " Le privilège de l'infaillibilité a été conféré à l'Eglise pour que la parole de Dieu, écrite ou transmise oralement, soit enseignée intégralement dans l'Eglise universelle et préservée de toute nouveauté et de toute altération. L'objet de l'infaillibilité s'étend donc *aussi loin que s'étend le dépôt de la foi, et que l'exige le devoir imposé à l'Eglise de conserver fidèlement ce dépôt.* Il comprend donc, selon toute leur étendue, non seulement la parole de Dieu révélée, mais encore toutes les vérités qui, sans être révélées en elles-mêmes, ont cependant avec les vérités révélées une *connexion si intime*, que sans elles la parole divine ne peut être ni fidèlement conservée, ni proposée avec précision et certitude à la croyance des fidèles, ni solidement prouvée et défendue contre les erreurs humaines et contre les efforts d'une fausse science". (*Confér. de Belley*, cit. apud **Salvatore di Bartolo**, *Nuova esposizione dei criteri theologici*, cum permissu S. P. A. Magistri, Roma, 1904, p. 56).

[2] *De fide divina* est quidquid verbo Dei, sive scripto, sive tradito, revelatur; veritas autem revelata fit etiam *de fide catholica* quando Ecclesia hanc veritatem definivit.

quia accipiuntur non directe propter auctoritatem Dei, sed propter auctoritatem Ecclesiæ, ut fusius exponimus in *Tr. de Fide.*

Remanet igitur ut pauca dicamus de præcipuis rebus quæ intra objectum infallibilitatis directum et indirectum comprehenduntur.

820. 2° **De objecto directo infallibilitatis.** Objectum directum infallibilitatis est non solum revelata definire, sed etiam voces determinare quibus definita recte exprimantur (sc. formulas dogmaticas, symbola fidei, canones dogmaticos etc.), Scripturarum canonem constituere, Scripturam et Traditionem interpretari, hæresim damnare.

821. 3° **De objecto indirecto infallibilitatis.** Ea sunt objectum indirectum infallibilitatis, quæ cum revelatis intime connectuntur, ita ut sine ipsis revelatio integra non remaneret. Sic :

(**A**) *Ecclesia infallibilis est quoad veritates ordinis naturalis cum dogmate connexas.* Certum est.

Etenim veritates etiam naturales, cum revelatis necessario connexæ, necessariæ sunt ad fidei depositum custodiendum : v. g., spiritualitas animæ quamvis sit veritas philosophica, ita cum fide connectitur ut, ea negata, simul negari debeant ea quæ fides docet circa animæ immortalitatem vitamque futuram; ergo has veritates Ecclesia infallibiliter definire potest. Hanc facultatem sæpius Ecclesia sibi vindicavit [1].

822. (**B**) *Ecclesia est infallibilis circa conclusiones theologicas.* Certum est. Conclusio theologica, quæ dicitur etiam veritas virtualiter revelata, est *conclusio quæ per proprium discursum certo et evidenter deducitur ex duabus præmissis, quarum una est formaliter revelata, altera autem naturaliter cognita;* talis est, v. g., propositio asserens Christum, *ut hominem*, non esse Filium Dei adoptivum sed naturalem, quæ non directe in verbo Dei continetur, sed ex eo logice infertur. Unde sic : Ecclesia infallibilis est in omnibus quæ

[1] *Syllabus*, prop. 11, **D. B.**, 1711; **Pius IX**, Epistola *Gravissimas inter*, **D. B.**, 1674; **Vaticanum**, sess. III, cap. IV, **D. B.**, 1798.

necessaria sunt ad fidei depositum incorrupte servandum; atqui fidei depositum incorruptum servari nequit, nisi infallibilitas ad conclusiones theologicas extendatur; nam homini naturale est conclusiones ex veritatibus revelatis deducere, et si falsæ conclusiones inferantur, dogmata fidei periclitantur vi connexionis quam inter principia et conclusiones mens naturaliter percipit; ita, in casu allato, si quis affirmat Christum, ut hominem, esse Filium Dei adoptivum, et non naturalem, mox incidet in Adoptianismum.

Id *praxi* Ecclesiæ confirmatur : ut enim de aliis exemplis taceamus, *Pius VI*, per Constit. *Auctorem fidei* (28 Aug. 1794)[1], octoginta quinque propositiones Synodi *Pistoriensis* damnavit, inter quas multæ inveniuntur quæ non directe fidei opponuntur, sed solum conclusionibus theologicis. Porro hæc Constitutio ut irreformabile judicium *ex cathedra* recepta fuit. Illæ tamen conclusiones theologicæ probabiliter non sunt objectum fidei *divinæ*, sed solum *ecclesiasticæ*, ut dicetur in *Tr. de Fide.*

823. (**C**) *Infallibilis est Ecclesia quando aliqua censura doctrinali notat quamdam propositionem*[2].

Censura doctrinalis definitur : " *Qualificatio, qua propositio notatur ut fidei vel bonis moribus aliquo modo opposita* "[3].

Si doctrina notatur ut *hæretica*, de fide est infallibilem esse Ecclesiam in decernenda illa censura, cum hic agatur de exercitio magisterii circa objectum *directum* infallibilitatis. Si vero notatur ut *hæresi proxima, in fide erronea, falsa*, communis et vera sententia tenet Ecclesiam esse infallibilem : nam in infligendis hujusmodi censuris, Ecclesia veram fert definitionem, licet negativam, de doctrina intime cum revelatione connexa. Tandem, si doctrina alio modo notatur, v. g., ut *temeraria, piarum aurium offensiva, improbabilis*, etc., non tam evidenter apparet Ecclesiam esse infallibilem, nam non videtur *definire* doctrinam : sed in hoc casu semper religiosus assensus, *etiam internus*, judicio Ecclesiæ debe-

[1] **D. B.**, 1501-1599.

[2] **Mazzella**, *De virtutibus infusis*, Romæ, 1879, disp. II, art. 10, p. 268-283; **Billot**, *op. cit.*, th. XVII; **Quilliet**, in *Diction. de théol.*, II, col. 2101-2113, v. *Censures doctrinales.*

[3] **Pesch.**, *l. c.*, n. 556. Varias species censurarum exponimus in *Tr. de Fide.*

tur [1], ut infra dicemus n. 844-847. Multi tamen non distinguunt, et indiscriminatim asserunt Ecclesiam in censuris doctrinalibus quibuscumque esse infallibilem.

824. (**D**) *Ecclesia est infallibilis quoad facta dogmatica.* Ita communis et vera sententia [2].

Factum dogmaticum in genere est *illud quod cum dogmate fidei ita connectitur*, ut ejus notitia ad dogma edocendum vel tuto servandum necessaria sit. 1) Hujusmodi sunt facta quæ legitimitatem S. Pontificis vel C. Œcumenici respiciunt : nisi enim certo cognoscatur hunc Pontificem esse legitimum Petri successorem, vel hoc Concilium esse vere œcumenicum, non constabit utrum necne auctoritatem habeant in universam Ecclesiam. Omnes admittunt Ecclesiam infallibilitate gaudere circa legitimitatem S. Pontificis, proindeque errare non posse quando unanimiter hunc Papam ut legitimum agnoscit; secus enim Ecclesiæ corpus a capite separaretur; quod contrarium est ejus indefectibilitati et unitati. Certum est pariter Ecclesiam infallibiliter determinare posse quodnam Concilium sit œcumenicum annon; secus dubitaretur utrum decreta ab eo edita infallibilia sint necne. 2) Ad facta dogmatica etiam pertinet factum quod in certo libro contineatur quædam doctrina orthodoxa, vel heterodoxa, v. g., factum quod in libro Jansenii "*Augustinus*" vere exprimatur doctrina quinque propositionum ab *Innocentio X* damnatarum.

Quo res melius intelligatur, hæc statui possunt : non contendimus Ecclesiam infallibilem esse judicando hunc librum esse hujus vel alterius auctoris, vel auctorem, cujus propositiones damnantur, in mente eum intendisse sensum quem verba præ se ferunt, sed posse infallibiliter determinare quemnam sensum verba alicujus

---

[1] Hæc habet *Vaticanum* (sess. III, cap. 4) : "Ecclesia, quæ una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit fidei depositum custodiendi, jus etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam (*Coloss.*, II, 8). Quapropter omnes Christiani fideles hujusmodi opiniones, quæ fidei doctrinæ contrariæ esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatæ fuerint, non solum prohibentur tanquam legitimas scientiæ conclusiones defendere, sed *pro erroribus* potius, qui fallacem veritatis speciem præ se ferant, *habere tenentur omnino*". **D. B.**, 1798; cf. verba **Pii IX**, in Encycl. *Quanta cura*, **D. B.**, 1698.

[2] Contrariam sententiam propugnat **Salvatore di Bartolo**, *op. cit.*, p. 71-78.

libri, attento contextu, præ se ferant [1], et utrum hic sensus sit orthodoxus annon. Etenim, nisi res ita se habeat, poterit hæreticus impune errores spargere, et condemnationem effugere, dicendo non recte sensum libri intellectum fuisse. Ad hoc effugium recursum habuerunt Jansenistæ, post damnationem quinque Jansenii propositionum; sed *Clemens XI* aperte declaravit *obsequiosum silentium* non sufficere, sed "damnatum in quinque præfatis propositionibus Jansenii libri sensum, *quem illarum verba præ se ferunt, ut præfertur*, ab omnibus Christi fidelibus ut hæreticum non ore solum sed et *corde* rejici ac damnari debere" [2].

Quod Ecclesiæ praxi firmatur; nam C. *Nicænum* damnavit librum Arii, cui titulus *Thalia; Ephesinum* Nestorii scripta; *Constantinopolitanum II* tria capitula; *Leo X* errores Lutheri reprobavit; *Pius V* propositiones Baii; *Pius VI* propositiones Synodi Pistoriensis; et hæc judicia ut irreformabilia habita sunt [3].

825. (**E**) *Ecclesia infallibilis est quoad præcepta morum*, quatenus leges generales pro universa Ecclesia latæ bonis moribus oppositæ esse non possunt. Nam si Ecclesia præciperet ut bonum aliquid bonis moribus, id est sive naturali sive divinæ legi, contrarium, eo ipso erraret practice inculcando ut honestum quod revera malum est. Attamen Ecclesia errare potest circa opportunitatem talis vel talis legis in se bonæ, quia nullibi ei promittitur summus prudentiæ gradus ad *optimas* leges pro omnibus temporum vel locorum circumstantiis statuendas.

---

[1] Hinc quando damnantur propositiones *juxta sensum ab auctore intentum*, agitur non de sensu subjectivo, quem forsan auctor habuerit, sed de sensu naturali et obvio, prout eruitur ex libro ipso, omnibus rite attentis.

[2] **D. B.**, n. 1350. Cf. **Bossuet,** *Correspondance*, éd. *Levesque*, t. I, pp. 84, 131.

[3] Objicitur quidem *Vigilium* contradictorias sententias tulisse de *tribus capitulis* (i. e. scriptis Theodori Mopsuesteni, Theodoreti Cyrensis, Ibæ Edesseni), modo ea condemnantem et modo condemnationem revocantem. Fatemur equidem eum non semper secum constitisse; primum quidem præfata opera condemnavit, quia, monophysismum impugnando, in nestorianismum deflectebant; sed prudenter subscriptioni hæc verba addidit : *salva in omnibus reverentia Synodi Chalcedonensis;* et ita fidem catholicam servabat. Cum vero nonnulli ea condemnatione abuterentur ad favendum monothelismo, priorem sententiam retractavit. Ergo hujusmodi variationes neque doctrinam neque factum dogmaticum respiciunt, sed prudentiam in agendo. Cf. **Héfélé-Leclercq,** *op. cit.*, tom. III, § 258 sq.; **Duchesne**, *Vigile et Pélage*, in *Revue des Quest. historiques*, 1884, t. XXXVI, p. 369-440; **Tixeront,** *Histoire des dogmes*, III, p. 133-151.

Hinc Ecclesia pariter infallibilis est quando *definitive* approbat constitutiones alicujus Ordinis religiosi, quatenus approbare nequit instituta quæ fidei et moribus sunt contraria, propter eamdem rationem ac supra [1]; sed non est infallibilis de opportunitate talis vel talis regulæ pro variis circumstantiis loci et temporis, quia hæc est solum quæstio prudentiæ.

826. (F) *Ecclesia infallibilis est in canonizatione sanctorum.* Ita communis et vera sententia [2].

Hic autem agitur tantum de canonizatione prout jam a sæc. X perficitur, non de canonizatione æquipollente, qua quis antea, sine formali examine, ut sanctus habebatur. *Canonizatio* sanctorum distinguitur a *beatificatione : prior* est *definitiva* sententia de sanctitate alicujus servi Dei, qua declaratur eum inter cælites receptum esse, ideoque ab omnibus fidelibus colendum; *posterior* est *prævium* judicium, quo *permittitur* cultus alicujus servi Dei, sed non præcipitur.

Jamvero communiter docent theologi, post *Benedictum XIV* [3], Ecclesiam non esse infallibilem in beatificatione servorum Dei, cum sententia lata non sit definitiva; infallibilem autem esse in canonizatione. Nam, ut arguit *Bened. XIV* [4], fieri nequit ut in universa Ecclesia error inducatur in his quæ ad mores spectant; atqui id contingeret, si falleretur in sanctorum canonizatione; etenim, ut ait *S. Thomas* [5], " esset error damnabilis si veneraretur tanquam sanctus qui fuit peccator, quia aliqui scientes peccata ejus, crederent hoc esse falsum, et, si ita contingeret, possent ad errorem perduci; ergo Ecclesia in talibus errare non potest ".

---

[1] Quod apparet ex Documentis pontificiis. Cf. **Pesch.**, *l. c.*, n. 545.

[2] Nonnulli contenderunt hoc esse de fide, sed **Benedictus XIV** in eximio opere *de Servorum Dei Beatific. et Canonizatione*, lib. I, c. 45, n. 28, post expensa utriusque opinionis argumenta, his verbis concludit : " Si non hæreticum, *temerarium* tamen, scandalum toti Ecclesiæ afferentem, in Sanctos injuriosum, faventem hæreticis negantibus auctoritatem Ecclesiæ in canonizatione Sanctorum, sapientem hæresim, utpote viam sternentem infidelibus ad irridendum fideles, assertorem erroneæ opinionis et gravissimis pœnis obnoxium dicemus eum qui auderet asserere Pontificem in hac aut illa canonizatione errasse ". — Contra sententiam communem, **P. Viollet,** (cf. *Etudes*, 20 avril 1905), multos congerit textus, ex quibus tantum sequitur illam sententiam non esse unanimem. Cf. etiam **Salvatore di Bartolo,** *op. cit.*, p. 70; **T. Ortolan,** art. *Canonisation*, in *D. T. C.*, II, col. 1639 sq.

[3] *Op. cit.*, c. 42. — [4] *Op. cit.*, c. 43, n. 9.

[5] *Quodlibet. IX*, q. 7, a. 16, ubi tamen docere videtur inerrantiam Ecclesiæ in canonizatione sanctorum tantummodo "*pie credendam*" esse.

Præterea errare nequit Ecclesia in iis determinandis quæ ad profitendam fidem pertinent. Atqui, ut *Angelicus* subdit, "honor quem sanctis exhibemus quædam professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus" [1].

Conclusio. Ex his omnibus merito infertur Ecclesiam infallibilem esse non solum in iis quæ revelata sunt, sed etiam in iis quæ ita cum revelatis connectuntur ut, si in eis falleretur, error perniciosus in rebus ad fidem spectantibus induci posset.

§ II. De objecto potestatis regendi Ecclesiæ.

827. Explicato objecto et ambitu magisterii, seu potestatis *doctrinalis* Ecclesiæ, nunc ad imperium seu potestatem *regendi* devenimus, et probare intendimus Ecclesiam triplici potestate gaudere, *legislativa* scilicet, *judiciaria* et *coactiva*.

Thesis. **Potestas regendi a Christo Ecclesiæ concessa complectitur potestatem legislativam, judiciariam et coactivam.** *Certum est* [2].

828. Declaratur thesis. Per potestatem *legislativam* intelligimus potestatem non solum interpretandi leges naturales vel divinas, sed etiam faciendi ordinationes ad bonum commune *quæ membra Ecclesiæ in conscientia obligent.* Potestas *judiciaria* est potestas judicia instituendi circa actiones sociorum, sententiasque ferendi quæ etiam invitos obligent. *Coactiva* dicitur potestas vim physicam adhibendi ad urgendam exsecutionem legum vel sententiarum [3].

---

[1] Quod etiam apparet ex terminis quibus S. Pontifex utitur: "Auctoritate Domini nostri Jesu-Christi, et Apostolorum Petri et Pauli ac nostra, declaramus N. in cælum esse receptum, eumque tamquam sanctum publice privatimque colendum esse declaramus ac definimus". **Pesch.**, *l. c.*, n. 550.

[2] De qua thesi, præter theologos **Billot**, th. XX et XXIV; **de Groot**, Quæst. XI; **Hurter**, th. XLI; **Pesch.**, prop. XXXV; **Mazzella**, disp. III, art. 9; **Palmieri**, Proleg., § XVIII-XIX, consulendi sunt etiam auctores juris publici ecclesiastici, v. g.: **Audisio**, *Droit public de l'Eglise et des nations chrétiennes* (trad. Labis), 3 in 8°, Louvain, 1864; **A. Tilloy**, *Traité théorique et pratique de droit canonique*, Paris, 1895, t. I, p. 20-62; **Duballet**, *Traité des principes de droit canonique*, tom. I, Paris, 1896; **Liberatore**, *Del diritto publico ecclesiastico*, Prato, 1887 (gallice versum, Paris, 1888); **Moulart**, *L'Eglise et l'Etat*, 4e éd., Louvain, 1895; **Cavagnis**, *Institutiones juris publici ecclesiastici*, 3 v. in-12, 4e éd., Romæ, 1906.

[3] Diversimodo ab auctoribus explicatur notio potestatis *coactivæ*. Juxta quos-

In hac definitione potestatis *coactivæ*, per vim *physicam* intelligenda sunt media quæ obtinent suum effectum *etiam invito* subdito, sive sint materialia (pœnæ corporales, v. g., detentio, incarceratio...), sive sint mere spiritualia, ut excommunicatio, suspensio. Hic enim *vis physica* solummodo opponitur *morali* quæ in consilio, præcepto, etc., habetur, et *ex se* non obtinet effectum nisi in bene volente, etiamsi includat obligationem.

829. Probatur thesis. 1° **Ex verbis Christi.** (a) *Modo generali* Christus dedit apostolis, et eorum successoribus, et imprimis Petro, potestatem *pascendi* (i. e. regendi) fideles [1], et *quæcumque alligandi vel solvendi* super terram [2], in ordine ad hunc finem. Quando eos mittit in mundum, dicit : " Data est mihi *omnis potestas* in cælo et in terra. Euntes *ergo* docete omnes gentes, *docentes eos servare* omnia quæcumque mandavi vobis " [3]; his verbis innuens apostolos et eorum successores, ad missionem suam in terris continuandam, *sicut et Ipse, omni potestate* necessaria præditos fore : quod alibi expressit dicens : " Sicut misit me Pater, et ego mitto vos " [4]... " Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me " [5]. Atqui in his verbis generalibus certo includitur potestas tum leges ferendi, tum judicia instituendi, tum pœnis urgendi exsecutionem legum vel sententiarum; nam sine hac triplici potestate, societas vera et perfecta, qualis a Christo instituta fuit Ecclesia, subsistere non potest.

830. (b) Potestas *legislativa* Ecclesiæ ex textibus jam citatis haud obscure infertur [6]; et confirmatur ex eo quod in veteri Testamento hujusmodi potestas existebat, secundum illud : " Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate

---

dam, pars est potestatis *executivæ* tantum (quæ legislativæ et judiciariæ opponitur), quatenus vim physicam in invitos adhibet. Juxta alios vero, potestas quæ dicitur coactiva ad legislativam pertinet, in quantum leges pœnales constituit; ad judiciariam autem, in quantum pœnas a lege statutas in casu particulari contra reum decernit; ad executivam vero in quantum pœnas a judice decretas applicari mandat. Cf. **Cavagnis**, *op. cit.*, lib. I, n. 95-96.

[1] *Joan.*, XXI, 15-18; cf. *I Petr.*, V, 2; *Act.*, XX, 28.

[2] *Matth.*, XVIII, 18; XVI, 19. In hoc ultimo textu, per metaphoram *clavium* expressius explicatur potestas Petro a Christo tradita.

[3] *Matth.*, XXVIII, 18-19. — [4] *Joan.*, XX, 21. — [5] *Luc.*, X, 16.

[6] Præsertim ex *Matth.*, XXVIII, 19 et XVIII, 18; cf. **de Groot**, l. c., p. 393.

et facite"[1]; non enim verisimile est minorem potestatem competere Apostolis et episcopis quam Scribis et Pharisæis.

(c) Potestas *judiciaria* et *coactiva* Ecclesiæ a Christo conceditur quando exponit modum quo peccator corrigi debet. Post fraternas monitiones, si inutiles evadunt, "dic ecclesiæ; *si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*"[2]. In hoc textu indicantur reus, accusator, judex (scilicet ecclesia[3]), et proinde agitur vere de potestate *judiciaria*[4]. Indicatur quoque sententia et pœna a reo subeunda, exclusio scilicet a communitate: "sit tibi sicut ethnicus et publicanus"[5]; ex quo recte concluditur Ecclesiam habere *coactivam* potestatem.

831. 2° **Ex praxi apostolorum.** Hanc triplicem potestatem exercuerunt Apostoli, optimi Magistri interpretes.

(a) *Potestatem legislativam.* In concilio Hierosolymitano, præceperunt apostoli neo-conversis ut abstinerent "ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato et fornicatione"[6]; S. Paulus laudat Corinthios quod *præcepta* sua servaverint[7]; in suis epistolis multas edicit leges de dotibus ministrorum Ecclesiæ[8], v. g., de bigamis et neophytis non ordinandis, de conditionibus requisitis in

---

[1] *Matth.*, XXIII, 2-3. — [2] *Matth.*, XVIII, 15-17.

[3] "Vocantur *ecclesia* ecclesiæ rectores; quod manifestum est tum ex eo quod et synagogæ principes *ecclesiæ* appellantur; tum ex natura rei, quandoquidem judicium ab universa multitudine exerceri nequit; tum ex eo quod Christus e vestigio subjungit: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram*, etc. (l. c., v. 18), quæ quidem verba non ad omnes, sed ad Apostolos ecclesiæque rectores pertinent, qui *ecclesia* dicuntur, quemadmodum *status* appellantur magistratus, a quibus respublica geritur". (**de Groot**, l. c., p. 399; cf. **Loisy** *, *Les Evangiles synoptiques*, II, p. 91.)

[4] "Il s'agit donc d'un véritable pouvoir judiciaire et disciplinaire, qui appartient à la communauté pour sa sauvegarde, et qui réside particulièrement dans ses chefs, par qui il s'exerce". (**Loisy**, l. c.)

[5] Hujusmodi *excommunicatio* jam in synagoga in usu erat, ut videre est apud *Joan.*, IX, 22, 34.

[6] *Act.*, XV, 29. Hanc legem esse novam, positivam (saltem ex parte) et vere obligatoriam optime demonstrat **Palmieri**, *op. cit.*, p. 124. De die dominica quæ juxta plures (v. g. *S. Thom.*, Iª IIæ, q. 103, a. 3; IIª IIæ, q. 122, a. 4) sabbato successit, vi *præcepti* apostolici, cf. *Act.*, XXI, 7; *I Cor.*, XVI, 1; *Apoc.*, I, 10; **Duchesne**, *Origines du culte chrétien*, 3e éd., p. 228; **Villien**, *Histoire des commandements de l'Eglise*, Paris, 1909, p. 22-25.

[7] "Laudo vos quod præcepta mea tenetis" (*I Cor.*, XI, 2). Cf. *I Thes.*, IV, 2: "Scitis quæ præcepta dederim vobis".

[8] *I Tim.*, III, 2 sq.; *Tit.*, I, 6-9.

vidua eligenda [1], de modo quo vir et mulier orare debent [2], de usu charismatum [3].

(b) *Potestatem judiciariam.* S. Paulus sententiam vere judiciariam tulit contra Hymenæum et Alexandrum [4], contra Corinthium incestuosum [5] : eos tradidit Satanæ; edocet Corinthios quomodo apud fideles causæ judicandæ sint [6]; instruit Timotheum de duobus vel tribus testibus requisitis ad recipiendam accusationem adversus presbyterum [7].

(c) *Potestatem coactivam* jam in exercitio vidimus locis modo citatis [8], quibus plures addi possunt; v. g., *S. Paulus* minatur Corinthios : "In virga veniam ad vos [9]?.. In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam [10]... Hæc absens scribo, ut non præsens durius agam secundum potestatem quam Dominus dedit mihi" [11]; præscribit Thessalonicensibus : "Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, *hunc notate, et ne commisceamini cum illo*" [12].

832. 3° **Ex praxi et definitionibus Ecclesiæ.** — (a) *Ex praxi.* In hoc argumento, non est opus multum insistere, nam omnibus notum est Ecclesiam, Romanosque Pontifices et Episcopos (præsertim in Conciliis), jam a primis temporibus, 1) *leges vel canones* edidisse quibus fidelium conscientiæ obligarentur : quod testantur collectiones juris canonici, quales sunt *Canones* et *Constitutiones Apostolorum*, etc.; — 2) *judiciales* sententias pronuntiasse, v. g., contra hæreticos, et tribunalia ecclesiastica instituisse; — 3) *pœnas* (etiam temporales) contra rebelles decrevisse.

833. (b) *Ex definitionibus Ecclesiæ.* — 1) Suam potestatem *legislativam* Ecclesia in *concilio Tridentino* sollemniter definivit : "Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus *sanctæ Ecclesiæ præceptis*, quæ vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit" [13]. Cui definitioni

---

[1] *I Tim.*, V, 9-12.

[2] *I Cor.*, XI, 2-17. — [3] *I Cor.*, XIV, 27-40. — [4] *I Tim.*, I, 20.

[5] *I Cor.*, V, 1-6. "Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est. In nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu cum virtute Domini nostri Jesu, tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis"...

[6] *I Cor.*, V, 12 sq. — [7] *I Tim.*, V, 19. — [8] *I Tim.*, I, 20; *I Cor.*, V, 1-6.

[9] *I Cor.*, IV, 21. — [10] *II Cor.*, X, 6.

[11] *II Cor.*, XIII, 10; cf. *ib.*, 2 : "Si venero iterum, non parcam".

[12] *II Thes.*, III, 14; cf. *I Cor.*, V, 9; *Rom.*, XVI, 17; *II Joan.*, 10.

[13] *Trid.*, sess. VII, *de Baptismo*, can. 8, **D. B.**, 864. Cf. *Vatic.*, const. *Pastor æternus*, cap. 3, **D. B.**, 1794.

addere possemus multos textus in quibus Romani Pontifices jus sibi vindicarunt condendi leges quæ statim in conscientia obligent, absque prævia acceptatione societatis civilis [1].

2) Potestatem *judiciariam* et *coactivam* Ecclesiæ vindicarunt *Tridentinum* [2], et Summi Pontifices : v. g., *Joannes XXII* damnavit errorem Marsilii Patavini "Quod tota Ecclesia simul juncta nullum hominem punire potest *punitione coactiva*, nisi concedat hoc imperator" [3]; *Pius IX* propositionem hanc in Syllabo reprobavit : "Ecclesia *vis inferendæ* potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam" [4].

3) Triplicem potestatem, *legislativam*, *judiciariam*, *et coactivam* Ecclesiæ affirmant *Benedictus XIV et Pius VI*, damnando ut hæreticam doctrinam quæ denegaret Ecclesiæ "potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam *jubendi per leges*, ac devios contumacesque *exteriore judicio*, et salubribus *pœnis* coercendi atque cogendi" [5]. *Leo XIII* his verbis catholicam doctrinam proponit : "Jesus Christus Apostolis suis *libera* mandata dedit *in sacra*, adjuncta tum ferendarum *legum* veri nominis facultate, tum genuina, quæ hinc consequitur, *judicandi puniendique* potestate" [6]. Tandem *Benedictus XV*, in *Codice juris canonici*, vindicat jus Ecclesiæ subditos coercendi [7].

834. 4° **Ex natura Ecclesiæ.** Ecclesia, qualis est a Christo instituta, talis est naturæ ut necessario habere debeat triplicem potestatem *legislativam*, *judiciariam*, et *coactivam*. Est enim vera societas, juridice perfecta, et qua talis, hac triplici potestate pollere debet.

(**A**) *Notio societatis* [8]. Societas definiri potest : *Plurium*

---

[1] Cf. **Cavagnis,** *op. cit.*, lib. III, c. 1.

[2] *Trid.*, sess. XXIV, can. 12 (quoad causas matrimoniales); sess. VII, *de Baptismo*, can. 14; **D. B.**, 982.

[3] **Joan. XXII,** Const. *Licet juxtam doctrinam*, 23 oct. 1327, apud **D. B.**, 499.

[4] *Syllabus*, prop. 24, **D. B.**, 1724. Cf. **Choupin,** *Valeur des décisions du S. Siège*, p. 214-238. Hæc propositio excerpta est ex litteris *Apostolicæ Sedis* (22 aug. 1851), in quibus Pius IX damnavit opus **J. N. Nuytz***, cui titulus *Juris ecclesiastici Institutiones*.

[5] **Bened. XIV,** brev. *Ad assiduas*, 4 mart. 1755, quo damnatur opus a **P. la Borde** scriptum *Principes sur l'essence, la distinction. et les limites des deux puissanses spirituelle et temporelle*, jam a S. Officio (5 aug. 1753) damnatum (*Benedicti XIV Bullarium*, III, part. 2, Prati, 1847, p. 225); — **Pii VI,** bulla *Auctorem fidei*, 28 aug. 1794, qua damnantur errores synodi Pistoriensis (**D. B.**, 1505.)

[6] **Leon. XIII,** Encycl. *Immortale Dei*, 1 nov. 1885, § Nam Unigenitus, *A. S. S.*, vol. XVIII, p. 165.

[7] *Can.*, 2214. — [8] **Cavagnis,** *op. cit.*, lib. I, n. 38 sq.

unio moralis ad finem communem communibus mediis consequendum. Duplex enim requiritur elementum in omni societate : *materiale* scilicet, et *formale.* Elementum materiale est pluralitas seu multitudo ad unum reducenda; elementum vero formale illud est per quod multitudo ad unum reducitur.

Dicitur : *plurium*, ad indicandum elementum *materiale* societatis, pluralitatem scilicet, seu multitudinem ad unum reducendam.

Unio moralis, ad distinguendum societatem ab agglomeratione mere physica. Societas enim est conjunctio per intellectum et voluntatem, nam præsupponit cognitionem finis communis, et ejus efficacem appetitionem.

Ad finem communem : nam si socii ad diversa tenderent, deficeret inter eos moralis conjunctio. Finis autem est elementum *formale* quo societates specificantur, et ab invicem distinguuntur.

Communibus mediis consequendum : absque enim mediis communibus saltem aliquo modo, socii non haberent ex eorum conjunctione juvamen efficax ad finem attingendum.

Plerumque, practice, triplex unitas conspirationis, finis et mediorum, per subordinationem *eidem auctoritati* obtinetur [1].

835. (**B**) *Species societatis.* — (**a**) Alia est societas *amicalis*, cujus membra neque lege, neque pacto, sed mero affectu invicem uniuntur; — et alia societas *juridica*, cujus membra juris vinculo inter se colligantur, ex quo oriuntur juridica jura et officia.

(**b**) Alia est societas *imperfecta* quæ pro fine habet aliquod bonum in suo genere incompletum, et proinde ordinatur, tanquam pars ad totum, ad aliam societatem quæ bonum in eodem genere completum prosequitur : v. g., societas commercialis relative ad Statum, diœcesis relative ad Ecclesiam; — et alia societas *perfecta*, quæ pro fine habet aliquod bonum in suo genere completum, et proinde non subordinatur alteri societati : v. g., Status, in ordine ad bonum temporale civium; Ecclesia (ut dicemus) in ordine ad bonum spirituale.

836. (**C**) *Natura societatis ecclesiasticæ* [2]. Ecclesia est *societas juridica* et *perfecta*, et proinde triplici gaudet potestate *legislativa*, *judiciali*, *coactiva*, in ordine ad suum proprium finem.

(**a**) *Ecclesia est societas* in stricto sensu supra exposito, nam omnia habet elementa constitutiva alicujus societatis :

---

[1] Cf. **S. Thomas**, *De regimine principum*, l. I, cap. I.

[2] **Moulart**, *op. cit.*, p. 14 sq. et p. 436-476; **Cavagnis**, *op. cit.*, lib. I, n. 205-276.

multitudinem ad unum redigendam, fideles scilicet baptizatos; — *finem* proprium, nempe salutem æternam sociorum, per eorum sanctificationem his in terris obtinendam; — *media* communia ad hunc finem assequendum : eamdem fidem, eadem præcepta, eadem sacramenta, iisdem ducibus subordinatio.

(**b**) *Ecclesia est societas juridica*, nam a Deo ipso, a quo emanat omnis auctoritas, tanquam societas instituta est, et proinde ab Eo auctoritatem accepit ut possit vere ligare socios, et jura necessaria ad suum finem attingendum [1].

(**c**) *Ecclesia est societas perfecta :* habet enim pro fine aliquod bonum in suo ordine completum, ad aliud bonum nullo modo ordinatum, et quod nulla alia societas directe et primario prosequitur, felicitatem scilicet spiritualem et supernaturalem hominum. Consequenter non potest alteri societati subordinari, et est vere perfecta in suo ordine. Immo, finis Ecclesiæ talis est naturæ ut non solum ad alium finem nullo modo ordinetur, sed ipsi omnes ceteri fines subordinentur [2].

(**d**) Ecclesia, utpote societas perfecta, triplici gaudet potestate *legislativa, judiciali, coactiva*, in ordine ad suum proprium finem. — Societas enim juridice perfecta *sibi sufficiens* esse debet in ordine suo, et *in se* habere media necessaria ad suum finem obtinendum. Triplex autem præfata

[1] "L'Eglise tient la place de Dieu qu'elle représente. Par conséquent l'homme a envers l'Eglise les mêmes devoirs qu'envers Dieu. Or tous nos devoirs vis-à-vis de Dieu sont *juridiques*, puisqu'ils correspondent au droit absolu qu'il a sur les créatures. Donc l'Eglise est une société juridique *liant* à elle, comme corps moral, les différents membres qui s'y unissent, et produisant chez eux, par ses commandements, une véritable *obligation* juridique". (**Choupin**, *Valeur des décisions du S. Siège*, p. 218). Cf. **Cavagnis**, *Nature de l'autorité juridique et publique de l'Eglise*, trad. Duballet, Paris, 1891, p. 47 sq.; **Duballet**, *op. cit.*, I, p. 221 sq.; **Liberatore**, *Droit public de l'Eglise*, trad. Onclair, Paris, 1888, p. 19 sq.

[2] Damnata est a **Pio IX** propositio sequens (*Syllab.*, prop. 20; **D. B.**, 1720) : "Ecclesia non est *vera perfectaque societas plane libera*, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quæ sint Ecclesiæ jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat". — **Leo XIII**, in Encycl. *Immortale Dei*, 1 nov. 1885, explicite dicit : "(Ecclesia) societas est *genere et jure perfecta*, cum adjumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque Conditoris sui, omnia in se ac per se ipsa possideat".

potestas in omni societate perfecta necessaria est. Nam, ut societas possit conducere subditos ad suum finem, debet 1) eis proponere tanquam obligatoria certa media necessaria vel utilia ad finem consequendum : quod per potestatem *legislativam* præstatur ; 2) legum violatores punire, ne inanis evadat legifera potestas : quod fit per potestatem *judiciariam ;* 3) gubernationem et administrationem, quoad personas et bona, curare, et exsecutioni legum et sententiarum invigilare : hinc potestas *exsecutiva*, quæ etiam *coactiva* vocatur, ex dictis n. 828, si in exsecutione vis *physica* adhibetur.

837. Corollarium. *Ecclesia jure proprio pœnas quasdam temporales delinquentibus infligere potest, non excedentes tamen moderamen regiminis ecclesiastici*[1]. Hæc est doctrina communis et certa.

Probatur : 1) Ecclesiæ *praxi :* nam per multa sæcula pœnis temporalibus usa est ad coercitionem delinquentium, — non solum subjiciendo peccatores pœnitentiis etiam publicis, vel privando clericos suis officiis et beneficiis, — sed etiam reos plectendo mulctis pecuniariis, incarceratione, et aliis pœnis moderatis.

2) Ecclesiæ *definitionibus*, quæ pluries sibi hoc jus vindicavit. Juxta *Joan. XXII*, "*corporalis* est a Christo *coactio* Ecclesiæ permissa" ; affirmat *Ben. XIV* Ecclesiæ Christum contulisse potestatem "devios contumacesque *exteriori judicio et salubribus pœnis* coercendi atque cogendi" ; quæ verba *Pius VI* sua fecit, damnando ut hæreticam doctrinam contrariam ; tandem *Pius IX*, tum in Syllabo (prop. 24), tum in encyclica *Quanta Cura*, affirmat Ecclesiam habere "potestatem *vis* inferendæ", et damnat eos qui denegant Ecclesiæ "jus violatores suarum legum pœnis *temporalibus* coercendi"[2].

---

[1] **Soglia,** *Institutiones juris publici ecclesiastici*, p. 165-169 ; **Cavagnis,** *op. cit.*, lib. I, c. II, art. VI ; **Choupin,** *op. cit.*, p. 214-238 ; *Nouvelle revue théologique*, 1908, p. 209-229 ; **Vacandard,** *L'Inquisition*, Paris, 1907 ; *La nature du pouvoir coercitif de l'Eglise*, in *Etudes de critique et d'histoire religieuse*, 2me série, Paris, 1910, p. 219-243 ; **Moulard,** in *Rev. pr. d'apologétique*, 15 août 1908, p. 721-736. Cf. **Batiffol,** *Le catholicisme de S. Augustin*, passim.

[2] **Joan. XXII**, const. *Licet*, 10 kal. nov. 1327 ; **Bened. XIV**, brev. *Ad assiduas*, 4 mart. 1755 ; **Pius VI**, bull. *Auctorem fidei*, 28 Aug. 1794 ; **Pius IX**, brev. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851, et encycl. *Quanta cura*, 8 decembr. 1864. Cf. **D. B.**, 1724. In schemate *De Ecclesia*, theologi Concilii Vaticani Ecclesiæ vindicabant "potestatem... *exteriori judicio ac salubribus pœnis* coercendi atque cogendi" (can. 12). Cf. **D. B.**, 401, 469, 640, 682, 773.

3) *Patrum*[1] et *Theologorum consensu*[2] qui contra hæreticos ad coactionem physicam sæpe provocaverunt, ut magnitudo criminis hæresis puniatur, fides et salus fidelium necnon pax societatis etiam civilis in tuto ponantur.

4) *Ratione :* nam Ecclesia, utpote societas perfecta et independens, sufficienti potestate pollere debet ad *efficaciter* coercendos contumaces, (ad quod pœnæ mere spirituales sæpe non sufficiunt), et providere debet ne fides fidelium per culpam aliquorum pereat[3].

838. Dixi : *non excedentes moderamen regiminis ecclesiastici.* Nam, ut scribit Nicolaus I, " Ecclesia gladium non habet nisi spiritualem; *non occidit*, sed vivificat "[4], et notum est illud effatum " Ecclesia abhorret a sanguine ". Et ideo Ecclesia pœnam capitalem nunquam indixit, quamvis approbaverit, tacito saltem consensu, ordinationes civiles quibus, juxta morem tunc receptum, hæretici pervicaces et obdurati capite plectebantur. — Immo, secundum sententiam communem, Ecclesiæ non competit jus pœnas temporales inferendi " ex scopo *mere* vindicativo, sed solum ex fine emendativo delinquentis, et exemplari ac præservativo ceterorum... Ecclesia enim intendit salutem hominum, ideoque delicta punit quantum requirit salus delinquentis et societatis, et proinde quantum necesse est ad reum emendandum, et ad ceteros deterrendos ab ejus imitatione "[5]. Cum autem coercitio temporalis ante omnia ad animarum bonum tendat, voluntarie Ecclesia indulgentiæ favet, quando majus bonum inde sequitur : quod hodie sane evenit.

Art. II. De exercitio potestatis ecclesiasticæ.

In tractatu præcedenti jam probatum est triplicem potestatem docendi, regendi ac sanctificandi fideles *collegio Episcoporum* eorumque *supremo Capiti* divinitus commissam fuisse.

---

[1] Cf. **Vacandard,** *L'Inquisition*, p. 16-26, 32, 35. Aliqui tamen inter Patres magis indulgentiæ faverunt. (*Ib.*, 33-34, 239, 299.)

[2] Cf. doctrinam explicitam **S. Thomæ,** II^{a} II^{æ}, q. 10, a. 8; q. 11, a. 3.

[3] Recte scribit **de Poulpiquet,** *L'Eglise cath.*, p. 161 : " Ceux qui lui (c. à d. à l'Eglise) reprochent avec amertume son intransigeance et sa sévérité dans les mesures de répression qu'elle emploie font preuve d'une singulière incompréhension. Une Eglise indifférente devant un péril certain concernant le dogme ou la morale se désintéresserait complètement du salut des fidèles et trahirait la mission que le Christ lui a confiée. Son intolérance pour le mal et l'hérésie s'explique par la haute et claire conscience qu'elle a d'être la vivante personnification de celui qui est venu déclarer une guerre à mort au péché et inaugurer le règne de la sainteté ".

[4] *Decret. Grat.*, can. *Inter hæc*, 6, Caus. 33, q. 2 (ed. **Friedberg,** col. 1152).

[5] **Cavagnis,** l. c., n. 299. Ex hoc facile concluditur cur pœnæ ab Ecclesia inferendæ, in textibus jam allatis, fere semper vocentur *salubres*, vel *salutares* : habent enim pro fine *salutem* delinquentis et societatis, et non *vindictam*.

Dicemus igitur : 1° de exercitio potestatis *pontificiæ*; 2° de exercitio auctoritatis *episcopalis*.

839. Prænotandum. Inter theologos disputatur quæstio de *forma regiminis* in Ecclesia, utrum sit *monarchia* necne, et quidem utrum *simplex* an *temperata*[1].

Triplex siquidem est regiminis forma in genere : *monarchica*, in qua suprema regendi potestas *uni* competit; *aristocratica*, in qua eadem *paucis* et optimatibus conceditur; *democratica*, in qua potestas radicaliter est in *omnibus civibus collective* sumptis, et ab his committitur quoad *exercitium* aliquot magistratibus libere selectis. Hæ autem tres formæ possunt inter se quasi permisceri et temperari, v. g., monarchia potest temperari aristocratia vel democratia, vel duabus simul.

(**A**) Quibus prænotatis, forma regiminis in Ecclesia Christi *non est democratica :* nam probavimus supra potestatem docendi, regendi et sanctificandi non singulis Ecclesiæ membris collatam fuisse, sed Apostolis eorumque successoribus. Item non est *aristocratica*, quia, licet eadem auctoritas collegio Apostolorum et Episcoporum concessa fuerit, unus ex eis constitutus est *caput* collegii, ita ut singuli Apostoli vel episcopi non possint suam potestatem exercere nisi dependenter a capite. Ergo forma regiminis ecclesiastici est *vere monarchica :* siquidem plenitudo potestatis docendi, regendi et sanctificandi Petro ejusque successoribus, Rom. Pontificibus, collata fuit, ut demonstravimus ubi de Primatu.

(**B**) Disputant insuper theologi utrum forma regiminis sit monarchia *simplex* an *temperata*. Potest quidem vocari monarchia *simplex*, eo sensu quod plenitudo potestatis in S. Pontifice residet, et quidem independens a fidelibus et episcopis, ita ut vis et efficacia illius decretorum minime ab eorum suffragio procedat. Sed potest etiam dici recto sensu *temperata*, tum quia S. Pontifex, qui non est nisi *Christi vicarius*, non proprio arbitrio regit Ecclesiam, sed sub Christo, cujus leges immutare nequit; tum quia habet aliquid *aristocratici*, quatenus Pontifex in partem sollicitudinis et gubernationis adsciscere debet episcopos; immo et aliquid *democratici*, quatenus Pontifex, episcopi aliique ministri non jure hereditario creantur, sed ex omni natione et quavis conditione etiam per electionem assumuntur. Et ita forsan componi potest controversia inter theologos catholicos, quæ de nomine est potius quam de re.

---

[1] **S. Thom.**, *in III Politic.*, lect. VI; *C. Gent.*, l. IV, c. 76; **Bellarm.**, *De Rom. Pontif.*, l. I, c. 1-9; **Zigliara**, *Propædeut.*, l. IV, cc. 8, 11; **Mazzella**, n. 532 sq.; **Pesch**, n. 364 sq.; **Moulart**, p. 25-60; **Audisio**, *op. cit.*, t. I; **Philipps**, *Kirchenrecht*, I, § 24.

§ I. De exercitio potestatis pontificiæ.

Ex jam dictis, triplex est potestas Summo Pontifici commissa, videlicet potestas *docendi*, *regendi* et *sanctificandi* totam Ecclesiam. Cum de potestate *ordinis* agatur in speciali *Tractatu de Ordine*, hic satis erit potestatem *docendi* et *regendi* declarare.

I. De potestate docendi [1].

840. Romanus Pontifex, quatenus Petri successor et vicarius Christi in terra, supremam magisterii potestatem in universam Ecclesiam exercet. Cui jus et officium incumbit salutarem Christi doctrinam apud omnes terræ populos *propagandi*, eamque sinceram et puram *conservandi*. Quod præstat triplici præsertim modo : 1° *sollemnibus definitionibus ex cathedra;* 2° *ordinario magisterio;* 3° *mediantibus congregationibus* quibus partem suæ auctoritatis commisit.

841. 1° **De definitionibus sollemnibus** *ex cathedra* non est quod immoremur. Jam enim probavimus hujusmodi definitiones *de fide et moribus* esse *irreformabiles*, eisque proinde plenum fidei assensum præbendum esse, supra, n. 742 sq. — Aliunde objectum Pontificiæ infallibilitatis tam late patet quam objectum infallibilitatis Ecclesiæ, quod supra declaratum est, n. 818 sq.; docet enim *Vaticanum* ea infallibilitate Summum Pontificem pollere " qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit " [2]. Quidquid igitur diximus de ambitu infallibilitatis Ecclesiæ, de infallibilitate Pontificis prædicandum est.

842. 2° **De magisterio mere ecclesiastico.** Romanus Pontifex suum magisterium exercet non solum sententias

[1] Cf. **Wilmers**, prop. LXXII ; **Hugueny**, *Critique et catholique*, t. II, ch. I, Le magistère de l'Eglise ; **Choupin**, *Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du S. Siège*, Paris, 1907 ; **Id.**, art. *Curie romaine*, in *D. A.*

[2] Sess. IV, cap. 4, **D. B.**, 1839. — Quod *Granderath*, *op. cit.*, p. 190 sq., optime exponit ex ipsa discussione in Concilio hac de re habita. Ad meliorem rei intelligentiam lege *Acta Vatican.*, ed. Lac., pp. 286, 375, 376, 383, 385, 1685, 1700 sq. et alibi passim.

definitivas ex cathedra proferendo, sed etiam veritates proponendo, absque intentione infallibiliter eas definiendi.

Quod quidem diversimode præstat : variis quæsitis respondendo per *decretales* litteras; catechismos aliosque libros pro fidelium religiosa instructione commendando [1]; libros ut periculosos pro fide et moribus prohibendo, vel propositiones tanquam erroneas aut temerarias condemnando; encyclicas publici juris faciendo, in quibus principia catholica lucide exponantur absque intentione ea definiendi [2].

Jamvero quæstio est quænam sit hujus magisterii *auctoritas*, et quisnam *assensus* ei debeatur.

843. (**a**) Certum est hujusmodi declarationes *non esse infallibiles*, cum mens Pontificis non sit rem definiendi; sed eas magna auctoritate pollere, cum ab eo procedant qui, utpote Caput Ecclesiæ, divino Spiritu præ ceteris regitur et illuminatur, et ceteroquin, pro gravi munere quo fungitur, prudenter investigat veritates quas proponit.

844. (**b**) His igitur declarationibus debetur non quidem fidei assensus, sed assensus *internus* ac *religiosus* quem præstamus legitimæ ecclesiasticæ auctoritati; nec assensus *absolutus*, cum decreta non sint infallibilia, sed *prudentialis* et *conditionatus*, quatenus in rebus fidei et morum præsumptio stat pro superiore. Nonnulli quidem contendunt in hoc casu *reverentiale silentium sufficere*, quo tacetur de rebus quæ ut temerariæ vel non tutæ declaratæ sunt, non autem exigi *internum mentis obsequium* quod præstare tenemur tantummodo in rebus omnino certis [3]. Communior tamen sententia est requiri *internum assensum* de quo supra egimus, tum quia id suadent *prudentia* et *obedientia* ecclesiasticis superioribus debitæ non solum in re disciplinari, sed etiam et *a fortiori* in re doctrinali; tum quia id conformius esse videtur huic declarationi *C. Vaticani* [4] : " Quoniam vero satis non est hæreticam pravitatem devitare, nisi ii quoque

[1] Ita Catechismus *Concilii Tridentini*, *Romanus* etiam dictus, S. Pii V jussu editus.

[2] Non paucæ ex Encyclicis *Leonis XIII*, v. g., *Immortale*, 1885, *Libertas*, 1888, *Rerum novarum*, 1891, etc., hujus naturæ sunt.

[3] **Bouix**, *De Papa*, t. II, p. 485.

[4] Sess. III, in fine, **D. B.**, 1820. Cf. *Il Monitore ecclesiastico*, 31 jan. 1908.

errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt, omnes officii monemus *servandi* etiam *Constitutiones et Decreta*, quibus pravæ ejusmodi opiniones, quæ isthic diserte non enumerantur, ab hac Sancta Sede proscriptæ et prohibitæ sunt". Hic non *explicite* quidem præscribitur *internus* assensus, sed *implicite;* nam hæc verba immediate sequuntur ea in quibus de *interno* fidei assensu agitur; aliunde quomodo *servari* possunt doctrinalia decreta, nisi eis internus præbeatur assensus? Et quomodo fugi possunt errores damnati nisi ab istis interne dissentiatur?

845. 3° **De congregationibus romanis.** Tandem S. Sedes magisterium exercet per quasdam Congregationes. Aliquam partem sui magisterii doctrinalis commisit *S. Congregationi Inquisitionis* [1] seu *Sancti Officii*, a Paulo III institutæ anno 1542, a Sixto V et recenter a Pio X ampliatæ, cui præsidet ipse Summus Pontifex.

Huic annexa est *S. Congregatio Indicis*, cujus cura erat librorum proscriptio, emendatio vel permissio. Huic Congregationi assimilatur, quoad auctoritatem [2], *Commissio pontificia biblica* a Pio X creata ad solvenda dubia de rebus biblicis.

Prænotamus Pontificem duplici modo approbare decreta Congregationum : modo *sollemni* quando rem totam *suam* facit et decretum *proprio nomine* promulgat; modo *communi* quando decretum approbat ut *congregationis decretum.*

846. (a) In priori casu, doctrinalia decreta sunt vere *actus Pontificis*, quamvis prævium Congregationis examen præcesserit; et ex hoc capite nil prohibet, quin, positis ponendis, *infallibilia sint;* talia fuere decreta Pii V *Ex omnibus afflictionibus* adversus Baium [3], et Innocentii X *Cum occasione*, 31 maii 1653, contra Jansenium [4]. Attamen pauca ejusmodi decreta sunt infallibilia, nam plerumque deficit intentio rem definiendi, vel alia ex conditionibus supra expositis n. 746 sq. [5]

[1] Cf. *Codex*, Can. 247. — [2] Ex Motu proprio "*Præstantia*", **D. B.**, 2113.
[3] **D. B.**, 1001 sq. — [4] Ibid., 1092 sq.
[5] Exempla invenies apud **L. Choupin**, *Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du S. Siège*, Paris, 1907, p. 52-56.

847. (b) In casu altero, multo sane frequentiore, decreta Congregationum, quanquam a S. Pontifice approbata, nullo modo sunt actus *pontificii*, sed remanent actus *congregationis*, et proinde non possunt esse infallibiles, cum nemini R. Pontifex suam infallibilitatem delegare possit. Habent tamen magnam auctoritatem, et eis debetur assensus *internus* et *religiosus*, non quidem absolutus, sed *prudentialis* et *conditionatus*, qui præbetur assertis quæ vere tuta sunt, et a legitima auctoritate doctrinali proponuntur. Hunc enim assensum *internum* exigunt tum prudentia, tum obedientia : nam hæc decreta a viris doctis ac prudentibus proferuntur, qui a S. Pontifice ad hoc munus delegantur, et proinde haberi possunt pro manifestatione doctrinæ in Ecclesia communiter receptæ; temeritate igitur non carent qui eisdem assentire nolunt [1].

848. Quod sane confirmari potest ex modo loquendi Pontificum. Scribebat enim *Pius IX* ad archiepiscopum Monaco-Frisingensem, 21 dec. 1863 :

"Sed cum agatur de illa subjectione, qua *ex conscientia* ii omnes Catholici obstringuntur, qui in contemplatrices scientias incumbunt... sapientibus catholicis haud satis esse, ut præfata Ecclesiæ dogmata recipiant ac venerentur, verum etiam opus esse, ut *se subjiciant* tum decisionibus, quæ ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur, tum iis doctrinæ capitibus, quæ communi et constanti Catholicorum consensu retinentur ut theologicæ veritates et conclusiones ita certæ, ut opiniones eisdem doctrinæ capitibus adversæ, quanquam hæreticæ dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram" [2].

Quod apertius etiam declaravit *Pius X*, motu proprio *Præstantia*, 18 nov. 1907 : "Quapropter declarandum illud præcipiendumque videmus, quemadmodum declaramus in præsens expresseque præcipimus, universos omnes *conscientiæ* obstringi officio sententiis *Pontificalis Consilii de re Biblica*, sive quæ adhuc sunt emissæ sive quæ posthac edentur, perinde ac decretis S. Congregatio-

[1] Recte comparat **de Poulpiquet** (*L'Eglise catholique*, p. 305-334) assensum *prudentialem* quem his definitionibus debemus assensui practico quem, in rebus ad salutem pertinentibus, *parti tutiori* præstare tenemur. Cum fides absolute ad salutem necessaria sit, cavet Ecclesia ne nimia libertate vel inconsiderantia mentes tali vel tali propositioni adhæreant quæ, quamvis forsan non falsa, fidei tamen periculum certum, datis circumstantiis, constituit : qui se his monitis subtrahit, temeritatis et inobedientiæ reus evadit.

[2] **D. B.**, 1684. Cf. Decretum "*Lamentabili*", prop. 7 et 8; **D. B.**, 2007-2008.

num ad doctrinam pertinentibus, probatisque a Pontifice, *se subjiciendi;* nec posse notam tum detrectatæ obedientiæ tum temeritatis devitare, aut culpa propterea vacare gravi, quotquot verbis scriptisve sententias has tales impugnent; idque præter scandalum, quo offendant"[1].

Hic explicite prohibetur, sub pœna gravis peccati, ne decisiones Congregationum, quibus æquiparantur sententiæ *Pontificalis consilii de re biblica*, verbis aut scriptis impugnentur[2]. Sed insuper modo generali inculcatur *officium se subjiciendi in conscientia* iisdem decisionibus, ut vitentur *inobedientia* et *temeritas;* porro qui *internum* denegat assensum non videtur in conscientia se subjicere, nec leges obedientiæ et prudentiæ servare. Vir igitur prudens et obediens præfatis decretis in praxi assensum præbere non recusabit.

Si tamen, in aliquo casu *extraordinario*, docti catholici censerent graves rationes contra decisionem datam militare, possent *privatim* ac *reverenter* eas S. Congregationi proponere, dummodo parati essent ultimo ejus decisioni acquiescere[3].

II. De potestate regendi S. Pontificis[4].

Natura et dotes hujus potestatis.

849. Status quæstionis. — *Febronius, P. Tamburini, Gallicani* non pauci, necnon *Pistorienses*, nostrisque diebus *Anglicani*, qui se Catholicos dicunt, affirmaverunt Romani

[1] *A. S. S.*, vol. XL, p. 724, **D. B.**, 2113.

[2] Insuper a Pio X lata est pœna excommunicationis contra impugnantes Decretum S. Officii, "*Lamentabili sine exitu*". **D. B.**, 2113-2114.

[3] Ita **Choupin**, *op. cit.*, p. 59-60 : "Nous-mêmes, tout en admettant le décret qui proscrit cette proposition par exemple comme erronée, nous pouvons, non pas extérieurement, publiquement (ce serait manquer au respect et à l'obéissance dus à l'autorité légitime), mais d'une manière *privée*, en notre particulier, chercher les raisons intrinsèques de la vérité ou de la fausseté de cette doctrine. Et si par hasard (le cas sera très rare) nous trouvions des raisons solides, qui semblent démontrer que cette proposition est vraie, nous pourrions les présenter à l'autorité compétente, par exemple à la Congrégation, qui les pèserait."

[4] **Bellarm.**, *de Rom. Pontif.*, l. IV, c. 15 sq.; **Ballerini**, *de Vi ac Ratione primatus; De Potestate ecclesiast.*, apud **Migne**, *Theol. Curs.*, III, pp. 905 sq.; 1267 sq.; **Régnier**, ed. *Migne*, p. 901 sq.; **Murray**, disp. XX, vol. III, p. 743 sq.; **Brugère**, n. 45; **Mazzella**, n. 948 sq.; **De Groot**, q. XV, a. 2 sq. **Palmieri**, th. 12 sq.; **Granderath**, *op. cit.*, p. 154 sq.; **Billot**, th. 30;

Pontificis potestatem esse *inspectionis* tantum et *directionis* [1] non autem jurisdictionis proprie dictæ et ordinariæ; unde juxta ipsos, Pontifex episcopalem jurisdictionem exercebat quidem in romana diœcesi; sed relate ad totam ecclesiam non habebat nisi auctoritatem Metropolitæ seu Patriarchæ : exhortari quidem poterat episcopos orbis catholici ad munus suum rite exercendum, et in casibus extraordinariis, quando Pastores negligentiæ reos sese præbuerant, abusus directe corrigere; in casibus autem ordinariis, nil poterat nisi *mediantibus* episcopis : hinc ei non licebat, invitis episcopis, munera episcoporum consueta exercere, ministros ordinare, sacerdotes approbare, uno verbo ea perficere quæ immediatam jurisdictionem requirunt.

Quos errores *Vaticanum* sequenti canone confixit [2] : " Si quis itaque dixerit Romanum Pontificem habere tantummodo officium *inspectionis* vel *directionis*, non autem *plenam* et *supremam* potestatem jurisdictionis in *universam* Ecclesiam, non solum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis quæ ad *disciplinam* et *regimen* Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero *totam plenitudinem* hujus supremæ potestatis; aut hanc ejus potestatem non esse *ordinariam* et *immediatam*, sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in *omnes* et *singulos* pastores et fideles; anathema sit ". Ex quo sequitur inesse Romano Pontifici veram potestatem jurisdictionis *plenam* et *universalem*, *ordinariam* et *immediatam* in omnes et singulos pastores et fideles.

Thesis : **Romanus Pontifex habet plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, etiam in rebus disciplinaribus, et quidem ordinariam et immediatam.** *De fide est* ex canone modo allato.

Van Noort, Sect. II, cap. II, a. II; **Hurter**, tract. III, cap. IV; **Wilmers**, l. II, cap. III et IV; **Dubruel et Arquillière**, art. *Gallicanisme* in *D. A.*; **Neyron S. J.**, art. *Gouvernement de l'Eglise*, in *D. A.*

[1] **Febronius**, *de Statu Ecclesiæ;* **P. Tamburini**, *Vera idea della S. Sede*, p. II, c. 2; **Eybel**, in opere " *Quid est Papa* "; quoad Anglicanos, cfr. **Boudinhon**, *Primauté, Schisme et Juridiction* in periodico *Le Canoniste Contemporain*, fév. 1896, p. 65 sq.; **Ragey**, *Anglo-Catholicisme*, Introduction, et alibi passim.

[2] Sess. IV, cap. 3, **D. B.**, 1826-1831. Cf. **D. B.**, 466, 694; *Codex*, can. 218.

850. Explicatur et probatur thesis. 1° Illa jurisdictio est *universalis*, id est, ad *totam Ecclesiam* extenditur; nam supra (n. 686) probavimus hanc universalem potestatem Petro fuisse collatam, et alibi (n. 702 seq.) Romanos Pontifices legitimos esse Petri successores in primatu, eisdemque gaudere privilegiis; ergo eorum jurisdictio ad universam Ecclesiam sese extendit.

2° Eadem jurisdictio est *plena* et *suprema* non solum in rebus fidei, ut jam probavimus, sed etiam in iis quæ ad *disciplinam* pertinent. Hoc enim constat ex testimoniis superius (n. 690-698) allatis circa *collationem clavium* et potestatem *agnos et oves pascendi :* Petro enim ejusque successoribus Rom. Pontificibus tradita fuit potestas clavium, ita ut possint regnum cælorum aperire vel claudere, et spiritualia vincula solvere vel ligare, independenter a qualibet humana potestate; Apostolis autem, ideoque episcopis, potestas ligandi atque solvendi collata fuit, sed *dependenter* a Petro ejusque successoribus. Iterum Petrus ejusque successores jus habent *pascendi* agnos et oves, id est, episcopos et fideles. Ergo potestatem habent plenam et supremam, quæ a solo Deo limitari possit, "erga quam pastores atque fideles, tam seorsim singuli quam simul omnes, officio hierarchicæ subordinationis, veræque obedientiæ obstringuntur" [1].

3° Jurisdictio S. Pontificis est *ordinaria et immediata : ordinaria*, id est, non delegata nec extraordinaria, sed ei competens vi ipsius officii quod exercet, et quidem semper, non solum in casu negligentiæ aut malitiæ episcoporum, sed in omni tempore et circumstantia; *immediata*, quæ nempe exerceri possit in omnibus diœcesibus sine interventu episcopi; seu, aliis verbis, quemadmodum episcopi suam jurisdictionem exercent immediate in omnibus diœcesis suæ parœciis, ita S. Pontifex potest valide potestatem legislativam, judiciariam et coercitivam exercere immediate in omnes fideles orbis catholici.

Patet ex jam dictis; nam ei competit, et quidem vi officii sui, potestas omnes pascendi, *agnos* et *oves*, episcopos scili-

[1] *Vatic.*, l. c.; cf. Conc. *Lugdun.* et *Florentin.*, loc. supra citat., n. 739, D. B., 466 et 694.

cet et fideles. Proinde ipse est veluti Episcopus universalis Ecclesiæ, Episcopus episcoporum, et Pastor pastorum, ut legitur apud Patres et Concilia multa [1]. Nec mirum; nam cum ipse sit caput et centrum Ecclesiæ, ceteri pastores nonnisi dependenter ab eo suam exercent auctoritatem, ipse autem independenter ab eis potest immediate pascere et regere oves sibi commissas : si enim licentia indigeret episcoporum ad sacramenta administranda in eorum diœcesibus, jam non esset caput totius Ecclesiæ, sed, quoad aliquid saltem, episcopis subderetur : quod sane primatum ipsum destrueret.

851. (a) *Objicitur* quidem repugnare *ut duo simul sint pastores* ordinarii et immediati *super unum eumdemque gregem.*

Respondet Angelicus Doctor [2] : "Inconveniens esset quod duo *æqualiter* super eamdem plebem constituerentur; sed quod duo, quorum unus est alio *principalior*, super eamdem plebem constituantur, non est inconveniens; et secundum hoc super eamdem plebem immediate sunt et sacerdos parochialis, et Episcopus, et Papa : et quilibet eorum potest ea quæ sunt jurisdictionis ad ipsum pertinentia, alteri committere". — Aliunde hæc Pontificis potestas episcoporum auctoritati non nocet; nam, ut ait *Vaticanum* (l. cit.), "Tantum abest ut hæc summi Pontificis potestas officiat ordinariæ ac immediatæ illi episcopalis jurisdictionis potestati, qua episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tanquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud sancti Gregorii Magni : Meus honor est honor universalis Ecclesiæ. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur" [3].

852. (b) *Objicitur* hanc absolutam *potestatem esse tyrannicam*, cum absolute independens sit. Sed oblivioni ne detur potestatem

---

[1] Ut pauca exempla afferamus, S. Leonem in Conc. *Chalcedonensi* Episcopum universalis Ecclesiæ appellarunt tum Legati tum quidam alii Patres, inter quos *Sophronius* Patriarcha Jerosolymitanus. Item Conc. œcumenicum VI ad Papam Agathonem scripsit : "Itaque tibi ut primæ Sedis *Antistiti universalis Ecclesiæ*" etc. S. Gregorius M., ut redargueret superbiam Joannis Jejunatoris, ep. Constantinop., qui sibi arrogaverat titulum Episcopi œcumenici, noluit quidem vocari *Episcopus universalis*, sed servus servorum Dei, ne videlicet putaretur *solum* Pontificem esse episcopum, et sic episcopali dignitati derogaretur; verumtamen rem ipsam sibi constanter asseruit, ut constat præsertim ex ep. 20 ad Mauritium. — [2] **S. Thom.**, *In IV Sentent.*, dist. 17, q. 7.

[3] **D. B.**, 1828; cf. **Leo XIII**, Encycl. "*Satis cognitum*", **D. B.**, 1962.

Romani Pontificis esse *supernaturalem* et sub assistentia Sancti Spiritus exerceri: Deus ergo nunquam sinet potestatem *ad ædificationem* concessam, *ad destructionem* Ecclesiæ vergere. Aliunde canones et leges, quamquam non possideant erga Pontificem *vim coactivam*, habent tamen *vim directivam* a qua sapienter abstrahere non solet. Tandem, si consideras prudentiam Sedis Romanæ, modum electionis pontificiæ, necnon frequentem recursum ad Episcopos, theologos, S. Congregationes, merito inferes etiam humane loquendo moraliter impossibile esse hanc Romani Pontificis potestatem tyrannico modo exerceri.

(**c**) Tandem *objicitur*, præsertim a Protestantibus et Separatis ecclesiis *potestatem absolutam Pontificis non semper eamdem extensionem habuisse.* — Quod tamen thesi nostræ non adversatur. Quamquam objecta circa quæ hæc potestas versatur, decursu temporum numero creverunt, crescente ipsa Ecclesia, necnon relationum facilitate, attamen *potestas ipsa* Petri Romanorumque præsulum semper eadem mansit, ab Evangelio usque adhuc semper; fuit universalis, ordinaria, immediata, sed nonnisi paulatim, et opportuno tempore, ad varios casus extensa est.

Exercitium hujus potestatis.

Exponemus *objectum* hujus potestatis, et *modum* quo exercetur, juxta disciplinam hodie vigentem.

853. 1° **Objectum hujus potestatis.** Romani Pontifices possunt: (**a**) *leges ferre* pro tota Ecclesia, etiam absque episcoporum consensu, cum hoc ad potestatem *ligandi* pertineat; suas, suorumque prædecessorum, et etiam conciliorum œcumenicorum leges non solum authentice interpretari, sed abrogare, vel mutare, vel ab eis dispensare, prout expedire judicaverint: id enim in potestate *solvendi* continetur. Immo possunt dispensare a legibus per episcopos latis, aut eas abrogare, cum hi ei subdantur nec suam auctoritatem exercere valeant nisi dependenter ab auctoritate Pontificia [1].

(**b**) Ad suum tribunal ecclesiasticas causas evocare, sibi majores causas reservare, appellationesque ex toto orbe a quocumque judicio episcoporum suscipere et definitivas sententias ferre, a quibus appellare non licet. Etenim

[1] Cf. Declarationes **Joannis XXII** (**D. B.**, 492 seq.), **Sixti IV** (**D. B.**, 731) et **Alexandri VIII** (**D. B.**, 1324).

potestas judiciaria sequitur legislativam, et qui potestatem habet supremam leges ferendi pro universa Ecclesia eo ipso valet judiciales sententias ferre quoad omnes et quoad omnia. Insuper, cum episcopi sint judices Rom. Pontifici subditi, ab eorum sententiis ad eum appellari potest [1]. Aliunde cum non detur tribunal majus tribunali Pontificis, ex dicendis ubi de Conciliis, ab ejus decisionibus appellare non licet etiam ad Concilium generale [2].

(**c**) Episcopos instituere, vel instituendi modum determinare [3], aut etiam deponere, si Ecclesiæ bono id expedire judicaverint. Ratio est quia episcopi suam potestatem exercere non possunt nisi dependenter ab Ecclesiæ Capite, ut jam probavimus; si quis enim ecclesiasticæ auctoritatis partem retinere ac exercere posset præter consensum S. Pontificis, mox abrumperetur unitatis vinculum [4].

(**d**) *Legatos mittere* in omnes orbis catholici partes [5]. Potestas enim *ordinaria*, qua pollet Papa, aliis delegari potest; aliunde in multis casibus auctoritas pontificia exerceri nequiret, nisi legati ad varias nationes mitterentur, qui de statu

[1] Nonnulli dicunt hanc disciplinam a Conc. *Sardicensi* (an. 347) *institutam* fuisse; sed immerito : hæc enim ipso jure divino fundatur, multisque exemplis in antiquitate firmatur, ut diximus ubi de Primatu, ita ut C. Sardicense nihil aliud præstiterit nisi regulas præscribere, quibus praxis antea vigens facilior redderetur. Cf. **C. Grandmaison**, *Des appels en Cour de Rome jusqu'au concile de Sardique en 347*, in *Bibliothèque de l'Ecole des Chartes*, III^e série, t. IV, 1853, p. 105-125; **Héfélé-Leclercq**, *op. cit.*, II, appendice II, *Notes pour l'histoire du droit d'appel*, p. 1238-1260; **Bernardakis**, *Les appels au pape dans l'Eglise grecque jusqu'à Photius*, in *Echos d'Orient*, t. VI, 1903.

[2] Merito igitur *Vaticanum* declaravit (l. c.) : "Quoniam divino Apostolici primatus jure Romanus Pontifex universæ Ecclesiæ præest, docemus etiam et declaramus, eum esse judicem supremum fidelium, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse judicium recurri; Sedis vero Apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio. Quare a recto veritatis tramite aberrant qui affirmant licere ab judiciis Romanorum Pontificum ad œcumenicum Concilium tanquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare". **D. B.**, 1830; cf. *Codex*, can. 228, 2; 2332, ubi excommunicatio et interdictum decernuntur contra *appellantes*.

[3] *Cod.*, can. 329, 2-3.

[4] Revera, an. 1801, *Pius VII* ab omnibus Galliæ episcopis suarum sedium resignationem postulavit, et quamvis non pauci id præstare noluissent, novas diœceses constituit novosque instituit episcopos : porro hujusmodi actus ut legitimus ab Ecclesia habitus fuit. Cf. *Tridentinum*, **D. B.**, 968.

[5] *Cod.*, can. 265.

religionis in his regionibus Papam certiorem facere possint, simulque vigilare ut ejus decreta exsecutioni mandentur. Hinc jam prioribus Ecclesiæ sæculis usus viguit legatos mittendi qui sive Conciliis præessent, sive canonum exsecutioni invigilarent; ita Osius in Oriente pluribus conciliis præfuit tanquam legatus Apostolicæ Sedis, ita pariter nonnulli episcopi modo permanenti in variis regionibus vices S. Pontificis gerebant, ecclesiasticam disciplinam promoventes [1].

854. *Objicitur Pseudo-Isidori falsas decretales* [2] esse veluti fontem hujus Pontificiæ auctoritatis, quæ proinde fragili omnino nititur fundamento.

Respondetur. Fatemur equidem in ea collectione, quæ circa medium sæc. IX confecta fuit, plures inveniri decretales falsas, ex quibus factum est quædam accidentalia in disciplina ecclesiastica mutari, præsertim quoad modum appellandi. Sed nihil substantialiter novum ab eis inductum est; præsertim vero quod dicitur de primatu Rom. Pontificis jam multo ante a Patribus et Conciliis agnitum fuerat, ut colligitur ex eis quæ jam diximus (n. 717 sq.).

1) Siquidem præcipua quæ, juxta adversarios, tanquam nova spectari debent, hæc sunt : Pseudo-Isidorus docet S. Pontificem esse Episcopum Ecclesiæ universalis, causas majores ad eum referendas esse, præsertim episcoporum causas, ei jus esse excipiendi appellationes a quovis episcoporum judicio, nullum concilium, etiam provinciale, absque ejus consensu celebrari posse, eum posse legatos mittere in omnes orbis catholici partes. Porro hæc omnia jam antiquitus existebant, ut ex superius dictis constat, fuseque probant eruditi [3]. 2) Aliunde quomodo fieri potuisset ut regulæ omnino novæ, quæ evertissent consuetudines diu receptas, tam facile reciperentur? Auctor igitur hujus Collectionis novam non induxit disciplinam, sed solum principia juris ecclesiastici, jam admissa et in praxi adhibita, modo disertiori exposuit et hæc est ratio cur sine ulla fere oppositione ejus opus receptum fuerit. 3) Denique hæc collectio non a Sede romana excogitata est, sed

[1] Multa hujusmodi facta invenies apud **Thomassin**, *Anc. et nouvelle discipline de l'Eglise*, p. I, lib. I, cc. 6, 30, 60; lib. II, cc. 107 sq., 117 sq.

[2] *P. L.*, t. CXXX; **Hinschius** *, *Decretales pseudoisidorianæ*, Leipzig, 1868. Cf. **Sabatier** *, *Religions d'autorité*, p. 221-223.

[3] Cum nonnisi breviter has quæstiones historicas attingere valeamus, cfr. **Jungmann**, *Diss. hist. eccles.*, vol. III, p. 256 sq.; **De Smedt**, in periodico *Etudes Religieuses*, juil. 1870; **F. Clarke**, *The False Decretals*, in periodico *The Month*, march. 1881; **Palmieri**, th. 20; et præsertim **P. Fournier**, *Etude sur les Fausses Décrétales*, in *Revue d'histoire ecclésiastique*, 1906 et 1907; *D. A.*, I, col. 903-910, et opera ibi citata.

a clerico in Gallia degente, qui Ecclesiam a Status tyrannide liberare intendebat.

855. 2° **Modus quo exercetur.** Cum R. Pontifex non possit solus efficaciter exercere suam ordinariam et immediatam jurisdictionem in universam Ecclesiam, non solum ut diximus, *legatos* et *nuntios* habet apud varias gentes, sed etiam *Cardinalium* et *Prælatorum* Romæ residentium utitur auxilio, quibus in varia *Dicasteria* coadunatis suam jurisdictionem commisit exercendam.

Cum autem in toto decursu Theologiæ, sive dogmaticæ sive moralis, de hujusmodi *Dicasteriis* sæpissime agatur, hic de unoquoque breviter dicemus, ad Canonistas lectorem remittendo pro uberiori de hac materia tractatione [1].

Curia Romana, a *Pio X* penitus instaurata et ordinata, nunc complectitur 19 *Dicasteria*, scilicet : *Congregationes* undecim, *Tribunalia* tria, *Officia* quinque.

856. (A) **Congregationes,** quæ gaudent jurisdictione mere *administrativa* et *disciplinari*, nunquam vero *contentiosa* [2], sunt :

(a) Congreg. *Sancti Officii*, cui Summus Pontifex præest, et quæ *doctrinam* fidei et morum tuetur; eidem proinde soli manet judicium de hæresi, aliisque criminibus quæ suspicionem hæresis inducunt. Ad ipsam quoque devoluta est universa res de *libris prohibendis* quæ olim Cong. *Indicis* competebat, et potestas concedendi licentiam hos libros legendi [3].

---

[1] Const. *Sapienti Consilio*, 29 jun. 1908, *Act. Apost. Sedis*, I, 1909, p. 7-19; *Ordo servandus in Sacris Congregationibus, Tribunalibus, Officiis Romanæ Curiæ*, 1ª pars, Normæ communes, 29 jun. 1908, *Act. Apost. Sedis*, I, p. 36-58; 2ª pars, Normæ peculiares, 29 sept. 1908, *Act. Apost. Sedis*, I, p. 59-108. Cf. *Codex*, can. 242-264. — Hanc novam ordinationem Curiæ Romanæ commentati sunt : **Fourneret,** in *Canoniste contemporain*, 1908 sq. ; **Besson,** in *Nouvelle Revue Théologique*, déc. 1908-avril 1909; **Battandier,** in *Etudes ecclésiastiques*, janvier 1909 ; **J. Simier,** in *Revue Augustinienne*, 1908-1909, et in opere *La curie romaine*, Paris, 1910; **Choupin**, in *Diction. apolog. de la Foi cathol.* (A. d'Alès), I, col. 862-898.

[2] Jubemus "per sacras Congregationes non amplius recipi nec agnosci causas contentiosas, tam civiles quam criminales, ordinem judiciarium cum processu et probationibus requirentes" (Bull. *Sapienti*, tit. II, n. 2).

[3] Etsi peculiaris Congregatio existit de *disciplina* Sacramentorum (c), nihilominus integra manet S. Officii facultas ea cognoscendi quæ circa *privilegium Paulinum*, impedimenta *disparitatis cultus*, et *mixtæ religionis* versantur, præter ea quæ attingunt dogmaticam de matrimonio, sicut etiam de aliis sacramentis doctrinam.

(b) Cong. *Consistorialis*, quæ duplici sectione constat. Ad primam spectat, in locis Cong. de Propaganda Fide non obnoxiis, quidquid ad diœceseon *constitutionem*, *divisionem*, *provisionem* pertinet. Secunda de singularum diœceseon *regimine et administratione* curat. — Insuper, Cong. Consistorialis dubia solvit circa competentiam aliorum Dicasteriorum (excepto S. Officio).

(c) Cong. *de disciplina Sacramentorum*, cui cura est de universa legislatione circa *disciplinam* septem Sacramentorum, non vero circa eorum doctrinam, vel ritus. (*Doctrina* pertinet ad S. Officium; *ritus* ad cong. SS. Rituum). Hujus ergo congregationis est *dispensationes* concedere ad matrimonium, ad ordinationem, ad eucharistiæ receptionem, celebrationem, asservationem, etc.; quæstiones solvere de validitate matrimonii vel sacræ Ordinationis, etc., non tamen *judiciario* ordine servato (quod ad *tribunalia* spectat).

(d) Cong. *Concilii* cui committitur ea pars negotiorum quæ ad universam disciplinam cleri secularis populique christiani refertur : ut sunt præcepta generalia Ecclesiæ (jejunium, abstinentia, observatio dierum festorum, etc.) quæ omnes fideles respiciunt; præcepta *specialia* quæ spectant parochos, canonicos, pias sodalitates, beneficia aut officia, bona ecclesiastica, etc. Ad eam etiam pertinent ea omnia quæ ad conciliorum celebrationem et recognitionem, atque ad Episcoporum cœtus seu conferentias referuntur.

(e) Cong. *Negotiis religiosorum sodalium præposita*, quæ sibi vindicat judicium de iis tantum quæ ad sodales religiosos utriusque sexus, tum sollemnibus tum simplicibus votis adstrictos, et ad eos qui, quamvis sine votis, in communi tamen vitam agunt more religiosorum, itemque ad tertios ordines seculares, in universum pertinent, sive res agatur inter religiosos ipsos, sive habita eorum ratione cum aliis : exclusis semper iis causis quæ judiciario ordine tractandæ sunt.

(f) Cong. *de Propaganda Fide*, cujus jurisdictio iis est circumscripta regionibus ubi, sacra Hierarchia nondum constituta, status missionis perseverat; quibus addendæ sunt nonnullæ regiones quæ etsi Hierarchia constituta, adhuc inchoatum aliquid præseferunt [1].

[1] A jurisdictione *Cong. de Prop. Fide* a Pio X exemptæ sunt et ad jus commune deductæ : in *Europa*, ecclesiasticæ provinciæ Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, et Hollandiæ, et diœcesis Luxemburgensis; — in *America*, provinciæ ecclesiasticæ dominii Canadensis, Terræ Novæ, et Statuum Unitorum.

Ut unitati regiminis consulatur, Cong. de Prop. Fide referre debet quæcumque aut *fidem* attingunt, aut *matrimonium*, aut sacrorum *rituum* disciplinam. ad alias congregationes respective competentes, id est, ad S. Officium, ad Cong. de Sacramentis, ad Cong. Rituum. — Missionarii religiosi a S. Cong. de Prop.

(g) Cong. *pro Ecclesia orientali*, cui præest ipse R. Pontifex, et cui reservantur omnia negotia ad *personas*, ad *disciplinam* et ad *ritus* Ecclesiarum orientalium spectantia, etiamsi sint mixta, id est, simul Latinos attingentia.

(h) Cong. *sacrorum Rituum*, quæ jus habet videndi et statuendi ea omnia quæ sacros ritus et cæremonias Ecclesiæ latinæ proxime spectant, et ea omnia exsequendi quæ ad beatificationem et canonizationem Sanctorum vel ad sacras Reliquias quoquo modo referuntur.

(i) Cong. *Cæremonialis*, ad quam pertinet moderatio cæremoniarum in sacello aulaque pontificali servandarum, et sacrarum functionum quas Cardinales extra pontificale sacellum peragunt, et cognitio quæstionum de præcedentia tum Cardinalium, tum Legatorum apud S. Sedem.

(j) Cong. *pro Negotiis ecclesiasticis extraordinariis*, quæ in ea tantum negotia incumbit quæ ejus examini a Summo Pontifice per Cardinalem Secretarium Status subjiciuntur, præsertim ex illis quæ cum legibus civilibus conjunctum aliquid habent, et ad concordata referuntur.

(k) Cong. *de Seminariis et Universitatibus studiorum*, quæ vigilat super omnibus quæ ad regimen, disciplinam et studia Seminariorum et Universitatum pertinent.

857. (B) **Tribunalia** tria sunt : Pœnitentiaria, Rota, Signatura.

(a) *Sacra Pœnitentiaria*, cujus jurisdictio coarctatur ad ea dumtaxat quæ forum internum, etiam non sacramentale, respiciunt, ut sunt : absolutiones, dispensationes pro foro interno, commutationes, sanationes, condonationes, casus conscientiæ. Recenter ei devolutum est quidquid ad *indulgentias* pertinet.

(b) *Sacra Romana Rota*, ad quam devolvuntur omnes causæ contentiosæ non majores, quæ in Romana Curia aguntur.

(c) *Signatura Apostolica*, cujus est judicium ferre in certis casibus : v. g., de querela nullitatis contra sententiam rotalem, de exceptione suspicionis contra aliquem Auditorem, de violatione secreti ac de damnis ab Auditoribus illatis, etc.

858. (C) **Officia** quinque numerantur, scilicet :

(a) *Cancellaria Apostolica*, cujus proprium munus est Bullas expedire *sub plumbo*, circâ majorum beneficiorum institutionem vel provisionem, et pro aliis majoribus Ecclesiæ negotiis.

(b) *Dataria Apostolica*, quæ de beneficiis non consistorialibus Apostolicæ Sedi reservatis unice curat.

Fide dependent quatenus missionarii, sive ut singuli, sive simul sumpti; quatenus vero religiosi, (sive uti singuli, sive simul sumpti), a Cong. de Religiosis.

(c) *Camera Apostolica*, cui committitur cura atque administratio bonorum ac jurium temporalium Sanctæ Sedis, præsertim Sede Vacante.

(d) *Secretaria Status*, quæ in *publicis* Negotiis (tum ordinariis, tum extraordinariis) versatur, et insuper vacat expeditioni *Brevium* apostolicorum.

(e) *Secretariæ Brevium ad Principes et Epistolarum latinarum*, in unum Officium redactæ, cui competit latine scribere acta Summi Pontificis.

859. Corollaria. (A) De origine et cessatione potestatis pontificiæ. 1) Omnes admittunt potestatem in universam Ecclesiam immediate a Deo Pontifici electo traduci[1]. 2) Auctoritas autem Pontificis desinit morte, vel renuntiatione interveniente[2].

(B) De civili principatu Romani Pontificis[3] hæc statui possunt :

(a) Supremus Pontifex ita *independens* esse debet *ab omni societate civili* ut in Ecclesia gubernanda *sit* et *appareat* omnino liber; si enim uni principi subderetur, ejus spiritualis auctoritas nonnisi ægre a ceteris gentibus acciperetur.

(b) Non sine speciali divinæ Providentiæ interventu factum est ut, a sæc. VII° ad annum 1871, hæc independentia *civili quodam principatu* tueretur.

(c) Invasio ac spoliatio pontificiæ ditionis, anno 1871 peracta, injusta fuit et manet, ita ut merito contra eam protestati sint omnes Pontifices a Pio IX ad Pium XI : conditio enim Pontificis incerta manet et alieno obnoxia arbitrio, cum a civili potestate pendeat.

(d) Nulla solutio hujus quæstionis usque nunc inventa est, nec ulla invenietur nisi S. Pontifex, cujus jura læsa fuerunt, plene eidem assentiat. Catholici autem hanc solu-

[1] *Cod.*, can. 219. — [2] *Cod.*, can. 221.

[3] Cf. **Van Noort**, n. 194-196; **d'Herbigny**, II, p. 323-324; **de la Brière**, *Les garanties de l'indépendance pontificale*, *Le protocole des visites souveraines au Vatican*, in *Documentation catholique*, 19 juin 1920; **Id.**, *La papauté souveraine et le royaume d'Italie*, in *Etudes*, 5 mai 1923, p. 352-365; **Id.**, art. *Pouvoir temporel*, in *D. A.*; **Charles Loiseau**, *La nouvelle question romaine*, *Correspondant*, 25 oct. 1923, p. 193-222; **Jean Carrère**, *Le pape*, Paris, 1923, ch. IV, *La question romaine*, p. 201-308.

tionem optare et pro ea deprecari et agere debent, duce ipso Pontifice.

§ II. De exercitio potestatis episcopalis.

860. Ut probatum est in secundo capite (n. 623-683), Christus ita constituit Ecclesiam, ut supremo capiti adjungerentur alii Pastores qui fideles, per varias regiones dispersos, *docerent* ac *regerent*. Hi sunt episcopi, quibus, ut jam constat, dictum est in persona Apostolorum : "*docete omnes gentes*"; et "*quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum et in cœlis*". Nunc videndum est quomodo exerceatur illa potestas a Christo episcopis tradita; hos autem considerare possumus sive *separatim*, sive *collegialiter* et *per orbem dispersos*, sive *collegialiter et in Conciliis congregatos*.

I. De potestate episcoporum singulatim sumptorum[1].

861. Principia generalia. Agitur de potestate non ordinis, sed *jurisdictionis*, quæ jus *docendi* ac *regendi* complectitur. Jamvero, ratione *extensionis territorialis*, jurisdictio episcoporum non extenditur ad universalem Ecclesiam, sed intra limites diœcesis unicuique assignatæ coarctatur, ut unanimis docet traditio : unde *Vaticanum* de eis dicit[2] : "Episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tanquam veri pastores *assignatos sibi greges, singuli singulos*, pascunt et regunt..."[3]. Attamen quilibet episcopus jurisdictionem habet *ordinariam*, vi sui officii, in omnes, sive fideles sive sacerdotes, intra limites

[1] Cf. **Pesch**, prop. XLII; **Billot**, q. XV de Episcopis; **Van Noort**, sect. II, cap. III, art. 1; **d'Herbigny**, II, p. 309. Hic nonnisi breviter de episcopis dicere possumus; ad *Canonistas* pertinet omnia jura et officia episcopalis muneris adamussim describere. Cf. Commentat. in tit. *De officio judicis ordinarii* (lib. I, tit. 31); **Barbosa**, *De officio et potestate episcopi tripartita descriptio*, Lugdun., 1658; **Philipps**, *Kirchenrecht*, t. VII, Regensburg, 1869; **Bouix**, *De episcopo*, 2 vol., Parisiis, 2ª ed., 1873; **Wernz**, *Jus Decretalium*, II, n. 729 sq. et præsertim novi *Codicis* commentatores.

[2] Sess. IV, cap. 3, **D. B.**, 1828. Cf. *Codex*, can. 329.

[3] Patrum et Conciliorum testimonia de limitatione jurisdictionis episcopalis ad loca assignata collegit **Bolgeni**, *op. cit.*, cap. 6, a. 3, n. 236 sq.; cf. **Bouix**, *op. cit.*, vol. I, p. 49 sq.

suæ diœcesis commorantes, proindeque est *verus pastor* animarum, ut ait *Vaticanum* (l. c.).

862. De magisterio doctrinali. Gregem suum episcopus pascit *docendo*, et quidem cum *auctoritate*, vi missionis a Christo acceptæ; objectum hujus magisterii idem est, debita proportione servata, ac objectum magisterii R. Pontificis, scilicet, divina Revelatio et quæ cum ea connectuntur. Potest ergo et debet episcopus defensioni et prædicationi doctrinæ christianæ invigilare, errores proscribere, pravos libros vel ephemerides damnare ac prohibere, etc.[1]. Hæc autem *intra diœcesim* tantum. Præterea consuetudo invaluit ut, in controversiis circa materias fidei majoris momenti ac difficultatis, res ad S. Pontificem vel œcumenicum concilium deferatur, potiusquam a quolibet episcopo solvatur : sic enim melius præcavetur error. Singuli enim episcopi non sunt infallibiles[2], ut omnes concedunt, et experientia constat; siquidem plures in hæresim inciderunt, ut Paulus Samosatenus, Nestorius et non pauci episcopi Ariani. Attamen ut authentici magistri et judices fidei haberi debent, et præsumendi sunt veram doctrinam tradere, donec contrarium probetur. Si autem dubia oriantur de eorum fide, non a subditis, sed a S. Pontifice judicari debent, cum ab hoc, non ab illis dependeat.

863. De potestate jurisdictionis. Episcopus *regit* omnes fideles sui territorii in foro sive interno sive externo. Ideo potest leges ferre circa ea quæ ad fidem, cultum, et disciplinam pertinent; judicare in prima instantia, ac plectere delinquentes pœnis canonicis, prout in *jure canonico* fusius exponitur.

Notandum est in exercitio potestatis sive docendi sive regendi episcopum semper agere debere dependenter a S. Pontifice et lege communi Ecclesiæ, ita ut nihil statuere possit contrarium decisioni supremæ auctoritatis, nihil circa

[1] Circa potestatem doctrinalem episcopi, legi debet encyclica **Pii X**, *Pascendi Dominici gregis*, 8 sept. 1907, §. Huic tantorum, usque ad finem. *A. S. S.*, XL, 639-650. Cf. *Codex*, can. 336, 1381, 1395, etc.

[2] Cf. *I Tim.*, IV, 7, 13; *II Tim.*, II, 23; *Tit.*, II, 7; III, 9 ubi Paulus supponit suos delegatos posse errare. Patres nonnisi corpori episcoporum infallibilitatem recognoscunt, v. g., **S. Cyprianus**, *Ep.*, 66, 8; **R.**, 587.

generale regimen Ecclesiæ; immo, etiam intra limites proprii territorii, potestas ejus coarctari potest per reservationes S. Pontificis quando id expedire judicatur : patet ex dictis ubi de Romano Pontifice [1].

Scholion. De origine potestatis episcoporum.

864. Hic expendi potest celebris quæstio tamdiu agitata [2] et nondum soluta : utrum episcoporum jurisdictio procedat immediate a Deo, an immediate a S. Pontifice et mediate a Deo. Jurisdictio episcoporum est ordinaria et illis propria : exinde, quidam dixerunt eam a Deo immediate venire per consecrationem. Ex alia parte, eadem a S. Pontifice in suo exercitio dependet : ex quo alii concludendum esse putarunt eam immediate conferri a S. Pontifice.

865. (**A**) Defensores prioris sententiæ, ut *Franciscus a Victoria*, *Alph. de Castro*, *Vasquez*, dicunt jurisdictionem sequi characterem episcopalem, ideoque immediate a Deo venire sicut et potestatem ordinis, eam autem remanere in suspenso, donec diœcesis designetur, sicut potestas sacramentum pœnitentiæ ministrandi presbytero confertur quidem ipsa ordinatione, sed exerceri non potest, donec subditi assignentur. Argumenta depromunt : (**a**) ex *Scriptura*, ubi episcopi dicuntur positi a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei; insuper Apostoli immediate a Christo missi sunt; ergo et eorum successores; (**b**) ex *Traditione :* plures sunt Patres qui dicunt episcopos divina ordinatione constitui ad regendam Ecclesiam Dei; insuper, prioribus sæculis episcopi instituebantur, quin pro unoquoque casu ad Romanum Pontificem recursus initus sit; (**c**) ex *ratione theologica :* si episcopi jurisdictionem a S. Pontifice recipiunt, eorum auctoritas est mere humana; aliunde triplex potestas Apostolis et Episcopis a Christo concessa, unam eamdemque potestatem spiritualem constituit, potestatem nempe Christi ipsius : atqui una ex illis, sc. ordinis, per ordinem solum communicatur : ergo et aliæ consecratione *radicaliter* communicantur.

---

[1] Cf. *Codex*, can. 335-336.

[2] De hac quæstione magno æstu disputatum est in Conc. *Trident.*, ut videre est apud **Pallavicini**, *Hist. Conc. Trid.*, l. XVIII, cap. XIV-XVI; lib. XIX, cap. VI, VII, XV. Cf. **Pesch**, n. 370-372; **Van Noort**, n. 202; **Billot**, th. XXVI; **Wilmers**, prop. 57, 59-61; **Mazzella**, Disp. V, art. IV; **d'Herbigny**, II, p. 289-290. Ad fusiorem hujus quæstionis solutionem, vide, præter theologos citatos, Canonistas, v. g., **Barbosa**, *De officio et pot. episcopi.* part. I, lib. I, c. I; **Corgne**, *Défense des droits des évêques;* **Muzzarelli**, *Origine de la jurid. des évêques;* **Bouix**, *op. cit.*, vol. I, q. 54 sq.; **Cavagnis**, *op. cit.*, lib. II, n. 53 sq.

Hæc opinio, quamquam hodie minus communis, adhuc licita est, et secundum *Benedictum XIV*, "validis fulcitur argumentis"[1].

866. (B) Juxta posterioris sententiæ patronos, ordinatio episcopalis confert quidem aliquam habitudinem ad jurisdictionem, in eo sensu quod "ponit personam in eo gradu episcopali qui est perfecte idoneus ad recipiendam jurisdictionem propriam personalem, et cui *in genere* conferenda est pro regimine Ecclesiæ"[2], non tamen proprie confert jurisdictionem neque actualem neque radicalem. Hanc autem S. Pontifex confert, non quidem quasi de suo, sed nomine Christi; aliunde episcopis transmittere tenetur hanc auctoritatem, sibi a Christo pro illis commissam, ita ut ei liberum non sit eam pro seipso retinere. Hæc secunda sententia, ait *Cavagnis*, est nunc communis et certa. Eam *Benedictus XIV* sic notat: "Et rationi et auctoritati conformior videtur"[3].

Etenim, juxta Scripturam, prout exponitur a SS. Patribus[4], claves Petro commissæ sunt, ut ex eo et per eum episcopis communicarentur; ergo episcopi clavium potestatem, seu jurisdictionem a Petri successore accipiunt. — Insuper certum est potestatem jurisdictionis vere episcopalem haberi *independenter a consecratione*: nam, juxta hodiernam disciplinam, ordinarie confertur jurisdictio *ante consecrationem*, et episcopus rite nominatus vel electus, et a Romano Pontifice confirmatus, vere habet jurisdictionem in suam diœcesim, et illam exercere potest statim ac Bullas provisionis Capitulo exhibuerit, *etiamsi non fuerit consecratus*. Hoc autem difficile explicatur, si non admittatur jurisdictionem immediate a Papa sensu supra tradito conferri[5].

---

[1] *De Synod.*, l. I. cap. IV, 2.

[2] **Cavagnis,** *l. c.*, n. 58. Cf. **Mazzella**: "Vi episcopalis consecrationis exsurgit quidem in Episcopis exigentia quædam Ecclesiam regendi, non tamen confertur ipsa actualis potestas ad id requisita: hæc enim, licet ex jure divino debeat esse in cœtu Episcopali, secus tamen ac potestas ordinis, nonnisi Romano Pontifice singulis Episcopis communicatur". (Prop. LX.)

[3] *L. c.*

[4] Cf. **S. Optatum,** *De schism. donat.*, VII, 3; **S. Leonem,** serm. IV, 2 (**R.**, 2191); cf. **Pium VI,** in litteris *Super soliditate;* **D. B.**, 1500.

[5] *Codex*, can. 334, § 3. Alia argumenta afferunt hujus sententiæ patroni quæ ad rem non pertinere videntur. Dicunt enim: 1) Episcopus non habet jurisdictionem statim ac est consecratus (v. g. episcopus *titularis*, episcopus *schismaticus*, etiam rite consecrati). Ergo jurisdictio non datur per consecrationem. — Respondent alii jurisdictionem dari a Deo in consecratione, sed eam remanere in suspenso, donec a legitima auctoritate subditi assignentur. — 2) Item dicunt: episcopus *depositus* omnem jurisdictionem amittit; si autem eam accepisset in consecratione, non posset illam amittere: effectus enim consecrationis est inamissibilis. Ergo. — Respondent alii episcopum accepisse in consecratione jurisdictionem aliquam *radicalem* quæ, per designationem diœcesis, fit *actualis*, et per legitimam depositionem iterum ad jurisdictionem *radicalem* redigitur.

867. (C) Ambæ opiniones rationes ab adversis allatas excutiunt.

1) Secundum posterioris sententiæ patronos, facile solvuntur argumenta prioris sententiæ; nempe episcopi ponuntur quidem a Spiritu Sancto, sed unusquisque suam jurisdictionem accipit mediante S. Pontifice; illorum auctoritas est *jure divino*, quia non pendet a S. Pontificis libera electione episcopos constituere vel non, sed tenetur, vi divini præcepti, episcopos statuere ad varias diœceses regendas. — Si objicitur R. Pontificem in prioribus sæculis nunquam intervenisse in conferenda jurisdictione episcopis, respondetur : episcopi rite electi et confirmati accipiebant jurisdictionem a S. Pontifice, quatenus *secundum jus vigens* constituebantur; sicut et nunc vicarii capitularis, *juxta jus commune rite designati*, ordinaria jurisdictio a Romano Pontifice repeti potest, licet per actum specialem non interveniat in ejus deputatione.

2) Prioris autem opinionis fautores suis adversariis respondent unum vel alterum ex S. Patribus non esse totam Traditionem; insuper argumentum ex jurisdictione episcopi nondum consecrati infirmum est, cum habeat quidem prælatus jurisdictionem ordinariam, sed tantum *jure ecclesiastico* (sicut abbates nullius, vicarii capitulares), non autem *jure divino;* hæc confertur radicaliter ordinatione, et a Summo Pontifice, antecedenter vel postea, determinatur et ad actum vocatur.

868. Quælibet sententia eligatur, hæc semper tenenda sunt : (a) Episcopi non sunt mere delegati S. Pontificis, ut sunt, v. g., vicarii apostolici in locis missionum, sed eorum potestas est ordinaria et propria. Insuper hæc potestas ordinaria non potest ita limitari ut fere evanescat; a fortiori gradus episcopalis in Ecclesia aboleri nequit quia ab ipso Christo institutus est, et Ecclesia ex divina institutione regulariter per episcopos gubernanda est.

(b) Ex alia parte, potestas episcopalis a Pontifice dependet, etiamsi immediate a Deo conferatur, tum in suo *exercitio* quia potest limitari, amplificari aut totaliter tolli in particulari casu; tum ratione *subjecti*, quod determinatur a S. Pontifice; tum ratione *termini*, scilicet populi regendi.

II. De potestate episcoporum collegialiter sumptorum, sed per orbem dispersorum [1].

869. Status quæstionis. Si considerantur episcopi per orbem dispersi *collegialiter*, seu quatenus efformant col-

[1] Cf. **Van Noort**, n. 204-206; **Pesch**, prop. XLIV; **Wilmers**, prop. LXIX et LXX; **d'Herbigny**, II, p. 311-312.

legium aut corpus morale, nulla speciali prærogativa gaudent in regendo, bene vero in docendo; tunc enim, positis quibusdam conditionibus, sunt infallibiles : quod sequenti thesi declaratur.

Thesis : **Episcopi per orbem dispersi, sed cum Romano Pontifice corpus morale efformantes, sunt infallibiles in doctrina Christi proponenda.**

870. Explicatur thesis. (**a**) Dicitur *episcopos corpus morale efformantes*, quia promissiones Christi spectant *collegium* Apostolorum; et quidem *cum S. Pontifice*, quia hic est caput corporis, ideoque sine eo corpus non existeret. Igitur quicumque episcopi separantur a R. Pontifice, partem non habent in privilegio infallibilitatis, quia non sunt membra corporis, utpote a capite separati. Unio autem existit, quando episcopi per orbem dispersi, docent quæ docet S. Pontifex, aut eo sciente nec contradicente.

(**b**) *Modus* hoc magisterium infallibile exercendi est *explicitus* vel *implicitus*.

1) *Explicite* exercetur quando episcopatus unanimiter recipit tanquam regulam fidei decreta alicujus concilii particularis; vel identice respondet quæstioni a Summo Pontifice positæ; vel voce unanimi errorem aliquem respuit, librum approbat vel condemnat. Præcipua documenta hujus consensus inveniri possunt in decretis conciliorum provincialium. 2) *Implicite* exercetur quando episcopi omnes doctrinæ alicui in suis diœcesibus sine protestatione viam liberam relinquunt, cum eorum munus sit errorem impugnare et proscribere.

871. Probatur thesis. (**a**) *Scriptura.* Christus mandat Apostolos et eorum successores in mundum universum ire ac prædicare Evangelium, et promittit se fore cum illis, ita ut fideles eis assentire teneantur : "*qui non crediderit, condemnabitur*". Jamvero hæc specialis assistentia continet infallibilitatem, quæ cum promittatur collegio Apostolorum (quod debet esse perpetuum), inveniri debet in episcopis usque in hodiernam diem docentibus per mundum universum (supra, n. 664 sq.).

(b) *Traditione.* Apud omnes Patres, signum erroris est secedere a doctrina quæ in universa Ecclesia tenetur et traditur per successionem pastorum (supra, n. 670 sq.). In conciliis semper ut definitivum argumentum habita est communis fides quam tenent pastores per Ecclesiam dispersi. Unde Concilium *Vaticanum* statuit [1] : " Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive sollemni judicio sive *ordinario et universali magisterio* tanquam divinitus revelata credenda proponuntur ". Jamvero ordinarium et universale magisterium nihil aliud est nisi episcoporum dispersorum auctoritas sub Romano Pontifice unitorum.

(c) *Ratione suadetur.* Quamvis absolute loquendo vera doctrina servari posset per solam infallibilitatem R. Pontificis, id tamen difficilius esset; siquidem fieri posset ut, etiam non errante Capite, membra tamen errarent, quia longe a centro Ecclesiæ degentia, Pastoris infallibilis motum sufficienter non reciperent : quod esset contrarium indefectibilitati Ecclesiæ et ejus catholicitati. Unde eadem est ratio pro speciali auxilio docentibus episcopis conferendo, ac pro institutione pastorum, qui sub supremo Pontifice partes Ecclesiæ regant cum propria et ordinaria auctoritate. Neutrum necessarium est absolute, sed utrumque valde conveniens.

872. Controversia. Quid autem, si major numerus pastorum a Romano Pontifice dissentiret? Tunc certo veritas esset cum Pontifice, quia ipse est personaliter infallibilis. — Sed potestne talis fieri hypothesis? Episcopi non sunt infallibiles nisi S. Pontifici uniantur, sed potestne fieri ut major pars ab eo secedat? Disputant theologi [2]; respondendum esse videtur *negative.* Christus enim promisit infallibilitatem Petro separatim, et Apostolis collegialiter; jamvero, si est infallibilitas ex utraque parte, nulla esse potest divisio, quia veritas est una; nec facile intelligitur quid Christus promiserit Apostolorum collegio, nisi infallibilitatem, vi cujus nunquam, ut corpus, se separabunt a capite, id est, Petro. Ideo dicendum videtur corpus episcoporum semper docere verita-

[1] Sess. III, cap. 3, **D. B.**, 1792.

[2] **Melchior Canus,** *De locis th.*, l. V, apud *Migne*, vol I, p. 369; **Muzzarelli,** *De auctoritate R. Pont. in Conc. gen.*, t. I, p. 59-61; **Ballerini,** *de Potestate S. Pontificis*, c. II, § 2, apud *Migne*, III, 1294; **Schrader,** *De Unitate Romana*, vol. II, p. 313; **Brugère,** n. 52.

tem virtute specialis privilegii, ac gaudere infallibilitate S. Pontificis, quamvis ab ea *non separata*, quatenus non sunt infallibiles nisi cum eo uniti; remanent autem uniti præcise propter hanc infallibilitatem, quæ eos in veritate custodit : quod enim S. Pontifex tanquam de fide docet, corpus episcoporum pariter docet, et vice versa.

III. De potestate Episcoporum in Concilio coadunatorum [1].

873. Principia generalia. Concilium in genere est legitimus Pastorum Ecclesiæ conventus, ad judicandum vel statuendum circa doctrinam vel disciplinam ecclesiasticam : dicitur *provinciale*, si in eo conveniunt episcopi unius provinciæ; *plenarium* (olim *nationale*), quando episcopi alicujus regni seu nationis simul conveniunt; *generale*, seu *œcumenicum* (a græca voce οἰκουμένη, terra habitata), quando ibi representatur Ecclesia universa, assentiente Pontifice.

Priora concilia infallibilia non sunt; sed eorum decreta regula fidei fieri possunt, dummodo accipiantur ut talia ab episcopis per orbem dispersis, vel infallibilitate induantur Summi Pastoris : quod evenit, e. g., pro concilio plenario *Carthaginensi* (418), vel pro concilio *Arausicano II* (529).

Concilia œcumenica, de quibus hic tantum agitur, sunt viginti (quorum tantum septem priora a Græcis schismaticis recognoscuntur), scilicet : *Nicænum I* (325), *Constantinopolitanum I* (381), *Ephesinum* (431), *Chalcedonense* (451), *Constantinopolitanum II* (553) et *III* (680), *Nicænum II* (787), *Constantinopolitanum IV* (870), *Lateranense I* (1123), *II* (1139), *III* (1179) et *IV* (1215), *Lugdunense I* (1245) et *II* (1274), *Viennense* (1311), *Constantiense* (per partes tantum, 1414-1418), *Basileo-Florentinum* (per partes, 1431-1442), *Lateranense V* (1512-1517), *Tridentinum* (1545-1563) et *Vaticanum* (1870-1871) [2].

Agemus : 1° de *conditionibus* ad œcumenicitatem requisitis; 2° de *valore* conciliorum, 3° de eorum *necessitate*, 4° per

[1] **Bellarm.**, *de Concil. et Eccl.*, lib. I et II; **Régnier**, ed. *Migne*, p. 550 sq.; **Héfélé**, *Histoire des Conc.*, Introduct.; **Brugère**, n. 54 sq.; **Mazzella**, n. 1016 sq.; **Palmieri**, th. 28; **Pesch**, n. 441 sq.; **Forget**, v° *Conciles*, in *D. T. C.*, vel in *D. A.*; **Wernz**, *Jus Decretalium*, II, n. 844-852; **Billot**, quæst. XVI; **Hurter**, th. LIII; **Wilmers**, prop. LXII, LXVII, LXVIII; **d'Herbigny**, II, p. 310-311, 292-297.

[2] Vide ampliora in *appendice* hujus libri et in historiis ecclesiasticis.

modum *scholii*, de relativa præstantia Concilii et Summi Pontificis.

1° De conditionibus ad concilium œcumenicum requisitis

874. Diversæ requiruntur condiones tum a *codice juris canonici* tum ab auctoribus, ut concilium sit œcumenicum. Una tamen, scilicet *confirmatio a S. Pontifice*, suppleri nequit; aliæ autem suppleri possunt auctoritate Ecclesiæ vel Pontificis romani : quo in casu fiet quasi *sanatio in radice* concilii : " Concilium erit auctoritate œcumenicum, tametsi celebratione non fuerit " [1].

Conditiones autem *normales* sunt :

875. 1° Quoad *convocationem*. (**a**) *Jus concilium œcumenicum convocandi* ad solam potestatem *ecclesiasticam*, non autem ad civilem, jure pertinet : nam hic agitur de re stricte ecclesiastica. — In Ecclesia vero, ad solum *Romanum Pontificem :* solus enim potestatem habet super omnes alios episcopos, et est caput Ecclesiæ docentis [2]. Quod historia confirmatur : nam de facto omnia generalia Concilia a Romano Pontifice vel cum ejus consensu convocata sunt.

876. Nemo id negat quoad concilia in Occidente habita; quoad autem octo priora concilia œcumenica in Oriente habita, hæc videntur dicenda [3] :

1) Ab ipsis *imperatoribus* convocata sunt, non quidem jure quodam ministeriali a S. Pontifice delegato, ut multi opinati sunt *(Bellarminus, Mazzella, Palmieri, Hefele, Philipps, Wernz)*, sed jure quod suo officio annexum esse christiani imperatores *putabant :* hoc enim ex litteris convocationis [4], ex declarationibus imperatorum in Conciliis [5], ex modo agendi Constantini in Concilio Nicæno convocando [6], clare patet, et ab ipsis Conciliis et Pontificibus agnitum est [7].

---

[1] **Billot**, *De Ecclesia*, 2ª ed., p. 716. — [2] *Codex*, can. 222, 1.

[3] **Funk**, *Kirchengesch*, *Abhandlungen*, I, p. 39 sq.; **Héfélé-Leclercq**, *op. cit.*, I, p. 8-23; **Forget**, *l. c.*, col. 643-653 in *D. T. C.*

[4] **Harduin**, *Concilia*, I, col. 1342, 1343 (Eph., an. 431); II, col. 43 (Chalc., an. 451); IV, col. 25 (II Nic., an. 787).

[5] *Ib.*, II, col. 463 (Chalc., an. 451); III, col. 54 (II Const., an. 553); IV, col. 38 (II Nic., an. 787).

[6] **Euseb.**, *Vita Const.*, III, 12 (*P. G.*, XX, 1068); **Socrat.**, *Hist. eccl.*, I, 9 (*P. G.*, LXVII, 85).

[7] **Harduin**, *Concilia*, I, col. 439 (I Nic., 325. Cf. **Euseb.**, *Vita Const.*,

2) Hæc tamen convocatio, ab imperatoribus facta, erat quasi *materialis*. Necessaria fuisse videtur eorum auctoritas, ut, non obstantibus periculis et difficultatibus multis, securi ad locum concilii episcopi pervenirent, et ut practice esset efficax obligatio accedendi ad concilium, et proinde, de bono religionis solliciti, ad finiendas lites et hæreses, episcopos totius imperii ad concilia convocabant.

3) Concilio autem sic materialiter ab imperatore coadunato, œcumenicitatem *formalem* conferebat non imperator, qui in rebus stricte ecclesiasticis non amplius interveniebat [1], sed ipse Romanus Pontifex, cujus consensus præcedebat, aut saltem *per sequentem ratihabitionem* accedebat. Hoc enim in pluribus textibus insinuatur. Nam, juxta concilium œcumenicum VI [2], *I Niccenum* (325) convocarunt tum Constantinus, tum Silvester Papa; *I Constantinop.* (381) ab imperatore Theodosio indictum, ratihabitionem Papæ non obtinuit, sed nonnisi per approbationem Damasi Papæ factum est œcumenicum; *Ephesinum* (431) a Theodosio juniore convocatum fuit, sed cum consensu Cælestini Papæ, qui suis legatis scribens, sic modo imperativo objectum concilii determinat : " quæ a nobis antea statuta sunt exsequantur "; de *Chalcedonensi* (451) sic scribit *S. Leo :* " generale concilium et ex præcepto christianorum principum et *ex consensu Apostolicæ Sedis* placuit congregare " [3]; et ita de ceteris [4].

877. (**b**) Ex *Codice*, c. 223, " vocantur ad Concilium in eoque jus habent suffragii deliberativi : 1) S. R. E. Cardinales, etsi non Episcopi; 2) Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi residentiales, etiam nondum consecrati; 3) Abbates vel Prælati *nullius*; 4) Abbas Primas, Abbates Superiores Congregationum monasticarum, ac supremi Moderatores religionum clericalium exemptarum, non autem aliarum religionum, nisi aliud convocationis decretum ferat. — Etiam Episcopi titulares, vocati ad Concilium, suffragium obtinent deliberativum, nisi aliud in convocatione expresse caveatur. — Theologi ac sacrorum canonum periti, ad

III, 6 : *P. G.*, XX, 1060); I, col. 1384, 1467, 1473 (Eph., an. 431); II, passim (Chalc., an. 451); III, col. 1471, 1473 (III Const., an. 680), etc.

[1] Cf. **Harduin,** *Concilia*, I, col. 1346; II, col. 71, etc.

[2] **Harduin,** *ib.*, III, col. 1417. Idem dicit *Liber Pontificalis* (ed. **Duchesne**), I, p. 75; cf. **Rufin,** *Hist. eccl.*, I, 1 (*P. L.*, XXI, 467).

[3] **Harduin,** II, col. 687 (vel. *P. L.*, LIV, 1029), Idem dicunt episcopi Mesiæ, in epistola ad Leonem I imperatorem (*ib.*, II, col. 710).

[4] **Harduin,** III, 8-13 (*II Const.*, an. 553); III, col. 1043, 1438, 1459 (*III Const.*, an. 680); IV, col. 21 et 218 (*II Nic.*, an. 787); V, col 74, 76, 1030 (*IV Const.*, an. 869).

Concilium forte invitati, suffragium non habent nisi consultivum [1].

878. 2° Quoad *celebrationem*, 1) *jus* Concilio œcumenico *præsidendi* soli Rom. Pontifici competit, quia solus superior est omnibus episcopis : quod jus per se vel per delegatos exercet [2]. Hæc præsidentia importat jus res in concilio tractandas ordinemque servandum constituendi, necnon concilium transferendi, suspendendi, dissolvendi. " Si contingat Romanum Pontificem durante Concilii celebratione, e vita decedere, ipso jure hoc intermittitur, donec novus Pontifex illud resumi et continuari jusserit " [3].

2) *Non requiritur ut omnes episcopi* orbis catholici simul *conveniant :* hoc enim est moraliter impossibile; sed sufficit ut *moraliter* loquendo tota repræsentetur Ecclesia. Ita in C. *Nicæno* aderant episcopi 318, quorum plerique orientales erant; quia vero pauci episcopi ex variis occidentalibus regionibus venerant, Concilium ut œcumenicum habitum est. Proinde si major pars episcoporum adest, concilium vere erit moraliter loquendo cœtus Ecclesiæ docentis, (supposita tamen præsentia S. Pontificis vel ejus legatorum), et tunc ejus decisiones erunt certo decisiones corporis pastorum. Si autem adest comparative parvus episcoporum numerus, tunc concilium non erit universale, nisi dici possit totam Ecclesiam repræsentari per pastores, qui ex omnibus parti-

[1] Non autem convocandi sunt cum suffragio *decisivo* simplices sacerdotes, vel parochi, quia jurisdictio illis collata, non includit potestatem ferendi leges, vel judicia exercendi in foro externo; hinc nunquam ut *definientes* vel *fidei testes* in Conciliis admissi sunt, sed solum ut episcopos adjuvarent vel repræsentarent. Etiam quoad synodum diœcesanum, ut falsa, temeraria ac ordinis hierarchici subversiva damnata est Synodi *Pistoriensis* doctrina " qua parochi aliive sacerdotes in synodo congregati pronuntiantur una cum episcopo judices fidei, et simul innuitur judicium in causis fidei ipsis competere jure proprio, et quidem per ordinationem accepto ". (Ap. **D. B.**, 1510). Ergo a fortiori in conciliis œcumenicis non sunt judices fidei.

[2] *Codex*, can. 222, 2. Ita in Nicæno, nomine Pontificis, præsidebant ejus legati Hosius, Vitus, Vincentius; in Ephesino, Cyrillus Alex. tanquam Apostolicæ Sedis legatus; in Chalcedonensi, Paschasinus et Lucentius a Leone specialiter missi, et ita in ceteris. Aliquando imperatores primum locum obtinuerunt; at hujusmodi præeminentia non erat effectiva, sed solum honoris vel protectionis, absque ullo interventu in deliberationibus. Cf. **Héfélé-Leclercq,** *op. cit.*, p. 41-58; **Forget,** *art. cit*, col. 653-655 in *D. T. C.*

[3] *Codex*, can. 229.

bus, moraliter loquendo, venerunt. Secus, decisiones non essent vere *conciliares*, et cum Papa has decisiones sanxerit, infallibiles erunt, sed tantum quatenus decisiones papales.

3) *Nec requiritur ut omnes episcopi* qui convenerunt *unanimiter consentiant;* nam in multis conciliis dissentientes episcopi fuerunt. In C. *Nicæno* duo episcopi subscribere noluerunt, alii, præsertim Eusebiani, solo imperatoris metu subscripserunt; in *Tridentino* decretum de invaliditate matrimoniorum clandestinorum quinquaginta Patribus non placuit; in *Vaticano*, duo episcopi, quando actum est de definienda infallibilitate R. Pontificis, dixerunt *non placet*, et quinquaginta quinque alii scripserunt se non interfuturos publicæ sessioni, ne idem votum dare cogerentur [1]. Attamen in his et similibus casibus definitiones ut infallibiles acceptæ sunt. Jamvero si adsit dissensio, illa pars episcoporum etiamsi sit minor erit infallibilis quæ S. Pontifici adhærebit, cum hic sit Ecclesiæ caput nec errare possit; nam "ad legitimam decisionem, etiam vere *conciliarem*, sufficit si Romani Pontificis consensus accedat minori et saniori parti episcoporum" [2].

879. 3° Concilium non est vere œcumenicum sine *confirmatione S. Pontificis* [3]; nam in tantum est œcumenicum in quantum universam repræsentat Ecclesiam; porro Concilium sine approbatione Papæ Ecclesiam non repræsentat, cum sit corpus sine capite; aliunde infallibilitas promissa fuit Apostolorum collegio, prout Capiti unitum manet eique obedit.

Quod *historia* confirmatur. Nam, in conciliis œcumenicis, ea tantum vim et auctoritatem obtinuerunt, quæ a Romano Pontifice confirmata sunt; ita, quæ in Concilio IV, can. 28, de prærogativa sedis Constantinopolitanæ decreta fuerant contra mandata legatis Sanctæ Sedis data, nullius sunt roboris. Insuper concilia quædam, quæ vere œcumenica non fuerant, ut talia habita sunt post confirmationem Romani Pontificis, qualia fuere I et II Constantinopoli-

[1] Cf. *Acta Conc. Vaticani*, ed. Lac., pp. 487, 994. — Multi tamen ex his non ipsi definitioni, sed ejus tantum opportunitati obstabant.

[2] **Wernz,** *l. c.*, p. 1074. Ex dictis, decisio tunc erit *conciliaris* si minor et sanior pars episcoporum supremo pastori unita totam Ecclesiam, moraliter loquendo, repræsentet (quod accidere potest); secus, esset papalis, et non conciliaris. Cf. **Mazzella,** *op. cit.*, p. 805; **Forget,** I, c., col. 667 sq. in *D. T. C.*

[3] *Codex*, can. 222, 2; 227.

tana. Alia denique, quibus interfuerant tam multi episcopi ut ex hoc capite œcumenica dici potuerint, qualia fuere Ariminense et Ephesinum II, omni auctoritate carent, quia a Romano Pontifice reprobata sunt.

Hanc autem confirmationem variis modis R. Pontifex dare potest *concomitanter*, *antecedenter*, vel *subsequenter*, id est : ferendo sententiam in ipso concilio, quando eidem *personaliter* præest; vel mittendo legatos, quibus plerumque instructiones dantur de iis quæ definiri debent : tunc autem confirmatæ censentur decisiones concilii si legati receptis instructionibus sese conformaverint, quin necessaria sit subsequens confirmatio [1]; vel positive decreta confirmando sibi transmissa; vel eadem recipiendo et promulgando.

2° De auctoritate concilii œcumenici.

880. (a) Concilium œcumenicum esse *infallibile* in definienda doctrina de fide vel moribus nemo est qui dubitare possit, attentis iis quæ supra diximus, n. 677. 1) Nam ibi simul uniuntur Ecclesiæ pastores, episcopi et S. Pontifex : si qua igitur sit infallibilitas in Ecclesia, sine dubio in Concilio œcumenico inveniri debet. Revera Concilia œcumenica ideo anathematizaverunt eos qui suis decretis contradicerent, quia de sua infallibilitate non dubitabant [2].

2) Idem elucet ex verbis Patrum, vel Romanorum Pontificum, declarantium decreta conciliaria accipienda esse ut *ipsum verbum Dei*, *verba Evangelii* vel *Apostolorum* [3].

(b) *Objectum auctoritatis* conciliorum includit tam regulas disciplinares quam doctrinam ipsam, juxta normam capitis II, art. I.

---

[1] Hoc modo octo priora concilia videntur fuisse *antecedenter* confirmata : quod probat **Forget**, l. c., col. 655-664. Argumenta ab auctoribus sæpe allata ad probandum *etiam subsequentem* confirmationem horum conciliorum non satis solida videntur.

[2] Hinc *de fide est* Concilia œcumenica esse infallibilia in definienda doctrina de fide et moribus; etsi enim hæc veritas nunquam sub hac forma *explicite* definita fuit, *sufficienter* proponitur ab universali et ordinario Ecclesiæ magisterio et *implicite* definita fuit a Conciliis anathematizantibus eos qui suis definitionibus contradicerent.

[3] Cf. Verba **S. Athanasii** (**R.** 792), **S. Augustini** (**R.** 1419), **S. Gregorii** (**R.** 2291). Cf. **R.**, 1250-2186; **D. B.**, 164, 173, 349, 270 seq., 657 seq., 999 seq., 1723.

3° De utilitate conciliorum œcumenicorum.

881. Non sunt quidem absolute necessaria; nam S. Pontifex plena auctoritate gaudet ad errore damnandos, leges condendas ac dogmata definienda. Valde tamen utilia sunt; etenim :

(**a**) Episcoporum mentem exquirere ac consilia accipere S. Pontificem maxime adjuvat ad cognoscendam doctrinam revelatam [1]; ipse enim non est inspiratus, nec revelationem accipit, sed tantummodo ab errore præservatur in definiendo; ad veritatem autem cognoscendam, mediis humanis uti debet.

(**b**) In materiis *disciplinæ*, nihil efficacius est ad discernendum quænam sint leges aptissimæ ad corrigendos abusus, vel virtutem promovendam, quam concilium pastorum, qui necessitates variarum Ecclesiæ partium melius norunt. Sæpe etiam non est aliud efficax medium ad dissensiones componendas, cum facilius accipiantur ea quæ communi consilio decreta sunt.

(**c**) Quamvis Concilii auctoritas eadem sit essentialiter ac S. Pontificis, in decisione tamen œcumenici Concilii adest aliquid sollemnius, ac *majorem humanam* auctoritatem præ se ferens, quatenus procedit a cœtu hominum sanctitate et doctrina excellentium, quorum unitum testimonium magnam vim habere potest ad convincendos homines, qui auctoritate solius S. Pontificis non tam facile moverentur.

Scholion. De præstantia relativa Concilii et Papæ.

882. Præteritis sæculis, præsertim tempore schismatis occidentalis et controversiarum gallicanarum, quæstio agebatur *num Concilium sit supra Papam, vel vice versa.* Ex principiis supra positis, solutio apparet.

(**a**) Si per Concilium intelligitur episcoporum cœtus, absque Summo Pontifice, certo est Papæ inferius; nam corpus non est

[1] Non ex hoc concludere licet episcopos in Concilio esse meros S. Pontificis consiliarios; sunt veri judices " qui, vi jurisdictionis sibi concessæ, tum in causis fidei, tum in negotiis disciplinæ ecclesiasticæ, in legibus condendis, et in judiciis ferendis, atque pœnis infligendis, suffragium habent decisivum, ideoque *definientes* subscribunt decreta conciliaria " (**Wernz**, l. c., p. 1077).

supra caput, sed ab eo regitur et gubernatur; insuper S. Pontifex munus accepit fratres confirmandi, et ipse a nemine confirmatur [1].

(b) Si vero per Concilium intelliguntur *omnes Episcopi cum Papa*, concilium superius non est Papæ; cum enim auctoritas S. Pontificis sit suprema, et ipse sit infallibilis in docendo atque omnino universali potestate gaudeat in regendo, nulla alia auctoritas illi eminere potest. Unde S. Pontifex disciplinaribus decretis Concilii sicut et propriis derogare potest. Hinc intelligitur cur reprobata fuerit pluries [2], et in *Vaticano* [3] prorsus damnata, appellatio a decisione S. Pontificis ad concilium generale. Hoc enim est denegare supremam auctoritatem Pontificis, supponendo aliam majorem existere.

(c) Auctoritas tamen Concilii non est tantum extensio auctoritatis pontificiæ, saltem in rebus dogmaticis [4]. Infallibilitas Ecclesiæ duobus subjectis, inadæquate distinctis, manifestatur, nempe corpore episcoporum Summo Pontifici conjuncto, et Summo Pontifice ipso [5]. Unum alteri anteponere necesse non videtur.

Art. III. De membris Ecclesiæ.

883. Post dicta de objecto et de exercitio potestatis ecclesiasticæ a *Prælatis*, nempe S. Pontifice et Episcopis, pauca dicenda manent de *subditis* in quos hujusmodi potestas exercetur, seu de *membris Ecclesiæ*. Jam probavimus Ecclesiam esse societatem *visibilem*, distinctionemque instituimus inter eos qui *in re* ad corpus Ecclesiæ pertinent, vel saltem *in voto* (vel, minus recte, ad animam Ecclesiæ). Hic agitur tantum de his qui *in re* ad corpus Ecclesiæ pertinent : 1° *quinam* sint; 2° quæ sint eorum *officia* et *jura*?

---

[1] Hoc sensu damnata est præeminentia Concilii super Papam. (Cf **d'Herbigny, II,** p. 292-293).

[2] **D. B.,** 330, 333, 341, 352, 496, 717.

[3] **D. B.,** 1830. Cf. *Cod.*, can. 228, 2.

[4] In rebus enim *disciplinaribus* major pars theologorum auctoritatem propriam conciliorum non agnoscit, cum unus sit primatus in Ecclesia.

[5] Hæc opinio communior est (vide, v. g., **Franzelin, Pesch,** n. 359, etc.) Conformior videtur Evangelio, in quo Christus suam spiritualem potestatem reliquit tam Petro quam Apostolis cum Petro conjunctis, et Traditioni ex qua constat propositiones dogmaticas definitas esse sive a Pontificibus, sive a conciliis in quibus Episcopi ut veri judices opinabantur.

Contraria autem sententia a **Palmieri** aliisque propugnatur.

§ I. Quinam sint membra Ecclesiæ [1].

884. Status quæstionis. Jamvero *Waldenses*, *Hussitæ* et *Wiclefus* asserebant *solos prædestinatos* esse Ecclesiæ membra, quorum error a Concilio Constantiensi damnatus est [2]. *Calvinus* autem docebat Ecclesiam constare *solis* quidem *prædestinatis*, non tamen omnibus, sed iis tantum *qui jam consecuti sunt prædestinationis effectum*, id est, *veram fidem*, quæ semel habita amitti nequit [3]. Idem fere tenent *Lutherani*, excepta tamen opinione de inamissibilitate fidei; juxta eos, Ecclesia *solis justis* constat [4]. — Hi errores concordant cum erroribus de visibilitate Ecclesiæ corporis.

Doctrina vero catholica sic declaratur.

Thesis : **Ad rationem membri Ecclesiæ requiritur et sufficit baptismus, simul cum vinculo unitatis fidei et communionis catholicæ.** Thesis est *de fide*, ex mox dicendis.

885. Declaratur et probatur thesis. Cum Ecclesia sit societas *visibilis*, ii soli sunt ejus membra qui ei uniuntur vinculo *externo*. Cum autem visibilitas præcipue ex hierarchia oriatur, hoc vinculum ex subjectione huic hierarchiæ oriri debet. Unde, ut quis sit actualiter, proprie et perfecte membrum Ecclesiæ, requiritur et sufficit ut sese subjiciat triplici potestati quam Christus instituit, scilicet : *magisterio* infallibili quod fit per veræ *fidei professionem ; — ministerio sacro*, per *baptismi* receptionem ; — *regimini ecclesiastico*, per *obedientiam* et *canonicam communionem*.

886. 1° Hæc triplex subjectio requiritur. Etenim :

(**A**) *Requiritur veræ fidei professio.* Nam Ecclesia est societas spiritualis *veritates revelatas* docens, quam proinde nemo ingredi potest nisi per *fidem*, seu assensum veritatibus revelatis firmiter datum : " Prædicate Evangelium omni creaturæ ; qui *crediderit* et baptizatus fuerit salvus erit ; qui

---

[1] **Hugon,** *Hors de l'Eglise pas de salut.* 2e éd., 2e Partie, ch. V ; **Pesch,** prop. XXXII, scholion ; **Van Noort,** Sect. II, cap. I, art. I ; **Hurter,** Ia Pars, cap. II, art. II ; **Billot,** quæst. VII ; **Wilmers,** l. VI, cap. I ; **Mazzella,** disp. III, art. XI ; **d'Herbigny,** II, p. 239-254.

[2] **D. B.,** 627 seq. — [3] *Inst. chrét.*, l. IV, ch. I.

[4] Cum quibus congruunt *Jansenistæ*, quos præcesserant *Novatiani* et *Donatistæ*. Cfr., v. g., *Confessio augustana*, art. 7 et 8 ; *Catechismus Major* Lutheri, IIa Pars, art. III.

vero non crediderit, condemnabitur "[1]. — Hæc fides, ut sit vinculum *sociale*, debet exterius manifestari per aliquam professionem. Fides autem semel suscepta debet integre custodiri : si quis enim publice fidei renuntiaverit, eo ipso fidelium societatem relinquit, cum publice declaret se adimplere nolle unam saltem e conditionibus ad unionem cum Ecclesia necessariis.

887. (**B**) *Requiritur baptismi realis susceptio.* Baptismus enim est janua qua homines Ecclesiam ingrediuntur : " Qui crediderit et *baptizatus fuerit* "... " Qui ergo receperunt sermonem ejus baptizati sunt, et appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia "[2]. — Quod aperte declarat *Eugenius IV* in Decreto ad Armenos (1439) : " Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est : per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiæ "[3].

Baptismus vero, de quo agitur, est baptismus aquæ, qui *solus characterem* imprimit indelebilem; proinde non est proprie et perfecte Ecclesiæ membrum qui tantum *flaminis* seu desiderii, vel *sanguinis* suscepit baptismum, nec qui *invalide* baptizatus est : in his enim variis casibus non imprimitur christianus character.

888. (**C**) *Requiritur tandem obedientia legitimis pastoribus et cum eis communio :* (**a**) *obedientia :* nam, ex dictis, fidei depositum *legitimis pastoribus custodiendum* traditum est, ita ut qui eis obedire publice recusaverit, seipsum ab Ecclesia separet. Insuper Ecclesia super petram, i. e. Petrum ejusque successores, fundata est, ideoque quicumque R. Pontifici pertinaciter et publice resistit, eo ipso sejungitur a fundamento quod Christus ipse constituit. Præterea S. Pontifex est caput Ecclesiæ; porro qui capiti adhærere visibiliter non vult, non potest membrum esse corporis Ecclesiæ.

(**b**) *Canonica cum Ecclesia communio.* Etenim, cum Ecclesia judiciaria et coercitiva potestate gaudeat, potest a sinu suo per aliquod tempus ejicere eos qui gravium criminum

[1] *Marc.*, XVI, 15-16. — [2] *Act.*, II, 41; *I Cor.* XII, 13.
[3] **D. B.**, 696. Cf. Conc. Trid. **D. B.**, 861.

rei fuerunt. Qua potestate usus est *Paulus* contra incestuosum Corinthium quem excommunicavit, eum tradendo Satanæ; eadem pariter usa est Ecclesia, *anathemate* plectendo hæreticos, schismaticos aliosque gravis criminis reos. Porro qui hoc modo excommunicantur, directe privantur *externa communicatione cum societate visibili* a Christo instituta, et indirecte etiam ab illis spiritualibus bonis quæ in ea continentur. Ergo jam non sunt Ecclesiæ membra, quamdiu excommunicati manent.

889. 2° **Hæc triplex subjectio sufficit.** *Falsum est enim omnes et solos justos aut prædestinatos esse membra Ecclesiæ.*

(**A**) Id sequitur ex dictis de *hierarchica Ecclesiæ constitutione.* Ad Ecclesiam enim pertinent quicumque subduntur auctoritati spirituali ab ipso Christo institutæ, nempe corpori episcoporum et Romano Pontifici. Atqui, ex una parte, possunt esse prædestinati qui præfatæ auctoritati adhuc non subdantur, v. g., quidam infideles aut hæretici qui postea ante finem vitæ convertentur; ex altera vero, inter eos qui Episcopis et Romano Pontifici obediunt, dantur qui in peccato mortali vivant et decedant, ideoque neque justi neque prædestinati dici possint.

890. (**B**) Patet etiam ex *parabolis Christi* de regno Dei seu de Ecclesia. Hæc enim comparatur *sagenæ* missæ in mare, ex omni genere piscium congreganti, quorum aliqui mittuntur in caminum ignis [1]; vel *agro*, in quo non solum bonum semen, sed etiam zizania seminata sunt [2]; aut *convivio nuptiali* ad quod intraverunt non solum boni, sed qui, veste nuptiali exuti, in tenebras exteriores projiciuntur [3]; vel *decem virginibus*, quarum quinque prudentes cælum ingrediuntur et quinque fatuæ ab eo excluduntur [4]. — Quod aperte declarant Patres præfatas parabolas exponentes.

891. (**C**) Idem probatur ex damnatione propositionum huic doctrinæ contrariarum. Ita Concilium *Constantiense* (1415) reprobavit hanc *Joannis Hus* propositionem [5]: " Unica

[1] *Matth.*, XIII, 47-50. — [2] *Matth.*, XIII, 24.
[3] *Matth.*, XXII, 2-14. — [4] *Matth.*, XXV, 1-13. — [5] **D. B.**, 627.

est sancta universalis Ecclesia, quæ est prædestinatorum universitas". Pariter, inter errores *P. Quesnel*, a Clemente XI in Constit. *Unigenitus* (1713) damnatos, isti inveniuntur [1] : "Nota Ecclesiæ christianæ est quod sit catholica, comprehendens et omnes angelos cæli et omnes electos et justos terræ... Quid est Ecclesia nisi cœtus filiorum Dei manentium in ejus sinu?" Tandem *Pius VI* (Const. *Auctorem fidei*, 1794) tanquam *hæreticam* damnavit propositionem Synodi *Pistoriensis* in qua docebatur ad corpus Ecclesiæ non pertinere nisi fideles qui sunt perfecti adoratores in spiritu et veritate.

892. Applicatur thesis. Ex statutis principiis jam expendere licet quinam sint membra perfecta aut imperfecta, quinam vero non sint membra Ecclesiæ. Quæstio proponi potest quoad *infideles*, *catechumenos*, *hæreticos*, *schismaticos*, *excommunicatos* et *peccatores*.

(**A**) *Infideles* non sunt *actu* membra Ecclesiæ, cum nullo vinculo externo ei jungantur; sed *potentialiter* (potentia *remota*), quatenus converti possunt et Ecclesia jus habet eis Evangelium prædicandi.

893. (**B**) *Catechumeni nondum baptizati*, juxta *Suarez* [2], sunt vere Ecclesiæ membra, quia auctoritatem Ecclesiæ agnoscunt et ab ea pœnitentias accipiunt. Sed, juxta *Bellarminum* [3] aliosque theologos communiter, non sunt membra corporis Ecclesiæ *actualiter*, sed solum *potentialiter* (potentia *proxima*) : nam deficit secunda conditio superius indicata, scilicet baptismi receptio. — Attamen, secundum principia superius statuta, catechumeni, auctoritatem Ecclesiæ agnoscendo actusque fidei publice exercendo, non tantum *potentialiter* ad Ecclesiam pertinent, sed etiam *in voto* et *inchoative*, quatenus *vera fide* ei junguntur et ab ea pœnitentias accipere valent, quibus ad baptismum se præparent.

894. (**C**) Quoad *hæreticos*, qui *pertinaciter* unam saltem fidei veritatem negant vel in dubium revocant, distinguendum est :

[1] Ibid., 1422, 1423. — [2] **Suarez**, *De fide*, disp. II, sect. I, n. 20.
[3] **Bellarm.**, l. c., c. 3.

(a) *Infantes* valide baptizati vere sunt Ecclesiæ membra, cui per baptismum aggregati sunt, et a qua nondum separati sunt per voluntariam hæresi adhæsionem; (b) *adulti* hæretici *publici*, id est visibiliter alienæ sectæ adhærentes, vel ita notorii ut eorum hæresis nulla tergiversatione celari possit, non sunt *proprie* et *complete* Ecclesiæ membra; deest enim visibilis fides et obedientia, quæ ad unionem cum visibili Ecclesia necessaria est : hinc *S. Paulus* scribit [1] : " Hæreticum hominem post unam et alteram correptionem devita, sciens quia subversus est qui ejusmodi est" ... Attamen tenui vinculo baptismi valide recepti imperfecte ad Ecclesiam pertinent. (c) Hæretici autem *occulti* manent *corporis Ecclesiæ* membra, licet *arida* et *mortua*, ut communiter tenent theologi contra Suarez, quia *externam* cum Ecclesia conjunctionem retinent, per fidei professionem et obedientiam legitimis Pastoribus; hoc autem sufficit ut quis maneat externum visibilis Ecclesiæ membrum. Revera omnes admittunt episcopum vel parochum occulte hæreticum retinere jurisdictionem; atqui, secluso necessitatis casu, jurisdictione carent qui membra Ecclesiæ non sunt; ergo occulti hæretici membra corporis Ecclesiæ manent.

Insuper hæretici, sive notorii sive occulti, aliquam conjunctionem cum Ecclesia servant, quatenus ejus legibus *ex se* obstringuntur; nam per baptismum subditi Ecclesiæ facti sunt, nec per injustam rebellionem ab obedientia legitimis superioribus debita sese eximere valent; quemadmodum igitur militaris desertor, licet vexillum deseruerit, militiæ legibus remanet subjectus, ita hæretici qui Ecclesiæ vexillum deserunt, ejus legibus obstricti manent. Possunt quidem coram Deo his præceptis non ligari, si ea invincibiliter ignorant, sed *ex se* ecclesiasticæ jurisdictioni subjiciuntur : quod in *Tr. de Legibus* fusius explicatur.

895. (D) De *schismaticis*, qui pertinaciter ab obedientia legitimis superioribus debita sese subtrahunt, idem fere dicendum est ac de hæreticis; *notorii* scilicet cessant esse proprie Ecclesiæ membra, quia carent tertia saltem conditione superius exposita; *occulti* autem sunt arida et mortua corporis Ecclesiæ membra. Utrique tamen ad Ecclesiam imperfecte pertinent vi baptismi valide recepti [2].

---

[1] *Tit.*, III, 10.

[2] Græcos schismaticos nobis propinquiores esse quam Protestantes, eosque *suavi caritate* in sinum Ecclesiæ esse trahendos, ita recenter exponebat **I. Urban** : " Qui... extra communionem cum unitatis centro vivit,... spectata sola *sociali* Ecclesiæ natura,... omnino extra ecclesiam esse dici potest; nihilominus, quamdiu ejusmodi homo saltem nativo baptismatis vinculo mystice cum Christo capite unitur, denominatio membri Ecclesiæ nullatenus ei simpliciter abjudicari

896. (E) Quoad *excommunicatos*, (hic agitur solum de iis qui *majori* excommunicatione plectuntur), distinguendum est inter eos qui *tolerati* dicuntur et eos qui sunt *vitandi* [1].

Priores, juxta communiorem sententiam, vere Ecclesiæ membra manent, quia, quatenus Ecclesia eos *tolerat*, eos a sinu suo non totaliter expellit : isti igitur externo vinculo adhuc Ecclesiæ uniuntur, et quidem multo perfectius quam hæretici, cum non solum characterem baptismi retineant, sed etiam veram fidem et obedientiam. Posteriores autem, juxta probabiliorem sententiam, non sunt complete Ecclesiæ membra, cum ad tempus saltem præcisi fuerint ab omni externa communione cum Ecclesia; carent igitur tertia conditione jam exposita. Hodie autem vix ulla difficultas in praxi adesse potest, cum Ecclesia non soleat uti *vitandos* denuntiare nisi eos qui sunt notorie vel hæretici vel schismatici, quique proinde jam cessaverunt esse Ecclesiæ membra.

897. (F) *Peccatores* autem ad corpus Ecclesiæ vere pertinent : etsi enim statum gratiæ amiserunt, triplici vinculo *fidei*, *baptismi*, *obedientiæ* et canonicæ *communionis* uniuntur Ecclesiæ.

§ II. De officiis et prærogativis membrorum Ecclesiæ [2].

898. 1° **De officiis membrorum Ecclesiæ.** Quatuor ex jam dictis defluunt : reverentia, obedientia, amor, activa cooperatio.

---

debet... Itaque... nil nos prohibet quominus Orientales (schismaticos), quamvis sub respectu *sociali* a nobis separentur, membra *mystici* corporis Christi dicamus, eosque sub hoc respectu ut *fratres in Christo* amplectamur, id unice desiderantes ut etiam socialia vincula pro præsenti disrupta quamprimum redintegrentur. Orientales insuper in hoc a protestantibus differunt, quod vi characteris episcopalis et sacerdotalis in ipsorum communitatibus perdurantis in corpus Christi intrant non ad instar cellularum separatarum, sed ut membra superioris ordinis, jam aliquo modo organisata, quamvis non omnibus nervis cum centro organisationis visibili compaginentur. Proinde vero quodam sensu loqui possumus de *unione ecclesiarum* cum de Orientalibus sermo nobis est". (*De iis quæ theologi catholici præstare possint ac debeant erga ecclesiam russicam*, relatio habita in I Conventu Velehradensi, an. 1907, (*Acta I Conventus Velehradensis*, Pragæ, 1908, p. 25).

[1] Excommunicatio est pœna ecclesiastica, vi cujus pertinaciter delinquentes privantur spiritualibus bonis quorum dispensatio ab Ecclesia pendet. Excommunicati *vitandi* ii sunt qui *nominatim* et *publice* fuerunt excommunicati, necnon notorii clericorum percussores. Alii autem sunt *tolerati*.

[2] Præter theologos, vide **Sertillanges**, *L'Eglise*, l. V, ch. III : Le rôle des gouvernés dans le gouvernement de l'Eglise ; **G. Goyau**, *Le rôle des laïques dans l'Eglise* (*Rev. des Jeunes*, 10 sept. 1916, vel *Etudes religieuses*, n. 24).

(a) *Reverentia;* nam, cum Ecclesia sit *corpus* et *sponsa Christi*, materque nostra, eam ut Christo arctissime conjunctam venerari debemus; cum sit *veritatis columna*, qua mentes nostræ ad veritatem tuto ducantur, eam tanquam Spiritus Sancti interpretem revereri oportet : " Ubi enim Ecclesia, ibi et Spiritus Dei " [1].

(b) *Obedientia;* cum enim sit Dei mandatorum fidelis interpres, vicesque Christi gerat in terris, ei tanquam Deo, in omnibus ad salutem spectantibus, obediendum est : " Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me " [2]. Quam obedientiam frequenter Apostoli et Patres inculcant, tum in citatis textibus Pauli et Petri, Ignatii, Irenæi, Cypriani aliorumque de auctoritate Apostolis eorumque successoribus commissa, n. 643 sq., tum in his aut similibus verbis : " Obedite præpositis vestris et subjacete eis : ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri " [3].

899. (c) *Amor :* Ecclesia enim, sponsa Christi, immaculata simul et fecunda, sicut pia mater nos genuit non solum verbo veritatis sed et lavacro regenerationis; lacte spiritualis doctrinæ nos indesinenter pascit, pane vitæ nutrit et roborat, spiritualiter mortuos suscitat, graviter decumbentes ad ultimum certamen inungit et confortat, languentes in Purgatorio precibus et indulgentiis juvat, et tandem in regnum Dei æternamque felicitatem inducit. Nonne igitur pio amore eam prosequi debemus, amore, inquam, singulari et generoso, non solum gratitudinis sensibus ac verbis manifestato, sed tota agendi ratione, eam nempe contra hostes strenue tuendo, et præsertim vita exemplari honorificando!

900. (d) *Activa cum ejus ministris cooperatio.* Si vere nobis persuasum est Ecclesiam catholicam esse viam salutis a Christo institutam, non sufficit eam ingredi atque in ea ambulare; sed omnino decet non solum sacerdotes, sed etiam, ducibus sacerdotibus, laicos eam notam facere iis qui in umbra mortis sedent [4], aut ad eam reducere transfugas qui ab ea secesserunt, vel ad meliora trahere peccatores qui vitiis eam deturpant. Quod quidem precibus ad Deum, consiliis et exhortationibus, copiosis eleemosynis atque christianarum virtutum praxi præstandum est. Et sane, cum hodie Ecclesiæ hostes ubique in ejus ruinam maximo zelo conspirent, indignus esset nomine catholico qui privilegiis fidei frui vellet absque ullo conatu ad eadem aliis impertiendum.

---

[1] **S. Irenæus,** *Adv. Hær.*, l. III, c. 24, n. 1, *P. G.*, t. VII, 966. **R.**, 226.
[2] *Luc.*, X, 16.
[3] *Hebr.*, XIII, 17.
[4] Quod officium fidem propagandi eloquenter urget **DD. A. Le Roy,** *A propos des missions chez les Infidèles*, in *Messager du Cœur de Jésus*, août 1909.

901. De prærogativis membrorum Ecclesiæ. Vi Constitutionis Ecclesiæ non solum officia, sed et prærogativa fidelibus competunt.

(a) Non solum sunt subditi Ecclesiæ, sed *membra* ejus, membra Christi, ideoque ejus gratiæ, ejusque sacerdotio, aliquomodo participant, quatenus per eum ad Patrem accessum obtinent : " Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis : ut virtutes annuntietis ejus qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum " [1].

(b) *Cooperatores sunt hierarchiæ* in suo triplici munere docendi, regendi et sanctificandi Ecclesiam, ut ex parte jam supra notatum est. Fidelium enim consensus, debitis vestitus conditionibus, argumentum certum præbet in determinando traditionis deposito [2]. Deus, etiam extra hierarchiam, suscitavit sibi electos et sanctos, qui hierarchiam in suo regendi munere adjuvarent; sic sæculo XIII°, frigescente mundo, S. Franciscum diaconum vocavit ut caritatem refocillaret et reformationem morum prædicaret; sæc. XIV°, S. Catharina Senensis Supremum Pontificem ad Sedem Romanam reduxit, etc. Tandem sanctitas datur quidem per sacramenta, sed secundum cujusque cooperationem et dispositionem et merita singulorum, per sanctorum communionem, in totum Christi corpus mysticum defluunt.

Nulla tamen exinde oppositio manifestari debet hierarchiæ jure divino institutæ; sed se invicem adjuvent præsules et populi, " donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi " [3]; " Veritatem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus " [4].

[1] *I. Pet.*, II, 9.
[2] Cf. *Tract. de fontibus Revelationis.*
[3] *Eph.*, IV. 13. — [4] *Ib.*, 15.

CAPUT III.

DE RELATIONIBUS INTER ECCLESIAM ET STATUM [1].

Post delineatam Ecclesiæ constitutionem, remanet ut pauca dicamus de relationibus Ecclesiam inter et Statum, præ oculis habentes ea quæ tradit *Leo XIII* in Encycl. *Immortale Dei* et *Libertas.*

902. Status quæstionis. Hac de re tres sunt præcipui errores.

(**a**) Alii contendunt Ecclesiam Statui esse subjectam, ideoque jura sua exercere non posse *sine Principis sæcularis placito.* Ita olim *Gulielmus Occam* et *Marsilius Patavinus* in opere *Defensor pacis.* Ita etiam multi *Protestantes*, præsertim in Anglia Germaniaque, ubi Status jus reformandi exercitium religionis sibi vindicat, necnon jus ad sacra munera ministros deputandi [2]. Longius etiam procedentes quidam rationalistæ et pantheistæ, quales fuere *Hobbes*, *Spinoza*, *Hegel*, etc., contenderunt Statum esse quamdam divinitatis manifestationem, fontemque omnium jurium, ideoque ipsam religionem imperio Status subjacere. Quem errorem haud pauci hodierni *politici* amplexi sunt.

Gallicani et *Josephistæ*, etsi spiritualis auctoritatis independentiam in rebus *mere spiritualibus* agnoscentes, civili potestati tribuebant jus supremi dominii in bona ecclesiastica, supremæ inspectionis in disciplinam ecclesiasticam ad præcavendos vel extirpan-

---

[1] Cfr. **Gregor. XVI,** Encycl. *Mirari vos*, 15 Aug. 1832; **Pius IX**, *Quanta cura*, 8 Dec. 1864; **Leo XIII,** Encycl. *Diuturnum*, 20 jun. 1881; *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885, **D. B.,** 1866-1888; *Libertas*, 20 Jun. 1888, **D. B.,** 1931-1936; **M. Liberatore,** *La Chiesa e lo Stato; Del Diritto publico eccles.*, Prato, 1887, cap. IV, p. 292 sq.; **Cavagnis,** *Instit. juris publici eccles.*, 4ª ed., Romæ, 1906; vol. I, n. 396 sq.; **De Groot,** quæst. XI; **Mgr d'Hulst,** *Le Droit chrétien et le Droit moderne*, Paris, 1886; *Conférr. de N. D.*, Carême 1895; **Hergenröther,** *Kathol. Kirche und christ. Staat;* **de Hammerstein,** *De Ecclesia et Statu;* **Manning,** *The Vatican Decrees in their bearing on civil allegiance;* **J. H. Newman,** *Diffic. of Anglicans*, vol. II, p. 222 sq.; **Moulard,** *L'Eglise et l'Etat*, 3e éd., Paris, 1887; **Ch. Antoine,** Art. *Etat* in *D. A.* — Historice de relationibus inter Ecclesiam et Statum tractant : **E. Chénon,** *Les rapports de l'Eglise et de l'Etat*, Paris, 1904; **Vacandard,** *L'Inquisition*, p. 255-274; **Id.,** *Etudes d'hist. et de critique religieuses*, appendice III.

[2] Quod systema dicitur aliquando *Erastianismus*, quia ab *Erasto* († 1583) propugnatum est.

dos abusus, aut etiam jus prohibendi bullarum et encyclicarum publicationem, antequam civilis tribunalis examini subjicerentur [1].

(b) Pauci contra fuere theologi et canonistæ qui docuerint Statum directe Ecclesiæ subordinari, et magistratus civiles esse tantum vicarios R. Pontificis, a quo eorum auctoritas dimanat [2].

(c) Alii tandem, *Liberalistæ* dicti, volunt Statum ab Ecclesia sejungi; Ecclesiam videlicet habent pro associatione mere humana, quæ a Statu jura sua obtinet, cujus proinde libertas legibus civilibus juste restringitur; glorianturque sequi formulam : "Ecclesia libera in Statu libero" [3]; de facto autem sæpe ecclesiasticas libertates omni modo restringere conantur.

Ab hoc errore non satis recedunt *Catholici Liberales*, qui, licet fateantur Ecclesiam divinitus institutam fuisse, docent quidem plenam libertatem ei concedendam esse, sed nihil amplius ei deberi; juxta ipsos proinde, perturbata societatis conditio, in qua omnes cultus æqualibus juribus in republica gaudent, non est *in se* deordinata, sed spiritui evangelico conformis ac maxime utilis : vera enim religio sola persuasione propagabitur ac florebit; eam multi amplectentur, et quidem eo majori libertate, ideoque majori fiducia et amore, quo minor erit coactio, cum veritas semper errori prævaleat. Optimum sane systema, si nulla fuisset originalis culpa, si omnes aut saltem plerique homines veritatis et virtutis cultores essent!

Attamen inter Catholicos Liberales annumerandi non sunt ii qui dicunt in *societatibus mixtis*, ubi multi sunt acatholici, unionem Ecclesiæ cum Statu practice impossibilem esse, et in his rerum adjunctis *tolerari* posse separationem Ecclesiæ a Statu, dummodo tamen teneant unionem utriusque Societatis *in se* meliorem esse.

Quibus prænotatis, exponemus : 1° *principia* quibus solvi possit quæstio de relationibus inter Ecclesiam et Statum; 2° *relationes* utriusque societatis in *catholicis nationibus;*

---

[1] **Pithou,** *Les libertés de l'Eglise gallicane*, 1594; **Dupuy,** *Preuves des libertés de l'Eglise gallicane*, 1639; **Febronius,** *De statu Ecclesiæ et legitima potestate Romani Pontificis*, 1763.

[2] Ita **Augustinus Triumphus,** *De potestate ecclesiastica;* **Panormitanus,** *Commentar. in Decret. lib. II.*

[3] Ita *Cavour* multique hodierni politici, post *Machiavelli*, qui in opere *Il Principe* præterea docet Principem posse soli utilitati Status consulere. Quorum errores exponit **Leo XIII** (Encyc. *Libertas*) : "Plures enim rempublicam volunt ab Ecclesia sejunctam et penitus et totam, ita ut in omni jure societatis humanæ, in institutis, moribus, legibus, reipublicæ muneribus, institutione juventutis, non magis ad Ecclesiam respiciendum censeant, quam si esset omnino nulla; permissa ad summum singulis civibus facultate, ut privatim, ut libeat, dent religioni operam".

3° *relationes* Ecclesiæ cum *Statibus acatholicis;* 4° ejus modum agendi quoad *libertates* quas dicunt *modernas.*

§ I. Principia de relationibus inter Ecclesiam et Statum.

903. Præsupponimus omnem auctoritatem, tam civilem quam ecclesiasticam, esse a Deo : "Non est enim potestas nisi a Deo : quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt"[1]. Sed expendere oportet quænam sit *distinctio* inter utramque societatem, ut exinde inferri possit quænam *relationes* inter utramque intercedere debeant.

I. De distinctione inter Ecclesiam et Statum.

Hanc distinctionem sic declarat *Leo XIII :* "Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem *divinis*, alteram *humanis* rebus præpositam. *Utraque est in suo genere maxima :* habet utraque suos, quibus contineatur, terminos, eosque sua cujusque natura causaque proxime definitos; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cujusque actio jure proprio versetur"[2]. Et alibi[3] diserte asserit utramque societatem suo ordine *liberam* seu *independentem* esse : "Nemo dubitat quin Ecclesiæ conditor Jesus Christus potestatem sacram voluerit esse a civili distinctam, et *ad suas utramque res agendas liberam atque expeditam*".

Utraque igitur societas, licet ultimo a Deo procedat et ad Deum tendat, ob *diversum finem* ad quem tendit, omnino differt, et ex hoc discrimine oritur *distinctio potestatis* utrique societati commissæ.

904. 1° *Finis Ecclesiæ proximus est homines sanctificare eosque ad felicitatem æternam perducere.* Patet ex *Tr. de Ecclesia Christi*, ubi probavimus Ecclesiæ fuisse divinitus

[1] *Rom.*, XIII, 1.

[2] Encycl. *Immortale Dei*, 1 nov. 1885, ed. Desclée, vol. II, p. 152. **D. B.**, 1866.

[3] Encycl. *Arcanum*, 10 febr. 1880. Quod antea docuerant : **S. Gelasius** Papa, ad Anast. imperat.; **S. Gregor. II.**, ep. 2 ad Leonem Isaurum; **Bonifac. VIII**, in Alloc. consist., an. 1302; Conc. **Lateran. IV**, cap. 42; **S. Thomas**, *de Regim. Principum*, l. I, c. 14.

concessam potestatem docendi et regendi homines, et ita eos sanctificandi.

(**A**) *Objectum potestatis Ecclesiæ.* Ad Ecclesiam igitur pertinet quidquid *ad animarum salutem* refertur, ideoque quidquid est *sacrum* et *religiosum* : " Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animarum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit *natura sua*, sive rursus tale intelligatur *propter causam ad quam refertur*, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiæ; cetera vero, quæ civile et politicum genus complectuntur, rectum est civili auctoritati esse subjecta, cum Jesus Christus jusserit quæ Cæsaris sint, reddi Cæsari, quæ Dei, Deo " [1].

Jamvero : (**a**) quædam res *natura sua* sunt sacræ et ad Ecclesiam pertinent, quales sunt prædicatio verbi divini, sacramentorum administratio, cultus divini celebratio, judicium de moralitate actuum humanorum, etc; (**b**) aliæ vero, natura sua temporales, *sacræ* fiunt *ex earum ordinatione ad finem sacrum*, ideoque Ecclesiæ subjiciuntur : hujusmodi sunt ædificia et mobilia cultui divino inservientia, bona ad cultum et ministros sacros sustentandos destinata; (**c**) aliæ tandem sunt *mixtæ*, quatenus sub uno respectu aliquid *sacri* præ se ferunt, et sub alio aliquid *profani;* ita matrimonium est contractus *religiosus* simul et *civilis*, ideoque qua sacer ad Ecclesiam, qua civilis ad Statum pertinet; ita etiam scholarum institutio; unde " Ecclesiæ est jus scholas cujusvis disciplinæ non solum elementarias, sed etiam medias et superiores condendi " [2]

905. (**B**) *Amplitudo ecclesiasticæ potestatis.* Omnes actus humani, etiam ordinis politici et socialis, *in quantum legibus morum reguntur*, sub foro conscientiæ et Ecclesiæ cadunt. Ita, quoad *pacem* et *bellum*, Ecclesia jus habet statuendi principia ethica ex quibus dijudicari possit utrum bellum sit justum an injustum; quoad suffragia in electionibus danda, definire potest quænam sint civium officia; pariter, si agitur de contractu laboris, mutuæ officia dominorum et opificum declarare valet. Et ita de ceteris. Homo igitur totus quantus

[1] **Leo XIII,** Encycl. *Immortale Dei.* — [2] *Codex*, c. 1375.

est, in omnibus actibus vitæ non solum individuæ, sed etiam civilis et socialis, subditur Ecclesiæ non quidem sub omni respectu, sed quatenus *moraliter* agit aut agere debet.

906. 2° *Finis civilis potestatis proximus est bonum temporale commune promovere, ratione tamen habita finis ultimi hominum.*

(**A**) Ideo enim constituta est auctoritas civilis ut bonum commune civium tueatur et propugnet, ut probatur in *Ethica;* aliunde, ex jam dictis, Ecclesia directe et proxime bonum *spirituale* curat; manet igitur ut Status directe bonum commune temporale promoveat. Quod etiam infertur ex verbis Leonis XIII supra relatis, n. 904. — Attamen, cum homo perfectam felicitatem etiam temporalem assequi non valeat quin ad Deum tendat ultimum finem, Status hunc finem et ea quæ ad eum conducunt omnino prætermittere nequit.

(**B**) Status igitur *directe* potest, ob bonum publicum tuendum, jura politica, socialia et privata civium lege determinare et judicio protegere; effectus *civiles* contractuum, etiam matrimonii, statuere; transgressores legum civilium punire; tributa necessaria ad res publicas gerendas imponere; scientias et artes promovere; omnia præstare quæ ad patriæ defensionem requiruntur, etc.

(**C**) Cum vero temporalis felicitas acquiri non possit, quin boni mores et religio floreant, Status *indirecte* jus et officium habet utrumque promovendi : — potest ac debet educationem non solum intellectualem, sed etiam moralem puerorum fovere, supplendo id quod parentes præstare non valent; virtutum socialium praxim tueri, præsertim justitiæ, æquitatis, caritatis ac propriæ abnegationis, ideoque vitia reprimere, ea præcipue quæ bonis moribus contraria sunt et familiæ non minus quam societati nociva. Quamvis autem *externos* actus virtutum maxime curet, *internas* dispositiones omnino prætermittere nequit, quippe quæ in externam agendi rationem plurimum influant.

Totus igitur homo pariter Statui subditur, non quidem sub eodem respectu ac Ecclesiæ, sed quatenus *socialiter* agit; ideoque inter Statum et Ecclesiam quædam unio seu concordia necessaria est.

II. De unione inter Ecclesiam et Statum.

Hujus unionis *necessitatem* primum exponemus, deinde *modum practicum* quo concordia servari valeat.

907. 1° **Unionis necessitas.** *Neque Ecclesia a Statu, neque Status ab Ecclesia sejungendus est, sed utraque societas amico fœdere conjungenda.*

Quod sic diserte exponit *Leo XIII*[1] : "Itaque inter utramque potestatem quædam intercedat necesse est ordinata colligatio : quæ quidem conjunctioni non immerito comparatur, per quam *anima* et *corpus* in homine copulantur".

Revera, ex una parte, jurisdictio utriusque societatis ad *eosdem* subditos extenditur, totumque complectitur hominem, secundum animam et corpus, etsi sub diverso respectu; aliunde finis utriusque est *eorumdem hominum perfectio*, quam Status promovet *directe* in rebus *temporalibus*, Ecclesia autem *directe* in rebus *spiritualibus* et æternis. Atqui potestates, quæ ad procurandum bonum totale eorumdem subditorum ordinantur, amico fœdere uniri debent. Huc enim pertinet quod egregie scribit *Ivo Carnutensis*[2] : "Cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia. Cum vero inter se discordant, non tantum parvæ res non crescunt, sed etiam magnæ res miserabiliter dilabuntur".

Etenim, licet potestas civilis directe et primario instituatur ad temporali civium bono consulendum, multum tamen eos adjuvare potest in adipiscenda beatitudine æterna, optimas leges condendo, pacemque ac concordiam servando inter cives, religionis liberum exercitium promovendo, etc. Pariter Ecclesia, licet primario animarum salutem promoveat, multum Statui confert, legum etiam civilium observantiam fovendo, mores corripiendo, virtutes sociales promovendo[3]. Hi autem effectus permanenter produci ne-

[1] *Immortale Dei, Acta Leonis XIII*, vol. II, p. 152, ed. Desclée.

[2] Epist. 238, ad Paschalem Papam, ap. *Migne*, P. L., CLXII. p. 246.

[3] Beneficia ab Ecclesia populis christianis collata ita describit **Leo XIII** (Encycl. *Immortale Dei*, l. c., p. 156) : "Quod Europa christiana barbaras gentes edomuit, easque a feritate ad mansuetudinem, a superstitione ad verita-

queunt, nisi utraque societas mutuo conspiret ad bonum civium promovendum; secus enim funestæ concertationes nascentur, nec raro anxius erit homo quid faciat, contraria jubente alterutra potestate, cujus recusare imperium, salvo officio, non potest [1]. Ergo.

Nec ex eo quod in *Statibus Fœderatis Americæ* Ecclesia catholica, quamvis a Statu separata, est incolumis et quotidie viribus crescens, concludere licet separationem Ecclesiæ a Statu *in se* optimam esse; nam in his regionibus multæ sunt Christianorum sectæ, nec proinde societas civilis potest Ecclesiæ catholicæ arctiori vinculo colligari; aliunde Status, quamvis *theoretice* ab Ecclesia sejunctus, multiplici modo religionem adjuvat æquitate legum justitiaque judiciorum; et insuper Ecclesia uberiores fructus edere posset, si, præter libertatem, gratia legum frueretur patrocinioque publicæ potestatis [2].

908. 2° **Unionis modus.** Ad hanc concordiam servandam, is *agendi modus* requiritur quo jura utriusque societatis salva maneant.

Principium autem ad hunc finem obtinendum ita declarat *Leo XIII*, l. c. : " Utraque est in suo genere maxima ". Quamvis enim theoretice omnes actus humani ad utramque societatem spectent, quidam tamen *magis directe spiritualem* habent finem, alii *temporalem*.

(**A**) In rebus *directe spiritualibus*, quales sunt sacramentorum administratio, prædicatio verbi divini, etc., *Ecclesia*

---

tem traduxit : quod Mahumetanorum incursiones victrix propulsavit : quod civilis cultus principatum retinuit, et ad omne decus humanitatis ducem se magistramque præbere ceteris consuevit : quod germanam libertatem eamque multiplicem gratificata populis est : quod complura ad miseriarum solatium sapientissime instituit, sine controversia magnam debet gratiam religioni, quam ad tantas res suscipiendas habuit auspicem, ad perficiendas adjutricem. Mansissent profecto eadem bona, si utriusque potestatis concordia mansisset ".

[1] Cf. Encycl. *Immortale Dei*, ed. cit., p. 152.

[2] Quod diserte explicat **Leo XIII**, Encycl. *Longinqua*, 6 Jan. 1895 : " Hoc enim Ecclesiæ apud vos concessum est, non repugnante temperatione civitatis, ut nullis legum præpedita vinclis, contra vim defensa jure communi justitiaque judiciorum, tutam obtineat vivendi agendique sine offensione facultatem. Sed quamquam hæc vera sunt, tamen error tollendus, ne quis hinc sequi existimet, petendum ab America exemplum optimi Ecclesiæ status : aut universe licere vel expedire, rei civilis reique sacræ distractas esse dissociatasque, more americano, rationes, Quod enim incolumis apud vos est res catholica, quod prosperis etiam auctibus crescit, id omnino fecunditati tribuendum, qua divinitus pollet Ecclesia, quæque, si nullus adversetur, si nulla res impedimento sit, se sponte effert atque effundit; longe tamen uberiores editura fructus, si, præter libertatem, gratia legum fruatur patrocinioque publicæ potestatis ".

exclusivam exercet auctoritatem; hæ enim, etsi ad bonum etiam temporale prosunt, proprie sunt sacræ et Ecclesiæ commissæ, ut diximus supra, n. 679-680.

(**B**) In rebus autem directe *temporalibus*, quales sunt leges definientes jura civium politica et socialia, societas civilis est *suprema;* quamvis enim hæc omnia regulis morum subjiciantur, Status de his æquum judicium ferre potest; quare Ecclesia in eis non intercedit nisi aperte justitia lædatur.

(**C**) In rebus quæ dicuntur *mixtæ*, quæ nempe ad bonum *spirituale* simul et *temporale æque* aut *fere æque* spectant, societas civilis leges ferre nequit præscindendo a societate ecclesiastica et contra ejus bonum, sed de his cum Ecclesia pacisci debet.

909. Si quis vero oriatur *conflictus*, si nempe bonum unius societatis alterius bono opponi videatur, *ex se* ea societas cedere tenetur quæ natura sua inferior est, videlicet societas civilis. Etenim ordo societatum est sicut ordo finium, et illa societas alteri superior est, cujus finis nobilior; atqui finis Ecclesiæ directus est bonum spirituale et æternum, dum finis societatis civilis immediatus est bonum temporale, quod certe minus est bono æterno; repugnaret igitur finem spiritualem impediri intuitu damni temporalis. Sicut enim in homine ratio docet bonum sensibile bono intellectuali, ac bonum temporale spirituali subordinandum esse, ita in societate esse debet; ac proinde in casu conflictus, ea cedere tenetur quæ inferius bonum promovet.

In *praxi* vero, sæpe hujusmodi dissidia mutuis concessionibus aut *concordatis* solvuntur [1].

§ II. De unione Ecclesiæ et Status in catholicis regionibus.

910. Nomine *catholicæ regionis* hic designatur ea cujus non solum plerique incolæ sunt catholici, sed etiam *regimen secundum catholica principia geritur.* Parum refert utrum hæc societas sit monarchica an democratica : nullam enim legitimam regiminis formam Ecclesia respuit.

[1] Cf. **P. Dudon**, art. *Concordats*, in *D. A.*

Unio inter catholicam civitatem et Ecclesiam regitur principiis superius expositis, n. 908. Quo res melius intelligatur, præcipua exponemus *jura* et *officia* Status et Ecclesiæ.

911. 1° **Jura et officia Status.** (A) *Jus* est Statui ut liber et expeditus sit ad res suas agendas : ad eligendam formam regiminis quæ melius societati convenit, ad leges condendas quæ necessariæ sunt ad ejus prosperitatem, uno verbo ad omnia præstanda quæ ad finem societatis conducunt, modo nihil in se contineant quod repugnet legi divinæ vel Ecclesiæ bono. Quæ enim bono spirituali nocerent, honesta esse cessarent.

912. (B) *Officia.* (a) *Status non debet abstrahere a religione, sed eam promovere.* Probatur contra fautores atheismi politici, qui contendunt rectores societatis ita se agere debere perinde ac si Deus non existeret.

1) Necessitas cultus socialis ex eo sequitur quod Deus sit auctor, conservator ac benefactor societatis sicut et hominis. Quemadmodum ergo homo Deo cultum exhibere debet, quia ab eo dependens est, ita et societas, quæ tota ex Deo pendet, ei cultum socialem præstare tenetur, ut jam supra ostensum est, n. 177.

2) Insuper, sine moralitate non potest esse societas; nulla autem vera moralitas obtineri potest sine religione. Qui ergo religionem impugnat, fundamentum ipsius societatis labefactat, et ab eo puniri debet cui cura societatis committitur. Hinc Status potest et debet prohibere quod esset contra legem naturalem, Deo injuriosum; immo cives compellere potest ad aliquos actus religiosos, præsertim in his circumstantiis in quibus omissio in contemptum religionis fieret, qualis esset, v. g., denegatio juramenti coram tribunali [1]. Cum tamen Status non sit infallibilis, non plus potest exigere quam exigit sensus communis; alioquin sese exponeret periculo præscribendi quæ mala sunt, aut prohibendi quæ bona. Si autem intra limites sensus communis remanet, error, si quis sit, erit tantum per accidens.

Nec dicatur, non omnes homines existentiam Dei admittere vel illas veritates sensus communis, ideoque non posse obligari ad religionis officia amplectenda; siquidem nec omnes homines admittunt jus proprietatis et tamen omnes coguntur perinde agere ac si illud agnoscerent, et furari prohibentur.

913. (b) Status religionem etiam *revelatam* agnoscere, defendere ac fovere tenetur. Si enim Deus determinat specialem religionis formam, et præcepta positiva manifestat, societates et principes ei

[1] Imperare tamen nequit actus qui *ex sese* dispositiones internas exigunt, v. g. communionem paschalem. (**Moulard**, *l. c.* p. 288).

obsequium præstare tenentur, sicut et individui. Absurdum esset contendere principem, in leges ferendo, agere posse perinde ac si revelatio nulla existeret, cum revera existat, et jubere posse quæ ab illa forsan prohibentur; hoc enim significaret humanum legislatorem majorem esse quam divinum. Item Deus imponere potest et de facto imponit officia principibus qua talibus : isti autem hæc servare tenentur : " Aliter servit Deo quia homo est, aliter quia etiam rex est : quia homo est, ei servit, vivendo fideliter; quia vero etiam rex est, servit leges justa præcipientes et contraria prohibentes convenienti vigore sanciendo " [1].

914. (c) Status defendere debet *verum Christianismum* seu *Catholicam Ecclesiam.*

1) *Hoc debet Christo et Ecclesiæ.* Ecclesia enim constituta est a Christo tanquam custos veritatis. Jamvero veritas impugnationibus erroris et malitiæ obnoxia est, quæ eam inimicam habent; ideo defensore indiget qui vim, si quæ sit, vi repellere valeat. Ecclesia itaque sæpe materiali gladio ad sui defensionem contra violentos hostes indiget : et quia ipsi datus non est, sed Statui, jus habet ut hic ei opem ferat necessariam. Equidem, etiam sine hac protectione, Ecclesia, non obstantibus acerbissimis persecutionibus, subsistet; sed hoc speciali divinæ interventioni ascribendum est, quæ normalem rerum conditionem non constituit. Ergo Status regulariter Ecclesiam protegere debet contra eos qui ejus jura violant.

2) *Hoc debet et propriis subditis.* Agitur hic, ut supra notatum est, de Statu *catholico.* Subditi jus habent ut omnia sua jura protegantur a Statu; si sunt catholici, qua tales habent jura quæ protegi debent. Jus nempe habent ut veritas sibi annuntiari possit, nec subtrahantur media quibus vita spiritualis nutriatur et augeatur. Status ergo prohibere tenetur ne illa jura ab ullo violentur; quod nihil aliud est nisi Ecclesiam protegere adversus quoslibet hostes.

3) *Hoc debet Status sibi ipsi.* Status enim sibi debet protegere fundamentum societatis. Hoc autem fundamentum nihil aliud est nisi religio et quidem religio vera. Si ergo Deus, per revelationem, aliquam formam religionis determinavit ut solam legitimam, Status eam defendendo, jura Dei defendit ac consequenter fundamenta ipsius societatis, quia nullum jus existere potest nisi prius jura Dei in tuto ponantur.

Hinc princeps subditos contra religionem delinquentes [2] per se

[1] **S. August.,** Epist. 185, ad Bonifac., n. 19, *P. L.,* XXXIII, 801.

[2] Sic aliquando auctoritate civili puniti sunt, et adhuc puniuntur, v. g., blasphemi et violatores diei dominicæ.

punire posset, quatenus ordinem socialem perturbantes et etiam aliorum civium jura violantes. In hoc tamen non excedendum est, sed prudenter agendum, et non inconsulta auctoritate ecclesiastica, ut videatur quid magis expediat bono societatis ac Ecclesiæ. Ipsi Romani Pontifices nonnunquam principes admonuerunt, qui nimio zelo in hac re agebantur; ita *Clemens IV* S. Ludovicum, Galliæ regem, rogavit ut pœnas contra blasphemos mitigaret.

Nec sufficit Principi Ecclesiam contra adversarios tueri, sed debet eamdem positivis mediis fovere. Statui officium incumbit ea omnia curandi quæ ad publicam prosperitatem pertinent, et quæ privati cives per se procurare insufficientes sunt: quales sunt, v. g., academiæ, scholæ, varia instituta ad fovendam industriam, artes, scientiam etc. Equidem alia est potestas, scilicet ecclesiastica, ad hæc instituenda; sed quando temporalibus opibus caret, Status, divitiis affluens, Ecclesiæ auxilium ferre debet.

915. Nec dicendum est Statum boni temporalis curam habere et ideo spirituale ad eum non pertinere; nam, ut animadvertit *S. Thomas* [1], oportet societas civilis tendat non ad felicitatem quamcumque, sed ad eam quæ propria sit hominis; jamvero homo ita debet omnia operari ut non modo non adversetur fini ultimo, sed in quantum rei natura permittit, illius consecutionem procuret. Ergo et procuratio felicitatis præsentis ex parte societatis dirigenda est ad finem ultimum.

Exinde originem habent immunitates ecclesiasticæ, privilegia cultui divino vel ecclesiis concessa, leges civiles sanctione sua leges ecclesiasticas confirmantes. In his omnibus Status de doctrina vel disciplina sese judicem non constituit, sed hæc ab Ecclesia accipit, cujus divina auctoritas probata supponitur, eique liberam dispositionem suarum rerum relinquens, eam adjuvat, leges civiles condens ad defensionem ejus jurium.

916. Quam doctrinam nostra ætate tenendam esse docebat *Leo XIII* (Encycl. *Immortale Dei*) *:* " Civilem igitur societatem, communi utilitati natam in tuenda prosperitate rei publicæ necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque summo bono quod sponte appetunt, non modo nihil importet unquam incommodi, sed omnes quascumque possit opportunitates afferat... Sanctum igitur oportet apud principes esse Dei nomen; ponendumque in præcipuis illorum officiis religionem gratia complecti, benevolentia tueri, auctoritate nutuque legum tegere ".

917. 2° **Jura et officia Ecclesiæ.** (A) *Jura.* Ecclesia jus habet ut nullo modo impediatur in prosequendo suo fine.

[1] *De Regimine principum*, lib. I, c. 14-15.

Constat ex iis quæ dicta sunt de perfectione juridica societatis ecclesiasticæ et de absoluta incompetentia Status in materiis spiritualibus.

Itaque Ecclesia, et quidem sola, auctoritatem exercet in *mere spiritualibus*, quæ ad finem spiritualem directe et immediate ordinantur, ut sunt administratio sacramentorum, cultus divinus, educatio ministrorum in magnis et parvis seminariis. In rebus quæ *in se temporalia* sunt, Ecclesia suam potestatem exercendi jus habet, quando hæc *connexa* sunt *cum bono spirituali*, et a fortiori si sunt *necessaria* ad finem spiritualem obtinendum. Qui enim finem assequi tenetur, jus habet ad omnia media ad hunc finem necessaria, vel valde utilia, nisi sint superioris ordinis. Ecclesia proinde jus habet aperiendi scholas, etiam pro scientificis et litterariis disciplinis tradendis, quia hæc omnia cum veritate religiosa connectuntur; item jus habet exigendi protectionem necessariam in adimpletione suæ missionis; naturæ enim consentaneum est ut temporalia spiritualibus, sicut corpus animæ, inserviant.

(B) *Officia.* Ecclesia non solum non debet sese immiscere in iis quæ sunt mere temporalia; sed etiam societatem civilem adjuvare tenetur in iis quæ proprio fini necessaria sunt, in fovendo nempe publicam honestatem, quæ, dum ad vitam æternam directe tendit, multum tamen ad temporalem felicitatem conducit; in promovendo pacem et tranquillitatem, quæ religiosæ simul ac civili prosperitati favent. Pariter, in specialibus circumstantiis, Ecclesia Statum adjuvare debet, quando agitur de avertendo malo quod utrique societati imminet, v. g. de bello, vel hostium incursione. Hac in re notandum tamen est, ut ecclesiastica historia constat, Ecclesiam erga civilem societatem magnanimam plerumque fuisse, de suis juribus sæpe cedendo, et propria bona tradendo, ut Statui in necessitate auxilio esset.

918. Conclusio. Merito igitur cum *Leone XIII* concludere juvat [1]: "Fuit aliquando tempus cum evangelica philosophia gubernaret civitates... cum sacerdotium atque imperium concordia et amica officiorum vicissitudo auspicato conjungeret. Eoque modo composita civitas fructus tulit omni opinione majores... Mansissent profecto eadem bona, si utriusque potestatis concordia mansisset; majoraque expectari jure poterant, si auctoritati, si magisterio, si consiliis Ecclesiæ majore esset cum fide perseverantiaque obtemperatum".

[1] Encycl. *Immortale Dei.*

§ III. De relationibus Ecclesiæ cum Statu non catholico.

Hujusmodi Status potest esse christianus, sed non catholicus; vel indifferens; vel infidelis.

919. 1° **Cum Statu christiano acatholico.** Omnis Status christianus *per se* eadem habet officia erga Ecclesiam ac Status catholicus, quia quicumque baptismo initiantur, auctoritati a Christo fundatæ subjiciuntur; rebellio, schisma vel hæresis nullum jus conferunt, nec ab obligatione eximunt. Evidens tamen est Ecclesiam de facto obtinere non posse a Statu hæretico omnia ad quæ jus habet. Inquirendum ergo est quid rationabiliter exigere possit, et quid Status logice præstare valeat, immo debeat, juxta vera principia.

Ecclesia exigere potest ut catholici in Statu hæretico vel schismatico degentes, liberi sint in professione suæ religionis : quia talis Status, cum infallibilitatem non sibi vindicet, non potest rationabiliter contendere religionem quam profitetur esse solam veram, aut saltem non potest non admittere eos, qui catholicæ Ecclesiæ adhærent, in bona fide versari posse, et ideo non inquietandos.

Protestantismus præsertim, cum *liberum examen* pro principio fundamentali suscipiat, nullomodo adversari potest eis qui Romanæ religioni adhærent, si illis placeat[1] : ideo catholica Ecclesia agnoscenda est ut *persona moralis*, gaudens *omnibus juribus cujuslibet societatis*, capax possidendi, invocandi publicam auctoritatem adversus hostes tum externos, tum internos, qui regulas in hac societate acceptas violant. Equidem talis Status non puniet discedentes ab Ecclesia, sed vetare nequit ne hæreticos persuasione ad se convertat.

920. 2° **Cum Statu indifferenti.** Talis Status non magis unam quam aliam religionem curat. Itaque, juxta propria principia, catholicam Ecclesiam ut *legitimam societatem* agnoscere debet. Quapropter nil contra ejus jura moliri debet, sed eam protegere tenetur, ac invigilare ne ullum jurium, quæ ei competunt, violetur, sicut et Status

[1] Similiter, cum Ecclesiæ schismaticæ Ecclesiam Christi habeant ut fœderationem plurium ecclesiarum, Status schismaticus Ecclesiam Romanam proscribere non debet.

protegit jura familiæ quæ non ipse constituit, jura etiam commercialis societatis, v. g., puniendo membrum, quod ea non perficeret ad quæ sese obligavit societatem ingrediendo [1]. Immo non solum protegere, sed adjuvare ac fovere debet Ecclesiam; nam ratio et sensus communis docet, religionem societati utilem esse, et aliunde religionem catholicam ut legitimam religionis formam agnoscendam esse juxta principia ipsa indifferentismi.

921. 3° **Cum Statu infideli.** Hic nullomodo Ecclesiæ auctoritati subjicitur, sed non potest rationabiliter negare religionem christianam probabiliter saltem veritatem docere. Ideo contra rationem ac jus naturæ ageret, si impediret illius prædicationem et propagationem.

Quare si prohiberet ne prædicatores veritatem annuntiarent, vel Christiani in suo dominio jam existentes, libere suam religionem profiterentur, ad hoc cogi posset etiam vi armata nationum christianarum. Et revera sæpe etiam hodie obtingit, non obstante moderna incredulitate, ut christianæ nationes interveniant apud infideles, ad obtinendam libertatem pro fide prædicanda et ad missionarios neophytosque protegendos.

922. *Objicitur:* Ecclesia sibi contradicit utpote quæ libertatem immo et quamdam protectionem exigat a Statu heterodoxo, dum ipsa docet Statum catholicum talem libertatem vel protectionem heterodoxis concedere non posse. Si Ecclesia excludere potest heterodoxos, ita et Status heterodoxus Ecclesiam.

Resp. Nulla est contradictio; quod ut videatur, notandum est Ecclesiam jus exclusivum protectionis pro veritate vindicare, ac proinde pro seipsa, quia certa est se veritatem completam exclusive possidere. Hæc *objective* loquendo. — De facto ut sola vera religio non agnoscitur ab omnibus, ideoque, si versatur in regione ubi libertas omnibus sectis conceditur, ipsa certe sine contradictione, eadem privilegia, quæ errori conceduntur, exigere potest. In regione autem ubi una religio, et quidem erronea, admittitur, Ecclesia divinæ suæ missionis testimonia exhibet, ut ostendat adesse aliquam saltem probabilitatem in sui favorem, sibique deberi saltem tolerantiam. E contra ipsa certa est nullam extra se veram esse religionem, quæ jus habeat ad protectionem. Tolerantia tamen

[1] Quod sæpe occurrit in Fœderatis Statibus Americæ; si quandoque de rebus ecclesiasticis coram civili tribunali agatur, v. g. de dominio ecclesiasticorum bonorum, judices plerumque sententiam ferunt secundum leges quæ in hac societate religiosa vigent.

utitur quoad heterodoxos qui in bona fide versantur, ut in sequentibus exponemus.

§ IV. De modo agendi quoad modernas libertates[1].

Hujusmodi libertates, quæ, a Reformatione[2] et deinde incredula philosophia ortæ, tanquam fundamentum modernæ societatis a multis considerantur, sunt præsertim : 1° libertas *cogitandi* ac *loquendi;* 2° libertas *conscientiæ* et *cultus.*

1° De libertate cogitandi ac loquendi.

923. Prænotamus sedulo distinguendam esse facultatem *physicam* seu potentiam agendi, a facultate *morali* seu *jure.* Multa sunt quæ facere valemus, sed quæ facere non licet, quia facultas liberi arbitrii subjicitur certis regulis, quas violandi jus non habet : possibile est quidem furari, sed non licet. Idem dicendum in ordine intellectuali. Intellectus ad verum ordinatur, sicut voluntas ad bonum. Itaque non magis jus habet intellectus adhærendi falso, quam voluntas faciendi malum. Habemus *potentiam*, non autem *jus;* et quando errorem amplectimur, sicut et quando malum agimus, facultate nobis data abutimur.

(**A**) *Vera cogitandi libertas est legitima.* Hæc enim nihil aliud est nisi jus proprium intellectum dirigendi secundum leges suæ naturæ; jus amplectendi verum, ac sese determinandi ut decet rationalem creaturam, scilicet ex percepta veritate. Aliis verbis, jus habemus amplectendi omne verum, nihil admittendi nisi quod evidens nobis est, evidentia intrinseca vel extrinseca. Omnem proinde respuimus *violentiam*, qua doctrina per meram vim externam imponeretur. Jus etiam habemus, inter opiniones quæ sunt liberæ, quam volumus eligendi. Sed jus ad falsum amplectendum in se repugnat, utpote contrarium ipsi naturæ entis intellectualis.

---

[1] Præter auctores citatos initio hujus art. IV, vide **Ketteler,** *Liberté, Autorité, Eglise,* trad. Bélet, Paris, 1862; **Canet,** *La liberté de Conscience,* Lyon, 1891; **Bocci,** *Le libertà d'insegnamento e di coscienza,* 2ª ed., Roma, 1896.

[2] Reformatores quidem libertatem absolutam non prædicaverunt, saltem *theoretice,* cum vellent *verum Evangelium* instaurare. Sed *practice,* eorum contra Ecclesiam rebellio, nomine liberæ conscientiæ, ad liberalismum perduxit.

924. (B) *Absoluta libertas moralis cogitandi dari non potest*, quia intra limites veritatis remanere tenemur, et quidem sive veritas illa sit naturalis, sive revelata, dummodo sit cognita.

Nec exinde minuitur libertas cogitandi, sed e contra perficitur. Si enim vera libertas cogitandi sit jus dirigendi vitam nostram intellectualem secundum leges nostræ naturæ, seu jus adhærendi veritati, quo major evidentia præbetur, eo facilior adhæsio, ac major libertas. Cum autem revelatio divina novum lumen afferat et ab errore nos liberet, libertatem non minuit, sed auget, defectibus nostræ naturæ remedium præbendo [1]. Eodem modo in societate, omne quod cognitionem veri faciliorem reddit, libertatem cogitandi auget, quia ea removet quæ illius exercitio obstant.

Ex his sequitur quid putandum sit de *absoluta* libertate *omnia cogitata publici juris faciendi*. Si enim non habemus jus adhærendi errori, nec jus habere possumus eum docendi. Errare possumus, et propter bonam fidem excusari, sed *objective* loquendo, jus ad errorem propagandum, *in se* repugnat rectæ rationi.

925. (C) Dato autem quod ratio humana non est independens a veritate naturali, nec a Revelatione, quæri ulterius potest num sit *independens a societate tum civili, tum ecclesiastica*, ita ut soli Deo et propriæ conscientiæ reddere rationem teneatur.

Jamvero, quando opiniones remanent in foro *interno*, certum est de eis rationem reddendam esse soli Deo; si autem errores *foris* exprimuntur et manifestantur, potestas socialis, sive civilis sive ecclesiastica, eos reprimendi jus et officium habet, in quantum bonum sociale requirit. Jus enim hominis individui jure aliorum limitatur, et ideo si quis, falsas doctrinas etiam bona fide propagando, ordinem socialem perturbaret, coerceri deberet. Hoc autem accidere posse patet, quia doctrinæ ad actionem tendunt, ac proinde, si non licet omnia agere, nec etiam omnia docere. Sed hæc principia clariora evadent eadem applicando libertati conscientiæ et cultus, quæ est forma libertatis cogitandi in materia religionis.

---

[1] "Hoc justissimum in homines Dei imperium tantum abest ut libertatem tollat aut ullo modo diminuat, ut potius tueatur et perficiat". (**Leo XIII**, Encyc. *Libertas*).

2° De libertate conscientiæ et cultuum

926. (**A**) *Hujus libertatis notio.* (**a**) Libertas conscientiæ *absoluta* est facultas in homine amplectendi quæ sibi magis placuerit religionem. Hæc est libertas physica; sed in ejus exercitio, certis legibus subjici debet, sicut et quælibet activitas tum physica, tum moralis. Itaque, in eligendo religionem, *homo non est independens a Deo*, ut contendit liberalismus absolutus ideoque, si Revelatio supernaturalis existit, eam rejicere non licet, ut probatum est in *Tr. de Religione*, n. 237 seq. Non magis licet credere quod volumus, quam in ordine morali licet facere quod desideramus. (**b**) Non est ergo *vera libertas conscientiæ* jus vitam religiosam seligendi quæ magis placeat, nec jus eam determinandi secundum solum lumen rationis individuæ, ut volunt rationalistæ, sed jus eam determinandi secundum leges nobis a Deo impositas, vel ab auctoritate constituta ab Ipso, si quæ sit. Hoc respuere nequit, quicumque existentiam Dei et ejus supremum dominium admittit.

Inde sequitur *animam humanam, in rebus religiosis, a Deo solo pendere, vel ab eo quem Deus constituit in hac materia judicem.* Status autem nullam auctoritatem habere potest, cum hac in re, ut supra dictum est, sit omnino incompetens. Quod etiam melius patebit si præ mente habetur hic agi de assensu *interno* et *libero* veritati *religiosæ* dando, qui non coactione, sed *suasione* tantum obtinetur. Nemo enim credit nisi volens, nec ad credendum tenetur nisi ei ostendatur credendorum veritas. Jamvero assensum internum et liberum in re religiosa, ea sola societas exigere potest cui munus commisit Deus homines docendi veritates religiosas, Ecclesia scilicet catholica.

Obligatio autem *moralis* assentiendi veritatibus ab Ecclesia propositis, libertatem conscientiæ non minuit : nam, veritati cognitæ per rationem, vel per infallibile testimonium Dei ejusque Ecclesiæ, assensum negare jam contrarium esset ipsi rationi; immo quo clarius cognita veritas, eo major libertas, quia eo facilius intellectus objectum suum attingit. " Hæc quidem vera, hæc digna filiis Dei libertas, Ecclesiæ semper optata ac præcipue cara : hujus generis libertatem sibi constanter vindicavere Apostoli : sanxere scriptis Apologetæ; martyres, ingenti numero, sanguine suo consecravere. Et quidem merito : propterea quod maximam Dei potestatem, et hominum princeps maximumque officium libertas hæc christiana testatur" [1].

[1] **Leo XIII**, Encycl. *Libertas*, p. 114, vol. III, ed. Desclée.

927. (B) *Principia generalia.* Quamdiu libertas conscientiæ in foro *interno* exercetur, Deus solus hac de re judex est, ac esse potest. Pro certo etiam habendum est adhæsionem falsæ religioni datam, ideoque ejus professionem, non esse legitimam, quia dari non potest jus ad errorem. Sed quæstio est utrum soli Deo hujus externi libertatis abusus reddenda sit ratio, an etiam auctoritati civili vel ecclesiasticæ. Jamvero : (a) Anima humana, in sua interna electione, seu in interno exercitio libertatis conscientiæ, a solo Deo pendet; in sua vero manifestatione eadem independentia gaudere debet, *nisi bonum superius aliter exigat.*

(b) Experientia autem constat *libertatem cultuum absolutam nunquam exstitisse*, et ratio docet in nulla societate eam existere posse. Nulla est expolita societas, v. g., quæ suos subditos sinat profiteri religionem, juxta quam humana sacrificia, furtum etc. permittantur aut præscribantur. Societas non impediet quin homines huic doctrinæ interius adhæreant, sed impediet ne actibus externis manifestetur. Unde libertas conscientiæ in sua *manifestatione* necessario limitatur bono societatis, quia nostra libertas aliis nocere non debet. Igitur *bonum societatis est suprema norma.*

928. (C) *Ecclesiæ agendi ratio quoad conscientiæ libertatem.* Ecclesiæ doctrina hac de re, licet a Rationalistis impugnata, rationi consentanea est. (a) Ecclesia enim semper docuit ac docet *neminem cogi posse ad profitendam religionem quam ut veram nunquam agnovit :* "Magnopere cavere solet Ecclesia, ait *Leo XIII*, l. c., ut ad amplectendam fidem catholicam nemo invitus cogatur, juxta quod sapienter Augustinus monet : credere non potest homo nisi volens". *Innocentius III* anathemate plectebat Christianos, qui Judæos ad baptismum cogebant vel eorum cultum perturbabant. Infidelibus vero æquiparantur ii qui nati et educati sunt in hæresi.

Quoad Christianos qui fidem abnegant, hæc est *S. Thomæ* doctrina : Accipere fidem est voluntatis, sed tenere necessitatis. Quando semel subditi sumus Ecclesiæ, officium incumbit ejus leges servandi et in ea permanendi, quia nulla legitima esse potest ratio discedendi. Hic tamen semper fuit distinctio inter hæreticos formales, eos nempe in quibus bona fides præsumi

non possit, et hæreticos materiales. Priores compellendi sunt [1] ut teneant fidem ; sæpe posteriores tolerari possunt ac debent [2].

Ideo Ecclesia homines compellere nunquam voluit ad religionem amplectendam, sed, ad summum, ad obligationes jam susceptas adimplendas; proprios etiam subditos non tam ad actus positivos religionis cogit quam prohibet ne violentur ejus leges.

929. (b) Attamen etsi Ecclesia eos qui foris sunt ad fidem cogere nequit, jus habet et officium proprios filios ad finem ducendi proindeque media adhibendi, quibus amoveantur impedimenta huic fini obstantia. Itaque sicut omnis societas jus habet reprimendi quidquid bonum commune graviter lædit, ita Ecclesia, in protectionem fidelium, repellere potest eos qui errorem vel corruptionem in proprio sinu disseminarent, eo modo quo ipsa expedire judicaverit.

Nec in hoc ulla est libertatis violatio, sed protectio veræ libertatis contra eos qui ea abutuntur. Quod verum est etiamsi Ecclesia auxilium civilis potestatis ad cohibendam propagationem erroris vel corruptionis vocaret. Nam, ex una parte, error nullum jus habet; ex alia, societas officium habet protegendi libertatem propriorum subditorum. Quemadmodum autem homo non fruitur plena libertate in ordine physico, si, quotiescumque per vias ambulat, exponitur periculo violentiam patiendi; ita in ordine intellectuali homines perfecte liberi non essent, si continuo periculo seductionis exponerentur sine protectione.

Non defuerunt inter catholicos ipsos qui contenderent cuilibet completam libertatem relinquendam esse, et errorem sola expositione veritatis confutandum. Sed hæc forma liberalismi condemnata est a *Gregorio XVI* et deinde a *Pio IX*, in Encyclica *Quanta cura;* et merito, quia jus ad errorem amplectendum vindicabat. Libertatem, seu potius *tolerantiam*, aliquando concedere expedit; sed illam ut *jus*, aut etiam ut praxim *semper* præferendam, concedere prohibemur. Hanc sententiam primum defenderat *S. Augustinus*, sed postea eam damnavit [3], et docuit errorem vi externa cohiberi posse, immo nascentem delendum, duplicemque assignat rationem : prima est quod error natura sua tyrannicus est, secunda quod existit oppressio intelligentiarum debilium a potentioribus sicut corporum debilium a robustioribus. Unde repressio erroris a publica auctoritate est legitima defensio contra tyrannidem

[1] *Sum. theolog.*, 2ª 2æ, q. 10, a. 8. — Cfr. **Pius VI,** in brevi 10 Martii 1791, ubi afferuntur testimonia Bened. XIV, S. Thomæ, S. Augustini et Tertulliani.

[2] Non deberent tolerari si eorum error esset nocivus societati, quia error nullum jus confert et societas pati nequit ex eo quod quidam etiam bona fide errent; si quis bona fide putaret furtum licitum esse, furari tamen non permitteretur.

[3] *Retract.*, lib. II, c. 5. Cf. **Vacandard,** *L'Inquisition*, Paris, 1907, p. 18-26.

persecutionis et seductionis. In alia humani generis conditione, res aliter se habere posset; sed, data hominis natura qualiter nunc se habet, historia et ratio docent falsum et malum prævalitura, si utrique eadem jura concedantur ac vero bonoque. Ergo errores reprimi debent ut vera sit libertas ad bonum. Immo eosdem prævenire licet : si Status jus habet prohibendi quæ periculosa sunt, ne forte eis abutantur homines, v. g., armorum gestationem vel quorumdam liquorum venditionem, cur non posset etiam præveniri erroris propagatio, cum sola repressione non possit omne malum averti?

Inde concludere licet quid de *libertate cultuum* dicendum sit : Infideles liberi remanent religioni suæ adhærere et eam cultu familiari profiteri; cultus etiam publicus sæpe toleratur, ut fieri solebat pro Saracenis ac Judæis, Romæ præsertim; dummodo hæc tolerantia non sit periculosa bono spirituali fidelium, quia tunc Ecclesia falsum cultum rejicere deberet ad protegendam libertatem suorum subditorum, sicut et Status expelleret hominem, si ejus doctrina et actiones nocerent societati, quantacumque esset ejus bona fides.

(c) Exinde facile explicatur agendi ratio Ecclesiæ præsertim Medio Ævo. Hæc coactionem adhibuit, sed tantum contra Christianos in mala fide versantes seu formales hæreticos, qui obligationes suas erga Ecclesiam non adimplebant. Infideles autem, vel qui in hæresi nati et educati fuerant, libertate conscientiæ et cultus gaudebant, dummodo christianam societatem non perturbarent. Ecclesia autem, ut *potestas spiritualis*, nullum unquam hominem capite damnavit. Si autem aliquot viguerint abusus, hi hominum malitiæ, non Ecclesiæ doctrinæ tribuendi sunt.

930. (D) *Jura et officia Status relative ad libertatem conscientiæ.* Status, ut vidimus, *incompetens* est in rebus religiosis; *non* tamen *indifferens* esse debet.

(a) Si ageretur de errore quodam fundamenta societatis evertente, ut plures fuerunt hæreses in Medio Ævo, Status certe jus haberet eum proscribendi. Quamvis enim non sit infallibilis, sunt quædam veritates sensus communis, de quibus certus esse potest; ita legitime Status reprimere potest eos qui in praxi *jus proprietatis* negant vel *polygamiam* admittunt, et alia hujusmodi.

(b) Status non definit doctrinam, sed sicut et quælibet persona privata, agnoscere potest religionem christianam esse divinam, et hanc religionem ut *legem fundamentalem suæ constitutionis* assumere. Tunc quicumque Ecclesiam aggreditur, injuriam Statui ipsi infert et ab ipso puniri potest. Talis erat societas christiana Medio Ævo, quando florebat unitas fidei. Hæc ab Ecclesia maxima beneficia receperat et principium firmitatis in ea invenie-

bat. Quicumque itaque Ecclesiam offendebat, eo ipso benefactorem societatis offendebat; quicumque unitatem fidei perturbare tentabat, majoris criminis reus erat quam qui publice furtum faciebat; populus enim christianus unitatem fidei et pacem religiosam auro pretiosiorem existimabat. Hæc est ratio cur tanta severitate damnati fuerint hæretici. Multi certe fuerunt abusus; sæpe a Summis Pontificibus reges et Inquisitio Hispaniæ vituperati sunt, eo quod justos limites excederent. De jure autem pœnis temporalibus plectendi eos quos ecclesiastica auctoritas hæreticos declaraverat, dubitari non licet.

(c) Non solum potest, sed et *debet* Status errorem religiosum reprimere, quia cives jus ad bonum et verum libere amplectendum habent. Hoc autem jus expeditum esse nequit nisi auctoritas socialis illud protegat contra tyrannidem mali et falsi. Præterea veritas religiosa est fundamentum societatis, ideoque illam defendere est defendere ipsam societatem. Hanc etiam protectionem debet Ecclesiæ, ut ipsa finem suum attingere possit. Hinc Status errorem proscribere debet, non quidem omnem errorem, nec omnem abusum, sed quidquid bono societatis nocere potest. Item libertatem cultuum, quatenus societati nocivam, rejicere debet.

931. Hæc omnia autem *de jure ac per se.* Dantur enim circumstantiæ in quibus libertas conscientiæ, libertas cogitandi et loquendi necnon libertas cultus *tolerari possunt*, hoc exigente ipso bono sociali. Id docet *Leo XIII :* "Si divini cultus varia genera eodem jure esse, quo veram religionem, Ecclesia judicat non licere, non ideo tamen damnat rerum publicarum moderatores qui, *magni alicujus aut adipiscendi boni, aut prohibendi causa mali*, moribus atque usu *patienter ferunt*, ut ea habeant singula in civitate locum" [1]. Fatetur itaque S. Pontifex tolerari posse has libertates, quando bonum societatis id postulat, v. g., quando jam paritas cultuum existit, vel quando publica opinione requiritur.

Immo potest Status concursum positivum præstare ad actus falsæ religionis, dummodo sit materialis, non formalis, v. g.. nominando vel confirmando ejus ministros.

Itaque S. Pontifices non absolute condemnant quas vocant *modernas libertates;* sed prohibent ne habeantur tanquam *jura* errori vel falsæ religioni concedenda. *Tolerantia quidem utendum est propter rerum adjuncta* [2], sed repressio licita foret si bonum socie-

[1] Encycl. *Immortale Dei.*

[2] Quod sic diserte exponitur in period. *La Civiltà Cattolica* (17 Oct. 1863) : "Hujusmodi libertates, si tanquam *thesis* ponantur, i. e. ut principia universalia, omnino reprobandæ sunt... Si tanquam *hypothesis* accipiantur, i. e. tanquam accommodatio speciali conditioni hujus vel alterius nationis, legitimæ esse possunt, a catholicis diligi ac propugnari : pium et utile est eisdem efficaciter

tatis id expeteret; nec unquam jus vel protectio errori conceditur, sed tantum personis bona fide errantibus, quæ jus habent ut doceantur priusquam compellantur; et, etiam in casu bonæ fidei, tolerantia ea conceditur, quæ non noceat bono societatis [1].

Conclusio totius Tractatus :

Ecclesiæ natura et excellentia.

932. 1° **Natura.** Antequam finem huic tractatui imponamus, definitionem Ecclesiæ, (quam initio præcedentis tractatus tradidimus), fusius exponere possumus, cum sit veluti summarium et conclusio totius investigationis de Ecclesia. — Ecclesia siquidem est *societas hominum viatorum, sub magisterio et regimine legitimorum pastorum, ac præcipue Romani Pontificis, ejusdem christianæ fidei professione et eorumdem sacramentorum communione adunatorum, ad æternam salutem consequendam.* Dicitur :

(**a**) *societas*, id est, cœtus plurium ad communem fidem conjunctis viribus tendentium. Quæ societas est *religiosa*, cum ejus finis sit Dei cultus hominumque æterna salus; *visibilis* non solum in suis membris, sed etiam in sua constitutione et fructibus quos profert; *indefectibilis*, seu in perpetuum duratura sine ulla essentiali mutatione; *independens* et *completa*, seu per se sufficiens ad finem suum consequendum.

(**b**) *Hominum viatorum*, quia hic agitur tantum de Ecclesia militante, non autem de triumphante aut patiente.

---

uti ad religionis et justitiæ bonum ". Hoc jam implicite docuerat *S. Thomas* (2^a $2^{æ}$ q. 10, a. 11) ; " Humanum regimen derivatur a divino regimine, et ipsum debet imitari. Deus autem, quantumvis sit omnipotens et summe bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in universo, quæ prohibere posset : ne, eis sublatis, majora bona tollerentur, vel etiam pejora mala sequerentur. Sic ergo et in regimine humano illi qui præsunt, recte aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala pejora incurrantur ".

[1] Pro hodiernis temporibus optime scribit **d'Hulst** : " Dans le présent, la règle de conduite qui se déduit des enseignements de l'Eglise tient dans un seul mot : tirer le meilleur parti possible de ce qui est... Mais s'il faut aller aussi loin que possible dans le patronage du bien, il ne faut jamais dépasser ce que l'opinion réclame ou supporte, car on verrait alors se former, contre la religion et l'Eglise, de ces courants violents qui rejettent un peuple dans l'impiété et retardent d'un siècle son retour à l'Evangile. Dans l'avenir il est permis de prévoir que de plus en plus le respect des convictions d'autrui servira les intérêts de la vérité. " (*Conf. de N. D.*, 1895, p. 385-387).

(c) *Sub magisterio et regimine*, etc.; quibus verbis declaratur *essentia* hujus societatis, quæ est vere hierarchica; in ea videlicet adest infallibilis auctoritas ad docendum et suprema potestas ad regendum, quæ Apostolorum collegio et B. Petro collata, in Episcoporum corpore et Romano Pontifice nunc residet. Itaque vera Ecclesia neque democratica, neque aristocratica est, sed vere *monarchica*, cum Pontifex sit ex se infallibilis veramque jurisdictionem habeat in omnes episcopos et fideles.

Hinc ab Ecclesia excluduntur *multitudinistæ et presbyteriani* qui auctoritatem episcopalem non agnoscunt, *cæsaristæ* qui spiritualem potestatem civili subdere contendunt, *episcopaliani* et *Græci schismatici*, qui R. Pontificis primatum rejiciunt.

(d) *Ejusdem fidei professione, etc., adunatorum;* et ita indicantur præcipua vincula quibus Ecclesiæ membra inter se conjunguntur; videlicet *vinculum ejusdem fidei*, quia, cum eidem infallibili magisterio subdantur, eamdem fidem profitentur, quæ est fides christiana authentice ab Ecclesia interpretata; et insuper *vinculum eorumdem sacramentorum*, quia eadem visibilia gratiæ media agnoscunt ac recipiunt, sacramenta a Christo instituta et ab Ecclesia fideliter custodita. Ex hoc capite ab Ecclesia excluduntur infideles, hæretici et catechumeni nondum baptizati.

(e) *Ad æternam salutem consequendam :* et sic declaratur *finis* specialis Ecclesiæ, directe quidem finis *ultimus*, videlicet æternæ felicitatis consecutio, et indirecte finis *proximus*, nempe sanctitas supernaturalis, quæ est via necessaria ad salutem obtinendam.

Exinde distinguitur Ecclesia a societate civili, cujus finis immediatus est bonum temporale civium.

933. 2° **Excellentia** [1]. Ex hoc etiam patet quanta sit Ecclesiæ excellentia. Nihil aliud est enim nisi *regnum Dei* vel *regnum Christi* super terram, et *atrium* quo *regnum cælorum* ingredi valeamus. Cujus præstantiam sacri scriptores Patresque certatim extollunt.

(a) Ejus siquidem *origo* non terrestris et humana, sed *cælestis* ac *divina* existimari debet; eam scilicet fundavit

[1] Cf. **Passaglia**, l. I, c. 3 sq.; **Hurter**, n. 275.

qui est Rex regum et Dominus dominantium, cui data est omnis potestas in cælo et in terra; pretioso suo sanguine eam acquisivit, ita ut de Ecclesia prædicari possit quod de gratia ipsa dicitur : tanti valet quanti Deus!

(**b**) Ejus *duratio* non est momentanea, sed permanens, cum usque ad finem mundi *firma* et *stabilis* sit remansura. Nec mirum; nam fundata est super fundamentum Apostolorum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, ideoque portæ inferi contra eam prævalere nequeunt : " Ecce ego vobiscum sum, ait Dominus, omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi " [1].

(**c**) Nec minor ejus *amplitudo;* nam huc veniunt quæ Deus hujus Ecclesiæ auctori promisit : " Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ " [2]; revera Apostoli missionem acceperunt Evangelium prædicandi omnibus Gentibus; in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum; et hodie in Ecclesia catholica videre est turbam magnam, quam nemo dinumerare potest, ex omnibus gentibus et tribubus, et populis et linguis.

(**d**) Admirabilis est etiam ejus *hierarchica constitutio*, in qua simul perfectam unitatem et multimodam varietatem invenire est, summam auctoritatem cum maxima libertate conjunctam; in ea siquidem resplendet *indivisibilis unitas*, cum unus sit supremus Magister et Legislator, Christus Jesus, cujus S. Pontifex est visibilis vicarius; sed nec minor *varietas :* Papa enim consiliarios habet et adjutores episcopos per orbem catholicum dispersos, qui et ipsi sub se habent pastores secundi ordinis, quorum ope gregem pascunt sibi commissum.

Auctoritas quidem S. Pontificis summa est, cum sit infallibilis in docendo et supremus in regendo; sed ex hoc

---

[1] *Matth.*, XXVIII, 20. — Unde etiam Ecclesia *navi* comparatur, quæ *fluctuat nec mergitur :* " Navigat Ecclesia instructa fidei gubernaculo felici cursu super hujus sæculi mare, habens Deum gubernatorem, angelos remiges, portans choros omnium sanctorum, erecta in medio ipsa salutari arbore crucis, in qua evangelicæ fidei velis suspensis, flante Spiritu S., ad portum paradisi et securitatem quietis æternæ deducitur ". (**S. Chrysost.**, *In Matth.*, VIII, 23).

[2] *Ps.* II, 8.

non minuitur *libertas*, cum Pontifex ipse non pro libitu dogmata legesve condere valeat, sed intra justos limites coarctetur, ita ut nihil aliud possit nisi veritates jam revelatas aut cum revelatis connexas disertiori modo exponere, aut leges statuere quibus efficacius legis divinæ observatio promoveatur. Qui igitur Pontificiis decretis obedit, Deo ipsi obedit, cui servire regnare est.

(e) Hinc abundantes *justitiæ et sanctitatis fructus* ab Ecclesia proferuntur : hæc est enim similis paradiso terrestri, quatuor Evangeliorum fluviis irrigata, cujus in medio crescit arbor vitæ, scilicet Eucharistiæ sacramentum, et omnis generis plantæ, virtutes scilicet et bona opera. Nam, ut ait *S. Irenæus* [1], " ubi Ecclesia, ibi et Spiritus Dei, et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et *omnis gratia* ".

Revera, Ecclesia, sicut Christus ipse, est *via* quam sequendo, non erramus; *veritas* quam tenendo, non decipimur; et *vita* quam possidendo, non morimur. Ipso justitiæ Sole illuminata, erroris ignorantiæque tenebras dispellit; cælesti suo calore dura hominum corda liquefacit; rore gratiæ animas fecundat, et ubi vitiorum spinæ pullulabant jam crescunt virginitatis lilia, caritatis rosæ, omniumque virtutum flores. Hæc autem omnia nihil aliud sunt nisi prælibatio æternæ beatitudinis, ad quam tuto nos perducit sancta mater Ecclesia.

Nobis igitur adhuc in terra peregrinantibus, ex intimo corde dicere liceat : " *Credo in unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam* " [2]; et cum Propheta addere : " *Venite et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob; et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem* " [3].

---

[1] *Adv. Hæres.*, lib. III, c. 24, n. 1, *P. G.*, t. VII, 966. **R.**, 226.

[2] Quem fidei actum eloquenter exponit **Lacordaire,** *Conférences de N. Dame*, 29e Conf. De amore et obedientia Ecclesiæ Romanæ debitis præclare disserunt **J. de Maistre,** *Du Pape*, Conclusion (op. *anglice* versum); **Bossuet,** *Sermon sur l'Unité de l'Eglise;* **Fénelon,** *Mandement sur la Constitution Unigenitus*, XII; **Lacordaire,** *Considér. sur le système de Lamennais*, in fine.

[3] *Isa.*, II, 3.

TRACTATUS V

DE FONTIBUS REVELATIONIS

Objectum et divisio Tractatus [1].

934. 1° **Connexio cum ceteris tractatibus.** Hic tractatus logice succedit tractatui de *Ecclesia Christi*, ubi probavimus Ecclesiam catholicam a Christo institutam esse ut esset *vivus, authenticus et infallibilis interpres veritatis revelatæ.* Exinde sequitur *regulam fidei proximam* esse *infallibilem Ecclesiæ auctoritatem*, quæ non tantum sæculis anteactis, sed etiam nostris diebus suum munus exercet infallibiliter docendi omnes gentes.

2° **Objectum.** Statim vero exsurgit quæstio *undenam* seu ex *quibus fontibus* Ecclesia hauriat quæ nobis credenda proponit. Hic agitur de fontibus *supernaturalibus*, in qui-

---

[1] In præviis editionibus non tantum de *fontibus revelationis*, sed etiam de *aliis fontibus theologicis* dictum fuerat. Re autem melius perpensa, putamus ea quæ fontes theologicos, a Scriptura et Traditione distinctos, respiciunt, opportunius exponenda esse in tomo sequenti ubi de *scientia theologica* agemus.

Tractatum de *Fontibus theologicis* (quatenus non tantum de Scriptura et Traditione agit, sed etiam de aliis fontibus quibus theologia utitur) ad formam scientificam primus reduxit **Melchior Canus** in eximio opere de *Locis theologicis*, quo theologi sequioris ævi copiose usi sunt. 1) Ante ipsum tamen multæ quæstiones ad hunc tractatum spectantes a *Patribus* exploratæ fuerant, præsertim a **S. Ignatio** in suis *epistolis* de episcoporum auctoritate, a **S. Irenæo** in libris *contra Hæreses*, a **Tertulliano** in libro *de Præscriptionibus*, ab **Augustino** in opere de *Doctrina Christiana*, et a **Vincentio Lirinensi** in *Commonitorio:* in his enim et aliis hujusmodi operibus multa invenire est de usu et auctoritate Scripturæ, Traditionum rationisque in expositione ac probatione catholicæ veritatis. 2) **Scholastici** pariter, revelatam doctrinam ad severiores scientiæ leges revocando, de Scripturæ ac Patrum auctoritate sive in quæstionibus præviis ad explicationem libri Sententiarum vel initio Theologiæ Summarum, aut ubi de regula fidei, non pauca tradiderunt. 3) A tempore autem *Reformationis*, necesse fuit copiosius de locis theologicis disputare, ut efficacius refellerentur Protestantes, qui Scripturam pro unica fidei regula habebant. Multi theologi hac de re disseruerunt in *Tr. de Fide;* alii, post Melchioris Cani tempora, in speciali tractatu de Locis theologicis, vel de Scriptura et Traditione.

bus vere continetur *depositum revelationis*, ex quo Ecclesia depromit veritates quas infallibiliter docet.

Jamvero *unus* est fons revelationis *primigenius*, scilicet *verbum Dei*, quod duplex tantum esse potest, *ore traditum* vel *scriptum*. Ait enim *Vaticanum* [1] : " Hæc supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiæ fidem, a S. Tridentina Synodo declaratam, continetur in *libris scriptis* et sine scripto *traditionibus*, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt ".

De *utroque fonte* agemus, incipientes a *Traditione* : hæc enim Scriptura prior est non solum *chronologice*, sed etiam *ambitu*, ut mox exponemus.

Hic igitur tractatus logice est *primus* inter theologicos tractatus; antequam enim de singulis dogmatibus agamus, necesse est expendere ex quibus fontibus dogmata hauriri possint.

935. 3° **Prænotandum de criterio veritatis revelatæ.** Ex fontibus revelationis, nempe *Scriptura* et *Traditione*, duplici modo depromi possunt dogmata credenda : *privata investigatione*, seu critica inquisitione et expositione textuum et traditionum, prout fieri solet in systematibus philosophorum perscrutandis; — *authentica propositione* magisterii vivi et infallibilis, cujus existentiam probavimus in *Tr. de Ecclesia*.

(**a**) *Prior* methodus, qua *sola* Protestantes plerique utuntur, a catholicis theologis minime omittitur; et merito quidem, cum Deus, qui est simul rationis et fidei auctor, velit nos utroque lumine uti ad veritates revelatas detegendas.

(**b**) *Non tamen exclusive nec principaliter* adhibetur; nam quam longa, difficilis et parum tuta sit jam declaravimus, ubi de regula fidei, n. 585-593. Ultimo igitur recurrendum est ad *posteriorem* viam, nempe *vivum et infallibile magisterium Ecclesiæ*, quod dici potest *criterium veritatis revelatæ*. Sicut enim in rebus philosophicis ultimum criterium certitudinis est *evidentia intrinseca*, ita in veritatibus revelatis ultimum certitudinis criterium est *evidentia extrinseca*, nem-

[1] Sess. III, cap. 2., **D. B.**, 1787.

pe primario quidem *auctoritas Dei revelantis*, secundario autem *auctoritas Ecclesiæ docentis*, quæ est veluti *vox Dei* super terram.

Quod quidem semper præ oculis habendum est in iis omnibus quæ de *Traditione* et *Scriptura* dicemus.

Art. I. De Traditione.

936. Status quæstionis [1]. (**A**) Traditio *in genere* (a vocibus *trans*, *do*) est rei alicujus transmissio.

Hic agitur de traditione alicujus *doctrinæ;* quæ tamen diversimode intelligitur.

(**a**) *In se*, tripliciter traditio spectari potest, vel *objective* tantum, vel *active* tantum, vel tandem in sensu *complexo*, objective et active simul. Traditio *objective* tantum considerata est id ipsum quod traditur, seu *doctrina* a majoribus transmissa. Traditio autem *activa* est *tota series organorum et actuum* quibus doctrina ad nos pervenit. Traditio autem *objectiva simul et activa* includit tum doctrinam traditam tum actus et organa quibus transmittitur; qui sensus frequentior est.

(**b**) Ratione *originis*, traditio potest esse *humana* vel *divina*, prout doctrina quæ traditur humana ratione detegisur, vel divinitus revelatur.

Hic de *divina Traditione* sermo habetur. Quæ traditio :

(**a**) *Sensu latiore*, complectitur omnem veritatem divinitus revelatam sive scriptis sive viva voce transmissam, juxta illud S. Pauli [2] : " Tenete *traditiones*, quas didicistis, sive per *sermonem*, sive per *epistolam* nostram ".

(**b**) *Sensu* autem *strictiore*, prout *a Scriptura distinguitur*, Traditio eam doctrinam solum complectitur, quæ *ore* transmittitur, ac definiri potest : *doctrina revelata, sacris Scripturis non relata, sed per legitimos Ecclesiæ pastores de ætate in ætatem infallibiliter transmissa.*

---

[1] **Franzelin,** *De Traditione et Scriptura*, 1875, p. 11-21; **J. V. Bainvel,** *De Magisterio vivo et Traditione*, 1905, p. 11-16; **F. Dubois,** *Les Sources de la Révélation*, in *Rev. du Cl. français*, t. LX, 1909, p. 31-43.

[2] *II Thess.*, II, 14.

Dicitur : (a) *doctrina revelata*, ut sic designetur *objectum* Traditionis, quod est verbum Dei exterius manifestatum ; (b) *S. Scripturis non relata*, ut sic distinguatur a verbo Dei scripto, quod libris *divinitus inspiratis* continetur; traditio a Christo vel Apostolis ore expressa, scriptis quidem postea relata est, sed *non inspiratis*, v. g., Patrum operibus, ut sic melius conservetur ac propagetur; (c) *per Ecclesiæ pastores infallibiliter transmissa*, ut sic declaretur *medium* quo traditio servatur ac transmittitur; illud autem medium est Ecclesia docens, quæ constituitur Episcopis et S. Pontifice, qui, ex probatis, infallibili potestate docendi gaudent, proindeque secure et infallibiliter servare atque interpretari valent doctrinas revelatas a Christo vel Apostolis traditas, eas magis explicite et lucide exponendo.

937. (B) Traditio *divina* subdividitur in *dominicam*, quæ Christi ipsius ore proposita fuit, et *divino-apostolicam*, quæ Apostolos habet auctores *divino inspirante Spiritu :* utriusque eadem est auctoritas, cum utraque a Deo procedat.

Sed traditio *divino-apostolica* distingui debet non tantum a traditione *ecclesiastica*, quæ ab Ecclesiæ prælatis, auctoritate sibi a Deo concessa, introducta fuit, uti est observatio festorum ac jejuniorum certis diebus; sed etiam a traditione *mere apostolica*, quæ ab Apostolis emanat, *non ut inspiratis*, sed ut Ecclesiæ rectoribus, qualis est, v. g., observatio diei dominicæ loco sabbati. Traditio enim mere apostolica, sicut traditio aut lex mere ecclesiastica, non oritur immediate a Deo nec est objectum fidei divinæ; sed immediate ab Ecclesiæ auctoritate procedit, et ab eadem temperari aut mutari potest, quando id postulat bonum commune.

(C) Si *cum Scriptura confertur*, traditio esse potest *inhæsiva, declarativa* vel *mere oralis : inhæsiva*, si id tantum continet quod jam clare in Scriptura comprehenditur, v. g., traditio quæ verba Christi " *Hoc est corpus meum* " sensu *litterali*, non metaphorico, intelligit; *declarativa*, quæ disertius declarat ea quæ obscurius in Scriptura continentur, v. g., traditio quæ verba " *gratia plena* " de immaculato conceptu B. M. Virginis interpretatur; *mere oralis*, quæ comprehendit id quod nullo modo in Scriptura significatur, qualis est traditio de Assumptione Mariæ in cælum.

938. (D) Quibus prænotatis, jam intelligere possumus quid *Protestantes* de Traditione teneant. Multi absolute negant eam esse fontem Revelationis, cum, ex dictis, pro fundamentali principio habeant Scripturam esse solam fidei regulam, solum supremum controversiarum judicem, ita ut dubia loca ex aliis locis clarioribus

sint interpretanda [1]. Nonnulli tamen, præsertim inter *Anglicanos*, hanc doctrinam mitigarunt, admittendo traditiones *inhæsivas* et *declarativas*, quatenus Scripturam disertius explicant [2]; sed rejiciunt traditiones *meræ orales* ut fontem Revelationis a Scriptura distinctum. Quidam tandem inter hodiernos Protestantes Traditionem agnoscunt ut fontem distinctum, sed non infallibilem, cujus auctoritas critice in singulis casibus expendi debeat.

Modernistæ Traditionis nomen retinent, sed hoc nomine designant conscientiam christianam fidelium, et, negantes infallibilitatem vivi magisterii, contendunt *Ecclesiam docentem* nil aliud posse nisi communes *discentis Ecclesiæ* opiniones sancire [3].

Dicemus igitur : 1° de *existentia Traditionis ut fontis Revelationis* a Scriptura distincti; 2° de ejus *organis*.

§ I. De existentia divinæ Traditionis [4].

939. *Thesis :* **Traditio divina, authentico Ecclesiæ magisterio servata et exposita, est fons Revelationis a Scriptura distinctus atque infallibilis.** *De fide est* ex *Vaticano* superius (n. 934) allegato.

---

[1] Hæc enim leguntur in sexto ex 39 Articulis Ecclesiæ Anglicanæ (apud **Schaff***, *Creeds*, vol. III, p. 489) : " Scriptura sacra continet *omnia* quæ sunt ad salutem necessaria, ita ut quidquid in ea nec legitur, neque inde probari potest, non sit a quoquam exigendum, ut tanquam articulus fidei credatur... " Ita pariter *Westmonast. Confessio* (ap. **Schaff***, op. cit., p. 605) : " Quoties igitur cunque oritur quæstio de vero plenoque Scripturæ cujusvis sensu, ex aliis locis, qui apertius loquuntur, est indagandus et cognoscendus ". Cf. **Karl Müller**, *Die Belkenntnisschriften der ref. Kirche*, p. 506-507, 542-547.

[2] Ita **Gore***, *Roman Catholic Claims*, p. 57, ait Scripturam esse quidem fidei regulam, sed Scripturam ab Ecclesia expositam. Ita, inter alios, **A. C. Headlam***, *History, Authority and Theology*, London, 1909, p. 71-72 : " But it is impossible to limit our authority for Christianity to the Bible and the New Testament... The controversy between the authority of Christian tradition and that of Scripture is one wich is exceedingly unprofitable, for the antithesis is a false one. The Scriptures are simply a part of the Church tradition ".

[3] Ita præsertim **G. Tyrrell***, *Suis je Catholique?* p. 49. — Cf. Decretum *S. O. Lamentabili*, 3 Jul. 1907; **D. B.**, 2006.

[4] **Melchior Canus**, *De Locis theologicis*, ap. **Migne**, *Theol. Curs.*, lib. III, p. 235 sq.; **Bellarminus**, *De Verbo Dei*, lib. IV; **Murray**, *De Ecclesia*, disp. XII, t. II, p. 445 sq., **Franzelin**, *De divina Tradit. et Scriptura*, Romæ, 1875, P. I, th. 19-20; **de Groot**, op. cit., q. XIX, art. 1-3; **Schrader**, *De theologico testium fonte*, Parisiis, 1878, p. II, c. 1, p. 137 sq.; **Berthier**, *Tr. de Locis theologicis*, Taurinj, 1888; **Vacant**, *Etudes théol. sur les Constit. du C. du Vatican*, Paris, 1895, t. I, p. 367-379; **L. de San**, *Tractatus de divina Traditione et Scriptura;* **J. V. Bainvel**, *De Magisterio vivo et Traditione*, Paris, 1905, p. 34-38; **G. Brunhes**, *L'idée de Tradition dans les trois premiers siècles*, in *R. P. A.* t. II, 1906, pp. 54-61 et 114-123; **L. de Grandmaison**, *Le développement du dogme chrét.*, in *R. P. A.* t. VI, 1908, p. 401-436.

Dicitur : (**a**) *Traditio divina*, id est, ea doctrina quæ fuerit a Deo revelata, non autem *sacris Scripturis* consignata, quamvis postea in libris Patrum relata; (**b**) *authentico magisterio*... quatenus proponitur non a privato doctore aut theologo, sed infallibili Ecclesiæ magisterio, uno ex modis infra explicandis; (**c**) *servata et exposita* : Ecclesia enim non solum fideliter custodit, sed etiam authentice exponit doctrinam revelatam, obscura declarando et implicita disertius proponendo, ut dicemus in *Tr. de Fide*, ubi de profecti dogmatum.

Ut thesis demonstretur, probare sufficit esse traditiones a Scriptura distinctas, quæ vere contineant verbum Dei; cum enim jam constet Ecclesiam infallibilitate pollere in docendo, eo ipso sequetur traditiones divinas ab ea authentice expositas esse infallibilem doctrinæ revelatæ fontem.

940. I. Scriptura ipsa (quam hic allegamus ut documentum *historicum* maximæ auctoritatis, cf. supra, n. 545) testatur divinas esse traditiones non scriptas, quas accipere tenemur tanquam infallibile Dei verbum.

1° Imprimis ab Adamo ad Moysen nulla erat Scriptura inspirata, ideoque doctrina revelata sola traditione orali servabatur, quæ a majoribus posteris suis transmittebatur. Sed etiam post Moysi datam revelationem, non paucæ remanserunt traditiones mere orales; siquidem Moyses ipse prope moriturus, post commemorata Dei beneficia, aiebat : "Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi, majores tuos et dicent tibi "[1]; item Psalmista scribebat[2] : "Deus, *auribus* nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis opus quod operatus es in diebus eorum"...

941. 2° Res autem demonstratur non paucis testimoniis ex *N. Test.* desumptis.

(**A**) *Ex agendi ratione Christi et Apostolorum.* (**a**) Christus ipse nullum librum scripsit, nec Apostolis præscripsit ut scriberent, sed potius ut *ore* docerent; siquidem duodecim apostolos mittens ad oves quæ perierant domus Israel, dixit eis : "Euntes autem *prædicate*, dicentes quia appropinquavit regnum cælorum "[3]; iterum mox cælum ascensurus, Apostolos sic allocutus est : "Euntes ergo, *docete* omnes

[1] *Deut.*, XXXII, 7. — [2] *Ps.*, XLIII, 2. — [3] *Matth.*, X, 7.

Gentes [1]... *Prædicate* (non scribite) Evangelium omni creaturæ "[2]. Ex quibus constat munus Apostolorum præcipuum fuisse *prædicandi*, non autem scribendi. (**b**) Quod sane Apostoli intellexerunt; quidam enim ex eis nihil scripserunt, alii pauca tantum, nec cum intentione totam revelationem scriptis transmittendi, sed solum *data occasione*, et ad aliquam specialem veritatem inculcandam magis pro tempore necessariam : quod colligitur ex eo quod pleraque eorum scripta sint *epistolæ* ad particulares ecclesias missæ.

Jamvero hæc agendi ratio Christi et Apostolorum luculenter ostendit quasdam esse veritates ore solum traditas, quas ut fidei regulam et fontem Revelationis a Scriptura distinctum accipere tenemur; secus enim Christus Apostolos jussisset ea omnia scribere quæ docuerat, ipsique sedulo, antequam vita excederent, completum revelationis codicem scriptum reliquissent.

942. (**B**) *Explicitis declarationibus.* Si Scriptura est sola fidei regula, solus fons Revelationis, id explicite vel implicite significari debet in Scriptura ipsa. Atqui nihil hujusmodi in ea significatur, sed potius non semel *explicite asseritur traditiones orales, a Scriptura distinctas, tanquam fidei depositum* esse accipiendas. Ita manifeste *S. Paulus* declarat verbum quod *ore* prædicat esse vere *verbum Dei* : " Quoniam cum accepissetis a nobis *verbum auditus Dei*, accepistis illud non ut verbum hominum, sed (sicut vere est) *verbum Dei* "[3]. Paulo post scribit eamdem fidem ei præbendam esse ac Scripturæ : " Itaque, fratres, state : et tenete *traditiones* quas didicistis, sive per *sermonem*, sive per epistolam nostram "[4]. Hic enim traditiones *orales* (per sermonem) traditionibus *scriptis* (per epistolam) æquiparantur, et utrisque eodem modo fideliter est adhærendum. Nec dicere juvat, cum paucis Protestantibus, hic agi tantum de rebus disciplinaribus; nam de rebus ad fidem et mores spectantibus sermo est in his epistolis *ad Thessalonicenses*, ut optimi interpretes etiam acatholici libenter concedunt. — Ad *Romanos* scribens, animadvertit fidem esse *ex auditu* seu ex

[1] *Matth.*, XXVIII, 18-20. — [2] *Marc.*, XVI, 15.
[3] *I Thessal.*, II, 13. — [4] *II Thessal.*, II, 14.

viva prædicatione qua verbum Dei traditur : " Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?... Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi " [1]. Quapropter et ipse frequenter percurrebat civitates quibus Evangelium prædicaverat, ut eas orali magisterio in fide confirmaret.

Ad Timotheum vero, fidelem discipulum simulque aliorum magistrum, scribit : " Formam habe sanorum verborum quæ a me *audisti*, in fide et in dilectione in Christo Jesu. Bonum depositum custodi per Spiritum S. qui habitat in nobis [2]... Quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere " [3]. Ex his certo colligitur Timotheum a Paulo via *traditionis oralis* edoctum fuisse, magistrosque a Timotheo eligendos *viva voce* pariter edocendos esse. Porro, tempore quo Paulus hanc scribebat epistolam, cum videlicet jam prope moriturus esset [4], pars notabilis N. Testamenti scripta et vulgata erat; ergo, *etiam post scripta Evangelia*, traditio mere oralis una remanet ex viis veritates revelatas transmittendi, eo magis quod Timotheus jubetur magistros instruere eodem modo, nempe viva voce, qui et ipsi alios similiter edoceant. Ergo indesinenter traditio oralis erit fons Revelationis.

Frustra igitur Novatores contendunt hanc oralem traditionem per Scripturas abolendam fuisse; si res enim ita se habuisset, Apostoli de hoc suos discipulos monere debuissent; quod nedum faciant, eos potius jubent traditiones servare atque orali magisterio suis discipulis transmittere [5]. Ergo, nisi auctoritas ipsius Scripturæ infirmetur, traditio oralis ut fons Revelationis admitti debet.

943. (C) *Ex ipsa indole Scripturæ*, quæ ex jam dictis, n. 585-596, non est fidei regula satis tuta, nec omnibus obvia, nec ad dirimendas controversias apta.

944. Protestantes multos olim congerebant textus ad probandum nihil Scripturæ esse addendum, quippe quæ omnino sufficiens sit,

[1] *Rom.*, X, 14-17. — [2] *II Tim.*, I, 13-14.
[3] Ibid., II, 2. — [4] Ibid., IV, 6.
[5] Vim hujus argumenti intellexerat **J. H. Newman** adhuc Protestans, *Essays Critical and Historical*, ed. 1890, vol. I, p. 125-126. Huc etiam pertinent ea quæ scribit *C. Briggs* (loc. cit.) : admittit enim existentiam oralis traditionis ut fontis Revelationis; quæ vero de ejus fallibilitate addit confutata manent ex dictis ubi de infallibilitate corpori Episcoporum ejusque Capiti concessa.

ideoque traditionem oralem esse prorsus inutilem, immo periculosam et rejiciendam. Hodie tamen optimi exegetæ fateri coguntur pleraque ex his testimoniis ad rem non spectare. Pauca igitur hac de re sufficiant.

945. (a) *Opponunt* verba S. Pauli ad *Galatas* (I, 8) : "Licet nos, aut angelus de cælo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit"; ergo qui aliud prædicant præter Evangelium a Paulo prædicatum, ideoque orales traditiones ab hoc Evangelio distinctas, anathemate digni sunt.

Resp. Vox præterquam (παρά) hic significat aliquid non solum distinctum, sed etiam *diversum* ab iis quæ Paulus prædicaverat, et eis *contrarium*[1]. Nam S. Paulus scribit ad Galatas, qui, post ejus discessum, aurem præbuerant judaizantium erroribus, proindeque Evangelio prædicationi Paulinæ *contrario*, ut constat ex his verbis : "Miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi in *aliud Evangelium*"[2]. Aliunde, si vox *præterquam* excluderet quidquid a Paulo non evangelizatum erat, eo ipso excluderet etiam libros inspiratos qui postea sive a Paulo sive ab aliis Apostolis scripti sunt; quam sane conclusionem Protestantes admittere nolunt; ergo falsa est interpretatio textus Paulini ab ipsis antiquitus proposita.

946. (b) *Instant :* Paulus enim de Scriptura ait : "Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum ad corripiendum, ad erudiendum in justitia : ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus"[3]. Ergo Scriptura sufficit quoad omnia ad salutem necessaria; ergo inutilis est traditio.

Resp. Conclusionem latiorem esse quam præmissas nemo est qui non videat; si enim sic arguerem : ad valetudinem servandam, utilis est aer purus; ergo aer sufficit; ergo inutilis est cibus; sane hoc argumentum ut fallacia plenum rejiceretur; sic tamen arguunt adversarii! Sensus igitur Apostoli, prout clare ex contextu colligitur, est Scripturam esse quidem valde utilem ad docendum, arguendum etc., non autem *solam* Scripturam ad hoc sufficere; exinde igitur minime excluditur traditio. [3]

947. II. **Ex antiquitate Christiana.** Antiqui Patres, sicut Apostoli ipsi, traditionem ut fontem revelationis a Scriptura distinctum atque infallibilem unanimiter habuerunt.

---

[1] Quod hodierni Protestantes libenter concedunt, v. g., **Ellicott***, *The Handy Commentary*, in h. loc.

[2] *Gal.*, I, 6. — [3] *II Tim.*, III, 16 sq.

[3] Ceteras difficultates solutas vide apud **Murray**, *l. c.*, p. 513 sq.

1° Inter *Patres apostolicos*, *S. Ignatius Martyr*, teste Eusebio [1], "hortabatur incessanter *traditioni Apostolorum inhærere*, quam cum testatus jam esset, ad securitatem certioremve posteritatis notitiam scriptis quoque consignare necessarium duxit". Et vero, ut jam probavimus, n. 671, aperte docet, ad vitandam hæresim fidemque tuto servandam, non aliam esse viam quam fideliter adhærere doctrinæ ab Apostolis traditæ et ab Episcopis authentice expositæ. — Pariter *S. Polycarpus*, S. Joannis discipulus, ad Philippenses scribebat (cap. 7) : "Relinquentes vanitatem multorum et falsas doctrinas ad *traditam nobis ab initio* doctrinam revertamur". De eodem Polycarpo *Eusebius* scribit [2] : "Hic ea semper docuit, quæ ab Apostolis didicerat, et quæ etiamnum Ecclesia tradit, et quæ sola sunt vera"... Auctor *ep. ad Diognetum* (c. II) : "Apostolorum factus discipulus fio doctor Gentium : quæ mihi tradita sunt, digne subministro iis qui discipuli fiunt veritatis"...

948. 2° Sæculo *secundo*, *S. Irenæus* eamdem doctrinam *disertius* etiam exponit, ut jam diximus *(De Ecclesia*, n. 674 sq.), et addit [3] : "Quid autem si neque Apostoli quidem *Scripturas* reliquissent nobis, nonne oportebat *ordinem sequi traditionis*, quam tradiderunt iis quibus committebant ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorum eorum qui in Christum credunt, *sine charactere vel atramento* scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et *veterem traditionem* diligenter custodientes". Ergo, juxta S. Irenæum, existunt traditiones apostolicæ, a Scriptura distinctæ, et quæ, absque Scriptura, sufficiunt ad fidem stabiliendam.

949. 3° *Tertio* et sequentibus sæculis res adhuc clarior evadit. *Tertullianus* manifeste docet lites theologicas non Scriptura sola sed *traditione* dirimendas esse : "Ergo non ad Scripturas provocandum est; nec in his constituendum certamen, in quibus *aut nulla aut incerta victoria esset*, *aut par incertæ*. Nam, etsi non ita evaderet collatio scripturarum, ut utramque partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat illud prius proponi quod nunc solum disputandum est : quibus competat fides ipsa? Cujus sint scripturæ? *A quo et per quos*, *et quando*, *quibus sit tradita disciplina qua fiunt Christiani?* Ubi enim apparuerit esse veritatem et disciplinæ et fidei christianæ, illic erit veritas scripturarum, et expositionum, et omnium traditionúm christianarum" [4]. Et postea asserit regulam

[1] **Euseb.**, *Hist. Eccles.*, l. III, c. 36, *P. G.* XX, 228.
[2] *Hist. Eccles.*, l. IV, c. 14, *P. G.*, XX, p. 337.
[3] **S. Iren.**, *Adv. Hæres.*, l. III, c. 4. Cf. **R.** 213.
[4] **Tertul.**, *Præscript.*, c. XIX, *P. L.*, II, 31. Cf. **R.** 291.

fidei tutam esse doctrinam "quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit" [1].

Huc etiam spectant textus *Clementis Alex.* et *Origenis* jam allegati, n. 676. Alii Patres Græci exhibent oralem Traditionem tanquam intelligendi regulam, qua elucidantur dogmata obscure tantum vel nullomodo in Scriptura contenta, et quæ eamdem vim habet ac Scriptura, utpote ab Apostolis et a Christo dimanans. Ita, v. g., *S. Basilius :* "Ex asservatis in Ecclesia dogmatibus et prædicationibus, alia quidem habemus e doctrina *scripto* prodita, alia vero nobis in mysterio tradita recepimus ex *traditione Apostolorum*, quorum utraque vim eamdem habent ad pietatem" [2].

Quare *S. Augustinus*, sicut S. Stephanus, opinionem S. Cypriani de invaliditate baptismi ab hæreticis collati rejicit tanquam *traditioni contrariam :* "Consuetudo illa quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est, sicut sunt multa quæ universa tenet Ecclesia, et ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur" [3].

Solvitur difficultas. Quare, si Patres Scripturarum *sufficientiam* et *plenitudinem* quandoque extollunt, non sunt intelligendi quasi traditionis utilitatem aut necessitatem rejiciant; sæpe enim mentem suam ita explicant ut traditionis vim simul agnoscant; ita, v. g., *S. Athanasius* asserit quidem Scripturam sufficere ad idolorum vanitatem et Christi divinitatem demonstrandam, sed simul traditionis utilitatem agnoscit : "Et vero sanctæ ac divinæ Scripturæ ipsæ per se satis sunt ad veritatem indicandam. Exstant quoque plurimi ea de re a beatis nostris magistris conscripti libri, quos si quis legerit, Scripturarum interpretationem quodammodo intelliget, et eam quam expetit cognitionem consequi poterit" [4]. Iterum traditiones nonnunquam vituperant, sed solum *spurias*, non autem apostolicas, ut, v. g., *S. Athanasius*, qui (ep. 39) *apocryphas* traditiones rejicit : "Quando quidem aggressi sunt aliqui describere sibi *apocrypha*, et cum inspirata divinitus Scriptura confundere". — Alibi docent in Scripturis omnia contineri, quia videlicet ibi etiam prædicata invenitur necessitas traditionis ab Apostolis transmissæ. Quandoque etiam dicunt omnia ad fidem et mores pertinentia ibi reperiri, ita tamen ut ad ea lucide exponenda requiratur Ecclesiæ magisterium [5].

---

[1] Ibid., c. 37, col. 50; **R.**, 297. Cf. *de Corona militis*, cc. III-IV. Cum alia testimonia congerere limites hujus *Synopsis* non permittant, ea legere potes apud auctores allegatos, v. g., **Murray**, l. c., p. 474 sq.; **Schrader**, n. 92 sq.; **Franzelin**, th. 8.

[2] *De Spiritu Sancto*, c. 27, *P. G.*, XXXII, 187; **R.**, 954. Quam doctrinam Patrum Græcorum exponit **J. Tixeront**, *Hist. des Dogmes*, t. II, p. 14-15.

[3] *De Baptismo*, l. V, n. 31, *P. L.*, XLIII, 192

[4] *Oratio contra Gentes*, c. 1, *P. G.*, XXV, 3.

[5] Quod erudite declarat **Franzelin**, *op. cit.*, th. 19.

950. 4° Ex *Conciliorum praxi*, quorum infallibilitatem supra demonstravimus. In C. *Nicæno*, Patres non solum Scripturam, sed etiam Traditionem allegarunt ut fidei regulam, quemadmodum refert *S. Athanasius*, qui Arianos reprehendit eo quod errorem Patrum doctrinæ contrarium docuerint [1]. Pariter in C. *Ephesino*, teste *S. Vincentio Lirin.*, sanctorum Patrum sententiæ in medium prolatæ sunt, " ut scilicet rite atque sollemniter ex eorum consensu atque decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur et profanæ novitatis blasphemia condemnaretur " [2]. Nec aliter in C. *Chalcedonensi*, ubi, lecta Leonis epistola, Episcopi clamaverunt : " Hæc fides Patrum; hæc fides Apostolorum; omnes ita credimus ".

Merito igitur rem definivit *Tridentinum* [3] : " Perspiciens hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ipsis Apostolis, Spiritu S. dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt, (Synodus) orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, necnon *traditiones ipsas*, tum ad *fidem*, tum ad *mores* pertinentes, tanquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu S. dictatas, et continua successione in Ecclesia catholica servatas, *pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur* ". Ibi tamen notari debet illas solum traditiones infallibiles declarari quæ ad fidem et mores pertineant.

951. Corollarium. Traditio igitur latius patet quam Scriptura, *veritatesque complectitur quæ in Scriptura aut nullatenus aut nonnisi obscure continentur.* Revera ipsi Protestantes credere se profitentur quasdam veritates quæ in libris sacris non reperiuntur, v. g., canonem Novi Testamenti, necessitatem baptismi pro infantibus, diei dominicæ observationem, liceitatem jurisjurandi cui opponi videntur verba Domini [4], Scriptura sufficientiam et Traditionis inutilitatem, etc.

---

[1] *De decretis Nic. Synodi*, n. 25, *P. G.*, XXV, 460-461.
[2] *Commonit.*, n. 29, *P. L.*, L, 678-679.
[3] Sess. IV, ap. **D. B.**, 783. — [4] *Matth.*, V, 34.

Prudentia igitur carent et adversariorum impugnationibus ansam præbent theologi qui omnes catholicas theses Scriptura probare aggrediuntur : quædam enim, ut perpetua virginitas B. Mariæ, nullatenus in Scriptura inveniuntur, aliæ vero nonnisi valde obscure, ut ejusdem immaculata conceptio aut numerus septenarius sacramentorum.

952. *Objiciunt* Protestantes traditiones orales, attenta humana fragilitate, mox adulterari, ideoque auctoritate carere. — *Resp.* Res forsan ita se haberet, si nullum medium institutum esset ad eas custodiendas et discernendas. Sed, ut diximus, Christus instituit *vivum* et *infallibile* magisterium quo traditiones vere divinæ integre custodiri et authentice exponi valeant. Insuper hujusmodi traditiones, quæ primum *orales* erant, mox in documentis scriptis consignatæ sunt, v. g., in scriptis Patrum et Doctorum, symbolis fidei, liturgiis, decretis Romanorum Pontificum et Conciliorum, etc., quibus variis documentis utitur Ecclesia, divino assistente Spiritu, ad detegendum quænam inter traditiones sint vere apostolicæ, et quomodo intelligi debeant. Et ita traditiones incorruptæ usque ad nos pervenire potuerunt.

§ II. De organis Traditionis [1].

953. Traditionis organa dicuntur variæ voces quibus fides catholica exprimitur, nempe *S. Pontifex*, *Episcopi* et aliquo sensu *Fideles :* 1) *S. Pontifex*, qui, ex jam probatis, est infallibilis quando ex cathedra veritatem credendam de fide et moribus universæ Ecclesiæ proponit; 2) *Episcopi*, qui et ipsi infallibilitatis privilegio gaudent, quando, sub Romano Pontifice, sive dispersi sive in Concilium coadunati, aliquam veritatem credendam ore moraliter unanimi proponunt; 3) *Fideles* tandem, quatenus et ipsi eodem fruuntur privilegio quando, Pastoribus suis fideliter uniti, fere unanimiter aliquid tanquam de fide credendum profitentur.

954. Si vero ad *modum* spectamus quo magisterium *exercetur*, duplex a Concilio *Vaticano* agnoscitur magisterium, *sollemne* et *ordinarium :* " Porro fide divina et catho-

[1] **M. Canus,** *op. cit.*, lib. IV sq.; **Perrone,** n. 423 sq.; **Franzelin,** p. 164 sq.; **Schæzler,** *Introductio in S. Theologiam*, Ratisbonæ, 1882, p. 128 sq.; **De Groot,** q. XIX, sq.; **Berthier,** p. I, lib. II, p. 233 sq.; **Lambrecht,** p. I, c. 2, p. 16 sq.; **Pesch,** n. 571 sq.; **Salvatore di Bartolo,** *op. cit.*, p. 220-237 Cf. *Tr. Constitutione Eccl. cath.*, Cap. II.

lica ea omnia credenda sunt, quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive *sollemni* judicio, sive *ordinario et universali* magisterio, tanquam divinitus revelata credenda proponuntur" [1].

Magisterium *sollemne* illud est quod Pontificum et Conciliorum definitionibus formalibus et authenticis exercetur; *ordinarium* autem quod quotidie jugi et universali Ecclesiæ prædicatione manifestatur. — De utroque igitur seorsim dicendum.

I. De sollemni Ecclesiæ magisterio.

955. Magisterium Ecclesiæ sollemne complectitur : (**a**) *definitiones dogmaticas* Conciliorum œcumenicorum, vel Rom. Pontificum, aut etiam Conciliorum particularium quæ ab Ecclesia universali recepta sunt, vel a SS. Pontificibus in forma *sollemni* approbata sunt [2]; nam, ex dictis in *Tr. de Ecclesia*, hujusmodi definitiones sunt vere infallibiles, ac proinde fons Revelationis omnino certus; (**b**) *Symbola* vel *professiones fidei* ab Ecclesia edita vel authentice approbata [3]; hæc enim summam credendorum continent, ideoque sunt fons Revelationis omnino authenticus; (**c**) *censuras theologicas* quibus damnantur propositiones quædam ut *hæreticæ* vel *contrariæ* fidei : tunc enim contradictoriæ propositiones sunt objectum fidei : de his autem opportunius agetur in *Tr. de Fide.*

1° De definitionibus dogmaticis.

956. Cum jam constet has definitiones irreformabiles esse, tantummodo inquirendum manet *quomodo* dignoscere

[1] Sess. III, cap. III, de Fide, **D. B.**, 1792.

[2] Hujusmodi sunt *Milevitanum II* (vel *Carthaginense*, ann. 418) ab Innocentio I (ep. 30) et Zozimo per *Tractoriam* epistolam probatum; *Arausicanum II* a Bonifacio II confirmatum, etc. Cf. **D. B.**, 101, 174. Dixi in *forma sollemni*, qua videlicet Pontifex *sua faciat decreta* Concilii; si enim ea tantum approbat in forma *simplici*, prout hodie fit communiter, definitiones Concil. particularium non sunt irreformabiles; pro genuino tamen fidei testimonio Episcoporum his Conciliis assistentium haberi possunt.

[3] Nonnulli referunt symbola ad magisterium *ordinarium* : hoc verum est quidem sub aliquo respectu, quatenus quotidie a fidelibus recitantur; sed quatenus a Conciliis vel Pontificibus sollemniter eduntur vel approbantur, ad magisterium *sollemne* spectant.

valeamus quænam in eis tanquam de fide sint tenenda; non enim omnia quæ in decretis vel canonibus leguntur, sunt fidei objectum, sed ea tantum quæ tanquam *divinitus revelata* sufficienter proponuntur. Hæc igitur præsertim sunt præ oculis habenda : —

(**A**) In Conciliis, ea sola credenda proponuntur quæ vere definiuntur. Quæ in *præviis congregationibus* vel *sessionibus* a Patribus dicuntur, etsi utilia ad mentem eorum ideoque ad sensum decreti intelligendum, non sunt *ut talia* objectum fidei, quia in his Episcopi non definire, sed solum discutere intendunt. — Præterea si quid invenitur in decretis ad fidem et mores non spectans, v. g., aliquid ad disciplinam aut ad scientias naturales *exclusive* pertinens, non est objectum fidei, ex dictis supra, n. 746.

957. (**B**) In decretis, canonibus vel Litteris Apostolicis, sedulo distinguendum est definitionis *objectum* a *motivis* seu *argumentis* quibus innititur; objectum enim definitum est quidem de fide tenendum; sed argumenta theologica vel philosophica, quæ in medium proferuntur, ad fidem non pertinent, quia mens Pontificis vel Concilii non est aliquid definire his argumentis utendo. Si autem Pontifex vel Concilium textum Scripturæ ita allegat ut declaret eum tali vel tali modo esse intelligendum, hæc declaratio est infallibilis, cum in hoc casu sensus Scripturæ authentice definiatur [1]; si vero textus Scripturæ usurpatur tanquam argumentum ad hominem, vel sensu accommodatitio, vel alio quocumque modo ex quo constet genuinum ejus sensum non definiri, talis interpretatio non est de fide [2]. Ex quo pariter sequitur *obiter dicta*, *propositiones incidentes*, aliaque ejusmodi quæ cum re definita non necessario connectuntur, minime esse fidei objectum.

---

[1] Ita, v. g., quando *Tridentinum* definivit (sess. VII, can. 2, **D. B.**, 858) verba Christi, "Nisi quis renatus fuerit ex aqua "... non metaphorice, sed de aqua naturali esse intelligenda; aut verba Apostoli (*Rom.*, III, 24) quibus dicit justificari hominem per fidem et gratis eo sensu intelligenda esse quem perpetuus Ecclesiæ consensus tenuit et expressit (sess. VI, c. 8, **D. B.**, 801).

[2] Ita, quamvis Concilia quædam generalia verba Christi, "Ubi duo vel tres fuerint congregati "... (*Matth.*, XVIII, 20), de Conciliorum institutione intellexerint, non est de fide præfata verba hunc habere sensum, quia nonnisi obiter et sensu accommodatitio hoc declarârunt. Cf. **Murray**, disp. XVI, n. 27.

958. (C) In definitionibus condendis, Concilium vel Pontifex non astringitur ulli certæ formulæ, sed sufficit quæcumque verborum forma, qua æquivalenter declaretur doctrinam esse *revelatam*, *de fide tenendam*, *dogma catholicum*, *dogma fidei*, veritatem *in Scriptura aut verbo Dei contentam*, *perpetuo in Ecclesia creditam*, *a Patribus traditam*, *fidem esse omnium*, etc.; vel contrariam doctrinam esse *hæreticam*, *verbo Dei contrariam*, *Evangelio doctrinæve Apostolorum contrariam*, etc.; his enim et similibus verbis satis clare exprimitur veritatem propositam esse objectum fidei.

Generatim loquendo, canones qui *anathemate* plectunt eos qui talem vel talem doctrinam asserunt vel negant, definitionem continent, dummodo constet rem de qua agitur non esse mere disciplinarem. Idem multi theologi dicunt de decretis quibus excommunicatio fertur in contradicentes; quod tamen non semper verum est, cum aliquando Pontifices excommunicatione punierint ipso facto incurrenda eos qui propositiones erroneas tantum aut scandalosas docebant vel defendebant [1].

Errant proinde qui dicunt in *solis canonibus* Tridentini aut Vaticani contineri doctrinam definitam, non autem in *capitibus* quæ canones præcedunt. Utrumque enim Concilium mentem definiendi doctrinas de fide tenendas in nonnullis capitibus diserte expressit, etsi id *rarius* fiat. Ita *Tridentinum*, initio decreti de justificatione [2], "exponere intendit omnibus Christifidelibus veram sanamque doctrinam ipsius justificationis, quam Sol justitiæ Christus Jesus... docuit, Apostoli tradiderunt, et Catholica Ecclesia Spiritu S. suggerente perpetuo retinuit, districtius inhibendo ne deinceps audeat quisquam aliter credere"... — *Vaticanum* pariter hæc habet initio sess. III, cap. 1 : "Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia *credit* et *confitetur* unum esse Deum"...; et infra, cap. 2 : "Eadem sancta Mater Ecclesia *tenet* et *docet* Deum"... etc. Jamvero hujusmodi formulæ manifeste ostendunt veritates, hisce capitibus comprehensas, proponi ut objectum fidei; definitiones igitur etiam in his capitibus haberi possunt, dummodo ex contextu id clare constet juxta regulas jam expositas.

959. (D) Ad recte intelligendum quid vere et proprie definitum fuerit, expendere necesse est :

---

[1] Ita *Alexander VII*, post damnatas 28 propositiones, addit : "Sanctissimus, re mature considerata, statuit et decrevit prædictas propositiones, et unamquamque ipsarum, ut minimum tanquam *scandalosas*, esse damnandas et prohibendas... ita ut quicumque illas aut conjunctim aut divisim docuerit... ipso facto incidat in excommunicationem". Cf. **Murray**, disp. XVII, n. 274. — [2] Sess. VI.

(**a**) *Quid docuerint hæretici* quorum errores damnantur, et *quodnam* ex eorum assertis Concilium aut Pontifex reprobare voluerint. Ita, cum in *Tridentino* mens Patrum fuerit Protestantium errores reprobare, non autem opiniones inter catholicos libere disputatas, melius sane intelligentur canones si prius Lutheri Calvinique errores sedulo investigantur.

(**b**) *Quid Patres definire voluerint*, quid vero liberæ disputationi relinquere : quod constat non solum ex ipso tenore decreti, sed etiam ex discussionibus quæ ipsam definitionem præcesserunt, ut sæpe ex *Actis Concilii* colligi potest.

(**c**) *Quo sensu verba in definitione adhibita intelligenda sint :* quod elucidari potest ex communi et recepto usu verborum tempore quo Concilium habitum est, necnon e præviis discussionibus ut supra, et ex interpretatione quæ inter coævos aut subsequioris ævi theologos prævaluit, præsertim vero ex authentica interpretatione ipsius Ecclesiæ, si quæ data fuerit [1].

960. (**E**) Tandem, ut aliqua veritas sit objectum fidei, *clare* et *certo* in definitione proponi debet. Ecclesia enim rem non definit nisi ad obscura apertius declaranda et dubia solvenda. Si igitur verba in aliquo decreto adhibita ita sunt obscura et dubia, ut de eorum interpretatione merito inter theologos disputetur, fideles exspectare possunt usquedum authentica interpretatione magisterii sollemnis aut ordinarii res clara et certa evadat. Lex igitur credendi non obligat, nisi certo moraliter constet de sensu definitionis.

961. Corollarium de conciliis particularibus. Hactenus de definitionibus Conc. generalium vel R. Pontificum. Decreta autem Conc. particularium, etiam in definitionibus circa fidem moresve, non sunt irreformabilia, nisi *sollemniter* approbata fuerint aut *universaliter* recepta : infallibilitas enim *non uni provinciæ* aut nationi, sed *toti Ecclesiæ ejusque Capiti* tantummodo promissa fuit : hinc quædam de facto

[1] Ita sensus vocabuli ὁμοούσιος perfecte non intelligitur nisi præ mente habeantur errores ariani, disceptationes inter Athanasium et Eusebianos sive in ipso Concilio Nicæno sive post, et subsequentes definitiones Concilii Constantinopolitani.

errarunt, v. g., *Antiochense* (a. 341), *Mediolanense* (a. 355), *Seleucianum* (a. 359), etc.

Attamen Concilia particularia valde probabile afferunt argumentum, præsertim quando *plura simul* de *eodem dogmate* consensu commendantur. Revera ex innumeris Conciliis particularibus hucusque habitis, vix quinque aut sex, ait *M. Canus* [1], reperiuntur, quæ a recta definiendi ratione ac via declinaverint.

Immo absolutam certitudinem conferrent, si *omnia unanimiter* aliquod dogma ad fidem pertinere docerent : tunc enim haberetur totius Ecclesiæ consensus [2].

2° De Symbolis et fidei professionibus [3].

962. (A) **De Symbolis in genere.** (a) Symbolum (gr. σύμβολον) tria significat, videlicet *plurium* collationem seu *collectionem in unum*, vel signum aut *tesseram milita-*

[1] **M. Canus**, *op. cit.*, lib. V, c. 4, p. 361 ed. *Migne.*

[2] Præcipuæ collectiones Conciliorum, tum generalium tum particularium, hæ sunt : *Conciliorum omnium Collectio regia*, Paris, 1644; **Labbe** et **Cossart**, *Sacrosancta Concilia*, Paris, 1671; **Harduin**, *Conciliorum collectio*, Paris, 1715; **Mansi**, *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima Collectio*, Florent. et Venet., 1759-1798, ubi pariter inveniuntur epistolæ et decreta Rom. Pontificum. Hæc collectio usque ad annum 1439 tantum perducta, a **Martin** denuo edita, usque ad præsens continuanda est, Paris, Welter, 1901 sqq. Concilia autem recentiora (1682-1869) refert *Collectio Lacensis*, seu *Acta et decreta sacrorum Conciliorum recentiorum*, 7 vol. in-4°, Friburgi, 1870-1890. Quoad Conciliorum historiam, vide **Héfélé**, *Conciliengeschichte*, Freiburg im Br., 1855-74; gallice redditum et notis auctum a **Dom Leclercq**, *Histoire des Conciles*, Paris, 1907 sq.; quædam volumina pariter *anglice* versa sunt. Insuper, quoad Acta S. Pontificum, cfr. **Coustant**, *Epistolæ R. Pontif.*, Paris, 1721, cum additamentis **Schœnemann**, Gottingæ, 1799, vel **A. Thiel**, Braunsberg, 1868; **Ph. Jaffé**, *Regesta Pontificum Rom. ab condita Ecclesia ad annum post Christum natum 1198*, Berolini, 1851; cum continuat. **A. Potthast**, Berolini, 1873; et correctionibus **Pressutti**, *I Regesti de' Rom. Pontefici*, Roma, 1874; **Cocquelines**, *Bullarium magnum*, 28 in-fol., Romæ, 1739-1762, quod usque ad Greg. XVI produxit **Barberi**, *Bullarii romani continuatio*, 9 in-fol., Romæ, 1835-1857.

[3] **Natalis Alexander**, *de Symbolo; de Symbolo Apostolorum;* **Madrisius**, *De Symbolo fidei;* **Lazerus**, *de Antiquo usu Formul. fidei* (quæ omnia invenies apud *Migne*, Theol. Curs., VI, p. 11 sq.); **C. Butler***, *An historical and literary account of the Formularies, Confessions of Faith or Symbolic books of the R. Catholic, Greek, and principal Protestant Churches*, London, 1816; **P. Schaff***, *The Creeds of Christendom*, New-York, 1887; **Denzinger**, *Enchiridion Symbolorum et definitionum*, — emendatum et auctum auctore **C. Bannwart**, Friburgi, 1908 sq.; **F. Cavallera**, *Thesaurus doctrinæ catholicæ ex documentis magisterii ecclesiastici*, Parisiis, 1920.

rem, qua milites ab aliis dignoscuntur, aut etiam *contractuum tesseram* qua videlicet pacta ut authentica habebantur. Quæ quidem tria Symbolis fidei optime adaptantur; sunt enim collectio quædam credendorum, signum quo Christiani ab Infidelibus distinguuntur et tessera pacti quod cum Deo in baptismo inimus.

Quare Symbolum definiri potest *simplex ac brevis summa veritatum fidei, ab Ecclesia fidelibus proposita in signum christianæ professionis.*

(b) *Utilitas* Symbolorum triplex est : 1) ut *docentes* unum et idem fidei compendium habeant, quod omnes omnibus proponant, et sic fidei unitas facilius et efficacius servetur; 2) ut *discentes* brevem fidei formulam habeant, quam memoriæ commendare atque frequenter recitare valeant, cujus *brevitas* mentem instruat nec memoriam oneret, *simplicitas* rudium ingenio accommodetur, ac *plenitudo* eorum necessitatibus satisfaciat; 3) ut *fideles* ab infidelibus per ejusdem fidei professionem secernantur atque securius ab hæresibus retrahantur.

Tria sunt præcipua Symbola, quæ non solum a Catholicis, sed etiam a Græcis ac plerisque Protestantibus tanquam fidei expositio accipiuntur, videlicet *Apostolicum Nicæno-Constantinopolitanum*, ac *Athanasianum*, de quibus seorsim pauca dicemus.

963. (B) De Symbolo Apostolorum [1]. (a) Certum est Symbolum, quod Apostolorum dicitur, esse vere *apostolicum* quoad *doctrinam*, quatenus nihil aliud continet nisi quod ab Apostolis fuerit traditum.

Controvertitur autem num sit etiam apostolicum quoad *originem*, quatenus fuerit *ab Apostolis* ipsis conditum. 1) Hodie rejicitur opinio quæ singulis Apostolis tribuit singulorum Symboli articulorum confectionem. 2) Multi autem antiquiores theologi docebant, et quidam etiam nunc putant, totum Symbolum fuisse ab Apostolis, antequam ab invicem discederent, conditum atque approbatum [2].

---

[1] Præter auctores citatos, cf. **Gaspari** *, *Geschichte des Taufsymbols und der Glaubensregel*, Christiania, 1866-75; **C. A. Swaison** *, *The Nicene and Apostles' Creeds*, London, 1875; **Batiffol**, *Le Symbole des Apôtres*, in *Revue Biblique*, Jan. 1894, p. 30 sq. et in *Dict. de Théol.* (Vacant); **S. Baümer**, *Das apostolische Glaubensbekenntniss*, Mainz, 1893, c. XIII; **A. Harnack** *, *Das Apostolische Glaubensbekenntniss...* Berlin, 1892; **E. Vacandard**, *Les origines du Symbole des Apôtres*, in *Etudes de critique et d'hist. relig.*, 3e éd., 1906; vel ap. **A. d'Alès**, *D. A.*, t. I, p. 272-283, cum auctoribus ibi allegatis.

[2] Primus qui id aperte docuit est **Rufinus** († 410), qui in *Comment. in Symbol.*

3) Hodierni tamen critici, etiam Catholici, communiter docent Symbolum non fuisse ab ipsis Apostolis conditum, sed nihil aliud esse nisi regulam fidei in Christum et Trinitatem catechumenis propositam, antequam baptizarentur, cujus Apostoli substantiam tantum tradiderunt, et quæ paulatim et successive nova suscepit additamenta, ut novæ hæreses undique exsurgentes melius præcaverentur ac confutarentur.

Præcipui enim articuli jam in Epistolis S. Ignatii, et in operibus S. Justini, S. Irenæi, Tertulliani et Origenis inveniuntur [1], sed tantum *quoad substantiam;* et a temporibus apostolicis usque ad finem sæc. V, nonnulla verba successive addita fuisse constat ex variis formulis quas legere est apud Patres [2]. Quidquid est, auctoritas ejus est indubitata, cum substantia ab ipsis Apostolis veniat, variaque additamenta auctoritate universalis Ecclesiæ approbata fuerint.

964. (b) Symbolum Apostolorum, juxta quosdam, in quatuordecim, juxta alios, in duodecim articulos dividitur : quæ posterior divisio communi fidelium usu recepta est, et a *Catechismo Concilii Tridentini* approbata. In tres partes distribuitur : in prima, agitur de Patre et de miro creationis opere; in secunda, de Filio et humanæ redemptionis mysterio; in tertia, de Spiritu Sancto, qui est caput et fons sanctitatis nostræ; alibi ostendimus, n. 11, theologiam dogmaticam nihil aliud esse nisi Symboli scientificam expositionem.

S. Thomas (2. 2, q. I, a. 8) optime explicat quomodo Symbolum ea omnia complectatur quæ magis necessaria sunt ad salutem. Duo enim primario ad fidem pertinent, finis ultimus supernaturalis, seu Deus per visionem beatificam apprehensus, et medium ad hunc

---

Apost., n. 2, *P. L.*, XXI, 337, hæc scribit : "Discessuri (Apostoli) ab invicem, normam sibi prius futuræ prædicationis in commune constituunt, ne forte alii alio abducti, diversum aliquid his qui ad fidem Christi invitabantur, exponerent. Omnes igitur in uno positi et Spiritu S. repleti, breve istud futuræ sibi, ut diximus, prædicationis indicium, in unum conferendo quod sentiebant unusquisque, componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt. Symbolum autem hoc multis et justissimis ex causis appellari voluerunt".

[1] **S. Ignat.**, *ad Trall.*, c. 9, **R.** 51; **S. Justinus**, *Apolog. I et II* et *Dial. cum Tryph.;* **S. Iren.**, *Adv. Hæres.*, l. I, c. X, n. 1, **R.** 191; l. III, c. IV, n. 12; **Tertul.**, *de Virgin. velandis*, c. I ; *Adv. Prax.*, c. II **R.** 371; **K.** 189; **Orig.**, *De principiis*, l. I, præfat., 4-5, **R.** 445-446.

[2] Præter Patres jam allegatos, cfr. **Cyprian.**, *Ep. ad Magnum;* **Novatian.**, apud *Gallandi*, t. III, p. 287 sq.; **Gregor. Thaumat.**, apud *Gallandi*, l. c., p. 385; **Euseb. Cæsar.**, apud *Socratem*, Hist. Eccles., lib. I, c. 8; **S. Cyril. Hieros.**, *Catecheses*, etc. — Varias Symboli formas variaque additamenta compendiose refert **D. B.**, n. 1-40.

finem attingendum, scilicet humanitas Christi. Atqui Symbolum nobis credendas proponit præcipuas veritates tum circa *majestatem Divinitatis*, videlicet unitatem naturæ et personarum trinitatem, opera divinitatis propria, sive naturalia, ut creationem, sive supernaturalia, ut sanctificationem et glorificationem; tum circa *humanitatem Christi*, ejus conceptionem, nativitatem, passionem, sepulturam, descensum ad inferos, resurrectionem, ascensionem et futurum adventum ad judicandos homines.

965. (C) De Symbolo Nicæno-Constantinopolitano. (a) Hoc Symbolum, quod *Patrum* dicitur, ut distinguatur a Symbolo Apostolorum, inchoatum est in C. Nicæno (325), in C. Constantinopolitano (381) auctum, a C. Ephesino (431) approbatum, et sæc. IX completum per additionem vocis *Filioque*.

(b) Concilium *Nicænum*, ut expressius declararet, contra hæresim arianam, divinitatem Verbi, hæc præcipue Symbolo Apostolorum addidit [1]: "Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Dei, natum ex Patre unigenitum, hoc est, de substantia Patris, Deum ex Deo, Lumen ex Lumine, Deum verum de Deo vero, natum, non factum, *consubstantialem* Patri, per quem omnia facta sunt, quæ in cælo et in terra...".

Nil autem additum est de divinitate Spiritus S., quia tunc temporis nondum negata fuerat; exorta autem hæresi Macedonianorum, qui hanc veritatem impugnabant, C. *Constantinopolitanum* pauca addidit ad divinitatem Spiritus S. disertius vindicandam [2]: "Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre et Filio adorandum et conglorificandum, qui locutus est per Prophetas".

Postea vero quibusdam hæreticis negantibus Spiritum S. a Filio procedere, opportunum visum est Symbolo addere particulam *Filioque*, ad hunc errorem expresse confutandum; quod additamentum primum in Hispania (an. 589) obtinuit, deinde in Gallia Angliaque; attamen Leo III illud sancire noluit, et nonnisi sæc. IX a Rom. Pontificibus approbatum fuit, nec sollemni decreto, sed permissione data illud in missa canendi.

(c) De *auctoritate* hujus Symboli nulla potest esse difficultas, cum a Conciliis generalibus conditum et approbatum fuerit, ipsaque particula *Filioque* non solum a Rom. Pontificibus, sed etiam a Conciliis *Lugdunensi II* et *Florentino* confirmata fuerit.

[1] D. B., n. 54. — [2] D. B., n. 86.

966. (**D**) **De Symbolo Athanasiano.** (**a**) Illud Symbolum ita nuncupatur, quia per plura sæcula *S. Athanasio* tributum fuit. Hodierni vero critici plerique negant Athanasium ejus auctorem fuisse, quia in genuinis operibus S. Doctoris non invenitur; nec unquam explicite allegatum fuit sive ab auctoribus, sive a Conciliis ante sæc. VII, quamvis dogmata ibi expressa per hoc tempus sæpius impugnata fuerint; et insuper jam in eo inveniuntur circa mysterium Incarnationis formulæ quæ nonnisi a *C. Chalcedonensi* post ejus mortem celebrato, in Ecclesia viguerunt.

(**b**) Quis autem ejusdem auctor fuerit, vel quo tempore scriptum, incertum manet. Primum expresse allegatur in synodo quarta Toletana, an. 633, et videtur in Hispania vel Gallia meridionali, quinto aut sexto sæculo confectum, sub ementito nomine Athanasii, ut major auctoritas statim ei conciliaretur [1].

(**c**) Quidquid est de ejus origine, ab *Ecclesia approbatum* est, et *tanquam fidei formula* fidelibus propositum, necnon in Breviario consignatum. Protestantes, qui *Orthodoxi* dicuntur, ejus auctoritatem pariter accipiunt, non autem Liberales. Theologicam expositionem duplicis mysterii Trinitatis et Incarnationis verbis claris simul ac philosophicis complectitur.

967. (**E**) **De professionibus fidei** [2]. Professiones fidei nihil aliud sunt nisi *fusior expositio quorumdam fidei articulorum contra recentiores errores.* Cum enim novæ hæreses ortæ fuerint, præsertim a tempore Reformationis, opportunum visum est antiquis symbolis novas addere formulas, quibus tutius præcaveretur error.

Præcipuæ sunt : (**a**) Professio *Tridentina*, seu *Piana*, quæ ita nuncupatur quia, jubente *Tridentino*, a Pio IV præscripta fuit per Constitutionem *Injunctum nobis*, 13 nov. 1564; summarium eorum quæ a Concilio definita sunt con-

[1] **K. Künstle,** *Eine Bibliothek der Symbole und theologischer Tractate,* in *Forschungen zur christlichen Litt. und Dogmengeschichte,* Bd. I, Heft IV, p. 35-42, hispanicam originem asserit. Juxta alios, *S. Cesarius Arelatensis* († 543) hujus esset symboli primus testis, et forsan auctor. Ita **G. Morin,** *Le symbole d'Athanase et son premier témoin Césaire d'Arles,* in *Revue Bénédictine,* XVIII (1901), p. 337-363; **P. Lejay,** art. *Césaire,* in *Dict. theol.* (Vacant), II, 2177.

[2] **Buschbell,** *Die professiones fidei der Päpste,* 1896.

tinet hisque concluditur verbis : " Cetera item omnia a sacris canonibus et œcumenicis conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita et declarata indubitanter recipio atque profiteor ". Præterea, ex decreto *S. Cong. Concil.*, 20 jan. 1877, his verbis addi debent sequentia : " et ab œcumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, præsertim de Rom. Pontificis primatu et infallibili magisterio " [1]. Tandem, auctoritate Pii X, 1 sept. 1910, hæc professio ampliata est per *jusjurandum antimodernisticum* [2].

(**b**) Professio *Græcis* præscripta a Gregorio XIII per Constit. *Sanctissimus Dominus noster*, an. 1575, in qua, præter ea quæ in Tridentina leguntur, invenire est specialem condemnationem errorum a Græcis schismaticis admissorum circa processionem Spiritus S., panem azymum, primatum Rom. Pontificis, etc. [3].

(**c**) Professio fidei *Orientalibus* præscripta ab Urbano VIII et Benedicto XIV, per Constitut. *Nuper ad nos*, 1743, quæ modo speciali errores Nestorii et Eutychetis reprobat atque condemnat [4].

Ex quo sequitur his professionibus fidem præstandam esse, cum sint summarium credendorum a Rom. Pontificibus authentice editum vel approbatum.

Ad dijudicandum quid sit de fide tenendum in Symbolis et professionibus fidei, sequendæ sunt regulæ superius expositæ de definitionibus dogmaticis.

II. De ordinario ac universali Ecclesiæ magisterio [5].

968. Ecclesia, per orbem dispersa, infallibiliter etiam docet quotidie *ordinario magisterio*, quod variis modis exercetur, præsertim vero *prædicatione Corporis Episcoporum; praxi universali* cum dogmatibus connexa; *consensu* moraliter unanimi *Patrum ac theologorum; sensu communi fidelium;* de quibus seorsim dicendum est.

1° De prædicatione moraliter unanimi Episcoporum.

969. Episcopi per orbem dispersi, quamdiu S. Pontifici subduntur, sunt infallibiles, quando aliquam doctrinam de

[1] **D. B.**, 994 sq. — [2] *A. A. S.*, II, 669-672. **D. B.**, 2145-2147.
[3] **D. B.**, n. 1088 sq. — [4] *Ibid.*, n. 1459 sq.
[5] Præter auctores jam allegatos, vide **J. M. Vacant**, *Le Magistère ordinaire de l'Eglise et ses organes*, Paris et Lyon, 1887.

fide et moribus fidelibus tenendam *unanimiter* aut fere unanimiter proponunt, ex dictis supra, n. 869 seq. Hic autem consensus variis modis constare potest : *catechismis*, in quibus brevis summa veritatum credendarum exponitur; *synodalibus instructionibus*, quibus pastores animarum sibi subditos edocent; *mandatis* aut *concionibus* ad populum habitis ad fidem proponendam aut propugnandam ; *a fortiori* litteris encyclicis Pontificum quibus proponitur doctrina Ecclesiæ etsi non proprie definiatur. Si ex his aut aliis ejusmodi documentis constat aliquam doctrinam *universaliter* tanquam objectum fidei proponi, id plane sufficit ut hæc credenda sit. Hanc autem universalitatem non impedit paucorum dissensus, dummodo Supremus Pontifex cum majori parte episcoporum sentiat. — Quapropter non pauci hodie putant Assumptionem B. Mariæ in cælum esse de fide, cum hæc ab Episcopis fere unanimiter tanquam in Traditione contenta doceatur.

2° De Ecclesiæ praxi cum dogmatibus connexa.

970. Sub hoc capite comprehendi possunt *ritus publici* in sollemni *sacrificii* celebratione usurpati, vel in *sacramentorum* administratione; vel *formulæ precum*, variaque festa aut officia ab Ecclesia instituta [1]; vel tandem *usus sacri* cum doctrina connexi. In his enim et aliis hujusmodi fides Ecclesiæ authentice manifestari potest.

971. *Regulæ ad judicandum de auctoritate liturgiarum quoad fidem.* Ut praxis Ecclesiæ, in liturgiis aut alibi consignata, sit *fidei criterium*, necesse est ut *necessario connectatur cum veritate dogmatica*, simulque sit *universalis* aut *infallibili auctoritate* saltem tacite *approbata.* (a) Si non connectitur cum veritate dogmatica, si, v. g., versatur circa

[1] Monumenta liturgica exhibent **Assemani,** *Codex liturgicus Ecclesiæ universalis*, Romæ, 1749, 13 vol.; **Daniel,** *Codex liturgicus Ecclesiæ universalis*, Lipsiæ, 1847, 4 vol.; **Martène,** *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Antwerpiæ, 1763, 3 vol.; **Renaudot,** *Liturgiarum Orientalium collectio*, Parisiis, 1716; **Denzinger,** *Ritus Orientalium*, Wirceburgi, 1863; **Goar,** *Euchologium, sive Rituale Græcorum*, Paris, 1647; **Muratori,** *Liturgia Romana vetus;* **Thomasi,** Opera. — De liturgiis scripserunt : **L. Duchesne,** *Origines du culte chrétien*, 3e éd., Paris, 1903; **Dom Cabrol,** *Les origines liturgiques*, Paris, Letouzey, 1906; *Introd. aux Etudes liturgiques*, 1907; *Dict. d'Archéologie chrét. et de Liturgie*, Paris, 1907 sq.

facta mere historica, qualia inveniuntur in sanctorum legendis, aut circa res morales quæ ad ædificationem spectant, non autem ad fidem, nulla fit propositio etiam tacita veritatis credendæ. Si vero necessario connectitur cum aliquo dogmate, qualis est adoratio Eucharistiæ quæ supponit realem Christi præsentiam sub speciebus consecratis ejusque divinitatem, Ecclesia hanc praxim præscribens eo ipso dogmata cum ea necessario connexa *fidei* nostræ proponit [1]. (**b**) Insuper hujusmodi praxis *universalis* esse debet : cum enim ecclesiæ particulares errare possint, unius ecclesiæ praxis *probabile* quidem, sed *non certum* veritatis revelatæ argumentum præbet. Si vero omnes aut fere omnes liturgiæ de re ad fidem spectante consentiunt, habetur infallibile veritatis criterium : si enim error in eis inveniretur, tota erraret Ecclesia. Quo sensu verum est axioma a S. Cælestino enuntiatum : "*Lex supplicandi statuit legem credendi*". Pariter Liturgia Romana, cum a SS. Pontificibus approbata fuerit, errores dogmaticos continere nequit [2].

3° De Consensu Patrum ac theologorum.

Doctrina Ecclesiæ non solum Liturgiis, sed etiam scriptorum ecclesiasticorum operibus manifestatur. *Scriptores ecclesiastici* vocantur in genere viri doctrina conspicui, qui in communione Ecclesiæ Catholicæ aliquandiu saltem perseverantes, de rebus ad fidem moresve spectantibus scripta reliquerunt.

De Patrum auctoritate [3].

972. (**A**) **Prævіæ notiones.** (**a**) Inter scriptores ecclesiasticos, nonnulli vocantur *Patres*. Quod nomen primum

[1] Ut alia afferamus exempla, praxis non rebaptizandi hæreticos probat baptismum in hæresi collatum validum esse, preces pro defunctis Purgatorii existentiam arguunt.

[2] Dixi errores *dogmaticos;* nam errores historici irrepere possunt et de facto irrepserunt in legendas Breviarii, ut optimi critici fatentur, quorum testimonia vide apud **De Smedt,** *Introd. ad Historiam ecclesiast.*, Gandavi, 1876, p. 179 sq. Nec mirum, cum præcipuæ lectiones secundi Nocturni scriptæ fuerint tempore quo opera apocrypha passim spargerentur. Non sunt tamen contemnendæ hæ lectiones, cum pleraque in eis contenta vera sint et ad pietatem fovendam apta. Cf. **Batiffol,** *Histoire du Bréviaire Romain*, 3e Ed., Paris, 1911.

[3] **Ceillier,** *Histoire génér. des auteurs sacrés et eccles.*, Paris, 1729-63, 1858-69;

episcopis datum est, sive seorsim sumptis, sive præsertim in Concilio coadunatis : docendo enim doctrinam catholicam, Patres animarum efficiebantur, juxta illud Apostoli [1] : " Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui "; postea autem viris sanctitate ac doctrina conspicuis, qui prioribus sæculis Ecclesiam scriptis suis illustrarunt.

Unde, juxta hodiernos theologos, *quatuor notæ* recensentur ad dignoscendos Ecclesiæ Patres : 1) *doctrina eminens* et *orthodoxa*, qua fidem catholicam recte ac erudite docuerunt; pauci tamen errores materiales huic orthodoxiæ non obstant, dummodo scriptor *mentem catholicam* habuerit; sed ex hoc capite excluduntur omnes hæretici *formales*, etiam scientia eminentes; 2) *sanctitas vitæ*, quia spirituales patres non solum filios instruere debent, sed etiam insigni virtutum exemplo eos ad salutem perducere; hinc, licet scientia et sanctitas separabiles sint, arctissimo tamen vinculo conjunguntur, nec ut Patres *stricto sensu* habentur qui sanctitate non præfulserunt; 3) *antiquitas*, quatenus, juxta receptum loquendi modum, ii solum ut Patres Ecclesiæ habendi sunt, qui Ecclesiam adhuc infantem docuerunt; hinc, juxta quosdam, Patrum epochus sæc. VII vel VIII concluditur, dum, juxta alios, ad sæc. XII extendi potest, ita ut S. Bernardus ultimus inter Patres vocari soleat; 4) *approbatio* tandem explicita vel implicita Ecclesiæ.

973. (b) Notandum est tamen *sensu latiori*, inter Patres, etiam recenseri scriptores priorum sæculorum, qui eruditione floruerunt, quamvis in hæresim lapsi, aut de hæresi suspecti sint, vel non indubitatæ sanctitatis fuerint; quales sunt : Tatianus, Tertullianus, Clemens Alex., Origenes, Arnobius, Lactantius, Eusebius, Theodoretus, Rufinus aliique. Eorum auctoritas eadem non est ac Patrum, sed sæpe tamen maximi momenti est, ad sciendum quid Ecclesia docuerit vel condemnaverit in illis temporibus.

Insuper, inter scriptores ecclesiasticos nonnulli titulo *Doctorum Ecclesiæ* decorati sunt, propter eminentiorem scientiam qua ceteris præcelluerunt. Octo sunt inter eos, qui *majores Doctores* agnos-

---

Le Nain de Tillemont, *Mémoires pour servir à l'Hist. ecclés.*, Paris, 1701; **L. E. Dupin**, *Nouvelle Bibliothèque des Auteurs ecclésiastiques;* anglice versum " *A New History of Eccles. Writers* ", London, 1692 sq.; **J. Fessler**, *Institutiones Patrologiæ*, Œniponte, 1850, cujus nova ed. a *Jungmann* correcta est; **Alzog**, *Handbuch der Patrologie*, Freiburg, 1876, gallice versum; **R. Duval**, *La littérature syriaque*, Paris, Lecoffre, 1900; **P. Batiffol**, *La littérature grecque*, 1901; **Otto Bardenhewer**, *Patrologie*, Freiburg, 1901; gallice redditum auct. **P. Godet et C. Verschaffel**, *Les Pères de l'Eglise*, Paris, 1905; **Id.**, *Gesch. der alt christl. Litteratur*, 4 vol., 2e Ed., Freiburg, 1913 seq.; **J. Tixeront**, *Précis de Patrologie*, Paris, 1918.

[1] *I Cor.*, IV, 15.

cuntur : quatuor in Ecclesia Occidentali, scilicet Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius M.; et quatuor pariter in Ecclesia Græca, nempe Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus et Joannes Chrysostomus. Præterea ut *minores Doctores* ab Ecclesia coluntur : Hilarius Pictaviensis, Leo M., Cyrillus Alex., Cyrillus Hierosol., Petrus Chrysologus, Ephraem, Joannes Damascenus, Isidorus Hispalensis, Beda, Bernardus, Petrus Damianus, Anselmus Cantuariensis, Thomas Aquinas, Bonaventura, Franciscus Salesius ac Alphonsus de Ligorio.

374. (B) Regulæ de auctoritate Patrum. (a) *Præ-notamus*, ad doctrinam alicujus Patris accurate investigandam, minime prætermittendas esse leges *historicæ criticæ;* proindeque expendendum esse qua occasione et quo fine scripserit, contra quos adversarios, quid igitur probare voluerit; pariter ejus mens non ex una vel altera sententia, sed ex toto opere aut etiam ex aliis ejusdem operibus sedulo inquirenda est; immo ex antecessorum et coævorum doctrinis quæ forsan in ejus opiniones influxerint. Ad quod haud parum proderunt Patrum *editiones criticæ* [1], *Patrologiæ*, et *Dogmatum historiæ* [2].

(b) Præterea Patres considerari possunt ut *doctores privati* aut *Ecclesiæ testes*. 1) Quatenus *doctores privati*, magna quidem auctoritate pollent etiam humana, in rebus divinis, tum propter scientiam qua ornati sunt, tum propter veritatis zelum; et de eis dici potest cum *Augustino* [3] : " Isti sunt docti, graves, sancti, veritatis acerrimi defensores adversus garrulas vanitates, in quorum *ratione*, *eruditione*, *libertate*, quæ tria bona judici tribuisti, non potes invenire quod spernas ".

2) Quatenus autem *Ecclesiæ* seu *Traditionis testes*, majore auctoritate pollent : tunc enim non suas opiniones exponunt, sed *ipsam doctrinam Ecclesiæ;* et cum, ex hypothesi, sint simul docti atque veraces, errare non possunt quando *plerique simul indubitanter* asserunt aliquam doctrinam esse *vere doctrinam fidei, absque ulla Ecclesiæ dissensione :* si enim in his adjunctis errarent, tota erraret Ecclesia. Jamvero ut *Ecclesiæ testes* loquuntur, cum docent aliquam doctrinam ut

[1] Ita, v. g., editiones *Benedictinæ, Vindobonenses, Berolinenses.*
[2] Ita, v. g., **J. Tixeront,** *Histoire des Dogmes.*
[3] *Contra Julianum*, l. II, c. 10, n. 37, *P. L.*, t. XLIV, 700.

divinitus revelatam, vel *ab Ecclesia universali receptam*, vel ita tenendam ut *citra fidei jacturam negari vel in dubium vocari nequeat;* aut asserunt contrariam sententiam esse *hæreticam* seu *verbo Dei contrariam;* uno verbo iisdem fere modis ac agnoscitur definitio fidei, ex superius dictis (n. 959). Ut *doctores privati* spectandi sunt, quando more *philosophorum* arguunt, analogiis ac comparationibus utuntur, aut ita suam opinionem propugnant ut contraria possit probabiliter defendi.

975. Quibus prænotatis, sequentes tradimus regulas de Patrum auctoritate.

(**a**) *Consensus Patrum moraliter unanimis, indubitanter asserentium aliquam doctrinam esse de fide, certum est divinæ traditionis argumentum.* Talis est, v. g., eorum unanimis consensus de perpetua virginitate B. Mariæ.

Dicitur : 1) *Moraliter unanimis*, quia, cum agatur de re morali, non mathematica, non absoluta sed moralis unanimitas requiritur, quæ sane existit quando longe major Patrum numerus de eadem re consentiunt. Ratio est quia neque singuli Patres neque singulæ ecclesiæ sunt infallibiles; hinc fieri potest ut singuli episcopi, immo omnes episcopi alicujus provinciæ ecclesiasticæ errent, prout errarunt episcopi africani, duce Cypriano, in controversia Rebaptizantium. Quando autem omnes moraliter Patres diversarum *regionum* (universitas quoad *spatium*) et diversorum *temporum* (universitas quod *tempora*) de dogmate aliquo consentiunt, certum habetur traditionis argumentum; nam si omnes moraliter Patres errarent, eo ipso Ecclesia docens erraret; quod est impossibile ex dictis. Immo consensus unanimis Patrum unius ætatis certum præbet argumentum, cum Ecclesia omni tempore sit indefectibilis, nec proinde ulla ætate errare possit.

In priori casu, argumentum habetur *apologeticum* quoad ipsos acatholicos, cum exinde constet nostram fidem eamdem esse ac fidem Apostolorum. In altero casu, argumentum valet solum quoad *Catholicos* qui infallibilitatem Ecclesiæ admittunt.

2) Insuper agitur de testimonio Patrum *indubitanter* affirmantium explicite vel implicite doctrinam aliquam *ad fidem* vel *ad doctrinam Ecclesiæ* pertinere, vel ita ex-

ponentium Scripturam, ut aliam interpretationem tanquam plane intolerabilem rejiciant. Si enim *dubitanter* loquuntur, vel plures expositiones proponunt, vel accommodatitium sensum, jam non ut Ecclesiæ testes, sed ut Doctores privati considerari debent, nec eorum interpretatio infallibilis est [1].

3) Eorum testimonium debet esse *de re ad fidem vel mores spectante;* nam in scientiis mere naturalibus, sive philosophicis, sive historicis aut aliis hujusmodi quæ cum dogmatibus fidei non connectuntur, Patres non sunt infallibiles : eorum auctoritas in his rebus tanti valet quanti pondus rationum quas afferunt [2].

976. (b) *Unius aut plurium SS. Patrum testimonium in rebus fidei et morum, argumentum est probabile, cujus vis eo magis augetur quo magis crescit numerus et auctoritas Patrum.* Etenim Patres magna auctoritate pollent in veritatibus fidei exponendis, tum quia in rebus theologicis peritissimi erant ac veritatis amatores, tum quia eorum scripta communem approbationem receperunt. Aliunde tamen singuli non sunt infallibiles [3], ideoque eorum auctoritas probabile tantum præbet argumentum; sed, quando plures simul de eadem re tanquam ad fidem pertinente consentiunt, eorum testimonium maximam probabilitatem attingit.

---

[1] Quapropter pro doctrina fidei haberi nequit opinio plurium Patrum qui ad sæculi quarti initia *chiliasmum* seu sententiam de regno Christi in terra per mille annos docuerint; nam et ipsi hanc sententiam inter *liberas opiniones* recensent (ita, v. g., *S. Justinus*, Dial. cum Tryph., n. 80; *S. Iren.*, Adv. hæres., l. V, c. 31, n. 1); nec ejusmodi opinio unquam fuit communis, sed a latinis fere unanimiter rejecta, et, inter ipsos Græcos, a paucis tantum gravis auctoritatis Patribus recepta. Cfr. **Franzelin,** *op. cit.*, th. 16.

[2] Ita **M. Canus,** l. VII, c. 3. — Revera Patres ipsi sæpe in exponendis rebus physicis, astronomicis etc., eas describunt non prout sunt, sed prout visibiliter apparent, non quasi asserentes, sed quasi utentes his quæ a philosophis, vel scientiarum naturalium cultoribus audierant, et S. Scripturam diversimode exponunt secundum varia systemata quæ sibi magis placuerant. In his rebus igitur a Patrum opinione etiam communi recedere licet, servata tamen reverentia eis debita.

[3] Quod ait **Augustinus,** (*Ep.* 82, ad Hieronym., n. 3, *P. L.*, t. XXXIII, 277) de auctoribus loquens a sacris scriptoribus diversos : "Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos vel probabili ratione quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt". Idem docet **S. Thomas,** 1, q. 1, a. 8, ad 2.

Immo *testimonium plurium Patrum doctrina et pietate insignium, qui diversis locis et ætatibus claruerunt, et aliquam doctrinam gravissimi momenti tanquam de fide tradiderunt, nemine reclamante, irrefragabile suppeditat argumentum*, quia in talibus adjunctis spectari possunt ut authentici testes fidei communis hac de re in Ecclesia vigentis; si enim contradixissent communi episcoporum ac fidelium persuasioni, certe fuissent reclamationes.

977. (c) *Quando Patres vere dissentiunt, eorum auctoritas firmum non præbet argumentum, sed potius demonstrat rem de qua igitur non fuisse tunc explicite definitam.* Si enim res fuisset clare definita, non potuissent contrariam sententiam propugnare quin hæretici fuissent.

Ceterum, in rebus *maximi momenti*, non facile admittendus est Patrum dissensus; sæpe enim accidit ut contradictiones sint magis *apparentes* quam veræ, et ex eo oriantur quod sensus verborum, quibus utuntur, non erat adhuc plane definitus [1]; unde verba dubia, quæ rectum patiuntur sensum, benigne sunt interpretanda, vel ex locis clarioribus explicanda. "Indoles enim, tota ratio sentiendi et principia auctoris aliunde certo cognita haberi debent ut norma præcipua interpretationis saltem sensu *negativo*, ut scilicet verbis non tribuatur sensus illi cognitæ auctoris indoli repugnans" [2].

Si vero dissensus *manifestus* est, sensum torquere non licet, sed candide fatendum est quosdam Patres errasse; quod mirum non est, cum singuli sint fallibiles. Attamen, etiam quando errant, cum reverentia tractandi sunt, quia, quamvis quandoque splendor eorum ad tempus evanuerit, non cessant esse luminaria Ecclesiæ.

---

[1] Ita, v. g., *Dionysius Alex.* dixerat quidem Filium esse ποίημα Patris, sed ipse explicavit hoc verbum, obiter usurpatum, posse in bonum sensum explicari, cum apud Græcos ποιητής ille dicatur qui non solum res externas fabricat, sed etiam cogitationes ad intra efformat (**S. Athanas.**, *De sent. Dionys.*, n. 21, *P. G.*, XXV, 510). — Alia exempla affert **Franzelin,** *op. cit.*, p. 189, et merito addit : "Hujusmodi propositiones omnes prolatæ ab hæreticis damnatæ vel damnandæ sunt, apud Patres tamen in sanum et catholicum sensum explicantur ex contextibus, et ex eorum doctrina alibi clariori".

[2] **Franzelin,** *op. cit.*, p. 188.

De auctoritate theologorum.

978. Patribus successerunt theologi scholastici, qui " magnæ molis opus aggressi sunt, nimirum segetes doctrinæ fecundas et uberes, amplissimis SS. Patrum voluminibus diffusas, diligenter congerere, congestasque uno velut loco condere, in posterorum usum et commoditatem " [1] : quorum videlicet scopus fuit doctrinas in Scriptura ac Patribus dispersas logico ordine disponere, atque philosophicis rationibus ornare. — Non sunt igitur contemnendi, quidquid contra eos congerunt *Protestantes* et *Modernistæ* [2], sed ut *fidei testes*, positis ponendis, spectandi sunt. Quamvis enim plerique episcopali dignitate ornati non fuerint, nec ideo ad Ecclesiam *docentem* directe pertineant, eorum doctrina, quoad essentialia, ab Ecclesia docente implicite approbata fuit, immo et in multis ita recepta ut expresse definita fuerit [3].

Ea igitur quæ de Patribus diximus, theologis applicari valent. Ita possunt et ipsi dupliciter considerari, ut *fidei testes*, et *Doctores privati* more philosophorum arguentes.

(**a**) Quando *Theologi omnium scholarum unanimiter docent aliquid non solum verum esse, sed etiam fide catholica tenendum, talis consensus certum præbet argumentum.*

In hoc enim casu sunt vere *fidei testes;* et, si omnes theologi de re ad fidem pertinente errant, tacentibus episcopis ac Romano Pontifice, eo ipso tota Ecclesia errat : errant episcopi, tacite saltem hujusmodi errorem approbando; errant fideles, theologorum errores accipiendo. Quod aliunde *Pius IX* aperte declaravit [4] : " Etiamsi ageretur de illa subjectione, quæ *fidei divinæ* actu est præstanda, limitanda tamen non esset ad ea, quæ expressis œcumenicorum Conciliorum aut Rom. Pontificum hujusque Apostolicæ Sedis decretis definita sunt, sed ad ea quoque extendenda, quæ ordinario totius Ecclesiæ per orbem dispersæ magisterio tanquam divinitus revelata traduntur, ideoque *universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur* ".

---

[1] **Leonis XIII,** Encycl. *Æterni Patris*, 4 Aug. 1879.

[2] Ita, inter alios, **G. Tyrrell,** *Mediævalism*, 1909.

[3] Patres *Tridentini* et *Vaticani* e scholasticis theologis deprompserunt plerasque distinctiones et locutiones quibus usi sunt ad definienda catholica dogmata contra Protestantes et Rationalistas.

[4] **Pius IX,** *Litt. ad archiep. Monac.*, 21 Dec. 1863, **D. B.,** 1683.

Si vero, pluribus theologis asserentibus rem de fide esse, alii graves auctores dissentiunt, minime tenemur prioribus assentire; ipsa enim controversia ostendit adhuc sub judice litem esse.

979. (b) *Si theologi omnes doctrinam aliquam, quæ ex se ad fidem vel mores spectat, tanquam veram aut certam tradunt, temerarium est eam rejicere,* nisi nova argumenta, prius theologis ignota, in medium proferantur. Nam, ex una parte, quando omnes scholæ de eadem re concordant, ad fidem spectante, jam probabilissimum veritatis argumentum habetur; ex altera tamen parte, si nova invenirentur argumenta ex quibus constaret communem doctrinam falso niti fundamento, eorum auctoritas infirmaretur [1].

Quando vero *adest divisio inter diversas scholas, etiamsi theologi unius scholæ suam opinionem ut certam aut fidei proximam haberent, nulla adest obligatio talem opinionem amplectendi,* cum hæc divisio satis demonstret rem esse dubiam; cuique igitur liceat pondus rationum perpendere et in suo sensu abundare.

980. Auctoritas S. Thomæ. Jamvero, inter Scholasticos Doctores omnium princeps et magister longe eminet *Thomas Aquinas*, jure meritoque vocatus *Angelicus Doctor*, et omnium Scholarum catholicarum patronus declaratus : "Ille quidem ingenio docilis et acer, memoria facilis et tenax, vitæ integerrimus, veritatis unice amator, divina humanaque scientia prædives, soli comparatus, orbem terrarum calore virtutum fovit, et doctrinæ splendore complevit" [2]. Tanta est ejus doctrinæ amplitudo, ut non solum contra antiquos errores, sed etiam contra recentes arma invictissima suppeditet. Hinc eum magistrum habuerunt Ordines religiosi et Academiæ, eum laudarunt Pontifices (supra, n. 8) et Concilia; *Tridentinum* Summam S. Thomæ in altari exponi voluit, una cum divinæ Scripturæ codicibus, ut ex ea consilium, rationes, oracula peterentur. In *Codice*, can. 1366, præscribitur ut philosophiæ ac theologiæ studia pertractentur "ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia".

Maxima igitur est ejus auctoritas in rebus theologicis, et qui doctrinam ejus secuti fuerint, *tuto pede* theologiæ campum percurrent. Non tamen ut certa habenda sunt quæcumque proposuit,

[1] Exemplum habetur in quæstione de *mutuo oneroso*, quod ut illicitum communiter per plura sæcula existimatum est, et nunc tanquam licitum ex titulo saltem extrinseco judicatur.

[2] **Leo XIII**, Encycl. *Æterni Patris*, ed. *Desclée*, p. 104.

cum ipse nonnunquam dubitanter locutus fuerit, et sententias prius a se propositas correxerit; sed vim argumentorum quæ proponit sedulo expendere juvabit, ejusque conclusionibus plerumque assentiet. Attamen, sicut ipse scientiarum sui temporis studio incubuit, erroresque tunc temporis grassantes impugnavit, ita pariter theologus, qui ad mentem S. Thomæ discere aut docere vult, hodiernas scientias colere atque hodiernos errores confutare debet; quod sæpe inculcavit *Leo XIII*[1] : "Tandem, S. Thomæ Aquinatis et in hoc exemplum secuti, *in rerum naturalium* consideratione strenue adlaboretis; quo in genere nostrorum temporum ingeniosa inventa et utiliter ausa, sicut jure admirantur æquales, sic posteri perpetua commendatione et laude celebrabunt". Ita docebit non tantum quod S. Thomas suo tempore docuit, sed quod *doceret* si hodie adhuc viveret et hodiernis uti scientiis valeret[2].

4° De communi fidelium sensu.

981. (**A**) Ecclesiæ fides non solum voce Pastorum, sed etiam Fidelium communi sensu manifestatur; nam Spiritus S. totum pervadit Ecclesiæ corpus, mentesque illuminat ut doctrinæ fidei a Pastoribus traditæ, rite intelligi ac integre a catholico grege custodiri valeant : hæc est, ut ita dicam, *passiva infallibilitas* Ecclesiæ, vel, ut aliis placet, *infallibilitas in credendo*, prout distinguitur ab infallibilitate in docendo. Variis modis hic consensus manifestatur : *approbando* doctrinam a præcone catholico prædicatam, aut *reprobando* errores hæreticorum, quemadmodum temporibus Arii et Nestorii factum est; *inscriptionibus* quibus in parietibus Catacumbarum aut in numismatibus suam fidem exprimebant; *responsis* quæ *Martyres* coram judicibus protulerunt de fide pro qua inter dira supplicia mori non dubitabant; uno verbo, tota fidelium loquendi et agendi ratione in rebus fidei.

Consensus autem fidelium, ut sit infallibile veritatis criterium, debet esse : (**a**) *certus et clarus*, nam si ambiguus est, probabile tantum affert argumentum; (**b**) *circa res fidei et morum alicujus momenti*, quæ in explicita fidelium cognitione vel constanti aliqua praxi continentur : si enim agitur

[1] *Oratio ad scientiarum cultores*, 7 mart. 1880, (*Acta Leonis XIII*, ed. *Desclée*, vol. I, p. 147); cf. Encycl. *Æterni Patris*, p. 110; Litt. Apost. *Cum hoc sit*, 4 August. 1880, p. 153 etc.

[2] Cf. **Gardeil**, *Le donné révélé et la théologie*, Paris, 1910, p. 285-318.

de rebus *subtilioribus*, quæ implicite tantum a plerisque fidelibus creduntur, ad hunc consensum appellari non potest : " quo in genere, ait *M. Canus* [1], si vulgarem plebis sententiam roges, perinde erit, ut si a cæco sensum colorum postulares "; (**c**) *moraliter unanimis*, nam particularis ecclesia decipi posset.

(**B**) Quibus *prænotatis*, facile intelligitur quomodo sensus communis fidelium in aliquam doctrinam tanquam divinitus revelatam, sit certum divinæ Traditionis criterium. (**a**) Christus enim ideo infallibile magisterium instituit ut fides christiana integra ac immaculata custodiretur, " donec occurramus omnes in unitatem fidei ". Atqui hujusmodi finis obtineri nequit nisi fidelium corpus, in communione cum Pastoribus manentium, rectæ fidei constanter adhæreat : nam si, per notabile tempus, Fidelium corpus tanquam fidei dogma accipit quod revera non est divinitus revelatum, jam tota moraliter Ecclesia graviter errat in rebus fidei : quod est contra ejus indefectibilitatem. Aliunde, si corpus Pastorum infallibilitate gaudet, corpus Fidelium, quod suis rectoribus unitum manet, in fide errare nequit.

(**b**) Hinc Patres sæpe communi Fidelium sensu, tanquam invicto argumento, contra hæreticos utuntur; siquidem, teste *Irenæo* [2], doctrina apostolica custoditur " in Ecclesia a Spiritu S. quasi in vase bono eximium quoddam depositum juvenescens et juvenescere faciens ipsum vas in quo est "; nec Spiritus Dei, ait *Tertullianus* [3], sinit " ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quam ipse per Apostolos prædicabat " [4]. Propterea *S. Augustinus* contra Pelagianos arguens, peccati originalis existentiam in parvulis, baptismi necessitatem pro eisdem, gratiæ actualis necessitatem ad initium fidei et perseverantiam demonstrat e communi fidelium sensu, quem pro fidei firmissimo argumento habet. Immo *S. Hilarius*, videns quosdam episcopos arianismo

[1] **M. Canus**, l. c., p. 340, ed. *Migne*.
[2] *Adv. Hæres.*, lib. III, c. 24. *P. G.*, t. VII, 966.
[3] *De Præscriptionibus*, n. 28, *P. L.*, t. II, 40.
[4] **S. August.**, *Serm.* 294, nn. 14-17, *P. L.*, t. XXXVIII, 13-43; *Contra Julian.*, lib. I, nn. 31, 32, *P. L.*, t. XLIV, 662; *De Dono persever.*, n. 63, ibid., 1031.

favere, dum populus fidem Nicænam integram servaret, scribere non dubitavit : " Sanctiores sunt aures plebis quam corda sacerdotum "[1]. Quod quidem non significat fideles constitui judices sacerdotum, sed aliquando laicos majorem zelum ostendisse ad tuendam fidem quam quidam habuerint episcopi in hæresim ambitione aut timore attracti.

Tandem *Vincentius Lirinensis* explicat cur unanimis fidelium sensus falli non possit. Si fideles universim decipiuntur, " necesse est, inquit, ut omnes omnium ætatum fideles, omnes sancti, omnes casti, continentes, virgines, omnes clerici, levitæ, sacerdotes... tot insulæ, provinciæ, reges, gentes, regna, nationes, totus postremo jam pœne terrarum orbis per catholicam fidem Christo capiti incorporatus, tanto sæculorum tractu ignorasse, errasse, blasphemasse, nescisse quid crederet, pronuntietur "[2]; quod evidenter repugnat. Ergo communis fidelium sensus, clarus et certus, de aliqua doctrina ut revelata, est infallibile divinæ Traditionis criterium.

Art. II. De Scriptura sacra.

982. Scriptura sacra [3] est *verbum Dei scriptum*, seu collectio librorum, qui *Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem atque ut tales ipsi Ecclesiæ traditi sunt.* Hanc esse fontem Revelationis nullus est Christianus qui dubitet. Quo melius autem intelligatur vis argumentorum ex Scriptura desumptorum [4], duo expendemus : 1° *quo sensu* hujusmodi libri sint *inspirati;* 2° quomodo libris inspiratis uti valeamus ad fidei veritates exponendas; aliis verbis de *inspiratione* et *interpretatione* Scripturarum dicemus. — Quas tamen quæstiones nonnisi breviter attingimus, cum hodie fusius in cursu Scripturæ expendi soleant.

---

[1] *Contra Auxentium*, n. 6. — [2] *Commonitor.*, c. 24.

[3] Scriptura sacra vocatur etiam *Scriptura*, *Liber*, *Scripturæ*, *Libri*, *Biblia* (græce τὰ Βιβλία), quia est liber per excellentiam; vel *sacræ Scripturæ*, *sacræ Litteræ*, *Libri sacri*, *divina Scriptura*, *divina Bibliotheca*, *divinitus inspiratæ Scripturæ* etc.; cf. **Cornely,** *Historica et Critica Introductio in V. T. Libros sacros*, Parisiis, 1885, vol. I, p. 19 sq., vel ejusdem operis *Compendium*, 1891, p. 19 sq.

[4] Cfr. **P. Bonhomme**, *Les preuves scripturaires de la Théologie*, *Le sens biblique du théologien*, in *Rev. thomiste*, 1907, pp. 332, 643; 1908, p. 5.

§ I. De sacræ Scripturæ inspiratione [1].

983. Status quæstionis. 1° Ecclesia docet omnes libros utriusque Testamenti, a *Tridentino* recensitos, canonicos esse ac proinde inspiratos; sed, quo melius pateat quænam auctoritas his libris sit tribuenda, *naturam* et *extensionem* inspirationis expendere necesse est. Hæc est quæstio *facti*, non juris : non enim quæritur quomodo Deus sacros libros inspirare *potuerit*, sed quomodo eos *de facto* inspiraverit; quæstio *auctoritate* tum Scripturæ tum Ecclesiæ, non autem ratione solvi potest. Pauca tamen de variis opinionibus et erroribus prænotare oportet.

984. 2° *Variæ opiniones.* (**A**) Antiqui *Protestantes* multi inspirationis notionem exaggerârunt, docentes omnia *Spiritu S. dictante* conscripta esse, ita ut auctores sacri nihil aliud sint nisi *calami*, quibus Spiritus utebatur [2]; immo quidam dixerunt etiam *consonas* et *vocalia* cum *punctis* in textu originali dictata fuisse.

Hodie vero communiter hanc *mechanicæ dictationis* theoriam rejiciunt, et in tres præcipuas scholas dividuntur : (**a**) *Liberales* in contrarium excessum lapsi sunt, inspirationem rejiciendo vel generalem et vagam inspirationem admittendo, qualis poetis aut oratoribus tribuitur, immo singulis Christianis.

---

[1] **M. Canus,** *op. cit.*, l. I, c. 16 sq.; **Fr. Schmid,** *De inspirationis Bibliorum vi et ratione*, Brixinæ, 1885; **Franzelin,** *de Trad. et Scrip.*, de div. Script., th. 2 sq.; **Crets,** *De divina Bibliorum inspiratione dissertatio dogmatica.* Louvain, 1886; **De Groot,** q. XVII, a. 2-5; **Berthier,** n. 91 sq.; **Cornély,** *Compend.*, Appendix I, p. 623 sq.; **Dausch,** *Die Schriftinspiration*, 1891; **B. Manly** *, *The Bible doctrine of Inspiration*, N.-York, 1888; **Vacant,** *op. cit.*, t. I, p. 456 sq.; **Chauvin,** *Inspiration des divines Ecritures*, Paris, 1897; *Leçons d'Introd. Générale*, 1898; **Pesch,** *De Inspiratione S. Scripturæ*, Friburgi, Herder, 1906; **Bainvel,** *De Script. sacra*, Paris, 1910; **A. Durand,** *Inerrance, Inspiration*, in *D. A.*, t. II, 752-787, 894-917; **H. van Laak,** *De S. Script. inspiratione*, Romæ, 1910; **Card. Billot,** *De inspiratione S. Scripturæ*, Romæ, 1922; **E. Mangenot,** *D. T.*, voce *Inspiration*; **P. Höpfl.** *Tr. de inspirat. S. Scripturæ*, Romæ, 1923; *Ami du Clergé*, 21 août 1924, p. 529-538.

[2] Ita **Quenstedt** (*Theol. didactico-polem.*, sect. I, c. 4, th. 3) : " Solus Deus, si accurate loqui velimus, S. Scripturæ auctor dicendus est; Prophetæ vero et Apostoli auctores dici non possunt nisi per *catachresin*, utpote qui potius Dei *calami* et *Spiritus S. dictantis notarii* fuerunt ". Expressius etiam *Formula consens. Helvet.*, c. 2 : " Hebraicus Vet. Testamenti codex... tum quoad consonas... tum quoad vocalia sive puncta ipsa, sive punctorum saltem potestatem, et tum quoad res tum quoad verba θεόπνευστος (inspiratus) ". (**Karl Müller** *, *Die Bekenntnisschriften der ref. Kirche*, p. 862.)

Libri sacri, inquiunt, sicut profani critice expendi debent : vera simul et falsa continent, historica facta simul et fabulas mythosque; Christus ipse in multis erravit, sed clare docuit paternitatem Dei humanamque fraternitatem, et ex hoc duplici principio fluunt omnia officia erga Deum et homines quæ servare oporteat ad salutem consequendam [1]. — A quibus non multum differunt *Modernistæ*. (**b**) *Orthodoxi*, etsi inspirationem admittentes, eam valde restringunt. Inspiratio, juxta eos, potius *personalis* quam *realis* est : scriptores sacri erant quidem inspirati, quatenus suam religiosam emotionem aliis inspirare poterant, sicut in alio ordine poetæ. Sed eorum libri non eodem modo et gradu inspirati dici possunt; in iis sunt divina et humana; nulli parti absoluta inerrantia competit, sed ex toto complexu Scripturarum reverenter expositarum educi potest quidquid requiritur ad salutem. Christus ipse se accommodavit coævorum præjudiciis : quæ de Vetere Testamento dixit, cum hodierna critica conciliari nequeunt; sed quæ protulit ut Messias de regno Dei, infallibiliter vera sunt; eum igitur sequendo *in spiritualibus*, errare non possumus [2]. (**c**) *Puseystæ* vero catholicam doctrinam de inspiratione fere omnes amplectuntur.

(**B**) Inter *Catholicos* autem, fuere qui notionem inspirationis minus accuratam tradiderint. (**a**) Quidam, cum *Holden* et *Jahn* [3], putarunt ad inspirationem *sufficere assistentiam Spiritus S. ad præcavendos errores* : et ita inspiratio non differret ab assistentia Pontificibus promissa. (**b**) Alii, cum *Lessio* [4], dixerunt ad inspirationem sufficere ut liber, humana industria exaratus, per *subsequentem approbationem divinam*, ab omni errore immunis declaretur; postea tamen addidit requiri insuper ut liber ex *divino impulsu* scriptus fuerit. Nonnulli, longius procedentes, affirmarunt *aliquos libros* nonnisi *per subsequentem approbationem* sacros effectos fuisse [5]. (**c**) Alii tandem docuerunt inspirationem non ad

---

[1] **A. Harnack***, *Das Wesen des Christentums*, 1900; **A. Trümpelmann***, *Die moderne Weltanschauung und das apostolische Glaubensbekenntnis*, 1901; **Rabaud***, *Histoire de la doctrine de l'inspiration*, etc., quorum systemata exponit **Pesch,** *op. cit.*, n. 250-264.

[2] **C. Gore***, *Lux Mundi*, p. 230 sq.; **W. Sanday***, *Inspiration*. Cf. **Pesch,** n. 268-270.

[3] **Holden,** *Analysis fidei div.*, I, 5; **Jahn,** *Introduct. ad divinos libros V. T.*, t. I, § 1, cujus Compendium anglice redditum fuit, New-York, 1827. Cf. **Pesch,** *op. cit.*, n. 315-326.

[4] Cf. *Acta Vatic.*, ed. Lacens., p. 140; **Pesch,** n. 283-287.

[5] Ita **Haneberg,** *Historia revel. biblicæ*, ed. 1850, qui tamen post C. Vaticanum laudabiliter hanc sententiam emendavit.

omnia quæ in Scriptura leguntur extendi, præcipue non ad *obiter dicta*, sed solum ad res majoris momenti, præsertim ea quæ fidem et mores spectant aut cum eis connectuntur [1]. (**d**) Pauci etiam putarunt inspirationem, licet ad omnia extendatur, non reddere auctores sacros ab omni errore immunes, præsertim in rebus historicis aut scientificis [2].

Quo melius doctrina catholica intelligatur, exponemus quid de *natura* et *extensione* inspirationis tenendum sit.

I. De natura inspirationis.

985. Doctrina catholica a pluribus Conciliis fuit definita : *Tridentinum*, Florentini decretum renovans, declaravit Deum esse *utriusque Testamenti auctorem;* et *Vaticanum* hanc declarationem amplians, ait [3] : " Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sunt approbati; nec ideo dumtaxat quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod, *Spiritu Sancto inspirante conscripti*, *Deum habent auctorem*, atque ut tales ipsi Ecclesiæ traditi sunt ". Ad quam notionem lucidius exponendam, dicemus : 1° quid non sufficiat; 2° quid non requiratur; 3° quid requiratur et sufficiat ad veram inspirationem.

986. 1° *Quid non sufficiat ad inspirationem?* (**A**) Non sufficit *præservatio ab errore* seu *simplex assistentia divina*, prout docuerant *Holden* et *Jahn :* hanc enim sententiam reprobavit *Vaticanum*, declarans non sufficere ut libri sacri " revelationem sine errore contineant ". Et merito; nam græca vox θεόπνευστος, qua designatur Scriptura sacra [4], antecedentem impulsum significat, non autem solam nega-

[1] Quam sententiam exposuit **J. H. Newmann** in periodico *The Nineteenth Century*, febr. 1884. Cfr. **Pesch**, n. 336-337.

[2] Ita **F. Lenormant**, *Les origines de l'histoire d'après la Bible et les traditions des peuples orientaux*, Paris, 1880; **S. di Bartolo**, *Critères théologiques*, Paris, 1889, p. 254 sq. (sed in nova editione, p. 249, suam opinionem emendavit); **Mgr. d'Hulst** *La Question Biblique*, Paris, 1893, qui mox, post Encycl. *Providentissimus*, suam sententiam reformavit.

[3] Sess. III, cap. 2, **D. B.**, 1787.

[4] *II Tim.*, III, 16. — Græca vox etymologice significat *afflatu divino actus* et de iis usurpatur quorum scripta vel sermones ad divinum impulsum referenda sunt; cf. **Schleusner, Grimm**, *Lexicon*, ibi.

tivam assistentiam; insuper definitiones *ex cathedra* R. Pontificis dici nequeunt inspiratæ, licet sub divina assistentia edantur; aliunde simplex assistentia non sufficit ut Deus sit auctor libri.

(**B**) Neque *subsequens Dei approbatio* inspirationi æquiparanda est, ut primum *Lessius* dicere visus fuerat; episcopus enim, librum approbando, etiam postquam *ex integro* eum legerit, sane non fit auctor hujus libri. — A fortiori insufficiens est *approbatio subsequens ab Ecclesia data*, ut censuit *Haneberg :* hæc enim inspirationem *creare nequit*, sed tantum *declarare;* aliunde *Vaticanum* diserte asserit ad inspirationem non sufficere ut libri, sola humana industria concinnati, auctoritate Ecclesiæ deinde approbentur.

(**C**) Nec *a fortiori* sufficit inspiratio *personalis* vel *pius animi motus*, qualis a Protestantibus intelligitur. 1) Hæc enim inspiratio, quæ *poeticæ* inspirationi assimilatur, quia pios excitat motus, minime facit Deum *auctorem* libri : ex eo quod pius liber, v. g., *de Imitatione Christi*, religiosas emotiones in mentem inspiret, non sequitur Deum vere esse principalem ejus auctorem; liber non dicitur *inspiratus*, quia et quatenus homines *inspirat*, sed in quantum *Deo inspirante* scriptus est. 2) Nec sufficit *pius motus*, quo sanctiores excitantur ad scribendum pro aliis *proprias emotiones religiosas;* nam hujusmodi emotiones *non sunt proprie verbum Dei*, sed humanæ cogitationes vel piæ imaginationes vel pii sensus.

987. 2° *Quid non requiratur ad inspirationem?* (**A**) Non requiritur *revelatio proprie dicta* seu manifestatio veritatis *scriptori incognitæ;* nam, ut recte scribit *Bellarminus* [1], Deus sacris auctoribus " non semper revelabat quæ scripturi erant, sed excitabat ut scriberent ea quæ viderant vel audierant, quomodo recordabantur, et simul assistebat ne falsi aliquid scriberent ". Ita *S. Lucas*, initio Evangelii, testatur se diligenter assecutum esse omnia ab iis qui ipsi audierant aut viderant facta quæ refert.

Attamen omnia quæ ab auctore sacro vere affirmantur,

[1] *De Verbo Dei*, l. I, c. 15.

etsi non revelata *quoad ipsum*, sunt *vere verbum Dei et revelata quoad nos*, quia et quatenus a Deo affirmantur per auctorem inspiratum : Deus enim, cum sit auctor principalis libri inspirati, *sua facit* quæ sacer scriptor sub influxu divino refert. Ita *SS. Matthæus* et *Joannes*, dum describunt apparitiones Christi redivivi, referunt quidem ea quæ viderunt aut audierunt absque speciali revelatione; sed, cum ea referant *divino afflante Spiritu Sancto*, hæc sunt revelata et objectum fidei *quoad eos* qui non fuerunt testes factorum, eaque credunt propter testimonium Dei per Evangelistas manifestatum. Hac igitur ratione *omnia inspirata*, utpote veræ Dei locutiones, sunt *nobis revelata*.

(**B**) Nec requiritur ut auctor sacer *in exstasi* scribat. Quidam sane prophetæ in exstasim rapti sunt, ceteroquin ab alienatione mentis valde diversam; sed id minime necessarium est ad inspirationem, ut Patres recte animadverterunt contra Montanistas [1] : Deus enim potest esse auctor primarius alicujus libri quin auctor secundarius extra se rapiatur et suam libertatem amittat.

(**C**) Nec necesse est ut *liber inspiratus sit authenticus*, seu scriptus ab auctore cujus nomen gerit aut cui communiter tribuitur : aliquando enim certum est Deum esse auctorem principalem alicujus libri quin scriptor ejus humanus certo cognoscatur. Jam S. Gregorius, sæc. VI exeunte, dicebat [2] : "Inter multos sæpe quæritur quis libri beati Job scriptor habeatur... Sed quis hæc scripserit, valde supervacue quæritur, cum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur".

(**D**) Tandem inspiratio *non supponit necessario donum apostolatus;* nam Ss. Marcus et Lucas, etsi non fuerint apostoli *proprie dicti*, sunt certo scriptores inspirati; aliunde etsi *de facto* quidquid Apostoli scripserunt ab Ecclesia tanquam inspiratum agnitum fuit, hæc inspiratio non sequitur necessario ex ipsa notione apostolatus; possunt enim apostoli mitti *ad docendum, non autem ad scribendum* veritates revelatas; itaque ex se charisma apostolatus distinguitur a cha-

[1] Ap. **Eusebium**, *H. E.*, V, 16-17, *P. G.*, t. XX, 466-474; cfr. **Pesch**, n. 54-59. — [2] *In Job*, Præfat., *P. L.*, t. LXXV, 515 sq.

rismate inspirationis. Si igitur quæcumque Apostoli scripserunt sunt inspirata, id ex testimonio Ecclesiæ infertur, non ex ipsa apostolatus natura.

988. 3° *Quid requiratur et sufficiat ad inspirationem?* Juxta *Vaticanum*, requiritur et sufficit ut, *Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habeant auctorem.* Ad quod declarandum, duo sunt exponenda : *quo sensu* Deus sit *auctor* Scripturæ, et quomodo *Deus et scriptor sacer* ad librum inspiratum componendum *simul conspirent.*

(**A**) Ex *Vaticano* patet libros inspiratos divinos esse non solum ratione materiæ quam continent, sed etiam ratione *auctoris;* non solum continent verbum Dei, sed vere *sunt verbum Dei* scriptum, ita ut Deus vere sit eorum *auctor*, id est *causa efficiens principalis.*

Deus siquidem potest esse auctor alicujus rei multiplici modo : uti *causa universalis* omnium operum quibus cooperatur per concursum naturalem aut per gratiam ; ut causa *particularis unica*, quæ, sine concursu alterius, totum producit effectum ; ut *causa particularis principalis*, quæ utitur aliquo agente creato tanquam causa instrumentali. Jamvero Deus est auctor sacrorum librorum hoc ultimo modo, quatenus humano scriptore utitur tanquam instrumento. Duplex est igitur auctor Scripturæ : *Deus*, qui est *causa principalis*, et *sacer scriptor*, qui est *causa instrumentalis, non* tamen *mere mechanica*, sed intelligens ac libera [1]. Inspiratio enim proprium scriptoris laborem non excludit; nam auctor *libri Machabæorum* asserit se ex libro Jasonis multa excerpsisse, et *non facilem laborem, sed negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsisse* [2]; *Lucas* declarat se in omnia, de quibus scripturus erat, diligenter inquisivisse [3]; et *Joannes* dicit se ea scripsisse quæ viderat [4]; minime ergo excluduntur industria, studium, documentorum ac testium usus.

---

[1] Quod jam exposuerat **S. Thomas,** *Quodlibet.* VII, a. 14, ad 5 : " *Auctor principalis* sacræ Scripturæ est Spiritus S., qui in uno verbo sacræ Scripturæ intellexit multo plura quam per expositores sacræ Scripturæ exponantur, vel discernantur : nec est etiam inconveniens quod homo, qui fuit *auctor instrumentalis* sacræ Scripturæ, in uno verbo plura intelligeret ". Cf. **Pégues,** *Une pensée de S. Thomas sur l'Inspiration script.*, in *Revue thomiste*, mars 1895.

[2] *II Machab.*, II, 27. — [3] *Luc.*, I, 3. — [4] *Joan.*, XIX, 35; *I Joan.*, I, 1.

989. (B) Quomodo autem *Deus et homo* ad sacrorum librorum compositionem *concurrant*, sic feliciter exponit *Leo XIII* : " Nam supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum *excitavit* et *movit*, ita *scribentibus astitit, ut ea omnia eaque sola quæ ipse juberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent* : secus, non ipse esset auctor sacræ Scripturæ universæ " [1].

Ex hoc textu infertur quænam sint *partes Dei*, quænam *auctoris sacri*.

(**a**) Ex parte *Dei*, inspiratio est gratia *extraordinaria, gratis data* et *efficax* : 1) *extraordinaria* quidem, quia paucis tantum datur, extra communem agendi modum, et modo transitorio, quamdiu scilicet auctor sacer munus exercet instrumenti ad scribendum ; 2) *gratis data*, seu charisma, cum *per se* et *primario* non ad propriam sanctificationem auctoris detur, sed ad aliorum utilitatem ; 3) *efficax*, quatenus infallibiliter suum obtinet effectum, ita ut, sub influxu hujus gratiæ, auctor certo, etsi libere, scripturus sit ea quæ Deus vult et quomodo vult.

(**b**) Ex parte *hominis*, tria inveniuntur in inspiratione : 1) *efficax motio voluntatis* ad scribendum : " *excitavit et movit* ". Ita idea libri primum et principaliter in mente divina concepta est, et in scriptorem sacrum divinitus immissa. Etiam quando scriptor sacer ex circumstantiis externis ad scribendum adductus est, v. g., quando Paulus ad Philemonem scripsit occasione fugæ Onesimi, vel quando Marcus a Romanis rogatus est ut scriberet, Deus voluit eos scribere, omniaque ad hoc disposuit. Auctores quidem voluerunt et ipsi scribere, sed *non sine speciali motione Spiritus Sancti ;* Deus ergo remanet causa *principalis*, scriptorem efficaciter movens tanquam instrumentum liberum. — Quæ quidem motio continuatur dum auctor scribit : " ipsi... peculiariter continenterque adest ", ait *Bened. XV* [2], eumque adjuvat ut idea mente concepta exsecutioni mandetur, non solum *negative*, eum ab errore præcavendo, sed *positive*, eum juvando in

[1] Encycl. *Providentissimus*, 18 nov. 1893. **D. B.**, 1952.
[2] Encycl. *Spiritus Paraclitus*, *A. A. S.*, 15 sept. 1920, p. 389.

vocabulorum *electione* et *expressione* ut apte infallibilem veritatem exprimat.

990. 2) *Illuminatio quædam intellectus*, vi cujus scriptor ea omnia eaque sola recte mente concipit quæ Deus vult scribi. Hoc autem non necessario supponit revelationem, ut supra dictum est. Quandoque homines inspirati revelationem acceperunt, sed hæc revelatio non erat inspiratio, sed potius aliquid prærequisitum ad inspirationem, quando videlicet auctor sacer prorsus ignorabat rem de qua scripturus erat. Hæc igitur illuminatio est supernaturale lumen, lumen *judicativum*, quo sacer auctor de iis quæ scribit recte judicat; vi hujus luminis, judicare debet ea omnia scribenda esse quæ Deus per eum scribere vult; insuper hæc ita exprimenda esse ut conformia sint menti divinæ, et objectum fidei divinæ.

Hujusmodi lumen dirigitur proinde saltem ad judicium *practicum* [1] efformandum de convenientia hanc vel illam propositionem scribendi, de forma adhibenda ad eam exprimendam, v. g., utrum expediat adhibere *carmen* an *orationem solutam*.

Non *absolute* quidem necessarium est ut auctor *conscius* sit inspirationis supernaturalis : cum enim Deus *in omnibus* nobiscum concurrat, aliquando homo ægre distinguit utrum suæ cogitationes *ordinario* an *extraordinario* Dei influxu ortæ sint. — *Plerique* tamen theologi censent reapse *sacros scriptores divinæ inspirationis conscios fuisse*, quia id magis convenire videtur instrumento rationali [2].

991. 3) *Assistentia divina*, ne scriptor *aliquid omittat* ex eis quæ Deus vult consignari, aut *quidquam eis addat*, vel præsertim *ne in errorem* cadat, ut infra fusius declarabitur.

---

[1] Dixi *saltem*, quia controvertitur num etiam lumen judicativum directe ad judicium *theoreticum* referatur. Cfr. **H. Van Laak**, *De Inspiratione, Repetitorium*, p. 73.

[2] Multi sane ex sacris scriptoribus conscii fuerunt se esse inspiratos ; nam aperte declarant se mandatum a Deo accepisse scribendi : ita *Moyses*, *Ex.* XVII, 14 ; *Isaias*, VIII, 1 ; *Habacuc*, II, 2-3 ; *Jeremias*, XXXVI, 1-2 ; auctor *Sapientiæ*, VII, 15 ; *S. Joannes*, *Apoc.*, I, 10, XXII, 18. Sed de quibusdam aliis, v. g., auctore libri Machabæorum aut S. Luca, res dubia est : eorum enim verba, etsi conscientiam inspirationis non excludunt, eam tamen non significant. (*II Mac.*, II, 24 ; *Luc.*, I, 1-4).

Hæc autem assistentia non requirit ut *mechanice dictentur* sive cogitationes sive verba, sed sufficit ut auctor inspiratus, *sub influxu divini luminis, rectum conceptum* efformet eorum quæ scribenda sunt, eumque recte exprimat [1].

992. Sic forsan componi potest *controversia* de *inspiratione verbali :* si per eam intelligitur *mechanica dictatio*, prout ab antiquis Protestantibus advocata fuit et forsan a paucis Catholicis, certo rejicienda est; si vero dicitur eam consistere in eo quod *verba seliguntur a scriptore, sub influxu ac proinde inspiratione Dei, hæc admitti potest et debet*, cum libri sacri (ideoque etiam *verba*), juxta *Vaticanum, Spiritu Sancto inspirante, conscripti fuerint.*

993. Corollarium. Cum libri sacri proveniant a Deo tanquam auctore *principali*, et ab auctore tanquam causa *instrumentali, toti a Deo* sunt et *toti ab homine*, ita tamen ut causa instrumentalis *subordinetur* causæ principali. Unde sententiæ, utpote ab ipso auctore exaratæ, *quid imperfectum* præ se ferunt; sed quia, sub influxu efficaci divino scriptæ sunt, *infallibiliter verbum Dei continent.*

II. De Inspirationis et inerrantiæ extensione.

994. Quo melius intelligatur quousque extendatur *inspiratio* Scripturæ, ideoque ejus *inerrantia*, 1° *gene-*

[1] Cf. **S. Thom.**, 2. 2., q. 174, a. 2, ad 3; *De Verit.*, q. 12, a. 12. — Naturam inspirationis ita nitide exponit *L'Ami du Clergé*, 21 août 1924, p. 535 : " L'inspiration a son point de départ, son principe dans la volonté de Dieu qui veut communiquer aux hommes certaines vérités et les leur communiquer par écrit. L'exécution de cette volonté divine implique chez l'hagiographe une motion spéciale de son intelligence et de sa volonté pour le déterminer à écrire. Son intelligence doit ensuite être illuminée pour distinguer et assembler les idées que Dieu veut lui faire exposer. Ce n'est donc pas de son propre mouvement, mais par une motion divine, que l'auteur sacré conçoit et assemble dans son esprit les pensées qu'il doit énoncer. Ces pensées ainsi conçues et déterminées ne sont pas ses propres pensées, mais celles de Dieu, et elles participent par conséquent à sa certitude et à son infaillibilité... L'hagiographe n'étant qu'une cause instrumentale, a comme tout instrument une double action. Il agit d'après la vertu de l'agent principal qui l'utilise, mais il agit aussi suivant sa forme propre. Il donne donc à la formation des idées élaborées dans son intelligence, sous la motion divine, son cachet personnel tant pour la modalité des concepts que pour celle de la rédaction et du style. Le tempérament spécial de l'auteur inspiré n'est nullement modifié par l'action divine, ses aptitudes ne sont pas davantage accrues; seulement elles sont surélevées de telle sorte que par l'illumination de l'intelligence et l'assistance divine dans la rédaction, il conçoive et transcrive infailliblement les pensées divines. "

ralia principia trademus; 2° *consectaria* exinde fluentia exponemus.

1° *Principium generale :* **Omnia in originalibus libris asserta sunt inspirata, ideoque formaliter vera.** *De fide* ex documentis infra allegatis.

Dicitur : 1) in *originalibus libris*, ut ita excludantur *menda* quæ forte obrepserunt in sacris libris ; 2) ... *asserta*, id est, quæ auctor *explicite* aut *implicite* refert ut *Verbum Dei*, aut sua facit, non autem ea quæ citat et explicite aut implicite reprobat, ut fusius infra declaratur.

(**A**) *Inspiratio ad omnia extenditur in originalibus libris asserta, non autem ad solas res fidei et morum.*

Id jam deducebant theologi ex verbis *Tridentini* (l. c.) "*cum omnibus partibus suis*", licet hæc magis directe referantur ad *partes* librorum, quorum canonicitas aut genuinitas in dubium vocabantur; sed res extra controversiam posita est a *Leone XIII :* "Nec enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes, *inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil præterea, pertinere*"[1]. Merito itaque *Benedictus XV* eos reprobavit "qui, inducto inter elementum Scripturæ primarium, seu religiosum et secundarium seu profanum discrimine, inspirationem quidem ipsam ad omnes sententias, immo etiam ad singula Bibliorum verba pertinere volunt, sed ejus effectus, atque in primis erroris immunitatem absolutamque veritatem, ad elementum primarium contrahunt et coangustant"[2].

Revera Deus non potest esse *auctor principalis* sacrorum librorum sensu exposito, nisi ea omnia inspiraverit quæ in eis continentur; quamvis enim scriptores ipsi in horum compositione suas partes habuerint, nihil tamen scripserunt nisi Deo excitante et adjuvante, ita ut *totum opus* sit *Dei* tanquam *causæ principalis*, et *scriptoris* tanquam *causæ instrumentalis* liberæ. Quare etiam *obiter dicta* sub inspiratione cadunt. Constat ex dictis de natura inspirationis.

[1] Encycl. *Providentissimus*, **D. B.**, 1950.
[2] Encycl. *Spiritus Paraclitus*, **D. B.**, 2186.

995. (**B**) *In locis authenticis Scripturæ nullus error invenitur aut inveniri potest.* Quod apertissime declarat ac probat *Leo XIII* (l. c.)[1] : "Tantum vero abest ut divinæ inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa, non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est Deum, est summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse. Hæc est antiqua et constans fides Ecclesiæ, sollemni etiam sententia in Conciliis definita Florentino et Tridentino; confirmata denique atque expressius declarata in C. Vaticano... Nihil admodum refert Spiritum S. assumpsisse homines tanquam instrumenta ad scribendum, quasi non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit... Qui in locis authenticis Librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinæ inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem". Nihil sane expressius optari potest.

Quod aliunde ex præcedentibus logice infertur. Deus enim summe verax, qui nec decipi nec decipere potest, permittere nequit *errorem* irrepere in librum cujus est auctor principalis. Porro, ex dictis, Deus est principalis auctor omnium Librorum Veteris et Novi Testamenti; ergo nullus in eis est error.

996. 2° *Consectaria.* (**A**) Diximus nullum esse errorem in iis quæ *asserit* scriptor sacer. Si vero *aliorum dicta* refert, quin ea approbet implicite aut explicite, *necesse non est ut omnia quæ dicta sunt vera esse credantur*, sed *sufficit ut verum sit quod dicta sint*, quemadmodum docet S. Augustinus[2]. Quod principium paulo fusius exponere juvat, ordine agendo de *explicitis* et de *implicitis* citationibus.

(**a**) Inter *dicta quæ explicite referuntur*, alia *reprobantur* aut *laudantur*, alia *sine ullo judicio* narrantur.

---

[1] **D. B.**, 1951, 1952.

[2] "Sicut autem in Evangelio, quamvis verum sit omnino quod dicta sint, non tamen omnia, quæ dicta sunt, vera esse creduntur, quoniam multa a Judæis falsa et impia dicta esse verax Evangelii scriptura testatur, sic in hoc libro (Job), ubi multæ personæ locutæ esse narrantur, non solum *quid* dicatur, sed *a quo* etiam dicatur, considerandum est". (*Ad Orosium*, n. 12, *P. L.*, XLII, 676).

997. 1) Si verba relata *improbantur*, (v. g., *Dixit insipiens in corde suo : non est Deus*) [1], evidens est ea non esse vera. — Si vero *laudantur*, vera sunt quidem, sed tantum *eo sensu quo approbantur :* qui ex toto contextu dijudicari debet. Ita, quando Christus Petri confessionem approbat : "Quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cælis est", eo ipso inspirata et vera sunt quæ dixerat Petrus : "Tu es Christus, Filius Dei vivi" [2]. Quando vero Caiphas prophetasse refertur, dicens [3] : "Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat", hæc verba vera sunt non eo sensu quo Caiphas odio actus ea protulerat, sed altiore sensu quem Joannes explicat.

Si *longior* alicujus oratio laudatur, id sane verum est quod primario in ea intenditur et affirmatur, non autem necessario omnia et singula quæ accessorie ibi dicuntur. Ita, quamvis Deus modo generali sermones Job approbaverit, tribus ejus amicis dicens [4] : "Non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job", non inde sequitur singula hujus dicta vera esse, cum in paucis a Deo reprehensus fuerit et ipse fassus sit se insipienter locutum esse [5].

998. 2) Quando verba *sine approbatione aut improbatione* referuntur, totam suam auctoritatem ex iis desumunt qui eadem protulerunt : tunc enim Spiritus Sanctus tantummodo *testatur hæc verba ab aliis dicta fuisse.* Ita quando referuntur verba cæci nati a Christo sanati "*Scimus autem quia peccatores Deus non audit*" [6], certum est eum ita locutum esse, non autem quod dixit verum esse, ut jam animadvertebat *S. Augustinus* [7].

999. (**b**) Præter verba *explicite* relata, invenire est etiam in Scriptura quas vocant *implicitas citationes :* interdum enim sacri scriptores allegant verba aliorum quin explicite id dicant.

---

[1] *Ps.* XIII, 1. — Ita etiam Jeremias, post relatam integram Hananiæ prophetiam, eam his verbis reprobat : "Adversus enim Dominum locutus es". (*Jer.*, XXVIII, 2-16).

[2] *Matth.*, XVI, 16 sq. — [3] *Joan.*, XI, 50. — [4] *Job.*, XLII, 7.

[5] *Job.*, XXIII, 8; XXXII, 2; XXXVIII, 1; XLII, 3.

[6] *Joan.*, IX, 31. — [7] *In Joan.*, tr. 44, n. 31, *P. L.*, XXXV, 1718.

Sed, ut recte animadvertit *Commissio biblica*, citationes implicitas *admittere non licet, nisi, salvo Ecclesiæ judicio, solidis argumentis* probetur : 1) hagiographum alterius dicta vel documenta revera citare; et 2) eadem nec probare nec sua facere, ita ut jure censeatur non proprio nomine loqui [1]. Errant igitur qui, ad enodandas difficultates contra veracitatem Scripturæ, citationes implicitas ita frequentes admittunt ut exinde nutare videatur sacrorum librorum veritas historica.

1000. (**B**) Inter libros sacros, alii sunt *historici*, alii *poetici;* in utrisque *nullus invenitur error.*

(**a**) Sed in libris *poeticis*, facilius reperiuntur locutiones quemdam anthropomorphismum aut rhetoricam ampliationem sapientes : quæ proinde intelligendæ sunt secundum leges poematibus proprias,

(**b**) In libris *historicis*, quando de rebus *physicis* seu *scientificis* agitur, hagiographi eas sæpe describunt secundum *ea quæ parent*, quin affirment earum *intimam naturam* ita declarari. Ita, v. g., Scriptura loquitur de motu et occasu solis *secundum consuetum loquendi modum*, non secundum objectivam et scientificam rerum veritatem.

Quod jam intellexerant nonnulli Patres et theologi. Ita *S. Thomas* scribit [2] : "Moyses rudi populo loquebatur, quorum imbecillitati condescendens, illa solum eis proposuit *quæ manifeste sensui apparent*". Quod principium *Leo XIII* sancivit (l. c.) [3] : "De cujus æquitate regulæ in consideratione sit primum scriptores sacros, seu verius Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, *noluisse ista docere homines nulli saluti profutura;* quare eos, potiusquam explorationem naturæ recte persequantur, res ipsas aliquando describere et

[1] Proposita nempe quæstione : "Utrum ad enodandas difficultates quæ occurrunt in nonnullis S. Scripturæ textibus, qui facta historica referre videntur, liceat exegetæ catholico asserere agi in his de citatione tacita vel implicita documenti ab auctore non inspirato conscripti, cujus adserta omnia auctor inspiratus minime adprobare aut sua facere intendit, quæque ideo ab errore immunia haberi non possunt?" — Prædicta Commissio respondendum censuit : "*Negative*, excepto casu in quo, salvis sensu ac judicio Ecclesiæ, solidis argumentis probetur : 1° hagiographum alterius dicta vel documenta revera citare; et 2° eadem nec probare nec sua facere, ita ut jure censeatur non proprio nomine loqui". Quod responsum die 13 febr. 1905 approbavit *Pius X*, **D. B.**, 1979.

[2] *Sum. theol.*, I, q. 70, a. 1 ad 3. — [3] **D. B.**, 1947.

tractare aut *quodam translationis modo*, aut sicut *communis sermo per ea ferebat tempora*, hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos... Scriptor sacer *ea secutus est quæ sensibiliter apparent*, seu quæ Deus ipse homines alloquens ad eorum captum significavit *humano more*". Igitur in rebus *scientificis*, Scriptura utitur modo loquendi tunc temporis, usurpato, nec magis vituperanda est ex hoc capite quam ii qui nostris etiam diebus consueto modo de ortu et occasu solis loquuntur.

Merito autem *Benedictus XV*, l. c.,[1] vetat ne hæc regula ad disciplinas *historicas* transferatur : "Quæ est enim rerum naturalium cum historia similitudo, quando physica in iis versantur quæ *sensibiliter apparent*... cum contra lex historiæ præcipua hæc sit, scripta cum rebus gestis, *uti gestæ reapse sunt*, congruere oportere?"

Merito itaque reprobat eos qui "partes Scripturarum historicas non factorum *absoluta* inniti veritate arbitrantur, sed tantummodo *relativa* quam vocant et concordi vulgi opinione".

(c) Itaque, etiam in tribus prioribus capitibus Geneseos *character historicus narrationis* agnoscendus est, etsi quædam verba ex contextu et SS. Patrum auctoritate, possint sensu metaphorico aut allegorico intelligi, et in primo capite descriptio *popularis* et *non scientifica* rerum creatorum quærenda sit, ut declaravit *Commissio de re biblica*, 30 Junii 1909, cujus verbo sedulo pensanda sunt[2].

---

[1] D. B., 2187.

[2] Ortis enim dubiis, etiam inter catholicos, de *historico charactere* trium priorum capitum Geneseos, *Commissio biblica*, 30 jun. 1909, sic ea solvit :

1. "Utrum varia systemata exegetica, quæ ad excludendum sensum litteralem historicum trium priorum capitum Geneseos, excogitata et scientiæ fuco propugnata sunt, solido fundamento fulciantur? — Resp. *Negative.*

2. Utrum, non obstantibus indole et forma historica libri Geneseos, peculiari trium priorum capitum inter se et cum sequentibus capitibus nexu, multiplici testimonio Scripturarum tum veteris tum novi Testamenti, unanimi fere sanctorum Patrum sententia ac traditionali sensu, quem, ab israelitico etiam populo transmissum, semper tenuit Ecclesia, doceri possit prædicta tria capita Geneseos continere non rerum vere gestarum narrationes, quæ scilicet objectivæ realitati et historicæ veritati respondeant; sed vel fabulosa ex veterum populorum mythologiis et cosmogoniis deprompta et ab auctore sacro, expurgato quovis polytheismi errore, doctrinæ monotheisticæ accommodata; vel allegorias et symbola, fundamento objectivæ realitatis destituta, sub historiæ specie ad religiosas et philosophicas veritates inculcandas proposita; vel tandem legendas ex parte

(d) In libris historicis possunt esse *parabolæ, allegoriæ, narrationes fictæ* et alia ejusmodi ad veritatem quamdam moralem illustrandam; quod quidem veritati Scripturæ minime officit. Ita parum refert utrum id quod dicitur de bono Samaritano aut de Lazaro mendico et epulone sit *historicum* an *allegoricum :* in utroque casu, veritas a Christo inculcata eadem omnino est.

Attamen id *non facile, nec temere* admitti debet, sed tantum quando, Ecclesiæ sensu non refragante ejusque salvo judicio, probatur hagiographum voluisse non veram et pro-

---

historicas et ex parte fictitias ad animorum instructionem et ædificationem libere compositas? — Resp. *Negative* ad utramque partem.

3. Utrum speciatim sensus litteralis historicus vocari in dubium possit, ubi agitur de factis in eisdem capitibus enarratis, quæ christianæ religionis fundamenta attingunt : uti sunt, inter cetera, rerum universarum creatio a Deo facta in initio temporis; peculiaris creatio hominis; formatio primæ mulieris ex primo homine; generis humani unitas; originalis protoparentum felicitas in statu justitiæ, integritatis et immortalitatis; præceptum a Deo homini datum ad ejus obedientiam probandam; divini præcepti diabolo sub serpentis specie suasore, transgressio; protoparentum dejectio ab illo primævo innocentiæ statu; nec non Reparatoris futuri promissio? — Resp. *Negative.*

4. Utrum in interpretandis illis horum capitum locis quos Patres et Doctores diverso modo intellexerunt quin certi quippiam definitique tradiderint, liceat, salvo Ecclesiæ judicio servataque fidei analogia, eam quam quisque prudenter probaverit, sequi tuerique sententiam? — Resp. *Affirmative.*

5. Utrum omnia et singula, verba videlicet et phrases, quæ in prædictis capitibus occurrunt, semper et necessario accipienda sint, sensu proprio, ita ut ab eo discedere numquam liceat, etiam cum locutiones ipsæ manifesto appareant improprie, seu metaphorice vèl anthropomorphice usurpatæ, et sensum proprium vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere? — Resp. *Negative.*

6. Utrum, præsupposito litterali et historico sensu, nonnullorum locorum eorumdem capitum interpretatio allegorica et prophetica præfulgente Sanctorum Patrum et Ecclesiæ ipsius exemplo, adhiberi sapienter et utiliter possit? — Resp. *Affirmative.*

7. Utrum, cum in conscribendo primo Geneseos capite non fuerit sacri auctoris mens intimam adspectabilium rerum constitutionem ordinemque creationis completum scientifico more docere sed potius suæ genti tradere notitiam popularem prout communis sermo per ea ferebat tempora, sensibus et captui hominum accommodatam, sit in horum interpretatione adamussim semperque investiganda scientifici sermonis proprietas? — Resp. *Negative.*

8. Utrum in illa sex dierum denominatione atque distinctione, de quibus in Geneseos capite primo, sumi possit vox *yôm* (dies) sive sensu proprio pro die naturali, sive sensu improprio pro quodam temporis spatio deque hujusmodi quæstione libere inter exegetas disceptare liceat? — Resp. *Affirmative.* **D. B.,** 2121-2128.

prie dictam historiam tradere, sed parabolam aut allegoriam aut aliquid hujusmodi [1].

1001. Conclusio. Quibus principiis innixi, exegetæ difficultates præcipuas, quæ contra Scripturarum veritatem proponuntur, enodare poterunt, hæc præ oculis habendo :

(**a**) Imprimis aliquot *menda* in sacros codices irrepsisse, sive amanuensium culpa, sive de industria, omnes libenter fatentur. Ad rem *Leo XIII* in Encycl. *Providentissimus* : " Fieri quidem potest, ut quædam librariis in codicibus describendis minus recte exciderint; quod considerate judicandum est, nec facile admittendum, nisi quibus locis sit demonstratum ".

(**b**) Præterea quando genuinus alicujus loci sensus dubius est, benigno sensu interpretari potest.

(**c**) Si quæ autem maneant res, quas difficilé sit cum scientiis conciliare, inquirendum est num scriptor sacer sua faciat quæ refert; utrum allegorice an litteraliter locutus fuerit; quisnam fuerit ejus scopus, utrum res voluerit describere ut sunt, an potius ut apparent : et sic plerumque evanescent difficultates.

Si quæ maneant difficultates, tempore *opportuno* solventur, et *omnino retinendum est nullum prorsus esse errorem in libris canonicis.*

§ II. De usu Scripturæ tanquam revelationis fontis [2].

Ex dictis de inspiratione jam inferre licet non omnia quæ in Scriptura inveniuntur esse proprie Revelationis fontem,

[1] Ita *Commissio biblica*, 23 Junii 1905. Proposito dubio : " Utrum admitti possit tanquam principium rectæ exegeseos sententia, quæ tenet S. Scripturæ libros, qui pro historicis habentur, sive totaliter, sive ex parte, non historiam proprie dictam et objective veram quandoque narrare, sed speciem tantum historiæ præ se ferre, ad aliquid significandum a proprie litterali seu historica verborum significatione alienum. — Responsum est : *Negative*, excepto tamen casu, non facile nec temere admittendo, in quo Ecclesiæ sensu non refragante, ejusque salvo judicio, solidis argumentis probetur hagiographum voluisse non veram et proprie dictam historiam tradere, sed sub specie et forma historiæ, parabolam, allegoriam, vel sensum aliquem a proprie litterali seu historica verborum significatione remotum proponere ". **D. B.**, 1980.

[2] **J. H. Janssens,** *Hermeneutica sacra*, Liège, 1818, Turin, 1858; **Patrizi,**

sed ea tantum quæ *ab auctore sacro proprio nomine proferuntur*, et quidem *sensu ab ipso Deoque intento*. Quo facilius autem hic sensus detegatur, expendere oportet *quomodo Scriptura sit interpretanda*, ideoque pauca exponere 1° de Scripturæ *sensibus*, 2° de *legibus interpretationis*.

I. De Scripturæ sensibus.

1002. 1° Varii sensus exponuntur. (**A**) Sensus Scripturæ *in genere* est ea veritas quam Spiritus Sanctus immediate vel mediate per scriptorem manifestari voluit.

Duplex est, videlicet *litteralis*, et *spiritualis* seu *typicus* [1]. (**a**) Prior qui dicitur etiam *historicus*, is est *quem verba immediate exprimunt*, seu quem auctor, omnibus sedulo perpensis, exprimere voluit.

(**b**) Posterior autem, qui vocatur etiam *typicus* vel *mysticus*, is est qui non suggeritur immediate a littera, sed a personis aut rebus, quæ ita a divina Providentia ordinantur ut alias res vel personas significent. Siquidem omnes Scripturæ ad Christum mediate vel immediate referuntur, et Antiquum Testamentum erat *figura*, vel *typus* aut *prophetia* eorum quæ sub N. Lege ventura erant, juxta illud Apostoli [2] : " Hæc autem omnia in figura contingebant illis ". Multa igitur, quæ *litteraliter* de Patriarchis, aut Regibus, vel Prophetis prædicabantur, *typice* seu spiritualiter, de Christo intelligi debent.

De interpretatione Scripturarum, Romæ, 1844; pars prior, Institutio de interpretatione Bibliorum, denuo edita, Romæ, 1876; **T. J. Lamy,** *Introd. in S. Script.*, Lovanii, 1866, t. I, p. 219 sq.; **Reitmayr,** *Lehrbuch der bibl. Hermeneutik*, Kempten, 1874; **Ubaldi,** *Introductio*, vol. 3; **Cornely,** *Introductio*, vol. I, p. 510 sq.; *Compend.*, p. 126 sq.; **Chauvin,** *Leçons d'Introd. générale*, Paris, 1898; **Davidson***, *Sacred Hermeneutics*, Edinburgh, 1844; **J. C. K. Hofmann***, *Biblische Hermeneutik*, Nördlingen, 1881; **Briggs***, *General Introduction to the study of H. Scriptures*, 1899; **Zapletal,** O. P., *Hermeneutica sacra*, Frib. Helv., 1908; **E. Mangenot,** in *Dict. de la Bible, (Vigouroux)*, t. III, voce *Herméneutique*, 612-633; **E. Mangenot** et **J. Rivière,** *D. T.*, voce *Interprétation de l'Ecriture;* **Bainvel,** *op. cit.*, n. 210-226.

[1] Quem duplicem sensum sic exponit **S. Thomas** (I, q. I, a. 10) : " Illa ergo prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus *historicus* vel *litteralis*. Illa vero significatio, qua res significatæ per voces iterum res alias significant, dicitur sensus *spiritualis*, qui super litteralem fundatur, et eum supponit ". Cf. *Quodlibet.*, VII, q. VI, a. 14.

[2] *I Cor.*, X, 11.

Huic duplici sensui, qui verus est, alius additur qui non est verus, sed dicitur accommodatitius.

1003. (B) Sensus autem *litteralis* duplex esse potest, *proprius* et *metaphoricus* : (a) *proprius* ille est qui immediate exsurgit ex verbis naturali sua significatione acceptis; (b) *metaphoricus*, seu improprius, ille est qui exsurgit ex verbis non rigorose, sed figurative acceptis : hinc vocatur etiam *figuratus*. Quod *S. Thomas*[1] illustrat exemplo : " Utroque modo utitur Scriptura, sicut cum dicitur quantum ad primum quod *Jesus ascendit*, et cum dicitur, quod sedet *a dextris Dei*, quantum ad secundum ".

1004. 1) Sedulo tamen distingui debet sensus litteralis *metaphoricus* a sensu *spirituali* seu *typico*. Quo melius discrimen inter utrumque intelligatur, utemur exemplo : Agnus paschalis in Vet. Testamento erat typus Christi, ac proinde *typice* Christum significabat; quando autem S. Joannes Baptista, Jesum ostendendo, dicebat " *Ecce Agnus Dei* ", *metaphorice*, quamvis litteraliter, loquebatur.

2) Sensus *typicus* seu *spiritualis*, triplex pariter distinguitur : *allegoricus*, quando refertur ad ea quæ credenda sunt de Christo et Ecclesia militante; *tropologicus*, seu moralis, quando figurat ea quæ agere debemus, seu mores christianos; *anagogicus*, quando respicit cælum seu res sperandas. Quæ omnia Veteres his versibus declarabant :

> Littera gesta docet, quid credas allegoria,
> Moralis quid agas, quo tendas anagogia.

Quod pariter vocabulo *Jerusalem* exponere solebant; *litteraliter* enim urbem designat, *allegorice* Ecclesiam militantem, *moraliter* animam justi, *anagogice* Ecclesiam triumphantem.

1005. (C) Præterea hic etiam commemorari potest sensus quem *accommodatum* vel *accommodatitium* vocant : hic nec directe nec indirecte est inspiratus, sed in eo consistit quod verba Scripturæ usurpantur ad aliam rem exprimendam ac ea quam auctor sacer expressit. Quod fit sive per *extensionem*, sive *per allusionem* : priori modo, quando ampliatur sensus Scripturæ, v. g., quando extenduntur ad sanctos in genere quæ de quibusdam tantum scripta sunt, ut sunt hæ similesve expressiones : " Inventus est justus et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio... Benedictionem omnium Gentium dedit illi Dominus... "[2]; posteriori modo, quando textus

[1] S. Thom., *in Galat.*, IV, lect. VII. — [2] *Eccli.*, XLIV, 17, 25.

applicatur rei omnino diversæ, v. g., quando verba "*Deus mirabilis in sanctis suis*" [1] sanctis *hominibus* applicantur, dum in textu referuntur ad Dei sanctuarium.

1006. 2° **Controversia de multiplicitate sensus litteralis.** Controvertitur num una eademque sententia in Scripturis possit habere *multiplicem* sensum litteralem.

(a) Affirmarunt *S. Augustinus* [2], *S. Thomas* et cum eo nonnulli Scholastici : "Quia vero sensus litteralis est quem auctor intendit, auctor autem sacræ Scripturæ Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, non est inconveniens, ut dicit Augustinus, XII. Confessionum, si etiam secundum litteralem sensum in una littera Scripturæ plures sint sensus" [3].

(b) *Communius* tamen moderni exegetæ [4] tenent sensum spiritualem posse quidem multiplicem esse, sed *sensum litteralem, etiam in prophetiis, esse unum.* Etenim in libris humanis nonnisi unus litteralis sensus cuique sententiæ competit; jamvero Scriptura ad normam libri humani scripta est, utpote ad homines destinata. Insuper, si multiplicem haberet sensum, multis dubiis et ambagibus ansam præberet, ideoque minus apta esset ad docendum.

1007. 3° **De sensu Scripturæ qui sit fons revelationis.**

(a) Scriptura *sensu litterali* intellecta est certo, positis ponendis, fons Revelationis. Sensus enim litteralis est vere *verbum Dei*, ejusque mentem et voluntatem nobis manifestat.

(b) Sensus *spiritualis*, quando certo constat, *ex se* eamdem vim habet ac litteralis, cum sit vere a Deo intentus. *Quoad nos* autem, debet probari sive ex alio Scripturæ loco, sive ex traditione : non enim in se evidens est, nec possumus

---

[1] *Ps.* LXVII, 36.

[2] *Confess.*, XII, 31, *P. L.*, XXXII, 844; *De doctrina christiana*, I, 36, *P. L.*, XXXIV, 80. Hanc autem doctrinam non tradit ut certam, sed tanquam aptiorem ad lites Catholicorum componendas de expositione quorumdam difficilium textuum.

[3] *S. Theol.*, I, q. I, a. 10; cf. *de Potentia*, q. IV, a. 1. In aliis tamen locis aliter sentire videtur, ut probat **Pesch,** *op. cit.*, n. 176 sq. — Inter modernos, **Le Hir** eamdem opinionem advocavit, præsertim in opere *Etudes Bibliques*, Les Prophètes d'Israël, I, p. 72-74, 81-83.

[4] Ita præsertim **Beelen,** *Dissertatio theologica qua sententiam vulgo receptam esse sacræ Scripturæ multiplicem interdum sensum litteralem, nullo fundamento satis firmo niti demonstrare conatur*, Lovanii, 1845; **Patrizi,** op. cit.; **Cornely,** op. cit.

eum recte intelligere nisi in quantum Spiritus Sanctus revelaverit rem aliquam esse typum, et quidem sub hac vel illa specifica significatione. Quoad *adversarios*, videndum est utrum, ex suis principiis, hunc sensum typicum admittant necne; si eum non admittunt, expedit aliis argumentis contra eos uti, eo magis quia quidquid essentiale sensu typico significatur, alibi sensu litterali magis evidenter significatur [1].

(c) Sensus vero *accommodatus*, cum non sit a Deo intentus, nullomodo pro *fonte Revelationis* haberi potest [2].

II. De Legibus interpretationis.

1008. Quo facilius varios sensus Scripturæ discernamus, sensumque *litteralem* detegamus, *hermeneutica* quasdam tradit interpretationis regulas, quas ars *exegeseos* deinde applicat. *Hermeneutica* (ab Ἑρμῆς, Mercurio, qui credebatur deorum nuntius et interpres) est veluti *clavis* quæ Scripturæ thesaurum aperit; hujus ope *exegeta* divitias invenit, quibus utitur *theologus* ad investiganda fidei dogmata. Cum autem Scriptura sit liber *humanus* simul et *divinus*, regulas trademus *grammatico-historicas* omnibus libris communes, et regulas *catholicas* libro inspirato speciales.

1009. 1° **Regulæ grammatico-historicæ.** Omnis legitima interpretatio eo tendit, ut, legibus grammaticæ, historicisque adjunctis sedulo inspectis, lector recte intelligat ideas quas auctor scribendo in mente habuit; ad quod obtinendum non parum prosunt *textus*, *contextus*, *paralleli loci* variaque *commentaria*.

---

[1] Quod animadvertit **S. Augustinus,** *De doctrina christiana*, l. II, c. 6, n. 8, *P. L.*, XXXIV, 39 : " Nihil enim fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur ".

[2] Sensu accommodato aliquando utitur Ecclesia in liturgia, v. g., transferendo in B. Virginem quæ de Sapientia dicuntur. Eo etiam uti possunt sacri oratores ad veritatem illustrandam, dummodo tamen hæc accommodatio vera analogia innitatur et verba non usurpentur *contra* eum sensum quem præ se ferunt. Ita peccator Hevæ verba mutuari potest : " Serpens decepit me " (*Gen.* III, 13). Sed absonum esset de B. Virgine dicere : " *Posuerunt me custodem* ", cum statim addatur : " *vineam meam non custodivi* " (*Cantic.*, I, 5); aut de Ss. Corde Jesu : " *Accedet homo ad cor altum et exaltabitur Deus* " (*Ps.* 63, 7-8). cum in hoc psalmo agatur de malitia peccatorum et de gloria quæ ex eorum castigatione Deo accrescit. — Multa alia exempla invenies ap. **Bainvel,** *Les Contresens bibliques des prédicateurs*, Paris, 1907, 1924.

(A) *Textus* sedulo investigandus est [1], nam cognoscendæ sunt præprimis vocabulorum significationes. (a) Proinde linguarum, quibus Libri sacri scripti sunt, notitiam habere necesse est ad perfectam eorum intelligentiam ; vis enim primigenii textus totaliter in versionem transire nequit, ita ut, teste *Hieronymo*, ad *hebraicam veritatem* recurrere oporteat; linguis igitur hebraicæ, aramaicæ et græcæ, pro viribus suis, studeant interpretes ac theologi [2]. Sic, ut pauca afferamus exempla, textum "*generationem ejus quis enarrabit*", linguæ hebraicæ peritus ad Christi generationem nunquam referet; pariter aramaicæ linguæ haud ignarus, nunquam utetur vocabulo *Maran atha* [3] ad speciale anathema designandum, cum nihil aliud significet nisi *Dominus noster venit.*

(b) Neque satis est ad ipsa vocabula attendere; ingenio linguæ ac populorum qui ea utebantur studere necesse est; orientalia enim idiomata longe differunt ab occidentalibus, præsertim modo dicendi nec varietate nec ordine distincto, frequentioribus imaginibus, penuria vocum et indole minime philosophica, ideoque alia interpretatione indigent. Frequens hebraici textus lectio, assiduum commercium cum *apocryphis* Vet. Testamenti aut scriptis Judæorum *post-biblicis*, v. g., duplici Talmude, etc., hoc nobis præstabunt.

(c) Maximæ pariter utilitatis sunt *Grammaticæ* et *Glossaria* tum communia, tum specialiter ad intelligentiam utriusque Testamenti scripta : ex his enim prompte obtineri potest rectus vocum ac locutionum sensus [4].

---

[1] Optimam editionem edidit **Rud. Kittel***, *Biblia hebraica*, Lipsiæ, 1905 sq.

[2] Plerique libri Vet. Testamenti *hebraice* scripti sunt; quædam tamen partes in dialecto *aramaica*, v. g., *Danielis*, II, 4-VII, 28; *Esdræ*, IV, 8-VI, 18; VII, 12-26; *Jer.*, X, 11. Non parvam utilitatem pariter affert studium aliarum orientalium linguarum, præsertim assyriacæ et arabicæ, quæ hebraicæ sunt affines : ex harum enim comparatione securius determinatur sensus vocabulorum quæ dubia sunt. Cf. **F. Delitzsch,** *The Hebrew language viewed in the light of Assyrian research*, London, 1883. — Textum hebraicum *gallice* reddidit **A. Crampon,** Paris, Desclée, 1923 sq.

[3] *I Cor.*, XVI, 22.

[4] Inter *Grammaticas hebraicas*, notatu dignæ sunt : **Gesenius,** *Hebräische Grammatik*, ed. *Kautzsch* (28), 1909; **J. Touzard,** *Grammaire hébraïque abrégée*, Paris, 1905. — Inter præcipua *Glossaria* sunt ; **G. Gesenius,** *Thesaurus linguæ hebr. et chald.*, Lipsiæ, 1835-53; **Gesenius's** *Hebrew and Chaldee Lexicon*, London, Bagster, 1902; *Hebräisches und Aramäisches Handwörterbuch*, ed. *Buhl*, 1909; **Joan. Buxtorfius,** *Lex. chald. talm. rabb.*, Basileæ, 1639, Lipsiæ, 1865; **E. Castelli,** *Lex. syriacum*, Cottingæ, 1787; **Brun,** S. J., *Diction. Syriaco-latinum*, Beyrouth, 1895; **Schleusner**, *Lex. in Septuaginta*, Lipsiæ, 1820; **Bretschneider**, *Lex. Manuale*, Lipsiæ, 1840; **Schleusner**, *Lex. Græco-Latinum in N. Testam.*, Glasguæ, 1817; **Thayer**, *Greek-english Lex. of*

1010. (d) Nec minoris est utilitatis *variarum collatio versionum*[1]; cum enim ex variis manuscriptis desumptæ fuerint, menda quæ aliquando in textum primigenium irrepserunt, versionibus corrigi possunt; aliunde versio est quædam ipsius textus interpretatio.

Inter versiones autem latinas una est quæ a *Tridentino* (sess. IV)[2] authentica declarata fuit: "Sacrosancta synodus... statuit et declarat, ut hæc ipsa vetus et *vulgata editio*, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, et expositionibus pro authentica habeatur". Latinæ *Vulgatæ* S. Hieronymus auctor dici potest: majorem enim partem ex textibus originalibus vertit, aut ad eorum fidem revocavit. Ad hoc opus arduis assiduisque laboribus sese præparaverat, non solum philosophiæ ac theologiæ studio, sed linguam hebraicam a rabbinis discendo, Palæstinam peragrando, variasque versiones conferendo; hinc versionem præstantissimam edidit, quam ipsi Protestantes non potuerunt non mirari[3]. Hæc versio *authentica* declarata est a Tridentino, eo sensu quod est *officialis*, fide digna: juridice enim authenticum dicitur instrumentum quod *ex se* fidem facit in judicio, nec proinde rejici potest. Ex quo sequitur eam non solum esse immunem ab omni errore *pernicioso* circa fidem

---

The N. Test., N.-York, 1887; **Grimm,** *Lex. Græco-latinum*, Lipsiæ, 1903; **Zorell,** *Novi Testamenti lexicum græcum*, Parisiis, 1909; **Weitenauer,** *Lex. biblicum Vulgatæ*, Augustæ Vind., 1758; **Fr. Kaulen,** *Handbuch zur Vulgata*, Mainz, 1870.

[1] Præcipuas versiones invenire est in Polyglottis, quorum præcipua sunt *Complutensia*, a. 1502, cura *C. Ximenes* edita; *Antuerpiensia* (1569-72), ed. ab *Aria Montano; Parisiensia*, cura *Guid. M. Le Gay*, 1629-1645; *Londinensia*, seu *Waltoniana*, cura *B. Walton*, Londini, 1657-1686, omnium optima; **Stier-Theile,** *Polyglotten-Bibel zum praktischen Handgebrauch*, Bielefeld, 1890. Editionem manualem edidit **Vigouroux,** *La Sainte Bible Polyglotte*, Paris, Roger, 1900 sq. — Græcam versionem V. T. edidit **Henry Barclay Swete,** *The Old Testament in Greek*, 3 vol., Cambridge, 1909. — De copticis versionibus vide **Hyvernat,** *Etude sur les Versions coptes de la Bible* in *Revue Biblique*, oct. 1896, p. 540, janv. 1897, p. 48; vel ap. **Vigouroux,** *Dict. de la Bible*, voce *Coptes*. De syriacis versionibus vide **R. Duval,** *La Littérature syriaque*, Paris, 1899, p. 31-55.

[2] **D. B.,** 785.

[3] Quorum testimonia non pauca collegit **Glaire,** initio gallicæ versionis *La Ste Bible selon la Vulgate*, Paris, 1889-90, vol. I, p. XI-XII. Circa Vulgatam cf. **Méchineau** in *Etudes Religieuses*, Déc. 1894, Nov. Déc. 1885; **Batiffol,** *La Vulgate hiéronymienne*, in *Revue Biblique* 1893, p. 544-559; **Smith** *, *Dict. of the Bible*, voce *Vulgate;* **Vercellone,** *Sulla authenticità delle singole parti della Bibbia Vulgata*, Roma, 1866; **F. Cavallera,** *S. Jérôme*, 2 vol., Louvain, Paris 1922; **D. H. Quentin,** *Mémoire sur l'établissement du texte de la Vulgate*, Rome, 1922.

vel mores, sed etiam *substantialiter* esse conformem textui primigenio : secus enim non potuisset uti *officialis* agnosci. Immo, juxta peritos etiam acatholicos, aliquando sensum præbet accuratiorem quam textus hebraicus. Ex hoc autem minime deduci potest eam immunem esse ab omni mendo vel errore etiam *levi*, nec unquam ab originali deviare : linguarum enim periti norunt nonnulla menda in ea inveniri [1]; quædam quidem correcta sunt auctoritate Sixti V et Clementis VIII, sed alia relicta sunt, ut monet ipse auctor Præfationis editionis Clementinæ : " Quamvis in hac Bibliorum recognitione in codicibus manuscriptis, hebræis, græcisque fontibus, et ipsis veterum Patrum commentariis conferendis non mediocre studium adhibitum fuerit; in hac tamen pervulgata lectione, sicut nonnulla consulto mutata, ita etiam alia, *quæ mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt*".

Neque pariter prohibetur ad textus *primigenios* vel ad *antiquas versiones* recurrere, ut expresse declarat *Leo XIII* (l. c.) [2] : " Neque tamen non sua habenda erit ratio reliquarum versionum, quas christiana laudavit usurpavitque antiquitas, maxime codicum primigeniorum. Quamvis enim, ad summam rei quod spectat, ex dictionibus Vulgatæ hebræa et græca bene eluceat sententia, attamen si quid *ambigue*, si quid *minus accurate* inibi elatum sit, *inspectio præcedentis linguæ*, suasore Augustino, proficiet". Itaque theologus Vulgatam ut *fontem genuinum* revelationis *tuto* adhibere potest, et ex omnibus textibus de *quorum universali usu dogmatico constat*, fidei dogmata colligere : Ecclesia enim, quæ hoc dogma legit in tali Vulgatæ loco, eo ipso idem dogma docet, et hoc sufficit in illud amplectamur, cum Ecclesia sit infallibilis. Attamen, si textus invenitur in Vulgata, qui in textu primogenio aliisque versionibus desit, vel si ibi sensum habet prorsus diversum ac in *originali*, argumentum ex eo deductum legitimum quidem erit, sed *traditionale*, non autem biblicum. In locis ambiguis aut minus accuratis, Vulgata elucidari ac corrigi potest textu primigenio vel antiquis versionibus.

Notandum ut etiam textum *hebraicum* quem hodie habemus, non esse ab omnibus mendis immunem, sed opportune corrigendum recursu ad *Septuaginta* et ad *Vulgatam*, ut fatentur ipsi Acatholici.

---

[1] Cf. **Levesque**, *L'Authenticité et les erreurs de la Vulgate*, in *Rev. biblique*, 1895, p. 645 sq. Nonnulli theologi Vulgatam textui hebraico vel græco anteponendam esse eamque ab omni errore immunem docuerant; quæ *pia exaggeratio* hodie communiter rejicitur, et merito, ut late probat **Cornely**, *Introd.*, vol. I, p. 143 sq., vel *Compend.*, p. 111 ; cf. **J. Thomas**, *La Vulgate et le Concile de Trente*, *Bulletin de l'Institut de Toulouse*, mars 1892. Critica editio Vulgatæ a Protestantibus **White** et **Wordsworth** in Anglia edita est an. 1895 sq. — Nova, auspice *Pio X*, a Benedictinis paratur. — [2] **D. B.**, 1941.

1011. (B) *Contextus* etiam diligenter scrutandus est, quo melius pateat sensus ab auctore intentus.

Tria præsertim sunt attendenda : (a) *occasio* qua scripsit vel locutus est auctor libri vel auctor alicujus sermonis in libro relati, et *scopus* quem sibi proposuit : hoc enim invento, sive ex Scriptura ipsa, sive ex aliis documentis, jam auctoris mentem multo facilius intelligere possumus.

(b) *Argumentum generale* quod auctor sibi tractandum proposuit : nam omnis significatio generali argumento contraria, generatim rejicienda est, dum significatio huic consona admitti debet : non enim admitti potest, sine urgenti ratione, gravem auctorem sibi contradicere; et, quando agitur de auctore *inspirato*, id nullo modo admitti potest. Ita, v. g., quid Paulus per *Legem* et *opera Legis* in Ep. ad *Rom.* et *Gal.* intelligat ex tota arguendi ratione facilius deducitur.

(c) *Contexta oratio*, seu nexus idearum et vocabulorum inter se et cum eis quæ præcedunt vel consequuntur. Nexus ille potest esse non solum *grammaticus* et *logicus*, sed etiam *psychologicus;* nam, ut optime arguit *Cornely* [1], " fieri solet ut vehementiore interdum animi affectu abrepti ea conjungamus, quæ logice quidem intime non cohærent, sed temporis vel loci adjunctis, aut similitudine externa vel interna, in mente nostra ita sunt associata, ut uno conceptu excitato alter simul excitetur. Quod quidem maxime locum habet in poesi lyrica (ex. gr. in psalmis), in orationibus vehementibus (ex. gr. prophetarum), in dialogis, etc. Atque huc trahi potest etiam nexus ille, qui a nonnullis *opticus* vocatur atque in vaticiniis illis invenitur, in quibus eadem visione prophetis eventus sunt exhibiti, qui temporum et locorum spatio ab invicem erant separati ".

Ex contextu pariter dijudicari potest utrum verba, quæ ab auctore sacro tanquam *ab aliis* prolata referuntur, sint approbata necne, secundum principia superius exposita, n. 996 seq.

1012. (C) Nec parum ad genuinum sensum detegendum conducunt *loci paralleli*, id est, ii textus qui, etsi in aliis capitibus ejusdem libri, vel etiam in alio prorsus libro inventi, eamdem doctrinam sive eisdem sive aliis verbis tradunt, et ita se invicem illustrant.

Cum enim unus idemque sit auctor principalis Scripturæ, sibi contradicere nequit; et, si in diversis locis de eadem re locutus est, ea quæ dubia apparent in uno loco, per alia quæ clariora sunt

[1] *Compend.*, p. 140; non pauca ab eximio auctore mutuavimus, et ad ejus opus lectorem remittimus pro fusiori harum regularum expositione.

in alio explicari debent. Ita, v. g., quæ Paulus ait de fide justificante in *Ep. ad Romanos* non parum elucidantur eis quæ habet in *Ep. ad Galatas* de eodem subjecto, atque complentur eis quæ Jacobus docet in sua Epistola. Duplex vero est parallelismus, *verborum* et *rerum*, prout eadem verba proferuntur vel eædem res tractantur. Majoris utilitatis est parallelismus *rerum*, dummodo tamen *idem* et *non simile tantum* argumentum, *eodem* et non simili tantum modo exponatur. Ad quod detegendum multum conferent tum assidua Bibliorum lectio, tum rectus *Concordantiarum* usus [1].

1013. (D) *Commentariis* tandem utendum est, quæ textum *ex professo* explicant : "Quod si non potueris, ait *Chrysostomus* [2], assiduitate lectionis invenire quod dicitur, accede ad sapientiorem, vade ad doctiorem". Quod pariter inculcat *Leo XIII* (l. c.) [3] : "Quoniam Bibliorum studia continuum quemdam progressum in Ecclesia habuerunt, istorum (catholicorum interpretum) pariter commentariis suus tribuendus est honor, ex quibus multa opportune peti liceat ad refellenda contraria, ad difficiliora enodanda". Immo ex acatholicis, fatente S. Pontifice, "juvari interdum potest interpres catholicus", præsertim quando agitur de iis locis ubi theologicis præjudiciis non cæcutiunt.

Ad commentaria referri possunt varii libri de sacra *archæologia* et *geographia* scripti, qui historiam, regionem ad mores describunt tum populi judaici tum eorum cum quibus relationes habuit : his enim efficimur veluti concives ac coævi sacrorum scriptorum, eorumque operum intelligentiam tutius consequi valemus. Eædem enim voces apud varios populos non eamdem suggerunt ideam; ita, v. g., ros cæli et pluvia multo pretiosiores sunt thesauri in aridis Palæstinæ regionibus quam in nostris; nec vox *habitatio* apud Semitas idem sonat ac *domus* apud nos, etc. Uno verbo, interpres proprios conceptus abdicet, ut res sibi depingat eo modo quo a scriptore conceptæ sint [4].

1014. 2° **Regulæ catholicæ interpretationis.** Cum Scriptura sit liber non solum humanus, sed *divinus*, non tantum subjacet regulis historiæ ac criticæ, sed etiam *infallibili Ecclesiæ magisterio* : hoc nullibi clarius ac disertius expri-

[1] Concordantiarum auctor dicitur Card. *Hugo a S. Caro*, O. P. († 1263); optima editio cura **Dutripon** prodiit, Parisiis, 1838 et sæpius; neque utilitate caret Concordantiarum Manuale editum a **PP. de Raze et Lachaud**, Lugduni et Parisiis, 1851 et sæpius postea.

[2] *De Lazaro*, Concio III, 3, *P. G.*, XLVIII, col. 995. — [3] **D. B.**, 1945.

[4] Hac de re legi possunt **Vigouroux**, *La Bible et les Découvertes modernes*, 5e éd., 1889; **Fillion**, *Atlas d'Archéologie biblique*, — *Atlas d'Histoire naturelle de la Bible*, — *Atlas géographique*, Lyon, 1884-89; **Vigouroux**, *Dict. de la Bible*; **Smith**, *Dictionary of the Bible*; **Hastings***, *Dict. of the Bible*, 1898-99.

mitur quam in sæpe laudata Encyclica *Providentissimus* [1], ubi sequentes traduntur regulæ.

1015. (**A**) *In rebus fidei ac morum, ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, eis Scripturæ sensus retinendus est quem tenuit ac tenet Ecclesia :* quod probat auctoritate Patrum et Conciliorum, præsertim Tridentini ac Vaticani [2].

Ex principio a *Leone XIII* tradito sequitur *analogiam fidei* in Scripturæ interpretatione sequendam esse, nec recipi posse sensum qui "vel inspiratos auctores inter se quodammodo pugnantes faciat, vel doctrinæ Ecclesiæ adversetur". Deus enim, qui et sacrorum Librorum et doctrinæ apud Ecclesiam depositæ est auctor, sibi contradicere nequit. Non est tamen fidei doctrina cum theologorum *opinionibus* permiscenda, nec necesse est ut interpretatio textus concordet cum eorum privatis systematibus.

1016. (**B**) *Patrum interpretatio sequenda est "quotiescumque testimonium aliquod biblicum, ut ad fidei pertinens morumve doctrinam, uno eodemque modo explicant omnes :* nam ex ipsa eorum consensione, ita ab Apostolis secundum catholicam fidem traditum esse nitide eminet". Tria igitur ad hoc requiruntur : *moralis unanimitas, — de rebus fidei morumve, — affirmatio,* explicita vel implicita, quod res de qua loquuntur, *ad fidem pertineat.*

Extra hos casus, Patrum auctoritas magna est quidem, sed non infallibilis : "Eorumdem vero Patrum sententia tunc etiam magni æstimanda est, cum hisce de rebus munere doctorum quasi privatim funguntur; quippe quos, non modo scientia revelatæ doctrinæ et multarum notitia rerum, ad apostolicos libros cognoscendos utilium, valde commendet, verum Deus ipse, viros sanctimonia vitæ et veritatis studio insignes, amplioribus luminis sui præsidiis adjuverit. *Quare interpres suum esse noverit, eorum et vestigia reverenter persequi et laboribus frui intelligenti delectu".*

---

[1] Cf. **D. B.**, 1941 seqq.

[2] Ait enim (cit. Encycl.) : "Cujus quidem ceterorumque Patrum doctrinam Synodus Vaticana amplexa est, quando Tridentinum decretum de divini verbi scriptis renovans, hanc illius mentem esse declaravit, ut in rebus fidei et morum, ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, is pro vero sensu sacræ Scripturæ habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari". Cf. *Vat.*, sess. III, cap. II de Revel., et *Trident.*, sess. IV; **D. B.**, 786, 1788.

Exinde patet hodiernorum exegetarum libertatem Patrum interpretatione non restringi in quæstionibus scientificis nostris diebus agitatis : de his enim plerumque non concordant, nec suam sententiam tanquam de fide enuntiant [1].

1017. (C) Duplicem addit regulam; 1) unam circa *sensum litteralem, qui retinendus est, nisi obstet necessitas vel gravis ratio* [2]*;* 2) alteram circa *sensum allegoricum, quem negligere non debemus, quando litterali nititur et multorum auctoritate fulcitur :*

" Neque ideo tamen viam sibi putet obstructam, quominus, ubi justa causa adfuerit, inquirendo et exponendo vel ultra procedat, modo præceptioni illi, ab Augustino sapienter propositæ, religiose obsequatur, videlicet a litterali et veluti obvio sensu minime discedendum, nisi qua eum vel ratio tenere prohibeat, vel necessitas cogat dimittere... Caveat idem ne illa negligat quæ ab eisdem Patribus ad *allegoricam* similemve sententiam translata sunt, maxime cum *ex litterali descendant et multorum auctoritate fulciantur* ".

Prosequitur Pontifex, theologos hortando ut Scriptura frequenter utantur, Patresque imitentur, qui veritates fidei *ex divinis potissimum Litteris* studuerunt asserere et stabilire : " Illud autem maxime optabile est et necessarium, ut ejusdem divinæ Scripturæ usus in universam theologiæ influat disciplinam *ejusque prope sit anima* " [3].

---

[1] Cf. *Dublin Review*, oct. 1895, pp. 281 sq.; **Vigouroux,** *Mélanges bibliques, La Cosmogonie des Pères*, 2e éd. 1889; **Duilhé de St. Projet,** *Apologie scientifique*, 2e éd. 1855, p. 87; P. **Brucker,** *Questions actuelles*, p. 40 sq.; *Science catholique*, avril, mai 1893.

[2] Frequentius sensum metaphoricum inveniri apud auctores orientales quam occidentales nemo est qui dubitet : unde vitanda est exaggeratio eorum qui hunc rejiciunt, nisi *absolute impossibile* sit sensum proprium admittere; gravis enim sufficit ratio quæ ex contextu vel circumstantiis detegi potest. Hac de re cf. **P. Brucker,** *Progrès et tradition dans l'Apologie biblique* in *Etudes Religieuses*, nov. dec. 1890.

[3] Merito igitur **Maldonatus** (1534-1583), qui theologiæ simul ac Scripturæ studio diu incubuerat, in oratione ad theologiæ candidatos habita, die 9 oct. 1571, (*Opera varia theol...*, Parisiis, 1677, t. III, p. 26-27) necessitatem biblicorum studiorum ad profectum in theologia sic inculcabat : " Orationem divinarum litterarum lectio sequi debet. Nam, cum Scriptura S. omnis theologiæ fons sit et uberrimum seminarium, unde melius nostra omnia et matutina et pomeridiana studia quam ex ejus locupletissimis thesauris inchoentur? Ego quidem eos qui prætermissis Litteris sacris, nescio quibus in libris omnem vim ingenii sui seque ipsos consumunt, *theologos esse non judico;* qui vero et minorem temporis partem et postremam divinis Litteris impendunt, nominentur sane theologi si volunt, certe imprudentes ac præposteros theologos appellabo.

Conclusio totius Tractatus :

Comparatio inter Scripturam, Traditionem et Magisterium vivum [1].

1018. 1° Si comparatio instituitur inter *Scripturam* et *Traditionem* : (**A**) dicendum est imprimis utramque esse *verbum Dei*, utramque esse *infallibilem*, pari *pietatis* affectu ac *reverentia* suscipiendam.

(**B**) Scriptura autem sub aliquo respectu Traditioni antecellit, quatenus non solum revelationem continet, ut traditio ipsa, sed etiam servatur ac transmittitur scriptis *divinitus inspiratis*, dum Traditio oralis divina tantum *assistentia* præservatur.

(**C**) Sub aliis autem respectibus, Traditio Scripturæ præstat, videlicet : *antiquitate*, cum divina revelatio tum Judæis tum Christianis prius ore tradita fuerit quam litteris consignata, ex dictis n. 941-942; *amplitudine*, cum Traditio plura amplectatur quam Scriptura, n. 951; *utilitate ac necessitate*, cum Traditio sine Scriptura sufficere possit, dum Scripturæ inspiratio, canon ac verus sensus, in plurimis saltem locis, certo et integre, absque Traditione, determinari non possint.

Utramque autem tenendo, duplicem fontem Revelationis habemus, ex quo omnia possunt hauriri dogmata. "Itaque, fratres, state et tenete traditiones quas didicistis, sive per *sermonem*, sive per *epistolam* nostram" [2].

1019. 2° Si vero comparatio instituitur, ex una parte, inter *Scripturam Traditionemque* et, ex altera, *Magisterium vivum*, dici potest Scripturam et Traditionem esse *fidei regulam remotam*, quatenus in eis inveniuntur omnes veritates revelatæ quas Ecclesia nobis credendas proponit; Magisterium vero esse *fidei regulam proximam*, quatenus nos certiores facit de divina Scripturarum inspiratione et de Traditionum divinarum tuta transmissione, eas sedulo custodit atque authentice interpretatur.

Qui meum consilium sequi volent ii primam peractis precibus horam temporis matutini in legendo N. Testamento collocabunt; primam vero pomeridianam in Veteri". — [1] **Franzelin**, th. 21; **Bainvel**, *De Magisterio vivo*, n. 33-39.

[2] *II Thess.*, II, 14.

APPENDICES

1020. Cum haud semel in decursu operis *Protestantium liberalium* et *Modernistarum* errores confutare necesse fuerit, opportunum sane est istorum *originem* et *præcipuas formas* exponere, quo melius intelligatur methodus in his erroribus evellendis sequenda. Insuper, cum nostris diebus magis ac magis in mentes superstitiosas diffundantur, non sine animarum detrimento, periculosi errores, quales sunt *spiritismus, theosophia* et *christiana scientia* (christian science), de his pauca dicenda sunt, quo efficacius ab istis arceantur incauti fideles.

§ I. De protestantismo liberali [1].

1021. Protestantes liberales, omnem intellectualem valorem dogmatum rejicientes, aperte quidem pristinis Reformatoribus contradicunt, sed horum tamen *filii legitimi* merito dicuntur; si enim nulla est *auctoritas media* inter Deum et animam, prout contendebant Reformatores, et cuique sit jus Scripturam privato judicio interpretandi, cur retinendæ sunt sive Scriptura sive formulæ dogmaticæ ex ea deductæ, cum tota religio consistat in cujusque intima relatione cum Deo?

Mirum igitur non est *Arminianos* in Hollandia et *Unitarios* in variis regionibus quemdam *minimismum dogmaticum* professos fuisse.

Protestantismus liberalis originem suam proprie tamen sumit ex quibusdam philosophis ac theologis quos breviter recensere juvat.

1022. 1° Primus est *Baruch Spinoza* (1632-1677), quem libenter allegant liberales protestantes, ut Schleiermacher, Sabatier, aliique [2].

---

[1] De quo breviter jam diximus n. 569-570; vide auctores ibi allegatos.

[2] **Brochard,** *Etudes de philos. ancienne et de philos. moderne*, Paris, 1912, p. 332-370, le Dieu de Spinoza; **Delbos,** *Figures et doctrines de philosophes*, Paris, 1918.

Quamquam judæus a nativitate, Spinoza intime cum protestantibus vixit, qui vitæ morali plusquam dogmati credendo incumbebant. Finis vitæ, secundum ipsum, est libertas, quæ virtutis exercitio attingitur. Hic duæ viæ aperiuntur. Philosophus *ratione* utitur ad hanc virtutem adipiscendam : intelligit namque virtutem, seu amorem Dei intellectualem, necessario defluere a veritatibus æternis quas mens inspicit. Vulgus autem aliam viam invenit, æquivalentem, nempe *fidem*. *Fides* Deum ut summum legislatorem exhibet, cujus præceptis obedire tenemur, si salutem consequi cupimus. Hæc obedientia ratione sola non imponitur, sed *revelatione*, quæ, juxta ipsum, nihil aliud est nisi manifestatio sapientiæ divinæ. Sapientia divina quidem ubique fulget, sed maxime in anima humana, et præsertim in mentibus hominum *vividiori* præditorum *intellectu*, scilicet prophetarum, Moisis, Christi, qui est tanquam sapientia Dei caro facta. *Christus* nihil aliud prædicavit nisi justitiam et caritatem, in quibus tota fides christiana consistit. Si vis vere homo esse, sume sive viam rationalem, sive viam fidei : secus brutis inferior eris.

Hic jam apparent præcipua protestantismi liberalis puncta : 1) separatio inter rationem et fidem, 2) revelationis proprie dictæ et dogmatis adulteratio; 3) muneris Christi imminutio.

Huic annumerandi sunt : in Gallia *J. J. Rousseau* (1712-1778) et in Germania *Lessing* (1729-1781), qui *religioso sensui* primatum tribuunt, ratione posthabita.

1023. 2° Sed pater liberalismi merito agnoscitur *Emmanuel Kant* (1724-1804).

Juxta ipsum [1], humana ratio *pura*, seu *speculativa*, rerum *objectivam realitatem*, seu *noumena*, percipere nequit, quia de omnibus judicat secundum *formas* seu *categorias* quasdam mere subjectivas, quarum munus est mentem in judicando et ratiocinando *dirigere*, minime vero res prout sunt *in se* exhibere. Impossibile est igitur ratione pura Dei existentiam animæque libertatem et immortalitatem demonstrare. — Sed, *rationis practicæ* ope, quæ vere *autonoma* est, *legem moralem*, seu *imperativum categoricum*, certo novimus; et exinde infertur hominis voluntatem esse *liberam*, cum hæc moraliter obedire nequeat nisi libero arbitrio gaudeat. Exinde etiam

[1] **Kant,** *Kritik der reinen Vernunft*, — *Kritik der Urteilskraft*, — *Kritik der praktischen Vernunft*, — *Die Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft;* — gallice : *Critique de la raison pure*, — *Critique de la faculté de juger*, — *Critique de la raison pratique*, — *La Religion dans les limites de la raison pure*. Cf. **Ruyssen,** *Kant*, Paris, Alcan, 1900; **Delbos,** *La Philosophie pratique de Kant*, Paris, Alcan, 1904; **Id.,** *Figures et doctrines de philosophes*, Paris, 1918, VI, Kant; **Boutroux,** *Etudes d'histoire de la philosophie*, Paris, 1901, præsertim p. 360-366, 383-386.

ad Dei existentiam animæque immortalitatem assurgimus : supremum enim bonum, quod consistit in intima et permanenti conjunctione inter virtutem et beatitudinem, in præsenti vita attingi nequit; necesse est igitur altera vita existat, in qua Deus supremam felicitatem concedet iis qui virtutem excoluerunt.

Nullam aliam *religionem* admittit Kantius nisi *naturalem*, eam videlicet quæ conscientiæ consentanea est, quatenus nobis exhibet officium adimplendum, atque spem erigit statum adipiscendi in quo felicitas et virtus intime connexæ invenientur. *Dogmata* omnia rejicit, cum humana ratio ad veritates speculativas cognoscendas omnino impar sit; *miracula* pariter, quippe quæ aut non existant aut saltem a factis naturalibus secerni non valeant. Attamen *vocabula* retinet quibus christiana dogmata exprimi solent, sensum plane diversum ab eo quo generatim intelliguntur eisdem assignando. Ita *peccatum originale* nihil aliud est nisi pugna quæ in quolibet homine viget inter *sensualitatem* et *voluntatem*, inter *carnem* et *spiritum*. *Regeneratio* seu justificatio in eo sita est quod *voluntas* carni dominatur. *Ecclesia* non est vere utilis nisi quatenus est cœtus eorum qui contra sensualitatem luctantur ad efficacius obediendum *imperativo categorico*. Neque cultus neque ministri requiruntur nisi in quantum sunt instrumenta ad legem moralem melius servandam.

Ita liberalismo præibat Kantius : (**a**) *agnosticismum* docendo, secundum quem Dei existentiam animæque immortalitatem speculative demonstrare impossibile est; (**b**) *autonomiam* rationis practicæ seu conscientiæ proclamando; (**c**) omne supernaturale elementum ut aliquid transitorium considerando, ideoque illud rejiciendo.

1024. 3° Unus e Kantii discipulis, SCHLEIERMACHER [1] (1768-1834), qui simul *Pietistarum* doctrinis imbutus fuerat, aliâ via religionem propugnare conatus est. Cum ratio absolutum assequi non valeat, ad *sensum religiosum* recurrit.

Religio enim non in systemate dogmatum aut ethico codice sita est, sed in *conscientia nostrarum cum Infinito relationum*. Homo religiosus suam a Deo dependentiam vivide *sentit*, in omnibus rebus mundanis Infinitum percipit, totumque universum tanquam

[1] *Ueber die Religion : Reden an die Gebildeten unter ihren Verächtern*, — gallice *De la Religion : Discours aux esprits cultivés parmi ses détracteurs*, Cfr. **Lichtenberger,** *Histoire des idées religieuses en Allemagne*, Paris, Fischbacher, 1888, t. II, p. 65-238, — anglice redditum, *History of German Theology*, ch. III; **Goyau,** *L'Allemagne religieuse : Le Protestantisme*, Paris, 1898, Perrin, p. 79-80.

Dei imaginem et fragmentum considerat. Nescimus quidem utrum necne Deus sit vere persona a mundo distincta; hoc autem parum refert, dummodo Infinitum in omnibus percipiamus et cum eo communionem quamdam habeamus.

Quibus positis, *fides* non innititur prophetiis aut miraculis, sed religiosa cujusque aut aliorum experientia. Quare, si velis alios ad religionem trahere, ad argumenta minime recurrendum est, sed religiosam experientiam in horum cordibus excitare debes : ita quisque propriam sibi instituet religionem. *Revelatio* nihil aliud est nisi nova quam concipimus Infiniti idea; *miraculum* dicimus quodlibet phænomenon quod Infinito adscribimus. *Inspirati* vocantur libri qui eo tendunt ut in mente nostra religiosos sensus excitent. — *Christus* ideo dicitur Messias et Filius Dei quia multo magis quam ceteri homines conscius fuit Infiniti.

Ita viam parabat liberalismo quia : (**a**) agnoscebat existentiam Dei non posse ratione demonstrari, simulque in pantheismum tendebat; (**b**) miraculum et supernaturale e medio tollebat; (**c**) primatum conscientiæ et sensus religiosi profitebatur.

1025. 4° Quod systema complere tentavit RITSCHL[1] (1822-1889), qui, cum Kantio, fatetur conceptus nostros rationales mere subjectivos esse, et, cum Schleiermacher, tenet religionem sensu religioso inniti, quin tamen pantheismum amplectatur.

Ab utroque tamen differt in eo quod, philosophica argumenta respuens, Scripturam sacram, præsertim N. Testamentum, tanquam historicum religionis fundamentum accipit. Attamen, cum, inter libros qui sacri reputantur, quidam sint spurii aut adulterati, ad *conscientiam* seu *religiosum sensum* spectat ultimo de horum inspiratione judicare : ea siquidem vera sunt in Evangeliis quæ religiosus sensus approbat.

Christiana igitur vocabula retinet, novum tamen sensum eis assignando. Ita *Christus* est Filius Dei, quia modo omnino speciali conscius fuit se esse Deo unitum; in ipso Deus ita se manifestavit ut qui videt Filium videat et Patrem; proinde aliquo modo divinitatis est particeps. Christiana religio a divina revelatione oritur, in quantum Deus christianam educavit conscientiam. Miracula sunt

[1] Cujus præcipuum opus est *Die christliche Lehre von der Rechtfertigung und Versæhnung*, 3 vol., 1870-1874. Cfr. **H. Schön,** *Les origines historiques de la Théologie de Ritschl*, Paris, Fischbacher, 1893; **Baldensperger,** *La Théologie d'Albert Ritschl*, 1883, Lausanne, Bridel; **Goyau,** *op. cit.*, p. 93-103.

extraordinarii eventus, quatenus tanquam divinæ benevolentiæ testes haberi possunt : ita unum idemque factum est *naturale* quoad scientiam, *præternaturale* vero quoad fidem. — Regnum Dei est cœtus eorum qui in Christum credunt et ex caritate agunt : Deus enim caritas est, et nemo ejus regnum ingreditur nisi per caritatem.

1026. 5° Quas Germanorum theorias A. SABATIER († 1901) Gallorum menti accommodavit [1]. Fatetur imprimis, cum Kantio, Dei existentiam ratione probari non posse; sed contendit, cum Ritschl, christianam religionem, symbolice intellectam, privata cujusque experientia demonstrari; aliunde in pantheismum [2], licet minus evidenter quam Schleiermacher, propendere videtur.

(**A**) *Religionis originem* et *naturam* ita describit : homo, dum intra se cogitat, multas antinomias animadvertit : arctis limitibus circumscripti, infinitum tamen ex intimo corde anhelamus; omnibus bonis frui optamus, et multis angoribus opprimimur; bene agere volumus, et peccatum nobis adhæret. Cum neque in nobis neque in aliis individuis solatium inveniamus, necesse est ut extra nos, *in ente universali*, primam causam et ultimum finem necnon miseriæ nostræ remedium quæramus. Ita in corde nascitur nostræ a Deo dependentiæ intimus sensus, qui nihil aliud est nisi *sensus religiosus*.

Religio igitur primario consistit in quodam cum Supremo Numine commercio, quod præcipue per *orationem* exprimitur : oratio ita essentialis est religioni ut sine illa hæc subsistere non valeat.

(**B**) Postea *revelationem* describit, quæ non in manifestatione alicujus immutabilis doctrinæ consistit, sed nihil aliud est nisi *progressiva Dei cognitio intra cujuslibet individui conscientiam sese manifestantis*. Hæc autem eadem non est apud omnes, sed multo vividior apud Prophetas, præsertim vero apud Christum. Ceteroquin revelationes aliis hominibus impertitæ nobis non prosunt, nisi in quantum intra nos renovantur.

Ex quo intelligi datur religiosam *inspirationem* psychologice ab inspiratione *poetica* non distingui : nihil enim est aliud nisi interior illuminatio seu emotio. *Prophetia* non est quid miraculosum, sed perfectior conceptus divinitatis, justitiæ et caritatis, cum spe inde-

[1] Suum systema in duobus præsertim operibus aperte declarat : *Esquisse d'une Philosophie de la Religion d'après la Psychologie et l'histoire*, Paris, Fischbacher, 1897; *Les Religions d'autorité et la Religion de l'Esprit*, ib., 1903.

[2] Ita Deum vocat *ens universale*, aliquid *divinum* nobis *immanens* (*Esquisse*, p. 19-20).

fectibili quod lex et voluntas divina implebitur, *Miraculum*, quod scientifice demonstrari nequit, fide percipitur; nam solummodo importat activam Dei præsentiam in mundo, preces in se sperantium benigne exaudientis.

Tota essentia christianæ religionis in amore Dei, Patris omnium, et amore hominum, fraterno vinculo in Deo et Christo conjunctorum, reponenda est.

(C) De *origine*, *natura* et *evolutione dogmatum* hæc tenet. Primum quidem nascitur in anima, ex intimo contactu cum ente divino, quædam *emotio* reverentiæ, timoris, adorationis atque amoris. Hæc autem mox sub forma alicujus *imaginis*, posteaque sub forma *intellectualis conceptus* exprimitur. Jamvero, quando hic conceptus ab Ecclesia approbatur, tanquam *dogma* habetur.

Dogmata sua utilitate non carent, dummodo tamen successiva et constanti evolutione transformentur : sola enim *emotio* permanet, dum intellectuales *conceptus* cum ipsa evolutione humanæ mentis perpetuo *mutantur*.

In hoc igitur systemate : (a) Kantii agnosticismus tanquam legitimus habetur; (b) Dei, seu potius entis alicujus universalis atque divini, existentia ex intima conscientia percipitur; (c) omne supernaturale evanescit, solaque retinetur religio naturalis, cui tamen superadditur oratio; (d) omnia dogmata per symbolicam interpretationem exsufflantur, atque ad pias emotiones reducuntur.

Ita paulatim crescebat *liberalismus philosophicus*.

1027. 6° Aliunde *liberalismum criticum* et *historicum* exponebant *critici*, inter quos præcipui sunt *Harnack*, *Schmiedel*, *Jülicher*.

Hi omnes, omne supernaturale *a priori* rejicientes, facta quæ supernaturalia videntur modo naturali exponere conantur; hæc enim nihil aliud sunt nisi religiosæ experientiæ coætaneorum vivida imaginatione depictæ. His igitur credere insulsum esset; sed eas interpretari, et hodiernis mentibus accommodare, inquirendo in quo sita sit *essentia christianismi*, munus est criticæ religiosæ et liberalis theologiæ.

Quibus principiis innixi, ostendere nituntur christianismum, per evolutionem ortum, non esse quidem supernaturalem, sed, inter omnes religiones eximium locum obtinere; huic proinde adhærendum esse, non quia est absoluta veritas, sed quia sensum religiosum satis perfecte exprimit; Christum autem, quem adorare impium esset, tanquam

magistrum habendum esse, cujus religiosa experientia omnium experientiis viam paravit.

§ II. De modernismo [1].

1. Origo modernismi.

1028. Ut jam dictum est, n. 571, *modernismus* merito vocatur *summa hæreseon* temporis nostri; nihil enim aliud est nisi synthesis errorum liberalium quos quidam catholici in Ecclesiam instillare conati sunt.

Jamvero, *inter catholicos*, modernismo viam paraverant in Germania *Hermes* (1775-1831), qui a Kantii erroribus non satis recessit; et *Günther* (1783-1863), theologus semirationalista, qui valorem dogmatum ut quid relativum et variis temporibus accommodandum esse docebat.

1029. Veri autem præcursores et patres modernismi sunt *protestantes liberales*, de quibus supra, tam ii qui criticæ studuerunt, quam illi qui philosophiæ opem dederunt.

Non pauci enim inter catholicos, dum criticis et philosophicis studiis incumberent, Rationalistarum libros nimis assidue perlegerunt, forsan ex desiderio horum errores detegendi et efficacius refellendi; sed ipsi erroris venenum paulatim hauserunt, aliisque incauti propinaverunt, dogmata fidei plus minusve adulterantes. Unde diversa quidem systemata proposuerunt, sed generales eorum tendentiæ valde affines sunt, ita ut omnium *synthesim* Encyclica *Pascendi* instituere potuerit. Siquidem quemdam *agnosticismum* profitentur fere omnes, quatenus rationem humanam imparem

[1] **J. Lebreton**, *L'Encyclique et la Théologie moderniste*, Paris, 1908; **Card. Mercier**, *Le Modernisme*, Bruxelles et Paris, 1908; **X. Moisant**, *Qu'est-ce que le Modernisme?* in *Etudes*, 5 et 20 mai 1908, pp. 289, 463; **J. Baylac**, *Autour de l'Encyclique*, in *Bulletin de Lit. ecclés.*, Toulouse, janvier 1908; **B. Gaudeau**, *Les erreurs dites modernistes*, in *La Foi catholique*, 15 janv. 1908, etc.; **L. Roure**, *Scholastisques et modernistes*, in *Etudes*, 5 février et 20 mars 1908; **Vieux Moraliste**, in *Ami du Clergé*, t. XXIX, 1907, pp. 865, 1057; t. XXX, 1908, pp. 2, 49, 97, 161, 209, 433, etc.; **J. Lebreton**, in *R. P. A.* 15 juin et 15 juillet 1908, p. 456-470, 621-635; **Fr. Heiner**, *Der neue Syllabus Pius X*, oder Dekret des hl. Offiziums, *Lamentabili*, Mainz, 1908; **Ph. Kneib**, *Wesen und Bedeutung der Enzyklika gegen den Modernismus;* **Jos. Rickaby**, *The Modernist*, London, 1908; **J. Godrycz**, *The doctrine of modernism and its refutation*, Philadelphia, 1908; **P. Maumus**, *Les Modernistes*, Paris, Beauchesne, 1908; *Conférences ecclés. du diocèse de Bayonne*, an. 1908; Art. *Modernisme*, in *D. A.*; **Bourchany, Périer et Tixeront**, *Conférences apologétiques*, Conf. 1-7; **E. Mourret**, *Quelques épisodes de l'histoire de l'Eglise sous le Pontificat de Pie X, La crise moderniste*, in *R. A.*, 1922-1923.

judicant ad Dei existentiam cum certitudine demonstrandam; cum tamen Deum, aut saltem *aliquid divinum*, admittant, ejus existentiam in anima humana *intima experientia* detegunt, ideoque *immanentismum* profitentur; quia vero intima hæc experientia eadem non est apud omnes homines, nec in variis sæculis, et aliunde diversis modis atque formulis exprimitur, *evolutionismum* docent, vi cujus dogmata progressive ac perpetuo mutantur. Infallibilem igitur auctoritatem Scripturæ, Traditionis et Ecclesiæ rejiciunt; attamen, cum religio *socialis* esse debeat, Ecclesiæ obedire oportet quatenus est veluti christianorum *collectiva conscientia;* itaque *conscientiæ primatum* uno ore affirmant. Hæc omnia lucide exponit atque reprobat prælaudata Encyclica.

Hæc brevis expositio sufficit ut clare appareat modernistas ex liberalismo protestanti præcipuos errores hausisse, eos tamen catholicis dogmatibus accommodare nitendo.

II. Præcipuorum modernistarum errores.

Inter modernistas, eminent : in *Gallia*, A. Loisy et Ed. Le Roy; in *Anglia*, G. Tyrrell; in *Italia*, auctores operis *Programma dei Modernisti;* in *Germania*, H. Schell et quidam ejus discipuli.

Inter quos, alii, ut Loisy, *biblico criticismo* præcipue innituntur; alii *philosophicis theoriis*, ut Le Roy et Tyrrell; sed sibi invicem mutuam opem præstant.

1030. 1° **In Gallia.** (**A**) A. Loisy modernistarum dux merito habetur in Gallia [1].

Hic studio Scripturæ et biblico criticismo præsertim operam dedit, primum quidem, ut videtur, cum scopo catholicam doctrinam propugnandi [2]; paulatim vero in Liberalium Protestantium theorias et hypotheses deflectere visus est [3], et recenter fidei christianæ omnino valedixit [4]. Multis tamen annis antequam suos erro-

[1] Cujus errores exponit et confutat **M. Lepin,** *Les Théories de M. Loisy*, Paris, Beauchesne, 1908.

[2] Prima ejus opera catholicam mentem produnt : ita *Histoire du Canon de l'Ancien Testament*, 1890; *Histoire du Canon du Nouveau Testament*, 1891, ubi quarti Evangelii authenticitatem aperte propugnabat.

[3] Ita præsertim in operibus : *Les Mythes babyloniens et les premiers chapitres de la Genèse*, 1901; *La Religion d'Israël*, 1901; *Etudes bibliques*, 1901; *Etudes évangéliques*, 1902.

[4] Quod jam satis clare inferebatur ex libris : *L'Evangile et l'Eglise*, 1902; *Autour d'un Petit Livre*, 1903; *Le quatrième Evangile*, 1903; — omnino autem evidens factum est ex recentioribus scriptis : *Les Evangiles synoptiques*, 1907-1908; *Simples réflexions sur le Décret du Saint Office "Lamentabili" et sur*

res publici juris faceret, eisdem privatim adhærebat eosque paucis discipulis tradebat, ut ipse fatetur [1].

Breviter exponemus quid ipse doceat circa *Scripturam sacram*, *Christum*, *naturam et evolutionem dogmatum*, *Deum* ipsum.

1031. (a) Quoad Scripturæ librorum *authenticitatem* et *historicitatem*, theorias hodiernorum rationalistarum aperte amplectitur.

Ita, juxta ipsum, libri Vet. Testamenti qui dicuntur *historici* multo recentiores sunt quam tenent catholici interpretes; Pentateuchi vetustissima fragmenta non ultra tempus Regum ascendunt; hic autem liber, prout hodie legitur, nonnisi post captivitatem scriptus est, ideoque vix aliquid historici continet; præsertim vero Genesis veteribus *legendis* plena est, primaque capita mythis referta. — Evangelia non sunt proprie historici libri, sed opera ad ædificationem scripta. Quartum Evangelium tanquam theologia mystica haberi debet [2], vix unum aut alterum factum historicum continens præter ea quæ apud Synopticos inveniuntur; hi autem libri popularem referunt traditionem circa vitam et doctrinam Christi, quæ quoad substantiam historica est, sed plura complectitur quæ in dubium vocari debent [3].

---

l'Encycl. Pascendi, 1908; *Quelques lettres sur des questions actuelles et sur des événements récents*, 1908; *Jésus et la tradition évangélique*, 1910; *La Religion*, 1917; *Les mystères païens et le mystère chrétien*, 1919; *Les Actes des Apôtres*, 1920, etc.

[1] Ita recenter scribebat (1907) se jam a viginti annis omne *supernaturale* proprium rejecisse, nempe *inspirationem*, *revelationem*, *infallibilitatem* : — " Je ne vous chicanerai pas sur la définition de l'hérésie. Le mot a sa signification reçue dans le vocabulaire théologique, avec les mots d'inspiration, de révélation, d'infaillibilité, tous ces mots étant comme solidaires les uns des autres, dans un système de doctrine qu'il faut prendre ou rejeter tout entier... C'est tout ce système de notions absolues, abstraites, contredites par l'expérience de l'histoire, par la critique des textes dont on l'autorise et par la saine philosophie, recevables seulement comme d'antiques symboles qui seraient susceptibles d'une interprétation moins lourde, moins matérielle, moins mythologique aussi que leur sens traditionnel; c'est, dis-je, tout ce système dont la caducité m'est apparue depuis plus de vingt ans, et dont j'avais essayé d'élargir peu à peu la signification, persuadé, d'une part, qu'il était, tel quel, un obstacle à toute liberté de l'intelligence et à tout progrès de la science, et, d'autre part, qu'il contenait une âme de vérité morale dont l'excellence apparaîtrait dès qu'on aurait pu la tirer de sa gaîne séculaire ". (*Quelques lettres*, p. 160).

[2] Quem errorem damnavit *S. Officium*, *Lamentabili*, 3 jul. 1907, prop. XVI (**D. B.**, 2016) : " Narrationes Joannis non sunt proprie historia, sed mystica Evangelii contemplatio; sermones in ejus Evangelio contenti, sunt meditationes theologicæ circa mysterium salutis historica veritate destitutæ ". Cfr. prop. XVII, XVIII. (**D. B.**, 2017, 2018).

[3] *Quelques lettres*, 111-112; *Evangile et Eglise*, 4ª ed. I, *Les sources évan-*

Ex quo infert Sacros Libros non esse vere inspiratos : Deus, inquit, eodem modo est auctor Scripturæ ac dici potest architectus basilicæ Vaticanæ [1]. Multos ibi esse errores affirmat non solum in re historica, sed etiam in re morali et religiosa [2].

Nomen *revelationis* retinet, sed declarat eam nihil aliud esse nisi acquisitam ab homine suæ ad Deum relationis conscientiam [3]. *Miracula* pariter et prophetiæ, quatenus directa divinæ omnipotentiæ aut scientiæ testimonia, rejicienda sunt [4]. *Resurrectio* Salvatoris non est proprie factum ordinis historici, sed factum ordinis mere supernaturalis, nec demonstratum, nec demonstrabile, quod paulatim christiana communitas per fidem tanquam verum habuit; revera Christus a mortuis non surrexit, sed quadam immortalitate gaudet in cordibus discipulorum [5].

1032. (b) *Christi vitam, doctrinam* atque *opus* ita describit : Christus est mere homo, filius Mariæ et Joseph, conceptus non ex virgine, sed secundum leges naturæ. Prædicavit regnum Dei, regnum justitiæ et caritatis, quod per pœnitentiam et interiorem renovationem discipuli ingrediuntur; hujusmodi regnum, cui Ipse præesse debebat, mox venturum erat post magnam catastrophen. Ad præparandam plebem huic adventui, paucos illiteratos selegit, quos apostolos vocavit. Prædicatione sua populum aliquantisper commovit, ideoque a magistratibus morte damnatus est [6]. Ejus autem discipuli, spe messianica excitati, post aliquos dies, Magistrum sibi apparuisse crediderunt, eumque tanquam Messiam, Filium Dei et Salvatorem prædicaverunt; immo quidam eum

---

géliques; Simples Réflexions, p. 46-55; præsertim vero *Les Evang. Synoptiques*, t. I, Introduction.

[1] *Simplesréflexions*, p. 42; cfr. *Lamentabili*, prop. IX-XI. **D. B.**, 2009-2011.

[2] *Simples réflexions*, p. 227; cfr. p. 44-45.

[3] *Autour*, p. 195. Cfr. *Lamentabili*, prop. XX. **D. B.**, 2020.

[4] *Simples réflexions*, p. 170.

[5] Cfr. *Lament.* prop. XXXVI-XXXVII, **D. B.**, 2036-2037.

[6] Parcat mihi benignus lector si ipsa verba auctoris, licet blasphematoria, referam : " La carrière et l'enseignement de Jésus ont été le grain de sénevé qui devient un arbre, la parcelle de levain qui fait fermenter toute une masse de pâte. Rien de plus insignifiant en apparence : un ouvrier de village, naïf et enthousiaste, qui croit à la prochaine fin du monde, à l'instauration d'un règne de justice, à l'avènement de Dieu sur la terre, et qui, fort de cette première illusion, s'attribue le rôle principal dans l'organisation de l'irréalisable cité; qui se met à prophétiser, invitant tous ses compatriotes à se repentir de leurs péchés, afin de se concilier le grand Juge, dont la venue est imminente et sera subite comme celle d'un voleur; qui recrute un petit nombre d'adhérents illettrés, n'en pouvant guère trouver d'autres, et provoque une agitation, d'ailleurs peu profonde, dans les milieux populaires; qui devait être arrêté promptement, et qui le fut par les pouvoirs constitués; qui ne pouvait échapper à une mort violente, et qui la rencontra ". (*Les Evangiles synoptiques*, t. I, p. 252).

tanquam ens divinum habuerunt atque adoraverunt; nec mirum : nam in ipso Deus seipsum manifestavit plus quam in quolibet alio homine.

1033. (c) *Naturam* et *evolutionem* dogmatum eodem fere modo ac Sabatier exponit.[1]

Christus determinatum doctrinæ corpus omnibus temporibus cunctisque hominibus applicabile non docuit, sed regnum Dei prædicavit mox venturum, simulque inchoavit motum quemdam religiosum diversis temporibus ac locis adaptandum. Neque pariter Ecclesiam instituit aut instituere intendit, sed solum lineamenta quædam alicujus societatis, ex qua Ecclesia prodiit[2]. — Prædicatio apostolica in suis exordiis fuit judaica, sed per successivas evolutiones facta est primum paulina, dein joannica, demum hellenica et universalis[3]. Dogmata Trinitatis et Incarnationis a philosophicis græcis originem ducunt : Christus enim, qui apud Judæos conversos ut Messias habebatur, a Gentilibus tanquam *Logos* seu Verbum, Filius Dei, Patri æqualis concipiebatur. — Sacramenta Christus neque instituit neque instituere unquam intendit; ideo *Tridentinum* erravit dum declaravit eadem a Christo fuisse instituta[4].

Ceteroquin Ecclesia non est proprie infallibilis, ejusque definitiones vim et auctoritatem non habent nisi conscientia approbentur[5]. — Ex quibus evidenter constat dogmatum evolutionem quam *Loisy* propugnat, esse mutationem horum omnino substantialem, et ultimam fidei regulam esse privatum conscientiæ judicium.

1034. (d) Sed in recentioribus operibus longius procedit, atque *personalis Dei existentiam* in dubium revocat.

Nec mirum : si enim, cum Loisy et Sabatier, Scripturæ inerrantiam, Christi divinitatem atque Ecclesiæ infallibilem auctoritatem rejiciamus, quomodo in Deum providum credere valeamus?[6]

Quos pessimos errores toto decursu *Apologeticæ* confutavimus.

---

[1] *Evangile et Eglise*, 4e éd., ch. V, Le dogme chrétien. Cfr. *Lamentabili*, XXII. **D. B.**, 2022.

[2] Cfr. *Lamentabili*, prop. LII-LIII. **D. B.**, 2052-2053.

[3] *Evangile et Eglise*, 4e éd., pp. 176 sq.

[4] *Simples réflex.*, pp. 87, 90, 96. Cf. **D. B.**, 2039 seq. — [5] *Op. cit.*, p. 120.

[6] Vestigiis Loisy inhærentes, methodo tamen minus scientifica, quidam eosdem errores propugnant, sub ementito nomine. Inter quos recensentur : **A. Dupin**, *Le Dogme de la Trinité dans les premiers siècles;* **P. Saintyves**, *Le Miracle et la Critique historique;* Id., *Les Vierges mères;* **G. Herzog**, *La Vierge dans l'histoire;* **J. de Bonnefoy**, *Vers l'unité de croyance;* Id., *Le Catholicisme de demain;* **Catholici**, *Lendemains d'Encyclique.*

1035. (B) Modernismum *philosophicum*, inter alios, tuetur Ed. Le Roy [1], qui *novam philosophiam* [2] dogmatibus accommodare volens, catholicam veritatem incaute adulteravit. Quo melius ejus systema intelligatur, quid de *veritatis* ipsa notione teneat, de *Dei existentia*, de *dogmatum natura*, de *miraculis*, breviter exponere necesse est.

(a) *Veritas*, inquit, non est stabilis, immutabilis et æterna, ut aiunt Scholastici, sed, sicut vita ipsa, aliquid fluens et mutabile. Criterium veritatis est ipsa vita : quidquid enim permanenter vivit, verum est [3].

(b) *Dei existentia* metaphysice demonstrari nequit; varia enim argumenta quibus probatur, *causalitatis principium* præsupponunt : hoc autem principium, si critice perpenditur, nihil aliud importat nisi aliquem nexum esse inter varia entia quæ *totum*, seu rerum universitatem, constituunt; ex hoc autem minime sequitur esse ens personale, a mundo distinctum, quod sit omnium rerum causa.

Attamen Deum esse intima conscientiæ experientia constat. Nam in cujuslibet hominis intimo corde alicujus entis vox auditur eum ad meliora sollicitans, ad agendum modo perfectiori quam propriis viribus potest. Hoc autem ens simul immanens et transcendens esse debet : *immanens* quidem, cum intra nos agat; *transcendens*, cum omnes vires nostras superet. Quando hujus entis conscii sumus, Deum attingimus : hic autem Deus est realis et personalis; erga eum igitur agere debemus eodem modo ac erga personam [4].

(c) Quoad *dogmata*, animadvertit imprimis ea, si *intellectualiter* sumuntur tanquam propositiones speculativæ, nullum sensum vere intelligibilem præ se ferre, sed multis scatere difficultatibus, ita ut ab hodiernis philosophis admitti nequeant. Duplici tamen sensu accipi possunt : sensu *negativo*, quatenus nobis manifestant non quid Deus sit, sed potius quid non sit; sensu *practico*, quatenus sunt norma præceptiva agendi [5].

---

[1] Suas theorias exposuit in *Dogme et Critique**, Paris, Bloud, 1907; in *Rev. de Métaphysique et de Morale*, 1900-1908, passim; *Annales de Philos. chrét.**, 1907.

[2] Hanc philosophiam, cujus præcipua lineamenta ab Hegel mutuata sunt, exponit, inter alios **H. Bergson**, præsertim in opere *L'Evolution créatrice**. Cujus fundamentalem de veritate conceptum declarat atque confutat **J. de Tonquédec**, *La notion de vérité dans la Philosophie nouvelle*, Paris, Beauchesne, 1908.

[3] Ap. **J. de Tonquédec**, *op. cit.*, p. 2-20.

[4] In *Rev. Mét. et Mor.*, mars, juillet, 1907, *Comment se pose le problème de Dieu?* — Cfr. *Rev. néo-scolastique*, nov. 1907, p. 449-489 et fév. 1908, p. 90-124; *R. C. F.*, 1er nov. 1907, p. 285-297.

[5] Ita in opere *Dogme et Critique*, p. 1-34.

(**d**) Alibi specialem exponit theoriam circa *miracula*. Miraculum, ait, non est derogatio legibus naturæ, sed e contra manifestatio legis superioris, vi cujus materia spiritui subordinatur; siquidem nihil est aliud nisi actus quo spiritus hominis, modo intensissimo agens, suam supra materiam potestatem recuperat [1]. Hæc autem intensior activitas fit sub influxu *fidei*, quæ facultatibus nostris majorem vim impertitur; fides vero non excitatur nisi juvante Dei gratia; ideoque ultimo miraculum Deo legitime tribuitur [2].

(**e**) His innixus principiis, *Christi resurrectionem* sic explicat. *Nova philosophia* reanimationem alicujus cadaveris admittere nequit : Christi igitur corpus remansit in fossa communi ubi Judæi probabiliter illud deposuerant; Jesus tamen aliquo vero sensu resurrexit, quatenus post mortem agere non cessavit, immo in carne propria surrexit : tempore enim mortis anima retinet quamdam materiam virtualem, cujus ope totum corpus reædificatur, licet modo subtiliori. Quod quidem, ait, concordat cum dogmate catholico resurrectionis : hoc enim unum significat, nempe nos posse cum Christo agere eodem modo ac cum coævo agimus [3].

1036. In hoc autem systemate modernismum haud ægre deteges : (**a**) quemdam *agnosticismum*, quo rejicitur causalitatis principium ideoque vis argumentorum quibus existentia Dei probatur; (**b**) quemdam pariter *immanentismum* : nam Deum esse ostendit ex indigentia divini quam in imo corde experimur, nec clare constat Deum, quem nobis immanentem ita percipimus, esse vere a nobis et universo distinctum; quem errorem in *Tr. de Deo uno* confutamus; (**c**) aliquam *dogmatum adulterationem* : quando enim definitiones dogmaticæ historice expenduntur, attentis omnibus circumstantiis in quibus conditæ ac promulgatæ sunt, satis evidenter apparet eas non mere negativum sensum præ se ferre, sed vere positivum, et quidem non solum in ordine ad agendum, sed etiam in ordine ad cogitandum, ita ut dogmata sint simul norma credendi et norma agendi, ut fusius exponetur in *Tr. de Fide;* (**d**) *falsam miraculi notionem*, erroneamque de *Christi resurrectione* theoriam, ut constat ex superius dictis, nn. 257-258, 457-471.

[1] In *Annales de Phil. chrét.**, déc. 1907, p. 242; cfr. p. 247.
[2] *Annales de Phil.*, l. c., p. 249-250.
[3] *Dogme et Critique*, p. 239-255.

1037. 2° **In Anglia.** Modernistarum coryphæus in Anglia fuit G. TYRRELL († 1909)[1], qui, e Protestantium hæresi ad fidem catholicam conversus, postea *symbolismum*, prout a Sabatier propugnatur, nostris dogmatibus accommodare tentavit, et in suis erroribus, etiam post vulgatam Encyclicam *Pascendi*, usque ad obitum perseveravit.

Agnosticismum profitens, cum Kantio et Spencer, præsertim quoad argumenta quibus existentia Dei probatur, admittit nobis innatum esse aliquem *religiosum sensum*, a sensu scientifico, esthetico aut morali distinctum, vi cujus Deum obscuro quodam et progressivo intuitu percipimus.

Postea naturam et evolutionem dogmatum eodem fere modo ac A. Sabatier exponit; et rem concludit comparationem instituendo inter *Ecclesiam* et *conscientiam*.

Ecclesia quidem necessaria est ad sensum religiosum excitandum et dirigendum, eique tanquam sociali auctoritati obedire oportet. Primaria tamen et ultima fidei regula est *cujusque conscientia*, quatenus Spiritu Dei illuminatur : cuique enim officium incumbit in imo corde audiendi vocem Spiritus omnibus quidem loquentis, sed præsertim iis qui magis spirituales sunt. Hi aliquando lucidiori modo res divinas intuentur quam christiana communitas, et, propter novum loquendi modum quo utuntur, ab Ecclesia excommunicantur; sed intra Ecclesiam manent, et quæ ut nova primum rejecta fuerant, mox a christiana communitate recipiuntur, dum e contra non pauca ex eis quæ olim tanquam dogmata habebantur, in desuetudinem abeunt.

1038. Quantum hujusmodi systema doctrinæ catholicæ adversetur nemo est qui non videat : ibi enim adulterantur revelationis et dogmatis notiones, et, dum veritatum fidei omne incrementum negatur, substantiales in dogmatibus catholicis admittuntur mutationes; ibi præsertim negatur infallibilis Ecclesiæ auctoritas, atque primatus affirmatur conscientiæ, seu privati judicii. Hoc igitur systema liberalem protestantismum omnino sapit, iisdemque argumentis

[1] Opera præcipua, in quibus suum exponit systema, sunt : *A much abused letter; Lex orandi*, 1903; *Through Scylla and Charybdis*, 1907; *Mediævalism*, 1908. — Cfr. **Franon,** *Bulletin de Litt. ecclésiastique* (Toulouse), juin 1903, p. 157, fév. 1906, p. 33; **Lebreton,** *R. P. A.*, t. III, fév. 1907, p. 542 et t. IV, juil. 1907, p. 527; **L. de Grandmaison,** *R. P. A.*, t. VI, avril 1908, p. 90; **L. Gougaud,** O. S. B., *Le Modernisme en Angleterre*, in *R. C. F.*, t. LVIII, p. 541-565.

confutatur ac iis quibus liberalismum in toto decursu *Apologeticæ* exposuimus [1].

1039. 3° **In Italia.** Modernismus, qualis in Italia propugnatus fuit, nil *originale* præ se fert, sed est veluti synthesis biblici ac philosophici modernismi in Gallia et Anglia vigentis [2].

1040. 4° **In Germania.** In Epistola, qua Encyclicam *Pascendi* fidelibus suis notam fecerunt, Germani episcopi profitentur quidem modernismum non fuisse ex integro et in omnibus suis consequentiis in Germania propugnatum; sed simul fatentur quædam istius systematis vestigia apud nonnullos inveniri, præsertim vero quasdam periculosas novitates in rebus religiosis, aliquem contemptum traditionis, nimiam tendentiam ad extollendam plus æquo acatholicorum scientiam, et ad extenuandam Ecclesiæ auctoritatem; ex quo fit ut nimis acerbe carpantur ecclesiastici superiores religiosaque instituta, et Ecclesiæ decreta aut decisiones cum debita reverentia et obedientia non accipiantur.

Inter eos qui modernismo faverunt recensetur præsertim *Hermann Schell* (1850-1906), qui, etiamsi catholicam doctrinam contra rationalistas et liberales Protestantes propugnare conatus fuerit, non satis accurate de catholicis dogmatibus scripsit, præsertim vero de Ecclesiæ auctoritate [3]. Ita non admittit Deum esse ens *a se*, sed

---

[1] Paucos fuisse Modernismi fautores in Statibus Americæ Fœderatis, exposuit **L. Gougaud,** l. c., p. 558. Modernismum autem confutarunt : **A. Viéban,** S. S., in *Amer. Eccl. Review*, maii 1908; **W. Turner,** *The Catholic University Bulletin*, maii 1908; **J. Godrycz,** *op. cit.*

[2] Præcipua ejus systematis lineamenta jam exposuerat **Fogazzaro** in opere *Il Santo* (cf. **Chollet,** *Le Modernisme dans la religion*, étude sur le roman *Il Santo*); systematice vero declarata sunt in opusculo *Il Programma dei Modernisti*, Roma, 1908; *gallice* redditum, *Le Programme des Modernistes*, Paris, 1908. — De scriptoribus qui Modernismum in Italia propugnaverunt aut confutarunt, cfr. **J. M. Vidal,** in *Rev. du Cl. fr.*, t. LVII, 1909, p. 50-70; **P. Rosa,** S. J., *L'Enciclica "Pascendi" ed il modernismo*, Roma, 1909.

[3] Cfr. **Commer,** *Hermann Schell und der fortschrittliche Katholicismus*, Vienne, 1907; *Die jüngste Phase des Schellstreites*, 1909; **Schmied Müller,** *Un théologien moderne*, in *Annales de Philos. chrét.**, sept. 1906, p. 608 et fév. 1907, p. 517; **Ami du Clergé,** 23 janv. 1908, p. 65-76; **Godet,** *Un apologiste contemporain*, in *R. C. F.*, 1er avril 1908, p. 5; **Brucker,** *Le Modernisme en Allemagne*, in *Etudes*, 5 juin 1908, p. 580-597; **M. Decker,** *Le Modernisme en Allemagne*, in *R. C. F.*, t. LVII, p. 698-719.

contendit Eum esse *suiipsius causam*, — res creatas non tam ex nihilo quam ex Deo ipso procedere, — personas divinas esse veluti *actuationem* divinæ essentiæ, — peccatum mortale non esse aliud nisi peccátum contra Spiritum S., — pœnarum æternitatem non esse credendam nisi conditionate, — auctoritatem Ecclesiæ non esse necessariam nisi propter ingenii mediocritatem quæ communiter viget, nec proinde sine restrictione a doctis accipiendam esse [1].

Quos errores in decursu nostræ *Synopsis* confutamus.

1041. Conclusio. Quibus breviter expositis, patet modernismum a Pio X profligatum, non esse mythum aut phantasiæ figmentum, sed systema vere a quibusdam catholicis scriptoribus propugnatum; neque negari potest istud esse non solum valde periculosum, sed etiam in fide erroneum, immo " *omnium hæreseon conlectum* ".

Cum isti errores sint simul philosophici, historici et dogmatici, totumque ædificium catholicæ fidei penitus evertere tentaverint, non solum in prævíis tractatibus *apologeticis*, sed in toto decursu hujus operis confutantur, immo istius erroris fundamentum, notio siquidem veritatis et modus ad eam pertingendi, nonnisi accurata philosophicarum quæstionum investigatione evelli potest [2].

§ III. De spiritismo, theosophia et christiana scientia.

De his tribus erroribus, qui aliquid commune præ se ferunt, ut ex dicendis patebit, successive agemus.

---

[1] Modernismum etiam advocavit **Schnitzer,** in *Süddeutstche Monatshefte*, febr. 1908. — **Schrörs** autem, qui publici juris fecerat opusculum *Kirche und Wissenschaft, Zustände an einer katholisch-theologischen Fakultät*, laudabiliter Ecclesiæ se subjecit.

[2] Præter philosophiæ Prælectiones, cfr. **J. de Tonquédec,** *La notion de vérité dans la philosophie nouvelle;* **N. Balthasar,** *Le problème de Dieu d'après la philosophie nouvelle*, in *Rev. néoscolastique*, nov. 1907, p. 449-489 et fév. 1908, p. 90-124; **C. Piat,** *L'Idée*, ou critique du Kantisme, Paris, Poussielgue, 1901; **R. Garrigou-Lagrange,** O. P., *Le sens commun, la Philosophie de l'être et les formules dogmatiques*, Paris, Beauchesne, 1909. — Præcipuas autem veritates biblicas et theologicas a Modernistis impugnatas, critice expensas invenies in *R. C. F.*, sub hoc titulo *La Vérité du Catholicisme*, t. LVI, 1908, pp. 18, 257, 513; t. LVII, 1909, pp. 5, 257, 513, 641.

I. De Spiritismo[1].

1042. Spiritismi origo. Quamquam phænomena quæ ad mortuorum evocationem tendunt jam ab antiquissimis temporibus extiterint, *spiritismus modernus* tantum anno 1848 ortum capit. In pago *Hydesville*, in America, auditi sunt *crepitus* in domo cujusdam familiæ *Fox*. Hi strepitus attributi sunt animæ cujusdam Caroli Rayn, olim in prædicta domo occisi. Fama eventus aliorumque phænomenorum ejusdem generis, Fœderatos Americæ Status, Angliam, Germaniam et Galliam pertransiit, ubique experimenta de mundo invisibili provocans. In Gallia professor quidam Leo-Hyppolytus-Denizart Rivail (vel *Allan Kardec*, quo nomine auctor libros subscribit) experimenta et doctrinam Spiritismi in diversis operibus exposuit, quorum celeberrimum fuit *Le Livre des Esprits* (1857), in quo auctor velut prophetam novæ religionis sese annuntiavit.

Ab anno 1875 usque ad nostra tempora, varia experimenta de spiritismo etiam a peritis in scientiis physicis vel medicinalibus, plus minusve novæ theoriæ faventibus, tentata sunt (v. g., in Anglia a W. Crookes, Oliver Lodge; in Gallia a C. Flammarion, C. Richet[2], Dr. Baraduc, etc.)

Spiritismum hodie forsan aut *6 aut 7 milliones adeptarum*[3] admittunt, (quorum 1.000.000 in tota Europa, 600.000 in Gallia). Libri (etiam amatoriæ fabulæ!) et ephemerides sat multæ ideas sectæ propugnant, quarum celeberrimæ sunt *Revue spirite*, *Annales des sciences psychiques*, *Revue scientifique et morale du spiritisme* etc., dum multæ societates spiritarum theorias suas propagare vel experiri conantur.

1043. Spiritismi doctrina. *Dei existentia et Providentia* admittuntur quidem; sed, cum divinitas sit longe a nobis, Spiritæ de Deo parum curant; miraculi possibilitatem negant, Creatorisque personalitatem satis obnubilant. Admittunt hominem constare e corpore, anima et tertio elemento, unionem inter animam et cor-

---

[1] **Lucien Roure**, *Le merveilleux Spirite*, 5e éd., Paris, 1922; **Id.**, *Le Spiritisme d'aujourd'hui et d'hier*, Paris, 1923; **Id.**, *Le bilan du spiritisme*, in *Etudes*, 20 nov. 1923, p. 402-490; *Occultisme, spiritisme, théosophie*, *Etudes*, 20 janv., 20 mars 1923; **C. Jubaru**, *Les malheurs de la Métapsychique*, in *Etudes*, 5 juin 1924, p. 536-556; **M. Th. Mainage**, *La religion spirite*, Paris, 1921; **Paul Henzé**, *Les morts vivent-ils?* 1re et 2e série, Paris, 1921-1922 (hic colliguntur responsiones ad hanc quæstionem, datæ a diversis plus minusve peritis personis, et in ephemeride *L'Opinion* prius propositæ); **René Guénon**, *L'erreur spirite*, Paris, 1923; **Charles Nordmann**, *Chronique scientifique*, in *Rev. des deux Mondes*, 15 sept., 15 oct. et 15 nov. 1922.

[2] Cf. **C. Richet***, *Traité de métapsychique*, Paris, 1922.

[3] Cf. **Roure**, *Le merveilleux spirite*, p. 325-327.

pus operante, quod *perispiritum* vel *corpus astrale* vocant. Morte superveniente, anima relinquens corpus animale, secum ducit corpus astrale, et in regionem invisibilem secedit. Ad purificationem suam operandam, anima rursus incarnatur : *transmigratio igitur animarum* admittitur, donec ad integram purificationem et ad beatitudinem inamissibilem perveniant. Æternitas pœnarum inferni absolute negatur (diabolus enim timet ne hujus dogmatis consideratione multi convertantur); mortui, dum e carne victitant, cum viventibus communicant, non quidem directe, sed mediante corpore astrali quarumdam personarum (quas "*Medium*" vocant), quæ nempe majore sensibilitate præditæ sunt. Sic ab eis, hodiernis temporibus, *Revelatio definitiva* allata est, revelationes olim propositas a Moyse vel a Christo (in quibus Spiritus purior reincarnatus erat) transgrediens, perficiens et renovans. *Ethica* spiritismi præsertim caritatem prædicat.

Argumenta quibus Spiritæ doctrinam suam firmant sunt *responsa* a mortuis (præsertim per tabulas) data, et phænomena quæ, ut ipsi contendunt, etiam a peritissimis visa sunt, ex quibus præcipua sunt *apparitiones*, *productio substantiæ* e corpore *Mediorum*, quam moderni *Ectoplasma* vocant, minus recentes autem corpus astrale nuncupaverant.

Notandum est tamen inter peritos transmigrationem animarum vix retineri; propugnant præsertim existentiam alterius vitæ, et phænomena hanc vitam manifestantia.

1044. Critica spiritismi. (a) Spiritismus *ut doctrina revelata minime accipi potest.* Continet nempe affirmationes sanæ philosophiæ oppositas, ut migrationem animarum, existentiam tertii elementi in persona humana; ad pantheismum tendit; ethica nimis incompletam docet, speciatim de castitate, de retributione vitio vel virtuti debita [1]. Revelationes a *spiritibus* allatæ nihil novi continent [2]; omnes explicari possunt sive *Mediorum*, sive assistentium scientia [3]; quædam ex eis aperte obscenæ sunt et vitiis favent;

[1] Cf. **Roure,** *Le merveilleux spirite*, p. 268-277.

[2] **Roure,** *Le merveilleux spirite*, scribit de libro **Allan Kardec** : "Le nouvel évangile se présente comme un mauvais décalque, une transposition grossière, une déformation de l'Evangile du Christ". (p. 234).

[3] Cf. **Roure,** *l. c.*, p. 230-231 : "Ou l'Esprit se comporte comme le medium lui-même : ou il en a les idées, les façons de parler. Ou bien il semble réfléchir simplement les idées ou les préoccupations des personnes présentes. Il est savant d'une science courante avec les savants, il est banal avec une assemblée banale. La valeur des réponses aux questions posées s'accorde avec ce que la moyenne de l'assistance pense elle-même. Et vous voyez venir la conclusion formulée par certains auteurs : ce sont les assistants qui dictent eux-mêmes, parfois, souvent, si l'on veut, à leur insu, la réponse donnée. Par quelle voie mystérieuse, par quel secret procédé arrive-t-il que le pied d'une table, se soule-

aliæ falsæ inveniuntur [1]; pleræque valde inanes sunt. Hæc omnia evidenter Deum dedecent.

(b) *Nuntii* novæ revelationis fide minime digni sunt, cum omnes aliquando fraudis rei aperte inventi sint [2].

(c) *Facta majora* quibus doctrinam probare conantur, ut apparitiones, productio ectoplasmatis, hucusque minime constant. Patrata sunt enim in circumstantiis (in tenebris, sub duplici velo nigro [3]), quæ observationem vere scientificam impossibilem reddebant : quotiescumque autem strictiores conditiones exigebantur, vel fraus detegebatur, vel nihil evenit, vel nulla conclusio de realitate facti inferri poterat [4].

(d) Aliquot *facta minora*, ut ictus in parietem, vel a mensis perculsi [5], forsan naturaliter explicari possunt, scilicet *telepathia*, seu possibilitate mentis humanæ ad extra agendi. Si tamen constarent phænomena quæ naturaliter explicari non possent, recurrendum esset non ad actionem Dei (a quo spiritismus nullo modo procedere potest, propter supra dicta), vel mortuorum (qui a Deo pendent et naturaliter nobiscum conversari nequeunt [6]), sed ad actionem dæmonis [7].

1045. Conclusio : *Spiritismus ergo non est revelatio fide digna.* Cum autem ejus doctrina et experimenta maxime animos et corpora perturbent, cumque fraudi, errori et forsan dæmonis actioni viam pandant, sapientissime Ecclesia catholica fideles suos ab his exercitationibus amovet; peritis tamen phænomena *naturalia*, plus minusve extraordinaria et spiritismo affinia, prudenter investiganda relinquit [8].

---

vant, réponde dans un sens qui est déterminé par les secrètes pensées et la secrète attente des personnes qui la touchent? C'est ce qui nous échappe et peut-être nous échappera toujours. Mais peut-on affirmer que cela dépasse les forces de la nature? "

[1] Cf. **Roure,** *l. c.*, p. 241-243; 338-339.

[2] Cf. **Mainage,** p. 75 seq.; **Roure,** *Le merveilleux spirite*, p. 48-49; 50-54; 80-83 etc.; **Id.,** *Le spiritisme...*, p. 145-149. — [3] Cf. **Mainage,** p. 65 seq.

[4] Cf. opera **Luciani Roure; Ch. Nordmann,** l. c.; **Heuzé,** II.

[5] Cf. **Mainage,** p. 87.

[6] " Si les morts pouvaient librement communiquer avec les vivants, d'où vient qu'ils useraient si peu de ce pouvoir? Il y a dans les régions de l'au-delà tant de mères, de filles, d'épouses qui savent avec quel transport un mot, un signe de leur part serait reçu ici-bas. Si les communications sont si rares, c'est qu'elles dépendent de la volonté de Dieu ". **Roure,** *Le spiritisme*, p. 119. Admittit auctor (et nos cum eo), in aliquibus casibus Deum miraculose apparitionem mortui permisisse : sed spiritismus contendit apparitiones defunctorum esse frequentes, immo quotidianas; quod Ecclesia catholica merito reprobat ut Deum dedecens.

[7] Cf. **Roure,** *Ib.*, p. 121; **Id.,** *Le merveilleux spirite*, p. 336-337.

[8] Cf. **D. B.,** 1653, 1654, 2182. — **P. Mainage,** p. 176, sic doctrinam Ecclesiæ

II. De Theosophia [1].

1046. 1° *Theosophiæ origo.* Contendunt quidem theosophi doctrinam suam usque ad initium temporum ascendere eamque per diversos Magistros secreto usque ad nos transmissam esse. Sed revera fundatrices hujus religionis fuerunt duæ feminæ, scilicet *Helena Petrovna de Hahn*, magistro militum *Blavatski* nupta, et *Annie Wood*, ministro anglico *Besant* conjugato. Prior, in Russia anno 1831 nata, in America spiritismo initiata, mox in India ex diversis *occultistarum* libris doctrinam hausit. Cooperante viro nomine *Olcott*, societatem *theosophicam* instituit (1875) et doctrinam suam in plurimis libris (præsertim *Isis revelata*, *Doctrina secreta*, *Clavis theosophiæ*) evulgavit. *Annie Besant*, anno 1847 in Anglia nata, a materialismo ad theosophiam conversa, adjuvante *C. W. Leadbeater*, gubernationem societatis theosophistæ ab anno 1895 suscepit. In oppido Adyar in India residens, innumeros libros conscripsit, et multis itineribus totum fere orbem perlustrans, discipulos quæsivit.

1047. Societas theosophica circa 25.000 discipulorum ante bellum complectebatur [2]; sed multo plures hodie computat; sat multis diariis suas elucubrationes diffundebat, quorum in Gallia majus est *Le lotus bleu*, nunc *Revue théosophique française* nuncupatum.

Gubernante A. Besant, plura *schismata* in societate evenerunt, quorum majus in Germania ortum habuit, dum *Rodolphus Steiner* a theosophia secessit et *anthroposophiam* instituit [3], quæ doctrinis occidentalibus (partim christianis) majorem partem reservabat et a societate secreta Rosicrucianorum cæremonias initiationis mutuata est. Hanc doctrinam in Galliam diffudit præsertim *Ed. Schuré*. Steineristæ affirmant anno 1914 jam 4.000 homines doctrinam suam [4] amplexos fuisse. Theosophi, sive unius sive alius obser-

---

contrahit : " L'Eglise ne se prononce pas sur l'essence des phénomènes spirites; l'Eglise défend au commun des fidèles de se livrer aux expériences spirites; l'Eglise soupçonne, dans les manifesfations spirites, l'intervention accidentelle des puissances diaboliques ".

[1] **René Guénon,** *Le théosophisme*, Paris, 1921; **Th. Mainage,** *Les principes de la théosophie*, 3e éd., Paris 1922; **A. Girard,** *Théosophie et théosophisme*, in *R. A.*, 1er et 15 mars, 1er mai, 1er juin 1923; **L. de Grandmaison,** *La nouvelle théosophie*, Paris (collect. " Studia pacis) : vide ib., p. 55, bibliographiam magis completam; **G. Busnelli,** *Théologie et théosophie* in *Document. cathol.* 10-17 sept. 1921. — [2] **Guénon,** l. c.; p. 301.

[3] Hoc schisma præsertim ortum duxit ex eo quod *A. Besant* juvenem quemdam, nomine *Krishnamurti* (vel *Alcyone*), tanquam futurum *Messiam (Matraya)* imponere voluit!

[4] **Guénon,** l. c., p. 225. Numerus a fine belli certo crevit. Idem dic de theosophis proprie dictis.

vantiæ, sua templa habent, et sæpe, ad normam societatum secretarum, conventus *(Loges)* constituunt quibus soli initiati assistunt.

1048. 2° **Theosophistarum doctrinæ** [1]. Theosophistæ doctrinam suam, ut aiunt, a sapientibus Magistris Thibeti *(Mahatmas)* acceperunt, et contendunt eam ab origine temporum per *Initiatos* secrete et constanter traditam esse : nihil aliud est nisi forma quædam *pantheismi*, aliquot elementis *christianæ doctrinæ* et recentioris *evolutionis* theoria permixta.

(a) Ab origine existit *Ens Unum*, quod concipere nequimus; hoc autem sese diffundit in *plura centra conscientiæ*, quæ *Ishvara*, *Logos*, vel *Deus* vocantur, unum pro quocumque systemate cosmico existente. Hæc centra quasi triplici ductu (*Brahma*, *Vishnu* et *Mahadeva*) *mundum* producunt, non quidem creatione, sed *emanatione*, cooperantibus diversis principiis et elementis. Mundus septem constat *regionibus*, in septem partes divisis, quarum materialitas magis ac magis crescit. Mundus totus a materia ad statum divinum evolvit, usque dum ad Unitatem regressus, novam evolutionem rursus incipiat.

(b) *Homo* ipse, longa evolutione ortus, septuplici elemento constat, corpore physico; corpore etherico; corpore astrali; corpore mentali inferiori; corpore mentali superiori; corpore budhistico seu beato; corpore nirvanico, quocum nirvana ingredimur. Homo cum mundo evolvit, de statu imperfecto ad perfectiorem statum progrediens, et tandem ad *Unum* rediens. Hoc autem per unam vitam effici nequit : unde necessaria est *reincarnatio*. Post mortem, solutis imis corporibus, homo per aliquot tempus purificatur; mox ad locum *devakhan* vocatum transit, ibique experientias vitæ antecedentis sibi incorporat, donec ad novam existentiam transeat. Hic transitus necessarius redditur vi causalitatis moralis (*Karma* [2]), secundum quam omnes actus retributionem accipiunt. Hæc autem transmigratio cessat quando homo, ad perfectionem evolutus, elementis inferioribus consumptis, *Nirvana* ingreditur, ubi Enti Uno incorporatur. Humanitas, in præsenti conditione, vix dimidiam partem evolutionis perfecit; pauci tamen, munere Messiæ vel Magistrorum functi in decursu temporum, ad perfectiorem statum jam pervenerunt.

(c) *Ethica* pauca præcepta complectitur. *Omnibus* commendatur præsertim benevolentia erga omnia entia, quæ cuncta ad Unitatem tendunt; *perfectis* autem contemplatio vel mentis con-

[1] Doctrinam orthodoxam sectæ hic exponimus; huic affinis est doctrina Steineriana.

[2] Cf. *Budhismum*, supra n. 522.

centratio necnon abstinentia, quarum ope conscii esse possint se ad *Unitatem* redire, et ita suam evolutionem quantocius perficere.

(d) *Motiva credibilitatis* allata, sunt : *revelationes* a *Mahatmas* acceptæ, *phænomena mira* producta, et præsertim *excellentia doctrinæ*, quæ consolationem afflictis præbet, et inæqualitates sociales explicat evolutione plus minusve perfecta cujuslibet hominis. Contendunt theosophistæ suam doctrinam *omnes religiones transgredi*, immo et *complecti quidquid in eis veri invenitur*.

1049. 3° **Theosophiæ critica.** Theosophia nullo modo christianismo æquiparari potest, nec ut vera revelatio haberi. Etenim :

(a) *Revelationes* a *Mahatmas* transmissæ *fabulæ sunt* a fundatoribus excogitatæ : Mahatmæ enim numquam exstiterunt, et theoriæ ipsis attributæ e diversis libris *occultistarum* antecedentium [1], vel e diversis Indiæ libris sacris desumptæ sunt.

(b) *Fundatrices* minime sunt vita sua commendabiles. *H. Blavatski* sæpius fraude usa est, ut ex scientifica investigatione demonstratum est [2]; ipsa et *A. Besant* maritos suos deseruere. Denique adjutor hodiernæ directricis, nempe *Leadbeater*, vix moribus integer declarari potest [3].

(c) *Doctrina ipsa a priori* excogitata est vel ex Indiæ libris mutuata, sicut multa systemata philosophica quibus plus minusve affinis est. Hæc autem doctrina *certo falsa est*, proindeque revelata dici nequit. Etenim : 1) Nihil aliud est nisi *pantheismus* emanatista et materialista : atqui omnis doctrina Deum Infinitum materiæ finitæ æquiparans, sibi ipsi contradicit et falsa est. 2) *Reincarnatio* falso affirmatur, cum sane major ac sanior pars hominum minime conscia sit se antea exstitisse; *moraliter* autem est valde *periculosa*, quia deterret a præsenti conatu, spe emendationis in altera vita et universalis instaurationis. 3) *Legem moralem destruit*, *libertatem negando*, et omnia evolutioni necessariæ subjiciendo. 4) *Consolationem veram non affert*, cum per reditum ad Unum, *personalis* immortalitas negetur. 5) Animadvertimus tandem dolorem et sociales inæqualitates doctrina christiana melius explicari, quam cæca mundi evolutione [4].

Patet igitur præfatos errores non posse cum catholica religione consociari, quidquid in contrarium dicant quædam mulierculæ [5].

---

[1] Cf. **Guénon**, l. c., ch. IX. — [2] *Ib.*, p. 63, 71, 74, 79.

[3] Cf. **de Grandmaison**, l. c., p. 44.

[4] Ampliorem et profundiorem confutationem vide apud **Mainage**, *l. c.*, ch. IV-VIII.

[5] Cfr. **D. D. Jansens**, *Peut-on être à la fois chrétien et théosophe?* Paris 1923.

III. De Christiana scientia (christian science).[1]

1050. 1° **Origo.** *Mary Baker*, (1821-1911) magis nota sub nomine *Mary Eddy* hujus sectæ fundatrix fuit. Pluries in matrimonio tradita, unius ex suis maritis ope, *Quimby* nomine, a *morbo nervoso* sanata, ex scriptis hujus sanatoris, doctrinam novam exstruxit, quam anno 1875 in libro *Scientia et sanitas* ut veram formam christianismi moderni exposuit; in America præsertim, sat multos discipulos habuit. Anno quo mortua est institutrix, scientistarum secta 85.000 fideles annumerabat, in 668 ecclesias distributos.

1051. 2° **Doctrina,** in libro supradicto fundatricis et in multis *periodicis* exposita [2], ad *pantheismum* reducitur. Cum Deus omnia in se includat, *malum non existit*, et nihil aliud est quam *illusio sensus* mortalis, vel conscientiæ. Veritas ergo exigit ut *fide* nos a tam damnoso errore liberemus, et morbum, malum et mortem ipsam superemus. Ad hanc victoriam nos Christus suo exemplo inducit. Paulatim, progressiva conscientiæ educatione, omne malum e terra evanescet : Jerusalem nova tunc in orbe instituetur, qualis a prophetis prænuntiata est.

1052. 3° **Critica scientismi.** Ex præcedenti expositione jam facile confutatur hujusmodi systema. *A Deo certe revelatum non est :* 1) *fundatrix* nec sanctitate, nec miraculorum dono illud confirmavit : aliquæ sanationes morborum nervosorum suggestione facile explicantur (supra, n. 272). 2) *Doctrina tradita falsa est :* nam idealismum pantheisticum docet, dolorem ut non existentem considerat, de ethica parum curat, et fidem ut vim psychologicam naturalem exhibet. Evidenter *a doctrina Christi absolute aliena est :* Christus dolores humanos sublevavit, minime autem tanquam meram hallucinationem negavit.

Conclusio. Isti pessimi errores facile accipiuntur ab iis qui, veram religionem ignorantes, superstitioni indulgent, præsertim a mulierculis quæ imaginationem et sensibilitatem potius quam rationem sequuntur. Sedulo itaque curent sacerdotes ne simplices falsis prophetis decipiantur, catholicam religionem indesinenter in catechismis et prædicationibus integram docendo; et ita *fulgebunt in perpetuas æternitates.*

---

[1] **L. Roure.** *La "christian Science" ou L'Eglise scientiste*, in *Etudes*, 5-20 avril 1922; **H. Ollion,** *Christian science* in *R. P. A.*, 1 avril 1918.

[2] Periodicum gallicum "*La science et la vie*" aliquando doctrinis scientistis favit.

DOCUMENTA

I. Series Conciliorum œcumenicorum

I	Nicænum I.	325	Silvester.	*Divinitas Verbi contra Arianos.*
II	Constantinop. I.	381	Damasus.	*Divinitas Spiritus S. contra Macedonianos.*
III	Ephesinum.	431	Cælestinus.	*Mariæ divina maternitas contra Nestorium.*
IV	Chalcedonense.	451	Leo M.	*Duæ naturæ in Xto contra Eutychianos.*
V	Constantinop. II.	553	Vigilius.	*Damnatur Theodorus Mopsuestenus.*
VI	Constantinop. III.	680-81	Agatho. / Leo II.	*Duplex operatio in Xto contra Monothelitas.*
VII	Nicænum II.	787	Hadrianus I.	*Damnantur Iconoclastæ.*
VIII	Constantinop. IV.	869-70	Hadrianus II.	*Damnatur Photius.*
IX	Lateranense I.	1123	Callistus II.	*Controversia de investituris composita.*
X	Lateranense II.	1139	Innocentius II.	*Arnaldus Brixiensis damnatur.*
XI	Lateranense III.	1179	Alexander III.	*Damnantur Cathari.*
XII	Lateranense IV.	1215	Innocentius III.	*Damnantur Joachim, Albigenses, etc.*
XIII	Lugdunense I.	1245	Innocentius IV.	*Damnatur Fredericus II.*
XIV	Lugdunense II.	1274	Gregorius X.	*Græci in communionem recepti.*
XV	Viennense.	1311	Clemens V.	*Damnantur Dulciniani.*
XVI[1]	Constantiense.	1414-18	Martinus V.	*Damnantur Wicleff, Huss, etc.*
XVII[2]	Florentinum.	1438-45	Eugenius IV.	*Græci, Armeni, Jacobitæ in Ecclesiam recepti.*
XVIII	Lateranense V.	1512-17	Julius II. / Leo X.	*Improbati errores de anima.*
XIX	Tridentinum.	1545-63	Paulus III. (*voc.*) / Pius IV. (*dimittit*)	*Damnantur errores Protestantium.*
XX	Vaticanum.	1869-70	Pius IX.	*Definitur R. Pontificis infallibilitas.*

[1] In hoc Concilio, ultimæ sessiones tantum (XLII-XLV), quæ Martino V præsidente habitæ sunt, dici possunt œcumenicæ; sessionum tamen præcedentium nonnulla decreta postea Martinus V approbavit.

[2] Concilii *Basileensis* (1431 sq.) tria decreta tantum Eugenius IV approbavit; cum autem translatum fuerit (an. 1438) *Ferrariam*, et postea (an. 1439) *Florentiam*, vere factum est œcumenicum.

II. Conc. Vaticani, 1869-1870 [1]

SESSIO III, 24 APRILIS 1870.

Constitutio dogmatica de Fide Catholica.

Procœmium.

Dei Filius et generis humani Redemptor Dominus Noster Jesus Christus, ad Patrem cælestem rediturus, cum Ecclesia sua in terris militante, omnibus diebus usque ad consummationem sæculi futurum se esse promisit. Quare dilectæ sponsæ præsto esse, adsistere docenti, operanti benedicere, periclitanti opem ferre nullo unquam tempore destitit. Hæc vero salutaris ejus providentia, cum ex aliis beneficiis innumeris continenter apparuit, tum iis manifestissime comperta est fructibus, qui orbi christiano e Conciliis œcumenicis ac nominatim e Tridentino, iniquis licet temporibus celebrato, amplissimi provenerunt. Hinc enim sanctissima religionis dogmata pressius definita uberiusque exposita, errores damnati atque cohibiti; hinc ecclesiastica disciplina restituta firmiusque sancita, promotum in Clero scientiæ et pietatis studium, parata adolescentibus ad sacram militiam educandis collegia, christiani denique populi mores, et accuratiore fidelium eruditione et frequentiore sacramentorum usu instaurati. Hinc præterea arctior membrorum cum visibili Capite communio, universoque corpori Christi mystico additus vigor; hinc religiosæ multiplicatæ familiæ, aliaque christianæ pietatis instituta; hinc ille etiam assiduus et usque ad sanguinis effusionem constans ardor in Christi regno late per orbem propagando.

Verumtamen hæc aliaque insigna emolumenta, quæ per ultimam maxime œcumenicam Synodum divina clementia Ecclesiæ largita est, dum grato, quo par est, animo recolimus; acerbum compescere haud possumus dolorem ob mala gravissima inde potissimum orta, quod ejusdem sacrosanctæ Synodi apud permultos vel auctoritas contempta, vel sapientissima neglecta fuere decreta.

Nemo enim ignorat, hæreses, quas Tridentini Patres proscripserunt, dum, rejecto divino Ecclesiæ magisterio, res ad religionem spectantes privati cujusvis judicio permitterentur, in sectas paulatim dissolutas esse multiplices, quibus inter se dissentientibus et concertantibus, omnis tandem in Christum fides apud non paucos labefactata est. Itaque ipsa sacra Biblia, quæ antea christianæ doctrinæ unicus fons et judex asserebantur, jam non pro divinis haberi, immo mythicis commentis accenseri cœperunt.

[1] Numeri marginales ii sunt quibus utitur **Denzinger-Bannwart**, ed. 15ª.

Tum nata est et late nimis per orbem vagata illa rationalismi seu naturalismi doctrina, quæ religioni christianæ utpote supernaturali instituto per omnia adversans, summo studio molitur, ut Christo, qui solus Dominus et Salvator noster est, a mentibus humanis, a vita et moribus populorum excluso, meræ quod vocant rationis vel naturæ regnum stabiliatur. Relicta autem projectaque christiana religione, negato vero Deo et Christo ejus, prolapsa tandem est multorum mens in pantheismi, materialismi, atheismi barathrum, ut jam ipsam rationalem naturam, omnemque justi rectique normam negantes, ima humanæ societatis fundamenta diruere connitantur.

Hac porro impietate circumquaque grassante, infeliciter contigit, ut plures etiam e catholicæ Ecclesiæ filiis a via veræ pietatis aberrarent, in iisque, diminutis paulatim veritatibus, sensus catholicus attenuaretur. Variis enim ac peregrinis doctrinis abducti, naturam et gratiam, scientiam humanam et fidem divinam perperam commiscentes, genuinum sensum dogmatum, quem tenet ac docet sancta mater Ecclesia, depravare, integritatemque et sinceritatem fidei, in periculum adducere comperiuntur.

Quibus omnibus perspectis, fieri qui potest, ut non commoveantur intima Ecclesiæ viscera? Quemadmodum enim Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire; quemadmodum Christus venit, ut salvum faceret quod perierat, et filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum : ita Ecclesia, a Deo populorum mater et magistra constituta, omnibus debitricem se novit, ac lapsos erigere, labantes sustinere, revertentes amplecti, confirmare bonos et ad meliora provehere parata semper et intenta est. Quapropter nullo tempore a Dei veritate, quæ sanat omnia, testanda et prædicanda quiescere potest, sibi dictum esse non ignorans : Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, amodo et usque in sempiternum [1].

Nos itaque, inhærentes Prædecessorum Nostrorum vestigiis, pro supremo Nostro Apostolico munere veritatem catholicam docere ac tueri, perversasque doctrinas reprobare nunquam intermisimus. Nunc autem, sedentibus Nobiscum et judicantibus universi orbis 1781
Episcopis, in hanc œcumenicam Synodum auctoritate Nostra in Spiritu Sancto congregatis, innixi Dei verbo scripto et tradito, prout ab Ecclesia catholica sancte custoditum et genuine expositum accepimus, ex hac Petri cathedra in conspectu omnium salutarem Christi doctrinam profiteri et declarare constituimus, adversis erroribus potestate nobis a Deo tradita proscriptis atque damnatis.

[1] *Is.*, LIX, 21.

CAP. I. De Deo rerum omnium creatore.

1782 1. [1] Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum cæli et terræ, omnipotentem, æternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum; qui, cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, prædicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia, quæ præter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus.

1783 2. Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute, non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quæ creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam [2].

1784 3. Universa vero, quæ condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter [3]. Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus [4], ea etiam, quæ libera creaturarum actione futura sunt.

CAP. II. De revelatione.

1785 4. Eadem sancta mater Ecclesia tenet et docet, Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanæ rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse; invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur [5] : attamen placuisse ejus sapientiæ et bonitati, alia, eaque supernaturali via se ipsum ac æterna voluntatis suæ decreta humano generi revelare, dicente Apostolo : Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis : novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio [6].

1786 5. Huic divinæ revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quæ in rebus divinis humanæ rationi per se impervia non sunt, in præsenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore, cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quæ humanæ mentis intelligentiam omnino superant; siquidem oculus non vidit, nec auris

---

[1] Paragraphos numeris 1, 2, 3, etc., distinguimus, quo facilius magistri suos discipulos ad varias partes decretorum remittant.

[2] *Conc. Later. IV*, c. 1. *Firmiter.* — [3] *Sap.*, VIII, 1. — [4] Cfr. *Hebr.*, IV, 13.

[5] *Rom.*, I, 20. — [6] *Hebr.*, I, 1-2.

audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum [1].

6. Hæc porro supernaturalis revelatio, secundum universalis 1787
Ecclesiæ fidem, a sancta Tridentina synodo declaratam, continetur in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt [2]. Qui qui dem veteris et novi Testamenti libri, integri cum omnibus suis partibus, prout in ejusdem Concilii decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant : sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiæ traditi sunt.

7. Quoniam vero, quæ sancta Tridentina Synodus de interpreta- 1788
tione divinæ Scripturæ ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos, idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, is pro vero sensu sacræ Scripturæ habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari.

CAP. III. De fide.

8. Cum homo a Deo, tanquam Creatore et Domino suo, totus 1789
dependeat, et ratio creata increatæ Veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide præstare tenemur. Hanc vero fidem, quæ humanæ salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest. Est enim fides, testante Apostolo sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium [3].

9. Ut nihilominus fidei nostræ obsequium rationi consentaneum 1790
esset, voluit Deus, cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa jungi revelationis suæ argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias; quæ, cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinæ revelationis signa sunt

[1] *I Cor.*, II, 9. — [2] *Conc. Trid.*, sess. IV, Decr. de Can. Script.
[3] *Hebr.*, XI, 1.

certissima et omnium intelligentiæ accommodata. Quare tum Moyses et Prophetæ, tum ipse maxime Christus Dominus multa et manifestissima miracula et prophetias ediderunt; et de Apostolis legimus : Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis [1]. Et rursum scriptum est : Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco [2].

1791 10. Licet autem fidei assensus nequaquam sit motus animi cæcus, nemo tamen evangelicæ prædicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati [3]. Quare fides ipsa in se, etiamsi per charitatem non operetur, donum Dei est, et actus ejus est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam præstat ipsi Deo obedientiam, gratiæ ejus, cui resistere posset, consentiendo et cooperando.

1792 11. Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive sollemni judicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata credenda proponuntur.

1793 12. Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire; ideo nemini unquam sine illa contigit justificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam æternam assequetur. Ut autem officio veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suæque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tanquam custos et ma-
1794 gistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quæ ad evidentem fidei Christianæ credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile.

13. Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes [4], et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur. Cui quidem testimonio efficax subsidium accedit ex superna virtute. Etenim benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat atque adjuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possint; et eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens, nisi deseratur. Quo-

[1] *Marc.*, XVI, 20. — [2] *II Petr.*, I, 19.
[3] *Syn. Araus. II*, can. 7. — [4] *Is.*, XI, 12.

circa minime par est conditio eorum, qui per cæleste fidei donum catholicæ veritati adhæserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis, falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiæ magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt justam causam mutandi, aut in dubium fidem eamdem revocandi. Quæ cum ita sint, gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, tantam ne negligamus salutem, sed aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem.

CAP. IV. De fide et ratione.

14. Hoc quoque perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit 1795
et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed objecto etiam distinctum : principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; objecto autem, quia præter ea, ad quæ naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quæ, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt. Quocirca Apostolus, qui a gentibus Deum per ea, quæ facta sunt, cognitum esse testatur, disserens tamen de gratia et veritate, quæ per Jesum Christum facta est [1], pronuntiat : Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus sæculi cognovit : nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum : Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei [2]. Et ipse Unigenitus confitetur Patri, quia abscondit hæc a sapientibus, et prudentibus, et revelavit ea parvulis [3].

15. Ac ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie 1796
quærit aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quæ naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo; nunquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quæ proprium ipsius objectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino : per fidem enim ambulamus, et non per speciem [4].

16. Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam 1797
inter fidem et rationem vera dissensio esse potest : cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano ratio-

[1] *Joan.*, I, 17. — [2] *I Cor.*, II, 7-9.
[3] *Matth.*, XI, 25. — [4] *II Cor.*, V, 7.

nis lumen indiderit, Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiæ intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam, omnino falsam esse defi-
1798 nimus [1]. Porro Ecclesia, quæ una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit fidei depositum custodiendi, jus etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam, et inanem fallaciam [2]. Quapropter omnes Christiani fideles hujusmodi opiniones, quæ fidei doctrinæ contrariæ esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatæ fuerint, non solum prohibentur tanquam legitimas scientiæ conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem præ se ferant, habere tenentur omnino.

1799 17. Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturæ obsistat, ut hanc multis modis juvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur immo, eas, quemadmodum a Deo, scientiarum Domino, profectæ sunt, ita si rite pertractentur, ad Deum, juvante ejus gratia, perducere. Nec sane ipsa vetat, ne hujusmodi disciplinæ in suo quæque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed justam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinæ doctrinæ repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressæ, ea, quæ sunt fidei, occupent et perturbent.

1800 18. Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est, humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum Christi Sponsæ tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu, altioris intelligentiæ specie et nomine, recedendum. "Crescat igitur... et multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiæ, ætatum ac sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia" [3].

---

[1] *Conc. Lat. V*, Bulla *Apostolici regiminis*.
[2] *Coloss.*, II, 8.
[3] **Vinc. Lir.**, *Common.*, n. 28, *P. L.*, L, 668.

CANONES.

I. De Deo, rerum omnium creatore.

1. Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit; anathema sit. 1801

2. Si quis præter materiam nihil esse affirmare non erubuerit; anathema sit. 1802

3. Si quis dixerit, unam eamdemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam; anathema sit. 1803

4. Si quis dixerit, res finitas, tum corporeas tum spirituales, aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse; 1804

aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia;

aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem, in genera, species, et individua distinctam; anathema sit.

5. Si quis non confiteatur, mundum, resque omnes, quæ in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas; 1805

aut Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum;

aut mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit; anathema sit.

II. De revelatione.

1. Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quæ facta sunt, naturali rationis humanæ lumine certo cognosci non posse; anathema sit. 1806

2. Si quis dixerit, fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo, cultuque ei exhibendo edoceatur; anathema sit. 1807

3. Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem, quæ naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem jugi profectu pertingere posse et debere; anathema sit. 1808

4. Si quis sacræ Scripturæ libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit; anathema sit. 1809

III. De fide.

1. Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit; anathema sit. 1810

2. Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non 1811

requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur; anathema sit.

1812 3. Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere; anathema sit.

1813 4. Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianæ originem rite probari; anathema sit.

1814 5. Si quis dixerit, assensum fidei christianæ non esse liberum, sed argumentis humanæ rationis necessario produci; aut ad solam fidem vivam, quæ per charitatem operatur, gratiam Dei necessariam esse; anathema sit.

1815 6. Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici justam causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiæ magisterio jam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suæ absolverint; anathema sit.

IV. De ratione et fide.

1816 1. Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari; anathema sit.

1817 2. Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinæ revelatæ adversentur, tanquam veræ retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint; anathema sit.

1818 3. Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiæ, sensus tribuendus sit alius ab eo quem intellexit et intelligit Ecclesia; anathema sit.

1819 Itaque supremi pastoralis Nostri officii debitum exsequentes, omnes Christi fideles, maxime vero eos, qui præsunt vel docendi munere funguntur, per viscera Jesu Christi obtestamur, nec non ejusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate jubemus, ut ad hos errores a Sancta Ecclesia arcendos et eliminandos, atque purissimæ fidei lucem pandendam, studium et operam conferant.

1820 Quoniam vero satis non est, hæreticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt; omnes officii monemus, servandi etiam Constitutiones et Decreta, quibus pravæ ejusmodi opiniones, quæ isthic diserte non enumerantur, ab hac sancta Sede proscriptæ et prohibitæ sunt.

Constitutio dogmatica prima de Ecclesia Christi.

SESSIO IV, 18 JULII 1870.

Proœmium.

Pastor æternus et Episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum 1821
redemptionis opus perenne redderet, sanctam ædificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et caritatis vinculo continerentur. Quapropter, priusquam clarificaretur, rogavit Patrem non pro Apostolis tantum, sed et pro eis qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt [1]. Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit, sicut ipse missus erat a Patre : ita in Ecclesia sua Pastores et Doctores usque ad consummationem sæculi esse voluit. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohærentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum Petrum ceteris Apostolis præponens, in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cujus fortitudinem æternum exstrueretur templum, et Ecclesiæ cælo inferenda sublimitas in hujus fidei firmitate consurgeret [2]. Et quoniam portæ inferi ad evertendam, si fieri posset, Ecclesiam, contra ejus fundamentum divinitus positum majori in dies odio undique insurgunt; Nos ad catholici gregis custodiam, incolumitatem, augmentum, necessarium esse judicamus, sacro approbante Concilio, doctrinam de institutione, perpetuitate, ac natura sacri Apostolici primatus, in quo totius Ecclesiæ vis ac soliditas consistit, cunctis fidelibus credendam et tenendam, secundum antiquam atque constantem universalis Ecclesiæ fidem, proponere, atque contrarios, dominico gregi adeo perniciosos errores proscribere et condemnare.

CAP. I. De Apostolici primatus in beato Petro institutione.

1. Docemus itaque et declaramus, juxta Evangelii testimonia, pri- 1822
matum jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse. Unum enim Simonem, cui jam pridem dixerat : Tu vocaberis Cephas [3], postquam ille suam edidit confessionem inquiens : Tu es Christus, Filius Dei vivi, sollemnibus his verbis

[1] Cfr. *Joan.*, XVIII, 1, 20 et seq.
[2] **S. Leo M.**, serm. IV de natali ipsius, c. 2, *P. L.*, LIV, 150.
[3] *Joan.*, I, 42.

allocutus est Dominus : Beatus es, Simon Bar-Jona : quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est; et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam : et tibi dabo claves regni cælorum : et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis : et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis [1]. Atque uni Simoni Petro contulit Jesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris jurisdictionem in totum suum ovile, dicens : Pasce agnos meos; pasce oves meas [2]. Huic tam manifestæ sacrarum Scripturarum doctrinæ, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur pravæ eorum sententiæ qui, constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes, negant solum Petrum præ ceteris Apostolis, sive seorsum singulis sive omnibus simul, vero proprioque jurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum; aut qui affirmant eumdem primatum non immediate, directeque ipsi beato Petro, sed Ecclesiæ; et per hanc illi ut ipsius Ecclesiæ ministro delatum fuisse.

1823 2. (*Canon*) Si quis igitur dixerit beatum Petrum Apostolum a Christo Domino constitutum non esse Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiæ militantis visibile caput; vel eumdem honoris tantum, non autem veræ propriæque jurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et immediate accepisse, anathema sit.

CAP. II De perpetuitate primatus beati Petri in Romanis Pontificibus.

1824 3. Quod autem in beato Apostolo Petro, princeps pastorum et pastor magnus ovium, Dominus Christus Jesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiæ instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quæ fundata super petram ad finem sæculorum usque firma stabit, jugiter durare necesse est. Nulli sane dubium, immo sæculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiæ catholicæ fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit : qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, episcopis sanctæ Romanæ Sedis, ab ipso fundatæ, ejusque consecratæ sanguine, vivit et præsidet et judicium exercet [3]. Unde quicumque in hac Cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petræ perseverans

[1] *Matth.*, XVI, 18-19. — [2] *Joan.*, XXI, 15-17.
[3] Cfr. *Ephesini* Concilii Act. III.

suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit[1]. Hac de causa ad Romanam Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem necesse semper fuit omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles[2], ut in ea Sede, e qua venerandæ communionis jura[3] in omnes dimanant, tamquam membra in capite consociata, in unam corporis compagem coalescerent.

4. (*Canon*) Si quis ergo dixerit non esse ex ipsius Christi Domini 1825
institutione seu jure divino ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores, aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem; anathema sit.

CAP. III. De vi et ratione primatus Romani Pontificis.

5. Quapropter apertis innixi sacrarum litterarum testimoniis, et 1826
inhærentes tum Prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum, tum conciliorum generalium disertis perspicuisque decretis, innovamus œcumenici concilii Florentini definitionem, qua credendum ab omnibus Christifidelibus est, sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur.

6. Docemus proinde et declaramus, Ecclesiam Romanam, dispo- 1827
nente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis jurisdictionis potestatem, quæ vere episcopalis est, immediatam esse : erga quam cujuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicæ subordinationis, veræque obedientiæ obstringuntur, non solum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent; ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Hæc est catholicæ veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest.

7. Tantum autem abest, ut hæc Summi Pontificis potestas officiat 1828

[1] **S. Leo M.**, serm. III de natali ipsius, c. 3. *P. L.*, LIV, 146,
[2] **S. Iren.**, *Adv. hæres.*, l. III, c. 3, *P. G.*, VII, 946.
[3] **S. Ambros.**, Ep. II, n. 4. *P. L.*, XVI, 946.

ordinariæ ac immediatæ illi episcopalis jurisdictionis potestati, qua episcopi qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tanquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud sancti Gregorii Magni [1]: Meus honor est honor universalis Ecclesiæ. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur.

1829 8. Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam jus eidem esse consequitur, in hujus sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiæ, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eamdem reddunt sæculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quæ ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiæ constituuntur, vim ac valorem non habere nisi potestatis sæcularis placito confirmentur.

1830 9. Et quoniam divino Apostolici primatus jure Romanus Pontifex universæ Ecclesiæ præest, docemus etiam et declaramus, eum esse judicem supremum fidelium [2], et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse judicium recurri [3], Sedis vero Apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio [4]. Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant licere a judiciis Romanorum Pontificum ad Œcumenicum concilium tanquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare.

1831 10. (*Canon*) Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremæ potestatis; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.

---

[1] *Ep. ad Eulog.*, ep. Alex., lib. VIII, c. 30, *P. L.*, LXXVII, 933.
[2] **Pii P. VI,** Breve *Super soliditate,* 28 Nov. 1786.
[3] Conc. Œcum. *Lugdun. II.*
[4] Ep. **Nicolai I** ad Michaelem Imper.

CAP. IV. De Romani Pontificis infallibili magisterio.

11. Ipso autem Apostolico primatu, quem Romanus Pontifex tanquam Petri principis Apostolorum successor in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendi, hæc Sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiæ usus comprobat, ipsaque Œcumenica concilia, ea imprimis, in quibus Oriens cum Occidente in fidei caritatisque unionem conveniebat, declaraverunt. Patres enim Concilii Constantinopolitani quarti, majorum vestigiis inhærentes, hanc sollemnem ediderunt professionem : Prima salus est, rectæ fidei regulam custodire. Et quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia dicentis : Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab hujus ergo fide et doctrina separari minime cupientes, speramus, ut in una communione, quam Sedes Apostolica prædicat, esse mereamur, in qua est integra et vera Christianæ religionis soliditas [1]. Approbante vero Lugdunensi Concilio secundo, Græci professi sunt : Sanctam Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit; et sicut præ ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri. Florentinum denique concilium definivit : Pontificem Romanum, verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. 1832 1833 1834 1835

12. Huic pastorali muneri ut satisfacerent, Prædecessores Nostri indefessam semper operam dederunt, ut salutaris Christi doctrina apud omnes terræ populos propagaretur, parique cura vigilarunt, ut, ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur. Quocirca totius orbis Antistites nunc singuli, nunc in synodis congregati, longam Ecclesiarum consuetudinem et antiquæ regulæ formam sequentes, ea præsertim pericula, quæ in negotiis fidei emergebant, ad hanc Sedem Apostolicam retulerunt, ut ibi potissimum resarcirentur damna fidei, ubi fides non potest sentire defectum [2]. Romani 1836

[1] Ex formula S. Hormisdæ Papæ, prout ab Hadriano II, Patribus Conc. Œcum. VIII (Constantinop. IV) proposita et ab iisdem subscripta est.

[2] Cf. **S. Bernard.**, ep. CXC, *P. L.*, CLXXXII, 1053.

autem Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis œcumenicis conciliis aut explorata Ecclesiæ per orbem dispersæ sententia, nunc per synodos particulares, nunc aliis, quæ divina suppeditabat providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt, quæ sacris Scripturis et apostolicis Traditionibus consentanea, Deo adjutore, cognoverant. Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent. Quorum quidem apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt; plenissime scientes, hanc sancti Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum suorum principi factam : Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

1837 13. Hoc igitur veritatis et fidei nunquam deficientis charisma Petro ejusque in hac Cathedra successoribus divinitus collatum est, ut excelso suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus, cælestis doctrinæ pabulo nutriretur, ut, sublata schismatis occasione, Ecclesia tota una conservaretur, atque suo fundamento innixa, firma adversus inferi portas consisteret.

1838 14. At vero cum hac ipsa ætate, qua salutifera Apostolici muneris efficacia vel maxime requiritur, non pauci inveniantur qui illius auctoritati obtrectant; necessarium omnino esse censemus, prærogativam quam unigenitus Dei Filius cum summo pastorali officio conjungere dignatus est, solemniter asserere.

1839 15. Itaque Nos traditioni a fidei Christianæ exordio perceptæ fideliter inhærendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis Catholicæ exaltationem et Christianorum populorum salutem, sacro approbante concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus : Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ, irreformabiles esse.

1840 Si quis autem huic Nostræ definitioni contradicere, quod Deus avertat, præsumpserit; anathema sit.

Excerpta e Summa theologica

S. Thomæ Aquinatis.

Cum junioribus theologis *Summæ theologicæ* studio incumbere non minus jucundum quam utile sit, ex hoc præstantissimo opere pauca excerpere intendimus, quibus allecti mox ad ipsum textum perlegendum incitentur, et quotidie aliquot articulos meditentur, non sine maxima utilitate.

Pauca vero prænotamus de *scopo* et *methodo* Aquinatis in Summa theologica.

1° Angelici Doctoris *scopus* fuit catholicæ theologiæ veluti *Manuale* ad usum incipientium scribere, ut ipse in Prologo declarat : " Quia catholicæ veritatis doctor non solum provectos debet instruere, sed ad eum etiam pertinet incipientes erudire..., propositum nostræ intentionis in hoc opere est, ea quæ ad christianam religionem pertinent eo modo tradere, secundum quod congruit ad eruditionem incipientium ". Sed, ut recte animadvertit *Cajetanus*, novitiis opus hoc convenire dicitur non ratione *facilitatis* aut *superficialis tractatus*, sed quia inutiles quæstiones resecavit, et omnia ad sacram doctrinam pertinentia breviter ac dilucide prosecutus est, secundum quod materia patitur, ut ipse circa finem Prologi explicat. Nostris igitur diebus iis alumnis præsertim convenit qui, acuto ingenio præditi, solido doctrinæ pabulo enutriendi sunt ut causam religionis sapienter agant.

2° *Methodus* adhibita est methodus *analytico-synthetica :* primum quidem *conspectum generalem* tradit totius operis, in quo nitide ostendit 1) omnia a Deo oriri tanquam *primo principio*, 2) ad Deum *ultimum finem* redire, 3) et quidem per Verbum Incarnatum seu per Deum-Hominem, qui est *via* seu mediator ad Deum (supra, n. 10).

Postea omnes et singulas veritates theologicas analysi subjicit, earumque cum sana philosophia, præsertim aristotelica, concordiam exponit. Quærenda igitur non est in hoc opere *Apologetica* proprie dicta, nec theologia *positiva*, sed *scholastica expolitio* dogmatum quam ratio, fide illustrata, præbere potest.

Totam materiam in varias *quæstiones* partitur, quæstiones autem in *articulos* distribuit, ut singulatim omnes veritates ordine logico declarentur. In singulis articulis eodem modo procedit : 1) *difficultates* proponit sub hac forma " *Videtur quod non* ", quo melius nodus difficultatis percipiatur et solvatur; 2) *veram doctrinam* seu *thesim* enuntiat, quam probat breviter aliqua *auctoritate* " *Sed con-*

tra est quod dicitur" et fusius ratione : "*Respondeo dicendum"*; 3) tandem difficultates antea propositas solvit : "*Ad primum ergo dicendum...*" Quam logica ac lucide ordinata sit hæc methodus nemo est qui non videat.

Remanet igitur ut, exempli gratia, præcipua tradamus quæ in *quæstione prima* exponuntur.

QUÆSTIO PRIMA

De sacra doctrina[1], qualis sit et ad quæ se extendat. — *In decem articulos divisa.*

Et ut intentio nostra sub aliquibus certis limitibus comprehendatur, necessarium est primo investigare de ipsa sacra doctrina, qualis sit, et ad quæ se extendat.

Circa quæ quærenda sunt decem : 1° *De necessitate* hujus doctrinæ; 2° utrum sit *scientia;* 3° utrum sit *una, vel plures;* 4° utrum sit *speculativa*, vel *practica;* 5° de *comparatione ejus ad alias scientias;* 6° utrum sit *sapientia;* 7° quid sit *subjectum* ejus; 8° utrum sit *argumentativa;* 9° utrum uti debeat *metaphoricis*, vel *symbolicis* locutionibus; 10° utrum *Scriptura sacra* hujus doctrinæ sit secundum *plures sensus* exponenda.

ARTICULUS I

Utrum sit necessarium præter philosophicas disciplinas aliam doctrinam haberi.

2-2, Quæst. 2, art. 3 et 4; et 1 Prol. art. 2; et 1 Contra Gent., cap. 4 et 6; et Ver. quæst. 14, art. 2.[2]

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod non sit necessarium præter philosophicas disciplinas aliam doctrinam haberi. Ad ea enim quæ supra rationem sunt, homo non debet conari, secundum illud Eccli. 3. 22 : *Altiora te ne quæsieris.* Sed ea quæ rationi subduntur, sufficienter traduntur in philosophicis disciplinis. Superfluum igitur videtur præter philosophicas disciplinas aliam doctrinam haberi.

2. Præterea, doctrina non potest esse nisi de ente; nihil enim scitur nisi verum, quod cum ente convertitur. Sed de omnibus entibus tractatur in disciplinis philosophicis, et etiam de Deo; unde quædam pars philosophiæ dicitur theologia, sive scientia

---

[1] Controversia est quid per S. Doctrinam intelligat S. Doctor; an fidem? an theologiam? an doctrinam sacram in communi prout abstrahit a fide et theologia? Hoc ultimum amplectitur *Cajetanus*, et prout ipsum alii. *Joannes a S. Thoma, Sylvius* et alii e contra contendunt S. Thomam hic intelligere theologiam proprie sumptam *(Billuart)*.

[2] Ita indicantur alii loci in quibus de eadem quæstione agit S. Doctor.

divina, ut patet per philosophum in 6 Metaph. (com. 2). Non fuit igitur necessarium præter philosophicas disciplinas aliam doctrinam haberi.

— Sed contra est quod dicitur 2 ad Timoth. 3, 16 : *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum, ad justitiam.* Scriptura autem divinitus inspirata non pertinet ad philosophicas disciplinas, quæ sunt secundum rationem humanam inventæ. Utile igitur est præter philosophicas disciplinas esse aliam scientiam divinitus inspiratam.

Respondeo dicendum quod *necessarium fuit ad humanam salutem esse doctrinam quamdam secundum revelationem divinam præter philosophicas disciplinas, quæ ratione humana investigantur.* Primo quidem quia homo ordinatur ad Deum sicut ad quemdam finem, qui comprehensionem rationis excedit, secundum illud Isai. 64, 4 : *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti diligentibus te.* Finem autem oportet esse præcognitum hominibus, qui suas intentiones et actiones debent ordinare in finem. Unde necessarium fuit homini ad salutem quod ei nota fierent quædam per revelationem divinam quæ rationem humanam excedunt.

Ad ea etiam quæ de Deo ratione humana investigari possunt, necessarium fuit hominem instrui revelatione divina; quia veritas de Deo per rationem investigata, — a paucis, — et per longum tempus, — et cum admixtione multorum errorum homini proveniret; a cujus tamen veritatis cognitione dependet tota hominis salus, quæ in Deo est. Ut igitur salus hominibus et convenientius et certius proveniat, necessarium fuit quod de divinis per divinam revelationem instruerentur. Necessarium igitur fuit, præter philosophicas disciplinas, quæ per rationem investigantur, sacram doctrinam per revelationem haberi.

Ad primum ergo dicendum, quod, licet ea quæ sunt altiora hominis cognitione non sint ab homine per rationem inquirenda, sunt tamen a Deo revelata, suscipienda per fidem : unde et ibidem, Eccli. 3, 25, subditur : *Plurima supra sensum hominum ostensa sunt tibi.* Et in hujusmodi sacra doctrina consistit.

Ad secundum dicendum quod diversa ratio cognoscibilis diversitatem scientiarum inducit. Eamdem enim conclusionem demonstrat astrologus, et naturalis, puta quod terra est rotunda; sed astrologus per medium mathematicum, id est, a materia abstractum; naturalis autem per medium circa materiam consideratum. Unde nihil prohibet de eisdem de quibus philosophicæ disciplinæ tractant, secundum quod sunt cognoscibilia lumine naturalis rationis, etiam aliam scientiam tractare, secundum quod cognoscuntur lumine divinæ revelationis. Unde theologia, quæ ad sacram doc-

trinam pertinet, differt, secundum genus, ab illa theologia quæ pars philosophiæ ponitur.

ARTICULUS II

Utrum sacra doctrina sit scientia.

3, dist. 33, quæst. 1, art. 2, quæst. 4; et 1 Sentent., Prol. art. 3, quæst. 2; et Verit. quæst. 14, artic. 9, ad 4; et Boet. tract. 1, quæst. 2, art. 2.

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod sacra doctrina non sit scientia. Omnis enim scientia procedit ex principiis per se notis. Sed sacra doctrina procedit ex articulis fidei, qui non sunt per se noti, cum non ab omnibus concedantur; *non* enim *omnium est fides*, ut dicitur 2 Thessal. 3, 2. Non igitur sacra doctrina est scientia.

2. Præterea, scientia non est singularium. Sed sacra doctrina tractat de singularibus, puta de gestis Abrahæ, Isaac, et Jacob, et similibus. Ergo sacra doctrina non est scientia.

— Sed contra est quod Augustinus dicit 14 de Trin. (cap. 1, a med.) : *Huic scientiæ attribuitur illud tantummodo quo fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Hoc autem ad nullam scientiam pertinet nisi ad sacram doctrinam; ergo sacra doctrina est scientia.

Respondeo dicendum, sacram doctrinam esse scientiam. Sed sciendum est, quod *duplex* est scientiarum genus. — *Quædam* enim sunt quæ procedunt ex principiis notis lumine naturali intellectus, sicut arithmetica, geometria, et hujusmodi; — *quædam* vero sunt quæ procedunt ex principiis notis lumine superioris scientiæ, sicut perspectiva procedit ex principiis notificatis per geometriam, et musica ex principiis per arithmeticam notis. *Et hoc modo sacra doctrina est scientia, quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiæ*, quæ scilicet est scientia Dei et beatorum. Unde sicut musica credit principia tradita sibi ab arithmetica, ita doctrina sacra credit principia revelata sibi a Deo.

Ad primum ergo dicendum quod principia cujuslibet scientiæ vel sunt nota per se, vel reducuntur ad notitiam superioris scientiæ; et talia sunt principia sacræ doctrinæ, ut dictum est in corp. art.

Ad secundum dicendum quod singularia traduntur in sacra doctrina, non quia de eis principaliter tractetur, sed introducuntur tum in exemplum vitæ, sicut in scientiis moralibus, tum etiam ad declarandum auctoritatem virorum per quos ad nos revelatio divina processit, super quam fundatur sacra Scriptura, seu doctrina.

ARTICULUS III

Utrum sacra doctrina sit una scientia [1].

Inf. art. 4; et 1 Prol., art. 2, 3 et 4, c., et 5, ad 2.

Respondeo dicendum *sacram doctrinam unam scientiam esse.* Est enim unitas potentiæ et habitus consideranda secundum objectum, non quidem materialiter, sed secundum rationem formalem objecti; puta, homo, asinus, et lapis conveniunt in una formali ratione colorati, quod est objectum visus. Quia igitur sacra Scriptura, seu doctrina, considerat aliqua secundum quod sunt divinitus revelata, secundum quod dictum est art. præc., omnia quæcumqne sunt divinitus revelabilia, communicant in una ratione formali objecti hujus scientiæ; et ideo comprehenduntur sub sacra doctrina sicut sub scientia una.

ARTICULUS IV

Utrum sacra doctrina sit scientia practica.

Inf. art. 5, c. et 1 Prolog.; art. 3, quæst. 1.

Respondeo dicendum quod sacra doctrina, ut dictum est (art. præc.), una existens se extendit ad ea quæ pertinent ad diversas scientias philosophicas, propter rationem formalem quam in diversis attendit, scilicet prout sunt divino lumine cognoscibilia; unde, licet in scientiis philosophicis alia sit speculativa, et alia practica, *sacra tamen doctrina comprehendit sub se utramque*, sicut et Deus eadem scientia se cognoscit, et ea quæ facit. *Magis tamen est speculativa quam practica*, quia principalius agit de rebus divinis quam de actibus humanis; de quibus agit, secundum quod per eos ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem, in qua æterna beatitudo consistit.

ARTICULUS V

Utrum sacra doctrina sit dignior aliis scientiis.

1-2, quæst. 66, art. 5. ad 3; et 1 Prol. art. 1; et 2 Cont., c. 4, fin.

Respondeo dicendum quod cum ista scientia, quantum ad aliquid sit speculativa, et quantum ad aliquid sit practica, *omnes alias transcendit tam speculativas, quam practicas. Speculativarum* enim scientiarum una altera dignior dicitur tum propter certitudinem, tum propter dignitatem materiæ. Et quantum ad utrumque hæc scientia alias speculativâs scientias excedit. — Secundum certitudinem quidem, quia aliæ scientiæ certitudinem habent ex naturali

[1] Hic et in aliquot articulis prætermittimus objectiones et responsa, ne longiores simus.

lumine rationis humanæ, quæ potest errare; hæc autem certitudinem habet ex lumine divinæ scientiæ, quæ decipi non potest. — Secundum dignitatem vero materiæ; quia ista scientia est principaliter de his quæ sua altitudine rationem transcendunt. Aliæ vero scientiæ considerant ea tantum quæ rationi subduntur. — *Practicarum* vero scientiarum illa dignior est, quæ ad ultimiorem finem ordinatur, sicut civilis militari. Nam bonum exercitus ad bonum civitatis ordinatur. Finis autem hujus doctrinæ, in quantum est practica, est beatitudo æterna, ad quam sicut ad ultimum finem ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum. Unde manifestum est secundum omnem modum eam digniorem esse aliis.

ARTICULUS VI

Utrum hæc doctrina sit sapientia.

1 Prol., artic. 3, quæst. 3; et 2 Prol. princ.; et 1 Cont. cap. 4, fin.

Respondeo dicendum quod *hæc doctrina maxime sapientia est inter omnes sapientias humanas, non quidem in aliquo genere tantum, sed simpliciter.* Cum enim sapientis sit ordinare, et judicare; judicium autem per altiorem causam de inferioribus habeatur; ille sapiens dicitur in unoquoque genere qui considerat causam altissimam illius generis; ut in genere ædificii artifex, qui disponit formam domus, dicitur sapiens; et architecton, respectu inferiorum artificum, qui dolant ligna, vel parant lapides; unde dicitur 1 Cor. 3, 10 : *Ut sapiens architectus fundamentum posui.* Et rursus in genere totius humanæ vitæ prudens sapiens dicitur, in quantum ordinat humanos actus ad debitum finem; unde dicitur Proverb. 10, 23 : *Sapientia est viro prudentia.* Ille igitur qui considerat simpliciter altissimam causam totius universi, quæ Deus est, maxime sapiens dicitur; unde et sapientia dicitur esse divinorum cognitio, ut patet per Augustinum de Trinit. (Lib. 12. cap. 14, parum a princ.). Sacra autem doctrina propriissime determinat de Deo secundum quod est altissima causa; quia non solum quantum ad illud quod est per creaturas cognoscibile (quod philosophi cognoverunt), ut dicitur Rom. 1, 19 : *Quod notum est Dei, manifestum est illis*; sed etiam quantum ad id quod notum est sibi soli de se ipso, et aliis per revelationem communicatum. Unde sacra doctrina maxime dicitur sapientia.

ARTICULUS VII

Utrum Deus sit subjectum hujus scientiæ.

1 Prol. art. 4; et 5 Met. lect. 6.

Ad septimum sic proceditur. 1. Videtur quod Deus non sit subjectum hujus scientiæ. In qualibet enim scientia oportet sup-

ponere de subjecto quid est, secundum Philosophum in 1 Posteriorum (non procul a princ.); sed hæc scientia non supponit de Deo quid est; dicit enim Damascenus (lib. 3 de orthod. Fide cap. 24) : *In Deo quid est, dicere impossibile est.* Ergo Deus non est subjectum hujus scientiæ.

2. Præterea, omnia quæ determinantur in aliqua scientia, comprehenduntur sub subjecto illius scientiæ. Sed in sacra Scriptura determinatur de multis aliis quam de Deo, puta de creaturis, et de moribus hominum. Ergo Deus non est subjectum hujus scientiæ.

— Sed contra, illud est subjectum scientiæ de quo principaliter est sermo in scientia. Sed in hac scientia principaliter fit sermo de Deo; dicitur enim theologia, quasi sermo de Deo. Ergo Deus est subjectum hujus scientiæ.

Respondeo dicendum quod *Deus est subjectum hujus scientiæ.* Sic enim se habet subjectum ad scientiam, sicut objectum ad potentiam, vel habitum. Proprie autem illud assignatur objectum alicujus potentiæ, vel habitus, sub cujus ratione omnia referuntur ad potentiam, vel habitum; sicut homo et lapis referuntur ad visum, in quantum sunt colorata; unde coloratum est proprium objectum visus. Omnia autem pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum ut ad principium, et finem. Unde sequitur quod Deus vere sit subjectum hujus scientiæ. Quod etiam manifestum fit ex principiis hujus scientiæ, quæ sunt articuli fidei, quæ est de Deo. Idem autem est subjectum principiorum, et totius scientiæ, cum tota scientia virtute contineatur in principiis. — Quidam vero attendentes ad ea quæ in ista scientia tractantur, et non ad rationem secundum quam considerantur, assignaverunt aliter subjectum hujus scientiæ : vel res, et signa, vel opera reparationis, vel totum Christum, id est, caput et membra; de omnibus enim istis tractatur in ista scientia, sed secundum ordinem ad Deum.

Ad primum ergo dicendum quod, licet de Deo non possimus scire quid est, utimur tamen in hac doctrina effectu ejus, vel naturæ, vel gratiæ, loco definitionis ad ea quæ de Deo in hac doctrina considerantur : sicut et in aliquibus scientiis philosophicis demonstratur aliquid de causa per effectum, accipiendo effectum loco definitionis causæ.

Ad secundum dicendum quod omnia alia quæ determinantur in sacra doctrina, comprehenduntur sub Deo, non ut partes, vel species, vel accidentia, sed ut ordinata aliqualiter ad ipsum.

ARTICULUS VIII

Utrum hæc doctrina sit argumentativa.

1 Prol. art. 5; et 1 Cont., cap. 3 et 8; et Boet. quæst. 3, art. 7.

Respondeo dicendum quod sicut aliæ scientiæ non argumentantur ad sua principia probanda, sed ex principiis argumentantur ad ostendendum alia in ipsis scientiis; ita *hæc doctrina non argumentatur ad sua principia probanda, quæ sunt articuli fidei; — sed ex eis procedit ad aliquid ostendendum*, sicut Apostolus, 1 ad Cor. 15, ex resurrectione Christi argumentatur ad resurrectionem communem probandam. Sed tamen considerandum est in scientiis philosophicis, quod inferiores scientiæ nec probant sua principia, nec contra negantem principia disputant, sed hoc relinquunt superiori scientiæ; suprema vero inter eas, scilicet metaphysica, disputat contra negantem sua principia, si adversarius aliquid concedit; si autem nihil concedit, non potest cum eo disputare, potest tamen solvere rationes ipsius. Unde *sacra Scriptura, cum non habeat superiorem, disputat cum negante sua principia, argumentando quidem si adversarius aliquid concedat eorum quæ per divinam revelationem habentur;* sicut per auctoritates sacræ doctrinæ disputamus contra hæreticos, et per unum articulum contra negantes alium. — *Si vero adversarius nihil credat eorum quæ divinitus revelantur, non remanet amplius via ad probandum articulos fidei per rationes, sed ad solvendum rationes, si quas inducit contra fidem.* Cum enim fides infallibili veritati innitatur, impossibile autem sit de vero demonstrari contrarium, manifestum est probationes quæ contra fidem inducuntur, non esse demonstrationes, sed solubillia argumenta.

ARTICULUS IX

Utrum sacra Scriptura debeat uti metaphoris[1].

1 Prol. art. 5; et dist. 34, quæst. 3, art. 1 et 2; et 3 Cont., cap. 150; et in Boet. de Trin. art. 8; et Quodl. 4, quæst. 1; et Opusc. 60, cap. 11, fin.

Respondeo dicendum quod *conveniens est sacræ Scripturæ divina et spiritualia sub similitudine corporalium tradere.* Deus enim omnibus providet, secundum quod competit eorum naturæ. Est autem naturale homini ut per sensibilia ad intelligibilia veniat; quia omnis nostra cognitio a sensu initium habet. Unde convenienter in sacra Scriptura traduntur nobis spiritualia sub metaphoris corporalium : et hoc est quod dicit Dionysius, 2 cap. cælestis Hierarch. circa med. : *Impossibile est nobis aliter lucere divinum*

[1] Nomine Metaphoræ, B. Thomas intelligit quaslibet locutiones figuratas, sive illæ sint metaphoræ, sive sint metonymiæ (Sylvius).

radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumvelatum. Convenit etiam sacræ Scripturæ, quæ communiter omnibus proponitur, secundum illud ad Rom. 1, 14 : *Sapientibus et insipientibus debitor sum*, ut spiritualia sub similitudinibus corporalium proponantur, ut saltem vel sic rudes eam capiant, qui ad intelligibilia secundum se capienda non sunt idonei.

ARTICULUS X

Utrum sacra Scriptura sub una littera habeat plures sensus [1].

Quodl. 7, quæst. 6, art. 1, 2 et 3; et Pot. quæst. 4, art. 1; et 4, dist. 21, quæst. 1, art. 2, quæst. 1, ad 3; et Gal. 4, lect. 6; Corinth. 3.

Ad decimum sic proceditur. 1. Videtur quod sacra Scriptura sub una littera non habeat plures sensus, qui sunt historicus vel litteralis, allegoricus, tropologicus sive moralis, et anagogicus. Multiplicitas enim sensuum in una scriptura parit confusionem et deceptionem, et tollit arguendi firmitatem : unde ex multiplicibus propositionibus non procedit argumentatio; sed secundum hoc aliquæ fallaciæ assignantur. Sacra autem Scriptura debet esse efficax ad ostendendam veritatem absque omni fallacia. Ergo non debent in ea sub una littera plures sensus tradi.

2. Præterea, Augustinus dicit in lib. de Utilitate credendi, cap. 3, circ. princ., quod *Scriptura quæ Testamentum vetus vocatur, quadrifariam traditur, scilicet secundum historiam, secundum ætiologiam, secundum analogiam, secundum allegoriam.* Quæ quidem quatuor a quatuor prædictis videntur esse aliena omnino. Non igitur conveniens videtur quod eadem littera sacræ Scripturæ secundum quatuor sensus prædictos exponatur.

3. Præterea, præter prædictos sensus invenitur sensus parabolicus, qui inter illos sensus quatuor non continetur.

— Sed contra est quod dicit Gregorius, 20 Moral. cap. 1, circa med. : *Sacra Scriptura omnes scientias ipso locutionis suæ more transcendit; quia uno eodem sermone, dum narrat gestum, prodit mysterium.*

Respondeo dicendum quod auctor sacræ Scripturæ est Deus, in cujus potestate est ut non solum voces ad significandum accommodet (quod etiam homo facere potest), sed etiam res ipsas. Et ideo cum in omnibus scientiis voces significent, *hoc habet proprium ista scientia quod ipsæ res significatæ per voces etiam significant aliquid.* Illa ergo prima significatio qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est *sensus historicus, vel litteralis.* Illa vero significatio qua res significatæ, per voces, iterum res alias

[1] Cfr. quæ supra diximus, n. 1006.

significant, dicitur *sensus spiritualis*, qui super litteralem fundatur, et eum supponit.

Hic autem sensus spiritualis trifariam dividitur. Sicut enim dicit Apostolus ad Hebr. 7 : *Lex vetus figura est novæ legis; et ipsa nova lex*, ut dicit Dionysius in eccles. Hierar., cap. 5, part. 1, *est figura futuræ gloriæ.* In nova etiam lege ea quæ in capite sunt gesta, sunt signa eorum quæ nos agere debemus. — Secundum ergo quod ea quæ sunt veteris legis, significant ea quæ sunt novæ legis, est *sensus allegoricus;* — secundum vero quod ea quæ in Christo sunt facta, vel in iis quæ Christum significant, sunt signa eorum quæ nos agere debemus, est *sensus moralis;* — prout vero significant, ea quæ sunt in æterna gloria, est *sensus anagogicus.* Quia vero sensus litteralis est quem auctor intendit, auctor autem sacræ Scripturæ Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit. *Non est inconveniens*, ut dicit Augustinus, 12 Confess. (elicitur ex cap. 18, 19, 20, 24 et 31), *si etiam secundum litteralem sensum in una littera Scripturæ plures sint sensus.*

Ad primum ergo dicendum quod multiplicitas horum sensuum non facit æquivocationem, aut aliam speciem multiplicitatis; quia, sicut jam dictum est (in corp. art.), sensus isti non multiplicantur propter hoc quod una vox multa significet, sed quia ipsæ res significatæ per voces aliarum rerum possunt esse signa. — Et ita etiam nulla confusio sequitur in sacra Scriptura, cum omnes sensus fundentur super unum, scilicet litteralem, ex quo solo potest trahi argumentum, non autem ex iis quæ secundum allegoriam dicuntur, ut dicit Augustinus in epist. cont. Vincentium Donatistam, quæ est 48, circa med. Non tamen ex hoc aliquid deperit sacræ Scripturæ, quia nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium quod Scriptura per litteralem sensum alicubi manifeste non tradat.

Ad secundum dicendum quod illa tria, historia, ætiologia, analogia, ad unum litteralem sensum pertinent; nam historia est, ut ipse Augustinus exponit (loc. dicto in argum.), cum simpliciter aliquid proponitur; — ætiologia vero, cum causa dicti assignatur, sicut cum Dominus assignavit causam quare Moyses permisit licentiam repudiandi uxores, scilicet propter duritiam cordis ipsorum, Matth. 19. — Analogia vero est cum veritas unius Scripturæ ostenditur veritati alterius non repugnare. — Sola autem allegoria inter illa quatuor pro tribus spiritualibus sensibus ponitur, sicut et Hugo de Sancto Victore sub sensu allegorico etiam anagogicum comprehendit, ponens in 3 suarum Sententiarum solum tres sensus, scilicet historicum, allegoricum et tropologicum (Id habet in prol. lib. 4 de Sacram., cap. 4).

Ad tertium dicendum, quod sensus parabolicus sub litterali continetur; nam per voces significatur aliquid proprie, et aliquid figu-

rative. Nec est litteralis sensus ipsa figura, sed id quod est figuratum. Non enim cum Scriptura nominat Dei brachium, est litteralis sensus quod in Deo sit membrum hujusmodi corporale; sed id quod per hoc membrum significatur, scilicet virtus operativa : in quo patet quod sensui litterali sacræ Scripturæ nunquam potest subesse falsum.

Studio igitur operum Angelici Doctoris, præsertim vero Summæ theologicæ, sedulo incumbant juniores clerici : principiorum ope, quæ profunde ac lucide exponit, non solum antiquos sed et hodiernos errores confutare poterunt, doctrinamque catholicam ita exponere ut ejus cum nobilissimis aspirationibus humanæ mentis convenientiam ostendere valeant.

Imprimé par la Société S. Jean l'Évangéliste, Desclée & Cie, Tournai (Belgique.)

INDEX ALPHABETICUS [1]

Abælardus semi-rationalismo favet, 51.

Abercius de primatu Ecclesiæ Romanæ, 719.

Acatholicorum hodiernorum præcipuæ tendentiæ, 78-80.

Accommodatitius Scripturæ sensus, 1005.

Actus Apostolorum, 288.

Adoratio est elementum religionis, 106; 166.

Adventistæ, 587, n.

Ægyptiorum religio, 129.

Agathonis Pontificis primatus agnoscitur, 738.

Aggæus propheta, 315.

Agnosticismus hodiernus, 78.

Alexander Alensis, apologeta, 53.

Allard, P. de fecunditate Ecclesiæ, 489, n., et martyrum constantia 408-516.

Allegoricus *sensus*, 1004.

Ambrosius S., de primatu R. Pontificis, 734.

Anabaptistarum, ob privatam inspirationem, excessus, 517; 593.

Anagogicus *sensus*, 1004.

Amos propheta perfectam Dei justitiam prædicat, 309; 321; 324.

Analogia fidei in interpretanda Scriptura, 1015.

Anastasius, S. papa, primatum exercuit, 728.

Anglicanismi origo et variæ sectæ, necnon doctrina de Ecclesia, 562-564; 679; 684; 702.

Anima *Ecclesiæ*, 803-808.

Animismus religionem non explicat, 141-142.

Apocryphi *libri* evangeliorum genuinitatem confirmant, 297; 427; 462.

Apollonius Tyanensis miracula non patravit, 279.

Apologetica ab *Apologia* distinguitur, 11; 22-25; ejus certitudo, 28-30; ejus historia delineatur, 36-90; apologetica methodus a Patribus adhibita, 38-49; a Scholasticis, 50-56; a Modernis, 57-76; ab Hodiernis, 81-84; apologetica quæ dicitur *immanentiæ*, 85-90.

Apostolatus, num criterium inspirationis? 987.

Apostoli: Christus eorum fugam et passiones prædixit, 438; Christum redivivum viderunt 455; 460, seq.; Christum prædicaverunt, 407; 443; 444; 448; 463 sq.

Apostolicitas ut nota veræ Ecclesiæ, 769.

Apostolorum *collegio* Christus contulit triplicem potestatem docendi, regendi et sanctificandi fideles, 624-636; 664-669.

Apparitiones Christi redivivi 454, sq.; 460, seq.; 467, seq.

Apostolorum successores sunt Episcopi, 637-663.

Appellatio ab inferiori judice, *ad Rom. Pontificem* est legitima, 853; cfr. 732; non autem a Pontifice ad Concilium, 882.

Approbatio ordinum religiosorum est objectum infallibilitatis, 825.

Approbatio *consequens* non sufficit ad inspirationem, 986.

Arianismus schismati orientali viam aperuit, 553; 727.

Aristides apologeta, 39.

Aristoteles de Dei amore, 213; de morum pravitate, 215; de infanticidio et abortu, 485, n.

Armena ecclesia, 550.

Arnobius de miraculis Christi, 430; de Christianorum numero et dignitate, 480.

Ars, a religione distincta, 104.

Articuli (quatuor) a clero gallicano promulgati, 743.

[1] Invenies in hoc Indice non solum *res*, sed præcipuos *auctores* allegatos. Indicantur numeri marginales, non paginæ; *n* notas designat.

Asclepius miracula non patravit, 279.
Assensus religiosus Pontificiis decretis debitus, 844; 847-848.
Aspirationes *hominis* in religione satiantur, 149-159; et in doctrina christiana modo supereminenti, 351-371.
Athanasius S. de primatu Papæ, 736; de infallibilitate Conciliorum, 677; de utilitate Traditionis, 949.
Athenagoras apologeta, 39.
Auctoritas a Christo Ecclesiæ et collegio apostolorum collata, 624-678; Romano Pontifici, 686-763.
Auctoritatis alicujus in religiosis rebus necessitas, 573-581; 583-597.
Augustinus S. eximius apologeta, 48; ejus doctrina de fide et theologia, 3, n.; de influxu voluntatis in certitudinem, 34, n.; de notione religionis, 150, n.; de cultu externo, 175; de resurrectione Christi, 259; de miraculis, 264; de mira propagatione christianæ religionis, 502; 506; de catholicitate Ecclesiæ, 796; de necessitate communionis cum Ecclesia, 805-807; de primatu R. Pontificis, 735; de ejusdem infallibilitate, 755; de Ecclesia corpore Christi mystico, 812, n; 816, n; de officiis principum erga Ecclesiam, 913; de auctoritate Traditionis, 949; de Patrum auctoritate, 974; de multiplicitate sensus litteralis, 1006; de inerrantia Scripturæ, 996, n.
Augustana Confessio de notione Ecclesiæ, 558; 586.
Authenticitas librorum N. et V. Testamenti, 287-289.
Atheismus paucorum non infirmat argumentum e facto religioso de sumptum, 162.

Babystæ, 517.
Bacon, L. W., de varietate in unitate catholica, 778, n.
Baianismus, 17; 227.
Balfour ex inhabilitate humanæ naturæ fidei necessitatem demonstrat, 84; quorumdam naturalistarum virtutes explicat, 123, n.; modernorum philosophorum impotentiam exponit, 220, n.
Baptistæ, 564.
Barclaius, de regula fidei, 585.
Barnabæ *Epistola* de argumento prophetico, 39.
Basilius S., Primatum romanum vindicat, 727, Traditionem propugnat, 949.
Batiffol, authentiam *Matth.*, XVI, 16 propugnat, 694, n., et passim.
Baur E., criticismi parens, 67; 295.
Beatificatio servorum Dei non est objectum infallibilitatis, 826.
Bellarminus, B., definit Ecclesiam, 543; ejus opinio de connexione primatus cum Sede Romana, 741, n.; de inspiratione Scripturæ, 987.
Bellum a christianismo mitigatum est, 493.
Benedictus XIV de miraculorum discernibilitate, 272; de infallibilitate Pontificis in canonizatione sanctorum, 826; de potestate coactiva Ecclesiæ, 837.
Benedictus XV de natura inspirationis, 989; de ejusdem extensione, 994; de inerrantia S. Scripturæ, 1000.
Bernardus S. de Abælardo, 52.
Bernheim, Dr., de miraculis in Lourdes peractis, 801, n.
Bertrin, de miraculis in Lourdes peractis, 801, n.
Biblia cfr. **Scriptura.**
Blondel methodum *immanentiæ* propugnat, 85; judicium de hac methodo, 86-90; necessitatem religionis propugnat, 150, n.; 154, n; contingentiam legum naturæ affirmat, 262, n.
Bossuet historice christianam veritatem demonstrat, 63; ejus doctrina de primatu romano, 724; 731.
Bougaud harmoniam ostendit inter christianam religionem nostrasque aspirationes, 71.
Boutroux E. de contingentia legum naturæ, 262, n.; contra sociologismum, 146, n.

Brahmanismus, 118-119; 122.
Brière, Y. de la, relationem inter Regnum Dei et Ecclesiam definit, 611, n.; notas veræ Ecclesiæ exponit, 769, n.; et passim.
Bricout, de protestantismo liberali 779, n.
Briggs C. de traditione, 942, n; de canone scripturarum, 585.
Broglie (Abbé de) methodum *transcendentiæ* exponit, 81; ejus doctrina de monotheismo primitivo, 140, n.; de prophetiis prophetarum, 333, n.
Bros, de sociologismo, 147, n.
Brugère methodum apologeticam perficit, 71; de discernibilitate miraculorum, 273; de temporali prosperitate Protestantium, 795.
Brunetière F. methodum apologeticam *socialem* proponit, 84.
Budhismus exponitur, 120-122; 519-530; confutatur, 527-530.

Cæsarismus, 552; 562; rejicitur, 679.
Caius, testatur Petrum Romam venisse, 707.
Calmes, de scopo Evangelii S. Joannis, 291, n.
Callistus, S., primatum exercuit, 753.
Calvinistæ seu presbyteriani, 565; eorum doctrina de Ecclesiæ conceptu, 565; 681; de canone Scripturarum, 585, n.; de membris Ecclesiæ, 884.
Canon Scripturæ, 585.
Canonizatio Sanctorum, 826.
Canus Melchior de Locis theologicis, 934, n.; de consensu fidelium, 981; et passim.
Caput Ecclesiæ est Christus, 813.
Caritas a christianismo promota est, 492; 789; 790.
Carpenter de miraculis Christi, 431, n.
Catalogi episcopales, 649; catalogus romanus, 707; 714.
Catechumeni, quo sensu membra sunt Ecclesiæ, 893.
Catholici Liberales de relationibus inter Ecclesiam et Statum, 902.
Catholicitas Ecclesiæ Romanæ competit, et est signum divini interventus, 770-786.
Cato de servis, 488.
Celsus christianismum impugnat, 45; de miraculis Christis testimonium reddit, 426.
Censuræ doctrinales, 814.
Certitudo : ejus notio, 27; certitudo apologeticæ, 28-31; causæ in eam influentes, 31-35; certitudo moralis, 27; 32.
Chalcedonense Concilium, 553; 876; ejus doctrina de primatu R. Pontificis, 737; 756; traditionem testatur, 950,
Champagny, de, apologeta, 71.
Channing W. E. de divina Christi missione, 417, n.
Chateaubriand quomodo religionis divinitatem demonstrat, 69.
Chesterton excellentiam doctrinæ christianæ affirmat, 374, n.
Choupin, de Ecclesia ut societate, 836, n.; de auctoritate decisionum S. Rom. Congregationum, 848, n.
Christus a Prophetis ut Messias prænuntiatus, 299-342; doctrinam prædicavit, 345-349, quæ vere supernaturalis est, 350-374; ejus divina missio probatur ejus indole et sanctitate, 388-395; proprio ipsius testimonio, 397-413; ejus miraculis, 415-435; et vaticiniis, 436-442; ejus resurrectione, 443-471; mira propagatione ejus religionis, et martyrum constantia et testimonio, 472-516; comparatione ejus doctrinæ cum Budhismo et Mahumetismo, 518-540. Christus Ecclesiam instituit, 599-767.
Chrysostomus S. ad Papam appellat, 732; Ecclesiam navi comparat, 933, n.; usum commentariorum Scripturæ commendat, 1013.
Cicero de notione religionis, 96; de immortalitate animæ, 214; de paganis moribus, 486, n; de natura

deorum, 216, n.; 218; 483; de philosophorum vitiis, 217; de contemptu laboris manualis, 489, n.; comparatur ejus doctrina cum christianismo, 380.

Citationes in Scriptura : explicitæ, 996-998; implicitæ, 999.

Civilisatio moderna christianismo comparatur, 974, n.

Clemens Papa S. propagationem Christianismi describit, 476; auctoritatem hierarchiæ affirmat, 655-656; testatur Petrum Romam venisse, 709; primatum Ecclesiæ Romanæ asserit, 717.

Clemens XI. de membris Ecclesiæ, 891.

Clemens Alexandrinus apologeta, 44; hierarchiam agnoscit, 661; infallibilitatem Ecclesiæ docet, 676; testatur Petrum Romam venisse, 708.

Cælestinus S. primatum romani pontificis asserit, 729; 737.

Commissio de re biblica : ejus auctoritas, 845-848; variæ decisiones, 287-289; 457; 999; 1000.

Communio sanctorum, 814.

Concilii œcumenici notio, conditiones, auctoritas et utilitas, 873-882; 677.

Conciliorum œcumenicorum series, 873 et inter *Documenta*, ad calcem voluminis.

Conciliorum particularium auctoritas, 961.

Conclusio theologica, quid? infallibilitas Ecclesiæ circa conclusiones theologicas, 822.

Congregationes Romanæ, 845; 856-858; earum auctoritas doctrinalis et disciplinaris, 845-848; 856-858.

Congregationalistæ, 564; 681.

Consensus fidelium, quo sensu sit veritatis criterium, 981.

Constantiense concilium, 891.

Constantinopolitanum I, 553; 876.

Constantinopolitanum III de primatu R. Pontificis, 738; de ejus infallibilitate, 756; quo sensu Honorium damnavit, 759.

Constantinopolitanum IV infallibilitatem romani pontificis agnovit, 756, et Photium damnavit, 793.

Controversia paschalis primatum romanum probat, 721.

Conversio, ut argumentum credibilitatis, 797-799.

Cornely, de interpretatione S. Scripturæ, 1011.

Corpus Ecclesiæ, 803-808.

Credibilitas : notio, 20; motiva seu criteria, 20-23.

Credentitas : notio et motiva, 21.

Criteria revelationis, 239-284; criteria interna, 243-244; externa, 245; usus et valor, 246-249.

Cultus Deo debetur, 98; cultus externus et socialis, 172-179; 912 seq.; cultus christianus, 369; 788.

Cust, de zelo missionariorum catholicorum, 782, n.

Cyprianus S. de numero martyrum, 510; de tormentis martyrum, 512; de infallibilitate Ecclesiæ, 677; testatur Petrum Romam venisse, 709; de primatu R. Pontificis, 723 sq.; 753; asserit extra Ecclesiam nullam esse salutem, 805.

Cyrillus alexandrinus, S., primatum romanum agnovit, 737.

Damasus S. papa primatum exercet, 727.

Daniel propheta, 325, n.; 332; 602; 620.

Dechamps Card. novam demonstrationem christiano-catholicam instituit, 73; 233; 769, n.; 770.

Declaratio cleri gallicani, 743.

Decretales (*falsæ*), 854.

Definitio ex cathedra, quid? num infallibilis, 742-763; quid de fide tenendum in definitionibus dogmaticis, 956-960.

Deismi præcipui fautores, 57 sq.

Democratica non est regiminis forma in Ecclesia, 839; democratismus apud Protestantes, 586.

Desiderium videndi Deum, 229-231.

Deuteronomium, 312.
Dilettantismus, 156.
Dionysius Corinthius S. testatur Petrum Romam venisse, 708; Romano pontifici rationem reddit, 725; 753.
Doctores Ecclesiæ, quinam sint et quænam eorum auctoritas, 973.
Doctrina christiana excellens et supernaturalis est, 351-374; ab aliis religionibus non mutuata, 375-385; comparatur cum budhismo et islamismo, 530; 539; ad sanctitatem ducit, 788.
Dodwel, de numero martyrum, 510.
Duchesne L., de schismate orientali, 552; de primatu romano, 720, n.; 726, n.; de papa Liberio, 758.
Duplessy-Mornay, apologeta, 61.
Dürkheim, fautor sociologismi, 145-146.

Ecclesia Christi : ejus notio, 542-543; definitio et excellentia, 932-933; Ecclesia, prout concipitur a Græcis schismaticis, 555; a Protestantibus, 566-568; Ecclesiæ institutio a Christo, 572-767; Ecclesia est societas visibilis et indefectibilis, 599-622; apostolica, 623-663; Ecclesiæ notæ, 769-796; ejus catholica unitas et invicta stabilitas testimonium præbet suæ divinæ legationis, 771-786; ejus sanctitas et fecunditas est perpetuum credibilitatis motivum, 787-795. Extra Ecclesiam nulla salus, 802-808. Ecclesia est corpus Christi mysticum, 812-815; sponsa Christi et mater nostra, 816. Ecclesiæ regiminis forma, 839. Ecclesia est societas vere juridica et perfecta, 599-611; 834-838; a potestate civili independens, 622; 836; Ecclesiæ competit potestas doctrinalis, 818-826; legislativa, judiciaria, coactiva, 827-838. Relationes Ecclesiæ cum Statu in genere, 903-909; cum Statu catholico, 910-918; cum Statu acatholico, 919-922; Ecclesiæ membra, 883-900.
Ecclesia Romana sola est vera Ecclesia Christi, 765-767; sola gaudet unitate fidei ac regiminis, 776-778; apostolicitate missionis, 765-766; vera catholicitate, geographica et sociali, 772-775; invicta stabilitate, 779-781; sanctitate vere supernaturali, 788-790; Ecclesiæ Romanæ hierarchica constitutio, 543; 598; 839.
Ecclesiæ magisterium sollemne, 955-967; ordinarium ac universale, 968-981.
Ecclesiæ græcæ schismaticæ, origo, status et doctrina, 551-555; Ecclesia græca formam veræ Ecclesiæ non retinuit, 766; notis veræ Ecclesiæ orbatur, 774; 777; 793.
Ecclesiastes, de vanitate scientiæ, 220.
Eduardus VI, anglicanismi fautor, 562.
Elias propheta populum avertit a cultu Baal, 308.
Elisæus propheta, 308.
Ephesinum concilium de primatu R. Pontificis, 737; de ejus infallibilitate, 756; de traditione, 950.
Epicuræi christianismo obstiterunt, 500.
Episcopalistæ, 566, 764.
Episcopi sunt Apostolorum successores, in suo triplici munere, 637-663. Eorum auctoritas singulatim sumptorum, 861-863; quatenus collegium efformant, 870-872; 969.
Epistola ad Diognetum, 39.
Epistolæ Apostolorum, 288.
Eschatologismus, 615-621.
Essenorum doctrina multum a christianismo differt, 379.
Ethica a religione differt, 103.
Eucherius S. in verba *Pasce agnos...*, 698.
Eugenius IV necessitatem baptismi affirmat ad rationem membri Ecclesiæ, 887.
Eusebius demonstrationem evangelicam scribit, 47; de propagatione fidei, 477; de martyrum suppliciis, 510-515.

Eutychiani, 550.
Evangeliorum genuinitas, 289; integritas substantialis, 290; 457; historicitas, 291-298.
Evolutionistæ falso originem religionis explicant, 141-142.
Examen liberum Scripturæ a protestantibus propugnatur, 559; 565; 582; 592.
Excommunicati suntne Ecclesiæ membra? 896. Cf. 688.
Experientia religiosa, 143-144; 240.
Ezechiel regnum Dei annuntiat, et Messiam prædicit, 314; 321; 324.

Facta dogmatica quatenus objectum infallibilitatis, 824.
Familiæ instauratio a religione christiana promota, 485-487; familia apud Budhistas et Mahumetanos collapsa, 530; 539.
Fecunditas christianismi ad mores instaurandos, 483-493.
Fideistæ de impotentia humanæ rationis, 20; 209.
Fidelium sensus communis criterium veritatis, 981.
Fides: ejus notio, 19; elementa, 20-21.
Fichte, de religione, 108.
Finis hominis, naturalis et supernaturalis, 15-16; naturalis, 149-160.
Finis mundi, 615-621.
Firmilianus S. testatur Petrum Romam venisse, 707; Romano Pontifici restitit, 724.
Flavius Josephus de Christo, 426, n.
Florentinum concilium de primatu R. Pontificis, 739; 756.
Fonsegrive methodum apologeticam exponit intimis nostris aspirationibus innixam, 83.
Fontes Revelationis, 934 seq.
Formatæ litteræ, 733, n.
Foucault, Ch. de, de necessitate religionis, 150, n.
Franciscus Salesius S. de infallibilitate R. Pontificis, 751, n.
Franzelin, Card., de dissensu Patrum, 977.
Frayssinous, Apologeta, 69.

Galilæi casus exponitur, 760,
Gallicani erraverunt de Romani Pontificis primatu et infallibilitate, 743; 756, n.; 849; necnon de relationibus Ecclesiæ et Status, 902.
Gardeil, P., de divisione theologiæ, 11, n.; 94, n.; de influxu gratiæ in credibilitate dignoscenda, 250-251.
Garrigou-Lagrange, P., de indole apologeticæ, 11, n.; 25; de influxu gratiæ in credibilitate dignoscenda, 251. Et passim.
Gasser, ep. Brixinensis, de infallibilitate S. Pontificis, 746, n.
Germanorum religio, 136.
Gibbon de propagatione christianæ religionis, 494.
Gladiatorum ludi a christianismo extincti, 491-492.
Goethe de frigiditate protestantici cultus, 794, n.
Græcorum antiquorum religio, 130-131.
Grandmaison, L. de, de natura religionis, 99, n.; de sanctitate Christi, 395; de messianica dignitate Christi, 413, n.; de miraculis ejusdem, 415, n.; de sanctitate extra Ecclesiam, 792, n. Et passim.
Gratia : ejus necessitas ad fidem, 19; influxus in credibilitatem, 250-251.
Gratiarum actio in religione, 106-107.
Gregorius M. S. de infallibilitate Conciliorum, 677; de Ecclesia, corpore Christi, 815; de scriptoribus inspiratis, 987.
Gregorius Nazianzenus S., de primatu romano, 736; de salute acatholicorum, 987.
Groot, de, de potestate jurisdictionis Ecclesiæ, 830, n.
Grotius, apologeta protestans, 61.
Guyau, positivista, admittit hominem ens esse religiosum, 111, n.

Habacuc, propheta, 313.
Hallucinationis theoria resurrectionem Christi non explicat, 456; 469.
Hæretici quo sensu sunt extra Ecclesiam, 894.

Harent, de infallibilitate Ecclesiæ, 664, n.
Harnack, A. von, 68; de doctrina Christi, 345, n.; de propagatione christianismi, 478-482; 492; 495; de Regno Dei, 613, n.; de apostolatu, 632; de primatu romano, 714; 715; 721, n.; 723, n.; 786, n.; de sanctitate Ecclesiæ, 790, n. Et passim.
Haughton, de mortu Christi, 446.
Hegesippus successionem episcoporum describit, 659; infallibilitatem corporis episcoporum admittit, 679; catalogum episcoporum romanorum texuit, 714.
Heitmüller, de miraculis Christi, 428, n.
Hellenica professio fidei, 766, n.
Henricus VIII, anglicanismi fautor 562; 679.
Herbigny, M. d', de Ecclesiis schismaticis, 554, n., et passim.
Hermeneutica : ejus leges exponuntur, 1008-1017.
Hermias apologeta, 39; 42.
Hierarchia ecclesiastica, 623-683; 813.
Hieronymus de martyrum suppliciis, 512; de episcopis, 663; de primatu, 735.
Hilarius, S., de consensu fidelium, 981.
Hodge, de auctoritate Ecclesiæ errat, 595, n.
Honorius papa non erravit ex cathedra, 759.
Horatius poeta gentium deos irridet, 212, n.
Hormisdæ formula, 553; 730; 754.
Hosius, contra cæsarismum, 680.
Huby, de influxu gratiæ in credibilitatem, 250-251; de conversione, 797-799.
Huet demonstrationem christianam instituit, 63.
Hugo a S. Victore, apologeta, 53.
Hulst, Mgr. d', de tolerantia, 931, n.
Hume de miraculis, 269. Cf. 58.
Hus, J., de membris Ecclesiæ, 884; 891.
Hypnotica phænomena a miraculis prorsus diversa, 272; 431.

Idealisationis processus in Evangeliis rejicitur, 296-298.
Ignatius martyr S. in martyrio constans, 513; ejus testimonium de episcopis, 653-656; 671; de primatu Ecclesiæ Romanæ, 709-718; de traditione, 947.
Impotentia physica et moralis, quid? 210, n.
Impugnationes in christianismum, ex parte Judæorum et Gentilium, 38; Arabum, 50; rationalistarum, 57-60; 66-68; 78-80 et passim.
Immanentiæ methodus, 85-90.
Indifferentismus religiosus 109; 234 seq.
Indorum religio, 118-120.
Inerrantia S. Scripturæ, 994-1001.
Infallibilitas regulæ fidei, 581; collegii apostolici, et collegii episcoporum, 664-678; R. Pontificis, 742-763; infallibilitatis objectum, 818-826.
Infideles non sunt membra Ecclesiæ, 892.
Innocentius I, de primatu, 728; de infallibilitate, 754.
Innocentius III, de libertate conscientiæ, 928.
Innocentius XI, de certitudine apologeticæ, 28.
Inquisitio, 845 seq.; apologia inquisitionis, 837-838; 928-930.
Inspiratio privata non est regula fidei tuta, 593.
Inspiratio Scripturæ, ejus notio et existentia, 983-993; ejus extensio et inerrantia, 994-1001.
Integritas substantialis Evangeliorum, 290; 457.
Interpretatio Scripturæ, 1002-1017; regulæ interpretationis grammatico-historicæ, 1008-1013; regulæ catholicæ interpretationis, 1014-1017.
Irenæus S. de propagatione fidei, 476; de martyribus hæreticis, 517; de episcopis monarchicis, 660; de in-

fallibilitate Ecclesiæ, 674 seq.; de primatu, 708; 720; 753; de traditione, 948; de consensu fidelium, 981.

Isaias prophetа, de Regno Dei prophetavit, 310; 321; 324; 329, n.; 329-332; 472; præsertim de servo Dei, 331-332.

Islamismus : ejus origo et doctrina, 531-536; confutatio, 537-540.

Ivo Carnutensis, de unione Ecclesiæ et Status, 907.

James, W., de origine religionis, 143-144; de natura prophetiæ, 321.

Janet, P., de persona Christi, 390, n.

Jansenismus, 17; 227; 551.

Jeremias populum israeliticum ad antiquum fœdus revocat, 312; 321; 330.

Jerusalem : ejus excidium a Christo nuntiatum, 440.

Jesus Christus, cfr. **Christus.**

Joannes apostolus, S., ejus testimonium de doctrina Christi, 347; de testimonio Christi, 401-403; de institutione Ecclesiæ, 610; episcopos instituit, 648. (Vide insuper ad verbum **Evangeliorum**).

Joannes IV, de Honorio papa, 759.

Joannes XXII, de potestate coactiva Ecclesiæ, 833; 837.

Joannes Damascenus, S., theologus eximius, 8; 10.

Joannes IV, patriarcha cpnus, schismati favit, 553.

Joannes a Cronstadt, thaumaturgus schismaticus, 279.

Josephismus, 902.

Jouffroy infelicitatem describit scepticorum, 156, n.; sublimitatem doctrinæ Christi agnoscit, 356, n.

Judæorum religio, præsertim quoad monotheismum, a Prophetis instaurata, 299-317; per regnum messianicum ad perfectiorem statum evehenda, 323.

Jugie, P. M., de origine schismatis orientalis, 552, n.

Jülicher A., de Evangeliorum historicitate, 298, n.

Julius I, S., primatum exercuit, 727; 731.

Jurisdictio, apostolis commissa, 624-636; ad episcopos transiit, 637-663; ejus objectum, 827-838, et exercitium, 863 seq.

Jurisdictio S. Pontificis, universalis ac suprema, ordinaria et immediata, 849-859.

Justinianus primatum romanum agnovit, 736.

Justinus S. apologeta, 39-43; ejus testimonium de propagatione fidei, 476; de fœcunditate christianæ doctrinæ, 484.

Juvenalis de moribus Romanorum, 484.

Kantius, 60; ejus falsa definitio religionis, 108; falsa notio revelationis, 187; ejus doctrina religiosa, 1023.

Khaliffa, Mahumetis successor, 532-533.

Kidd supra-rationalis sanctionis necessitatem admittit, 225, n.

Laberthonnière, P., immanentiæ methodo favit, 87.

Labor manualis ab Ecclesia nobilitatur, 489.

La Bruyère, de signis revelationis, 241, n.

Lacordaire methodo apologetica *sociali* et *psychologica* utitur, 70.

Lactantius apologeta paganismi inanitatem demonstrat, 46; religionis notionem tradit, 96; agit de moribus Christianorum, 485; de martyrum patientia, 511.

Lagrange, P. M. J., de obligatione religionis, 98, n.; de religione Semitarum, 125, n.; 126, n.; de sinceritate et scopo Evangelistarum 291, n.; de adimpletione prophetiarum, 341, n.; de Regno Dei, 618, n.; de authentia Mat. XVI, 16 seq., 694, n.; de infallibilitate Petri, 751, n.

Lamaïsmus, forma budhismi, 521; 525, n.; 529.

Lamennais, apologeta, 69.

Index ad *numeros marginales* remittit.

Lamentabili (*decretum*) : præcipuos errores modernos damnavit, 28; 187, n.; 397, n.; 466, n.; 622; 1031, n.; ejus valor doctrinalis, 848, n.

Lammens, de persona Mahumeti, 537, n.

Lang, de monotheismo primitivo, 140, n.

Langlois et Seignobos, de discernibilitate miraculi, 269, n.

La Vallée-Poussin, de Budhismo, 519-530.

Lavigerie Card. de Mahumetismo, 538, n.

Le Bachelet, de historia apologeticæ, 49, n.; 38, n.; 55, n.; 65, n.; de immanentia, 89, n., et passim.

Le Bec, Dr., de discernibilitate miraculi, 270. n.; 271.

Lecky, rationalista, de castitate et fraterna caritate inter christianos, 487, n.; 492, n.; de Christi morali perfectione, 395, n.; de propagatione christianismi, 494.

Le Dantec, de atheismo, 162, n.; de miraculo, 275, n.; 379, n.

Legati a romano pontifice mitti possunt, 853.

Leo Magnus S., de infallibilitate Ecclesiæ, 677; de primatu Papæ, 729; 737.

Leo II, S., de papa Honorio, 759.

Leo XIII de excellentia doctrinæ S. Thomæ, 8; 980; de necessitate cultus socialis, 177; de potestate leges ferendi Apostolis et Ecclesiæ collata, 833; de primatu romano, 741; de Ecclesia ut societate, 836; de ordinibus religiosis, 789; de libertate scientificæ inquisitionis, 762; de relationibus inter Ecclesiam et Statum, 902, n.; 903-918; de beneficiis ab Ecclesia civitati collatis, 790; 489; de vera libertate, et de conscientiæ libertate, 924, n.; 926, n.; 928; de tolerantia, 931; de sacræ Scripturæ inspiratione, 989; 994; 995; 1000; de studio textus primigenii et versionum Scripturæ, 1001; 1013; de interpretatione Scripturæ, 1015-1017; de auctoritate theologorum, 978; et passim.

Le Roy A. (Mgr) describit religionem *primitivorum*, 115, n.; totemismum describit, 146, n.; de origine religionis, 164, n.; de protestanticis missionariis scribit, 783, n.

Le Roy E. modernismo favet, 1035-1036; de immanentia, 205, n.; ejus theoria de miraculis, 257-258; 278; de resurrectione Christi, 443, n., 450; 464, n.

Lessing, rationalista, 60.

Liberalismus exponitur et confutatur, 518, n.; 781; 902; 926-931.

Liberalium protestantium origo, 1021-1027; theoriæ de revelatione, 187; de divina missione Christi; ejusque doctrina, 345; 410; de miraculis, 256; de resurrectione Christi, 450; de propagatione christianæ religionis, 494-495; de prophetiis, 318; de Ecclesia, 570; 613; 614; de primatu Papæ, 684; de regula fidei, 572; 583 seq.; Protestantismi liberalis illegitimitas, 767.

Liberii allegatus lapsus, 758; primatum docuit Liberius, 727.

Libertas cogitandi ac loquendi, 923-925.

Libertas conscientiæ et cultuum, notio ac principia generalia, Ecclesiæ agendi ratio quoad hanc libertatem, jura et officia Status quoad eamdem libertatem, 926-931.

Lichtenberger, de protestantismo liberali, 569, n.

Litteralis sensus, 1002-1003.

Liturgia tanquam revelationis depositum, 970-971.

Loisy A., modernistarum dux in Gallia, ejus errorum synthetica expositio, 1030-1034; speciatim de religione, 108, n.; de revelatione, 187; 196, n.; de valore Evangeliorum 292, n.; 296; de prophetis, 321; de origine doctrinæ christianæ, 381; de testimonio Christi, 409; 410, n.; de ejusdem sepultura, 449; de Regno Dei et Ecclesia, 615 seq.; de apostolis

eorumque potestate, 627, n.; 632; de infallibilitate Ecclesiæ, 664. Ejus recta interpretatio textuum de primatu Petri, 691, n.; 693, n.; 698., n.; 699, n.; 700, n.; 703, n. Et passim.
Lombardi P. *libri quatuor Sententiarum*, 10.
Loti, P., de religione, 160, n.
Lourdes, ubi miracula patrantur, 800-801.
Ludovicus XIV Gallicanismo favit, 743.
Lugdunense II concilium, de primatu, 739.
Lutheranismus, 557-561; 679; 680.
Lutheri doctrina, 558-559; testimonium de Protestantium moribus, 794; opinio de membris Ecclesiæ, 884; de interpretatione S. Scripturæ, 590.

Magia, a religione differt, 105.
Magismus, 141-142.
Magisterii vivi et infallibilis necessitas, 582-597.
Magisterium infallibile collegio Apostolorum collatum, eorumque successoribus, scilicet episcopis, 664-678; R. Pontificis, 742-763.
Magisterium Ecclesiæ sollemne, 955-967; ordinarium ac universale, 968-981.
Mahumetismus, vide **Islamismus**.
Mainage, P., de conversione, 797-799; de spiritismo, 1045, n. Et passim.
Maistre, J. de, de Ecclesiis schismaticis, 779, n.
Malachias propheta, 315.
Maldonatus de necessitate biblicorum studiorum, 1017, n.
Mallock W. H., de infallibilitate, 761, n.; de doctrina christiana, 357, n.
Mangenot, de apparitionibus Christi, 455, n.
Martinus (Raymundus) fidem defendit contra Mauros et Judæos, 54.
Martyrum constantia ac testimonium divinitatem christianæ religionis confirmant, 508-516; martyres falsarum religionum, 517.
Materialismus, 78.
Maximus, S., martyr, infallibilitatem romani pontificis asserit, 755.
Mazzella, de origine potestatis episcopalis, 866, n.
Mead de resurrectione Christi, 568, n.
Membra Ecclesiæ, 883; quinam sunt Ecclesiæ membra, 884-897; eorum erga Ecclesiam officia et prærogativa, 898-901.
Messias, 397; a multis prophetis annuntiatus : ejus origo, dotes, munera, regnum; ejus humiliationes, passio et triumphus, 328-332; non est alius nisi Christus, 333-339; 397-407; a Judæis ut rex temporalis expectabatur, 376.
Metaphoricus sensus, 1003.
Methodistæ, 564.
Methodus apologetica apud Patres, 39-49; apud Scholasticos, 52-56; apud Modernos, 61-65; 69-77; apud Hodiernos, 81-84; Methodus *immanentiæ*, 85-90; Methodus integra, 246-249.
Michææ prophetia, 311; 328.
Michael Cærularius, schismatis orientalis fautor, 553.
Michiels, de origine episcopatus, 663, n.
Minucius Felix apologeta, 39.
Miraculi definitio ac species, 252-258; ejus possibilitas, 259-265; discernibilitas 266-275; vis demonstrativa, 276-278; miracula falsarum religionum, 279; miracula martyrum, 515; in Ecclesia patrata, 782; 791; 800-801.
Miracula Christi in ordine physico, 415-421; historice certa sunt, 422-428; vere supernaturalia et divina, 429-432; divinitatem ejus missionis demonstrant, 433-435. Miracula ejus in ordine intellectuali, seu vaticinia ab ipso edita, 436-442.
Missiones catholicæ, 774; missiones protestantium, 782-783.
Mithriacismus, 381; 482.

Modernistæ, 571; eorum origo et historia, 1028-1041; errores de supernaturali, 17; 227; de apologetica, 80; de religione, 108; 143-144; de revelatione, 187; 235 seq.; de criteriis revelationis, 240; de miraculo, 257-258; de prophetia, 280; de doctrina Christi, 345; de Ecclesia, 571; de infallibilitate, 664; de traditione, 938. Non sunt de vera Christi Ecclesia, 767.
Monachi catholici, 789; budhistæ, 523; 525; mahumetani, 536.
Monarchia in Ecclesia, 684-764.
Monismus, 78.
Monophysitæ, 550.
Monotheismus primitivus, 137; 140; 164; apud Judæos, 303-317; 326-327.
Mors Christi historice probatur, 444-447.
Motiva credibilitatis, 20. Vide ad vocem **Criteria**.
Mourret, de papa Honorio, 759.
Moyses Deum unum et justum prædicat, 305.
Müller (Max), de evolutione religionum, 140, n.
Multitudinismus rejiciendus est, 681.
Mysterii notio, 202-203; possibilitas et convenientia, 204-207; 227-231; mysteria christianæ religionis, 357-358.
Mysteria pagana : christianismus ab eis non derivatur, 381-384.
Mythismus exponitur, 294.

Nathan, propheta, 307.
Naturalismus, seu rationalismus, 17; 293.
Necessitas, philosophice spectata, 210, n.; theologice, 803.
Nestoriani, 550.
Newman J. H. quam methodum apologeticam sequitur? 76; de usu criteriorum revelationis, 248, n.; de regula fidei, 593, n.; de libertate in Ecclesia, 778, n.
Nicænum concilium, 677; 876: de traditione, 950.
Nicolaus I. S., de potestate coactiva Ecclesiæ, 838.
Nirvana, 120; quid sit juxta Budhistas, 520; 522; 529.
Notæ revelationis, vide **Criteria**; præcipuæ notæ Ecclesiæ, 769-796.

Oldenberg, de Budhismo, 519-530.
Ollé-Laprune de certitudine morali, 32, n.; 33, n.; de methodo apologetica, 83.
Optatus, S., de primatu romano, 733.
Oratio, 106; est necessaria, 169-170; oratio Christi, 394.
Ordines religiosi sanctitatem Ecclesiæ probant, 789; a protestantibus destructi, 794.
Ordinis potestas distincta a potestate jurisdictionis, 624.
Ordo naturalis et supernaturalis, 14-17.
Orientales Ecclesiæ, 550-555.
Origenes christianismum contra Celsum propugnat, 45; ejus doctrina de Episcopis, 661; de Ecclesiæ infallibilitate, 676; testatur Petrum Romam venisse, 707; romano pontifici rationem reddit, 725; de axiomate *Extra Ecclesiam nulla salus*, 805.
Osee propheta Dei amorem prædicat, 309; 327.
Ozanam de methodo apologetica, 71.

Pænitentia, 106; ejus obligatio, 168.
Paganismus cum Christianismo confertur in suis doctrinis, et in suis effectibus, 212-218; 352-371; 483-493; 796, n.
Papa, cfr. **Pontifex**.
Papias de infallibilitate Traditionis, 672.
Parousia quo sensu a Christo annuntiata, 604; 615-621.
Pascal de evidentia in re religiosa, 32, n.; 33, n.; 34, n.; 248, n.; ejus methodus apologetica, 64; speciatim de cultu externo, 175, n.; de indifferentismo, 236, n.; de discernibilitate miraculi, 273, n.; de propagatione Islamismi, 538, n.
Passio Christi, a prophetis prædicta, 331-332 ; a Christo prævisa, 437.

Index ad *numeros marginales* remittit.

Patres Ecclesiæ, eorum auctoritas in rebus fidei, 972-977. Patres apologetæ, 39-49.
Patriarchalis religio, 299.
Patriarcharum orientalium origo, 552; patriarcharum cpnorum ambitio, 552.
Paulus, S., de moribus paganorum, 215; de triumpho Christi, 336; de resurrectione Christi, 452-456; testatur primatum Petri, 700; traditionem, 942.
Paulus exegeta rationalista, 67; 293; erravit de morte Christi, 444.
Peccatores sunt membra Ecclesiæ, 897.
Pentateuchus, 287.
Persarum religio, 123.
Persecutiones in christianos, 500; 510-513; 781.
Persona Christi, (i. e., ejus indoles et sanctitas) describitur, 385-395; cum persona Budhæ et Mahumeti comparatur, 528; 537.
Pesch, de valore prophetiarum, 338, n.
Pessimismus, 157.
Petrus caput visibile Ecclesiæ constituitur et primatum universum accipit, 686-701; infallibilitate dotatus est, 742-763; de Christo docuit, 426; quo sensu a Paulo reprobatur, 700; primatum jurisdictionis successoribus transmittendum accipit, 703-705; Romæ episcopus fuit, 706-715; quo jure primatum Romanæ sedi affixit, 741.
Petrus blesensis, de libertate, 490.
Pharisæi, 378.
Philonöus, probat christianismum non esse syncretismum religiosum, 384, n.
Philosophia, a religione differt, 102; Ecclesia de ea definire potest, 821.
Philosophorum insufficientia ad homines docendos de rebus religiosis, 212-220.
Photius schismaticus, 553; 793.
Pius VI, de potestate Ecclesiæ, 795; de membris Ecclesiæ, 891.
Pius IX de certitudine apologeticæ, 28; de salute acatholicorum, 806; de potestate Ecclesiæ, 833; 837; de Ecclesia ut societate, 836; de obedientia præstanda in rebus non definitis, 848; de auctoritate theologorum, 978.
Pius X de methodo scholastica simul et positiva, 9; experientiam religiosam excludit, 240, n.; immanentismum condemnat, 88; de obedientia præstanda sententiis *Commissionis biblicæ*, 848.
Plato, de interpretatione librorum, 591.
Plinius Junior de multitudine Christianorum, 476.
Poincaré H., de mysteriis, 203, n.
Polycarpus S., de infallibilitate Ecclesiæ, 672; de primatu romano, 719; de traditione, 947.
Pontifex Romanus successor B. Petri in primatu, 716-740; ex cathedra loquens est infallibilis, 742-763; hujus infallibilitatis conditiones, 745-749; objectum, 818-826; suprema jurisdictione gaudet universali, ordinaria et immediata, 849-858; jus habet concilia convocandi œcumenica, eis præsidendi, eademque confirmandi, 874-879; ejus civilis potestas, 859.
Positivistæ 78; eorum errores de religione, 108; 139 seq.; de fine hominis, 158; de miraculo, 259.
Possessi a dæmone a Christo liberantur, 430, n.
Potestas, ordinis et jurisdictionis, 624; potestas clavium, ligandi atque solvendi, 627; 692; Ecclesiæ potestatis objectum, 818-838; exercitium, 839-882; subjecti, 883-900.
Poulpiquet, A. de, de unitate catholica Ecclesiæ, 778, n.; 784, n.; de schismaticorum immobilitate, 779, n.; de scandalis in Ecclesia, 791, n.; de sanctitate extra Ecclesiam, 792, n.; de intolerantia Ecclesiæ, 837, n.; de assensu decisionibus non infallibilibus, 847, n.

Index ad *numeros marginales* remittit.

Præcepta positiva revelari possunt, 208; præcepta doctrinæ christianæ, 358; 361-364; Ecclesia infallibilis est in præceptis condendis, 825.
Prædicatio unanimis Episcoporum, 670-671; 969.
Præhistorici populi : eorum religio, 112.
Praxis Ecclesiæ ut regula fidei, 970-971.
Presbyteri ab episcopis distincti, 637; 644-656.
Presbyteriani seu Calvinistæ, 565.
Presbyterianismus, 567; 681.
Primatus Petro ac Romanis Pontificibus collatus, v. **Petrus, Pontifex.**
Primitivorum religio; 112-115.
Prodigia diabolica, 275.
Professiones fidei ut fontes revelationis, 967; Professiones fidei Orientalium, 555; Protestantium, 558; 562; 565.
Propagatio christianismi : a prophetis prædicta, 326 seq.; 333; 472, est miraculum ordinis moralis, 473-507; 780 seq.; comparatur propagationi budhismi et islamismi, 529; 538.
Prophetæ, 287; 301; ut *prædicatores*, cultum Dei promovent, 303-323; ut *prædicentes*, futurum Messiam ejusque regnum annuntiant, 324-341.
Prophetia : ejus notio, 280; possibilitas, discernibilitas et vis probativa, 281-283; prophetiæ Christi, 436-442.
Prosperitas nationum catholicarum et protestantium, 795; nationum modernarum, 796, n.
Protestantismi præcipuæ sectæ, 556-565; quomodo Ecclesiam hodie concipiunt, 566-570; Protestantismus caret stabilitate, 774; 776; 779; 782-783; unitate, 705; catholicitate, 774-776; 782-783: sanctitate, 794-795; Non est vera Ecclesia-Christi, 767; martyres protestantes, 517; Errores protestantismi de regula fidei, 572; 582 seq.; de apostolis, 623; 632; de primatu, 684; 702; 713; 742; de notis Ecclesiæ, 769, n.; de traditione, 938; de inspiratione, 984.
Psalmi, 330; 332.
Pseudo-Isidori decretales, 854.
Psychologice demonstratur necessitas religionis, 148-160.
Psychologismus religionem non explicat, 143-144.
Psychotherapia impar ad miracula Christi explicanda, 431.
Puller, de primatu romano, 721, n.
Puseystæ seu Ritualistæ, 563.

Quadratus, 39; de miraculis Christi, 426.
Quesnel, de membris Ecclesiæ, 891.

Rabier, de contingentia in mundo, 262, n.
Ratio humana quid cognoscere valeat relate ad religionem naturalem, 210; 165-170.
Rationalismi origo et historia, rationalismus philosophicus, rationalismus biblicus, 55-60; 66-68; 78-80. 296-298; ejus errores de revelatione, 227; 234; 240; de miraculo, 259; de prophetis, 318; de miraculis Christi, 428; de ejusdem resurrectione, 450; 466-470; de propagatione fidei, 473; 494 seq.
Regimen Ecclesiæ, 839.
Regnum Dei a prophetis prædictum, 326; 327; 331; a Christo annuntiatum, 602-605; relationes cum Ecclesia, 611, n.; falsæ notiones, 612-621.
Regula fidei catholicorum, 582; 1019; orientalium, 555; protestantium, 559; 562; 565; 572; 582; dotes veræ regulæ fidei, 584; necessitas, 573-581; comparatur regula catholica cum regula protestantica, 583-597.
Regum (libri), 287.
Reimarus exegeta rationalista, 60; erravit de resurrectione Christi, 450, n.

Reinach, S., erravit de religione, 108, n.; de origine religionis, 142; de origine doctrinæ christianæ, 381, n.; de miraculis Asclepii, 279, n.; ejus testimonium de universalitate religionis, 111, n.

Reitzenstein, exegeta rationalista, 296; 381.

Relationes Ecclesiæ et Status, 902-931.

Religiones variæ, 111-137; numerus asseclarum, 285, n.; apud primitivos, 112-115; Sinenses, 116; Indos, 118-120; Persas et Medos, 123; Semitas, 125-128; Ægyptios, 129; Græcos et Romanos, 130-134; Gallos, 135; Germanos, 136. Ex historia religionum infertur necessitas alicujus religionis, 138-160.

Religionis notio et elementa, 96-108; origo, 164; species, 107; necessitas, 109-171; Religio supernaturalis, seu revelata, cfr. **Revelatio.**

Religionis christianæ excellentia in se spectatæ, et in suis effectibus, 350-374; mira ejus propagatio, 473-507. Cfr. **Christus.**

Religionis budhisticæ expositio et critica, 519-530.

Religionis mahumetanæ historia, expositio ac crisis, 531-540.

Renan erravit de miraculo, 259, n.; 269, n.; testatur mortem Christi, 445, n.

Resurrectio Christi, a prophetis prædicta, 331-332; a Christo annuntiata, 437; historice probatur, 450-471; contra recentes Incredulorum impugnationes vindicatur, 466-470.

Revelationis notio, 182-187; 190-192; species, 188-189; possibilitas, 193-208; necessitas, 209-233; obligatio eam inquirendi, 234-238; revelationis criteria, 239-283; revelatio christiana, cfr. **Religio christiana.**

Reuss, rationalista: de canone Scripturarum, 585, n.

Réville, A., ejus testimonium de morte Christi, 447, n.

Ribot, T., de origine religionis, 144, n.

Richardus a S. Victore de evidentia christianæ demonstrationis, 53; 435.

Ritschl A. liberali Christianismo et Modernismo favet, 1025; errat de revelatione, 187; de miraculo, 256.

Ritualistæ, 563.

Romanorum religio, 132-134; eorum leges de pueris necandis, 485; de servis, 488, n.

Roure, de philosophia et religione, 102, n.; de spiritismo, 1044, n.

Rousseau supernaturale rejicit, 59.

Roussel, de budhismo, 519, n.

Rufinus de Symbolo Apostolorum, 963, n.

Ruinart, D., de numero martyrum, 510.

Russicorum episcoporum juramentum, 766, n.

Sabatier, A., ejus doctrina religiosa, 1026; ejus errores de religione, 108, n.; de revelatione, 187; de miraculo, 256; de prophetia, 280, n.; de potestate apostolorum, 632; de primatu Petri, 694, n.; ejus testimonium de prophetis, 319, n.; de apparitionibus Christi, 455, n.; de regula fidei, 572, n.; 581, n.; 588, n.; 595, n.; de sanctitate Ecclesiæ, 789, n.

Sacerdotium catholicum, 789.

Sadducæi, 378.

Sadhu Sundar Singh, thaumaturgus hæreticus, 279.

Sallustius de moribus Romanorum, 215, n.

Salvador judæus, de morte Christi, 444.

Salvationistæ, 564.

Samuel mosaicam religionem instaurat, 306.

Sanctitas Christi, 391-394; a christianismo promota, 483-493; Romanæ Ecclesiæ vere competit, 788-790; non autem Græcis et Protestantibus, 792-795; exinde infertur Deum R. Ecclesiæ speciatim assistere, 791.

Sardicense (concilium), 853, n.
Scandala, Ecclesiæ sanctitati non obstant, 791.
Scandinavorum religio, 136.
Schell modernismo favit, 1040.
Schiitæ, 533.
Schisma orientale, 550-555; (vide **Ecclesia græca**).
Schismatici suntne Ecclesiæ membra? 895.
Science (christian), 1050-1052.
Scientiæ naturales theologiæ subservire debent, 13.
Schleiermacher, ejus doctrina religiosa, 1024; de revelatione, 187.
Scriptura sacra ut fons revelationis, 582-596; 982; inspiratio, 983-1001; sensus Scripturæ multiplex, 1002-1007; leges interpretationis, 1002-1017; Scriptura non est unica ac suprema fidei regula, 582-596; comparatur cum traditione, 1018.
Séailles G. cur miracula rejiciat, 259, n.
Sedes Apostolica, cfr. **Pontifex.**
Seeley, rationalista, de christiana caritate, 363, n.; de miraculis Christi, 425, n.
Semirationalismus, 51; 80.
Semitarum religio, 125-128.
Seneca, ejus religio, 483; de moribus Romanorum, 484, n.; 485; de servis, 488; de ludis gladiatoriis 491; ejus doctrina cum christianismo comparatur, 380.
Sensus communis fidelium, 981.
Sepultura Christi 448-449.
Seraphinus de Sarov, thaumaturgus schismaticus, 279.
Servitus a religione christiana paulatim abrogata, 488-489; in islamismo subsistit, 534.
Silvester, S., de primatu, 727.
Simon J. rationalista, de cultu exteriori, 174, n.
Simplicius, S., de infallibilitate romani pontificis, 754.
Sinensium religio, 116.
Siricius, S., de primatu, 728.
Sixtus V. de utilitate scholasticæ theologiæ, 8.
Societas religione indiget, 178-179; a christianismo renovata, 490-493; 789; Ecclesia est vera Societas, 834-836. Cfr. **Status.**
Sociniani, 57.
Sociologica facti religiosi explicatio prorsus insufficiens est, 145-146.
Socrates, historicus, de primatu, 746, n.
Sophonias propheta, 313.
Sozomenus, historicus, de primatu, 736; de infallibilitate romani pontificis, 765.
Spinoza : ejus doctrina religiosa, 1022; errores de miraculo, 261; 271, n.; de prophetis, 280.
Spiritismus, 159; 1042-1045.
Stabilitas Ecclesiæ, 770-786.
Stapfer rationalista, de testimonio Christi, 143-144.
Status a christianismo renovatus, 490; in suis cum Ecclesia relationibus, 902-922; Status jura et officia relate ad libertatem conscientiæ et cultuum, 923-931.
Stephanus, S., papa, primatum exercuit, 724.
Stoïcismus, 380; 500.
Strauss, mythismi parens, 67; 294; 443, n.; de morte Christi, 447, n.
Suarez, de infallibilitate pontificia, 746, n.
Subconscientia religionem non explicat, 143-144.
Subjectivismus hodiernus, 79.
Suetonius, de progagatione fidei, 476.
Suggestio mentalis miracula Christi non explicat, 431.
Sulpitius Severus de Martyribus, 513.
Sunnitæ, 533.
Supernaturalis religio, cfr. **Revelatio.**
Symbolorum notio et utilitas, 962; symbolum Apostolorum, 963-964; symbolum Nicænum, 965; symbolum Athanasianum, 967.

Syncretismus græco-romanus : relatio ad christianismum, 381-384.

Tabou religionem non explicat, 141-142.

Tacitus de moribus Romanorum, 484; de multitudine Christianorum et Martyrum, 476; de Martyrum tormentis, 510; 512.

Taine fatetur irreligiosum hominem esse crudelem et lubricum, 179, n.

Tatianus apologeta, 39; 42.

Tertullianus apologeta, 39; 42; de christianæ religionis propagatione, 476; 480; de fraternitate christiana, 493; de Martyribus, 510, n.; 515; de hierarchia et de episcopis, 661; de infallibilitate Ecclesiæ, 676; de episcopatu romano Petri, 707; de primatu, 722; de traditione, 949; de consensu fidelium, 981.

Testimonium Christi de seipso, 397-410; valor ejusdem, 411-413.

Theologiæ definitio, 1-2; a fide distinctio, 3; theologiæ dotes, 4-6; theologiæ partitiones : positiva, scholastica, mixta, 7-11; theologiæ fundamentalis notio et divisio, 11; theologiæ moralis notio et divisio, 11; theologiæ specialis notio et divisio, 11; theologiæ præstantia et utilitas, 12-13.

Theologorum auctoritas in rebus fidei, 978.

Theophilus Antiochenus, apologeta, 39, 41.

Theosophia, 1046-1049.

Thierry, A., methodus apologetica, 73, n.; de necessitate regulæ fidei, 578, n.

Thomas Aq. S. : Summæ theologicæ divisio, 10; auctoritas Doctoris Angelici in theologia, 8; 980. Ejus methodus apologetica, 55. — Ejus doctrina de theologia speculativa, 9, n.; de influxu voluntatis in certitudinem, 25; 34; de necessitate religionis, 150; de oratione, 170; de cultu externo, 175; de modo revelationis immediatæ, 190 seq.; de convenientia revelationis mysteriorum, 206-207; de desiderio videndi Deum, 229; de criteriis Revelationis, 240, n.; de miraculi natura, 252; de speciebus miraculorum 255; de miraculi possibilitate, 261 n.; 263; 264; convenientia, 265; discernibilitate, 272, n.; valore, 277 de miraculis falsarum religionum, 279; de possibilitate prophetiæ, 281; de doctrina christiana, 359, n.; de miraculis Christi, 416 seq.; de propagatione christianismi, 504; de primatu romano, 851; 704, n.; de canonizatione sanctorum, 826; de libertate conscientiæ, 928; de tolerantia, 931, n.; de symbolo Apostolorum, 964; de inspiratione S. Scripturæ, 988, n.; de inerrantia ejusdem, 1000; de variis S. Scripturæ sensibus, 1002, n.; 1003; 1006. Et passim.

Excerpta e Summa theol. vide ad calcem operis.

Tolerantia religiosa quo sensu admitti potest, 931.

Tonquédec, P. de, de miraculo, 274, n.; 278, n.; de excellentia doctrinæ christianæ, 371, n.; 374, n.

Totemismus religionem non explicat, 145-146.

Touzard J. de prophetis, 317, n.

Traditionis notio, 936-938; existentia et ambitus, 939-952; ejus organa, 953-981; Traditionis cum Scriptura comparatio, 1018. Traditio apostolica, 547; 586.

Traditionalistæ de impotentia humanæ rationis, 209.

Tribunalia romana, 857.

Tridentinum de Traditionis existentia et auctoritate, 950; de inspiratione, 985; de authenticitate Vulgatæ, 1010.

Tropologicus sensus, 1004.

Trullanum (concilium), 553; 555, n.

Typicus sensus, 1002.

Tyrrel modernista : ejus doctrina religiosa, 1037-1038; de infallibilitate Ecclesiæ, 664.

Index ad *numeros marginales* remittit.

Unio inter Ecclesias promovenda, 768.
Unitæ (Ecclesiæ orientales), 550, n.
Unitarii ad rationalismum tendunt, 57.
Unitas organica fidei et regiminis soli Romanæ Ecclesiæ competit, 770-781; exinde infertur ejus divinæ legationis argumentum, 782-786.
Urban, de schismaticis, ut membris Ecclesiæ, 760.

Valensin, P. Alb., de immanentia, 87, n.
Vaticanum de utilitate theologiæ, 9, n.; de fide, 19; de possibilitate revelationis, 194. n.; de mysteriis, 203, n.; 228, n.; de morali necessitate revelationis, 210; de miraculis, 260; 267; 276; doctrinam catholicam exponit, 354; de excellentia mysteriorum fidei, 357; de institutione Ecclesiæ, 598; de infallibilitate Ecclesiæ, 664, n.; de notis Ecclesiæ, 769; de magisterio doctrinali, 823, n.; 844; de primatu jurisdictionis Petro et R. Pontificibus collato, 685; 686; 716; de infallibilitate R. Pontificis, 744; de suprema ejus jurisdictione, 849; 851; 853, n.; de potestate episcoporum, 861; de infallibilitate ipsorum, 871; de sollemni et de ordinario et universali magisterio, 954; de fontibus Revelationis. 934; de ejus inspiratione, 985.
Vaticani concilii *integra decreta* de fide catholica, et de Ecclesia, inter *Documenta*, ad calcem libri.
Vaticinia., cfr. **Prophetæ, Prophetia.**
Venard, de doctrina christiana, 349, n.
Versiones Scripturæ utiles ad sensum detegendum, 1010.
Vespasianus: ei miracula tribuuntur, 279.
Veteres catholici, 551; 743; 744.
Victor papa suam auctoritatem strenue asserit, 753.
Vigilius papa, in fide non erravit, 824, n.
Vincentius Lirinensis de pio fidelium sensu, 981.
Vires ignotæ et miraculum, 271; explicantne miracula Christi? 431.
Voltaire christianam religionem irridet, 59.
Vulgata versio quo sensu authentica, 1010.

Wegscheider, de miraculo, 256: de propagatione christianismi, 504, n.
Weiss, B., de vaticiniis Christi, 442, n.; de potestate apostolorum, 627, n.
Weiss, J., de testimonio Christi, 409; de regno Dei et Ecclesia, 615 seq.
Wellhausen novæ criticæ propugnator, 68; negat testimonium Christi, 408.
Wernle, de origine conscientiæ messianicæ Christi, 413.
Wiseman de perpetuitate primatus, 704, n.; de amore quo Ecclesia catholica Scripturas prosequitur, 582, n.
Wolf, rationalismi fautor, 60.

Yahweh, 305.
Young, de moralitate catholicorum et protestantium, 794, n.

Zangwill falso contendit christianam religionem hypocrisi favere, 366, n.
Zacharias, propheta, 315; 332.
Zephyrinus, S., primatum exercuit, 753.
Zozimus, de primatu, 728; de infallibilitate, 754.

Index ad *numeros marginales* remittit.

ERRATA

P. 117, in fine n. 194, post verba " perficiet rationem ", adde : etsi modo indebito.

P. 121, n. 1, lege : *Vatic.*, sess. III, can. 1.

P. 121, n. 240, (**b**), lege : Præfatum criterium minime usurpari potest.

P. 267, n. 7, lege : *II Petr.*, I, 16-18.

P. 309, lin. 6, loco " capite I° " lege : capite II°.

P. 338, lin. 6 deleatur vox forsan.

P. 357, n. 3. Titulus operis **Karl Muller** est : *Die Bekenntnisschriften der reformieten Kirche.*

P. 409, n. 2, lege : **Prat**, *op. cit.*, II, p. 371.

Cetera emendabit benevolus auctor.

Imprimé par la Société S. Jean l'Evangéliste, Desclée & Cie
Tournai (Belgique).

210.2
T158

4014
Synopsis Theologiae
Dogmaticae Fund-
mentalis

210.2
T158

4014

Graduate Theological Union
Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709

DEMCO